COLLECTIO

OMNIUM CONCLUSIONUM ET RESOLUTIONUM

QUAE IN CAUSIS PROPOSITIS

APUD

SACRAM CONGREGATIONEM CARDINALIUM

S. CONCILII TRIDENTINI

INTERPRETUM

PRODIERUNT AB EIUS INSTITUTIONE

ANNO MDLXIV AD ANNUM MDCCCLX

DISTINCTIS TITULIS ALPHABETICO ORDINE PER MATERIAS DIGESTA

CURA ET STUDIO

SALVATORIS PALLOTTINI

S. THEOLOGIAE DOCTORIS ET IN ROMANA CURI
ADVOCATI

GRADUATE THEOLOGICAL UNION
LIBRARY
1962

ALMA COLLEGE
262.211
LIBRARY
B179
Alma California

TOMUS I.

ROMAE MDCCCLXVIII.
TYPIS S. CONGREGATIONIS DE PROPAG. FIDE
SOCIO EQ. PETRO MARIETTI ADMINISTRO

TAURINI
APUD PETRUM H. F. MARIETTI
TYPOGRAPHUM PONTIFICIUM.

37240

BX
1831
C65
v.1
1868

Liber hic Typographica proprietate gaudet ad Legum vigentium normam, etiam in aliud idioma translatus.

AD LECTOREM

Opus hoc maximae necessitatis ac utilitatis, quod iam in praesens typis excudere libentissime insudamus, nullo commendationis genere ac laude indiget, ut omnes ecclesiasticae disciplinae christianaeque civilitatis cultores enixe commoveantur ac excitentur. Siquidem amplissima illa sacrae Congregationis Concilii doctrina, quae in libris Decretorum ab anno MDLXIV usque ad annum MDCCXVIII in latebris iacet, et ab anno MDCCXVIII ad haec tempora in *thesauro*, ut vocant, intercisa prostat, distinctis titulis alphabetico ordine per dispertitas materias collecta, uno oculorum ictu, ad manus in promptu Episcopis, Vicariis generalibus, Parochis, Regularibus, Ecclesiasticis omnibus, Iurisperitis, ac in foro versantibus, maxima cum catholicae Ecclesiae utilitate, esse potest. Etenim ex eo etiam, quod et scissae Doctorum ac Theologorum opiniones oraculo sacrae Congregationis vel cum distinctione conciliatae vel diremptae noscantur, atque respectivis conclusionibus et resolutionibus adiiciantur notae, quibus summorum Pontificum bullae, iuris civilis leges, antiqui ac recentes sacri canones, concordantes resolutiones aliarum Congregationum, decisiones S. Rotae romanae, nec non Doctorum et Canonistarum auctoritates in medium proferuntur, nedum uberrima iuris privati et publici copia, unde ars illa difficillima regendi populos in omnes dimanat, prae oculis habetur, sed etiam sapientia praeclara ac iustitia integerrima Apostolicae Sedis seu sacrae Congregationis Concilii emicabit, in interpretandis applicandisque Concilii Tridentini decretis, quae sub tanto magisterio ac vindice (1) per longissimum trium seculorum spatium, tot inter atque adeo terribiles hostium internorum externorumque incursus, unitatem ecclesiasticae disciplinae toto orbe christiano mirifice firmarunt, atque ad apicem perfectionis una cum novis declarationibus, ad hanc diem editis, favente Deo optimo maximo, procul dubio urgebunt.

(1) Neminem sane latet, S. Congregationem Concilii tam ampla pollere auctoritate, ut etiam invigilare debeat super exequutione Concilii Tridentini, et ex officio providere ad abusuum extirpationem in toto christiano Orbe, ut in terminis in adnotationibus Secretarii in causa Lucana die 1 septembris 1725 §. Et haec ibi: « Satis enim est, ut factum fuerit deductum ad notitiam Sacrae Congregationis, quae invigilare debet super exequutione Concilii Tridentini et ex officio providere ad abusuum extirpationem in toto christiano Orbe, iuxta Constitutionem LXXIV Xysti V, Congreg. 8 Bullar. tom. 2. »

*

Ne quid vero in hoc opus irrepsisse putetur, quod vel alienum forte sit a germana praelaudatae S. Congregationis doctrina, vel illi saltem non adamussim respondeat: Auctor ipse quae exscripta sunt cum exemplaribus actorum diligenter contulit, quo palam fieret, praedictas conclusiones et resolutiones e puris fontibus haustas fuisse. Quamobrem eo se laborem hunc perduxisse confisus est, ut dubitare minime potuerit, quin Eminentissimus Praefectus S. Congregationis Concilii, qua praestat humanitate, hoc opus tueri dignaretur ; ut, tanti nominis dignitate tantisque auspiciis auctum atque insignitum, optatos grata foecunditate fructus exhiberet. Itaque sequens Rescriptum Auctor obtinuit.

EMINENTISSIME PATER

Salvator Pallottini S. Theologiae Doctor et in Romana Curia Advocatus, plurimis abhinc annis, ad utilitatem christianae rei Opus, cuius titulus: *Collectio omnium conclusionum et resolutionum, quae in causis propositis apud S. Congregationem Cardinalium S. Concilii Tridentini interpretum prodierunt ab eius institutione anno MDLXIV ad annum MDCCCLX distinctis titulis alphabetico ordine per materias digesta,* sub auspiciis Eminentiae Vestrae aggressus, post magnas solicitudines ac studia ad finem perduxit. Quum itaque Auctor iam typis Romae praefatam Collectionem conclusionum et resolutionum mandare exoptet, humillimus veniam Eminentiae Vestrae, quae sapientissimo Senatui Eminentissimorum Patrum, ex providentia Romani Pontificis Pii IX, quem Deus diu sospitem servet, tam fauste praeest, efflagitat.

Quare etc.

Die 1 iunii 1867.

Ex parte huius S. Congregationis Concilii nihil obstat, quominus supra memorata Collectio usui forensi valde commoda et utilis typis mandetur, servatis ceteroquin servandis.

P. Card. Caterini Praef.

PRAEFATIO

Omnibus compertum satis est, in eo potissimum socialis convictus felicitatem sitam esse, quod singuli homines mutuis sese officiis ultro prosequantur. Enimvero admirabilis ordo officiorum universa reserat bona, quae naturam humanam perficiunt atque complent. Quamobrem maximum Deus contulit beneficium, quum seipsum basim ac fundamentum ordinis huius *immediate* (1) constituere, seseque omnium ac singulorum hominum rectorem moderatoremque exhibere dignatus est: nec quempiam propterea e sublimiori angelorum coetu voluit illis ceu supremum regem praeficere. Idcirco quisque ab Deo creatore ac supremo et immediato rectore altissimam agendi normam *directe* desumit, ac in actum iuxta ordinem aeternae iustitiae deducere gestit.

At inconsulto statum hunc praeclarum ac felicissimum primi parentes corrupere: unde malorum genus omne atque ipsa adeo mortis necessitas in homines incubuit. Itaque Deus homines ac nationes suis viribus innixas reliquit: atque primum omnes familias, una dumtaxat incolumi, demersit; dein populum sibi acceptum ab errorum vitiorumque lue segregavit atque prodigiis servavit, bonis ac spoliis gentium replevit, victoriis magnum ac illustrem inter nationes fecit, ac ipse *immediate* legibus et disciplina rexit. Israel vero et ipse obloquutus est, idolis thura dedit, ac paterna illa disciplinae ratione, qua divinitus regebatur, posthabita, regem sibi pro ceterarum gentium consuetudine constitui efflagitavit, ac postremo Christum reparatorem teterrimo crucis supplicio damnare minime exhorruit.

(1) Non desunt S. Scripturae Interpretes, qui Luciferum ob id in ruinam procubuisse putant, quod se centrum immediatum totius ordinis creationis edicere praesumpserit. Unde is, veluti Rex omnium, similitudinem cum Deo sibi perperam adrogare ausus est, effutiens. *Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.*

Tum gentes iam in omnem errorum turpitudinem prolapsae, intestinis civium discordiis, ac inhumano bellorum furore, discissae ac laceratae languebant. Nullo enim societatis vinculo populi inter se coniungebantur: hostili sese odio proscindebant: vis, supremum omnium ius ac gentium norma. Idcirco nec Prophetae nec Philosophi nec Iurisconsulti beatos homines ac populos facere valuerunt. Illi enim vix pertinaciam Iudaeorum ac incircumcisum cor compescere potuerunt, ne in peiora ruerent ac ipsam Dei unitatem amitterent. Quod ad Philosophos inde attinet, vix quemquam reperias, qui unum esse Deum palam docuerit; plerique vero in ipso hominis fine morumque principiis constituendis a veritate turpiter discesserunt. Postremo etsi lurisconsulti legumquelatores, romani praesertim, haud mediocrem populis utilitatem legum scitorumque sapientia contulerint: nihilominus quam parum, colligendae mutuis inter se officiis hominum familiae, illa legum latrix auctoritas ac prudentia profuerit, ipsa profecto historiae monimenta declarant.

Siquidem ob id Romani prae ceteris caput undique extulerunt, quod melius iura sacra, quae minus absurditatem ac sordes redolerent, excerpere ac veluti praecipuam iurispublici partem constituere, nec non Philosophorum placita civibus aptare, ac veluti alteram iuris partem sancire potuerunt. Hinc hisce monumentis innixi, leges duodecim tabularum ediderunt: eisdemque mordicus inhaerentes, codicem in dies ampliarunt. Propterea Roma totum terrarum orbem vi subegit, legibusque rexit. At neque temporaneam neque aeternam beatitatem gentibus praebuit. Ipsa enim bona omnium populorum sibi impotenter adrogavit, catenas servitutis auxit, patrias subvertit, ac reges et respectivos cives libertate exuit aut dire necavit, si forte vel levissimam suspicionem concepisset, quod iugum excutere possent. Templa demum omnigenis Diis absurde impieque dicavit.

In tam horrenda totius humanae familiae conditione Filius Dei e caelo descendit, ac mirifice hominem atque domesticam et civilem societatem restauravit. Nam intellectum hominum fide coercuit, voluntatem auctoritatis freno enixe compescuit. Unde catholica Ecclesia, a Christo Domino ad hoc praesertim instituta, ut homines e coeno vitiorum ac errorum eriperet, mirum in modum officium sibi divinitus concreditum ubique explevit. Qui sane historiae rei christianae operam etiam leviter dederunt, vix ac ne vix quidem numerare valent, quot illa ab initio usque in praesens, quantosque fidei hostes profligaverit, quot haereses earumque propugnatores acerrimos interemerit. Ac hostibus christianae fidei devictis, patres, concilia, strenui viri, scholae, academiae et universitates plurimum ad enucleanda ac exornanda

fidei obiecta insudarunt. Hinc tempore divi Thomae non modo ratio humana cum fide christiana mirifice cohaerebat, sed ipsa sponte amicum arctissimumque foedus inivit.

Malitia hominis, potentia ac splendore christianae fidei undique pressa, novum nec minus atrox bellum *directe* indixit: nimirum victa ac profligata in ordine veritatum, quae intellectum *immediate* respiciunt, ea subinde omnia paulatim aggredi ausa est, quae proprie ad voluntatem referuntur. Idcirco mores Clericorum ac amplissimam universae Ecclesiae disciplinam *directe* pervertere et corrumpere contendit. Quare homo et christiana societas, etsi in ordine veritatum cum rationalium tum praeter ac supra rationalium complete restaurata existeret, hos inter novos hostium incursus, civilitatem ac beatitudinem, rationi humanae rursum ad pristinam dignitatem evectae convenientem, assequi non valuit. Quisque enim probe intelligit, integram veritatum ac officiorum summam neminem assequi posse, nisi intellectus et voluntas in ordine creationis ac reparationis firmiter consistant.

Propterea minime sat est, catholicam Ecclesiam ethnicorum errores profligasse, totumque fidei depositum sarctum tectumque servare, nisi prona christianorum voluntas simul explenda peragat ac omittendis abstineat. Unde pluris perfectio voluntatis, quam intellectus generatim interest. Idcirco Ecclesia catholica, etsi primum de triplici veritatum ordine *directe* egisset, nunquam ea, quae ad mores ac disciplinam spectarent, neglexit. Neminem enim latet, theoreticam veritatum agnitionem nihil prodesse, ac ipsam fidem absque operibus mortuam esse. Siquidem Ethnicorum societas non ita in tenebris iacuit, ut legem saltem ordinis naturae non agnosceret. Ideam enim divinitatis ac plurimas ordinis naturae veritates amittere non potuit: nam ipsi poetae unitatem Dei (1), ac actionum pulchritudinem professi sunt et probaverunt..... *Video meliora proboque*

Deteriora sequor (2).

Itaque hominum indoles atque ingenium facilius in ordine abstracto veritatum convincitur, quam in ordine concreto agibilium suadetur. Humana enim voluntas, illecebris illaqueata, intellectu proclivior ad falsa sub specie veri boni amplectenda ruit. Pluries imo hominum intellectus in absurdas cogitationes, propter pravam eorumdem voluntatem ac insipiens cor, evanuerunt. Idcirco si Ecclesia catholica admodum in restauratione humani intellectus adlaboravit, non minori, sed imo maiori quodammodo cura ac studio enixa est, in humana voluntate in ordine concreto agibilium restauranda.

(1) Homer. Iliad. c. VIII.

(2) Ovid. Metamorph. lib. VII, vers. 15 et 16.

Enim vero ab ipso Ecclesiae ortu, Apostoli, pluribus coactis conciliis, canones, qui ad mores ac disciplinam pertinerent, ediderunt. Eorumdem Successores, quamquam et ipsi *directe* ad fidem in tuto ponendam in concilia convenissent, nihilominus ne unum quidem concilium particulare vel generale explerunt, quin simul canones ad mores ac disciplinam spectantes condiderint. Atque supremi Pontifices innumeras epistolas et decretales ad Episcopos, Archiepiscopos, et Patriarchas particulares, nec non ad omnes simul, qui in aliquo speciali regno ac regione vel in toto orbe existerent, ad hoc dedere, ut mores ac disciplinam Patrum pro temporum rerumque circumstantiis firmarent. Hinc illa omnium antiquissima canonum Apostolorum collectio, nec non ceterae canonum Conciliorum, Patrum sententiarum, romanorumque praesertim Pontificum decretalium, in dies passim privata doctorum auctoritate apparuerunt. Quas inter nobilissimam omnium iis temporibus recensuerunt, quam Gratianus magna cum laude confecit.

Per ea enim tempora christiana societas, in fide iam firmiter constituta, in ea, quae ad regimen ac formam externam ac universam spectarent, maiori cura atque animi alacritate, cepit incumbere. Primus ex romanis Praesulibus huic operi *directe* manum admovisse procul dubio recensetur Innocentius III, qui, sacris canonibus ad id tempus editis apprime instructus, concilium Lateranense ob id praesertim convocavit, ut canones, ad universae Ecclesiae disciplinam ac regimen pertinentes, sancirentur.

Siquidem tribus ex primis capitibus in eo latis exceptis, quae de fide ac errore praesertim abbatis Ioachim agunt, cetera omnia usque ad septuaginta de universae Ecclesiae disciplina ac regimine late disserunt. Eo namque in Concilio, pro temporum morum rerumque circumstantiis, formam pene perfectam, qua christiana et ecclesiastica praesertim societas regi deberet, Episcopi cum Pontifice illo praestiterunt.

Post haec romani Pontifices successores omnigenis curis ac laboribus in id iugiter institerunt, ut nova ac externa christianorum clericorumque forma regiminis perficeretur. Hinc Gregorius IX canones in unum ordinatim collegit atque Bononiensis Archigymnasii Doctoribus operam navantibus obtulit, ut sacrorum canonum scientiam foverent. Quam Gregorii IX collectionem auxit Bonifacius VIII. Eo inde ex tempore, universitates, academiae, atque doctores, magna cum laude, ac tributis praemiis honoribusque ac privilegiis innumeris, in canones evolvendos incubuerunt. Studium hoc maximo quidem ardore atque alacritate assumptum, non fuit intra nudae canonum notitiae vel forensium cancella occlusum; sed ad eorum vim potestatemque eruendam extensum.

Idcirco novus et amplissimus iustitiae ordo ac mirabilis regiminis forma emicuit. Pontifices enim leges contra iustitiam ac naturae humanae dignitatem abrogantes, eas enixe servare ac novae christianae societati aptare curarunt, quae ordini creationis ac restaurationis adamussim cohaerent. Nam romani Pontifices cum universa catholica Ecclesia non in omnia, quae gentes expleverunt, irruerunt; sed in ea dumtaxat, quae falsitatem vel vitium redolerent. Quemadmodum eorum exemplo Theologi ac praesertim divus Thomas formae ac veris placitis philosophiae Aristotelicae adnixi, miraculum sisthematis veritatum rationalium praeter ac suprarationalium ediderunt, ita Doctores et Canonistae leges Romanorum ad facem sacrorum canonum intimius scrutantes, utramque societatem civilem et ecclesiasticam ad apicem civilitatis extulissent, nisi et Saracenorum ferocia ac Barbarorum incursus, nec non Schismata cursum intercepissent.

His et prava illorum hominum voluntas accessit, qui, in ordine abstracto veritatum devicti ac profligati, disciplinam ac praeclaram regiminis formam intrinsecus extrinsecusque pervertere ac ruere studuerunt. Quos inter eminent Wicleffus et Husz, qui perperam effutire ac tueri contendebant, quod: *Nullus est dominus civilis, nullus est praelatus, nullus est episcopus, dum est in peccato mortali* (1). Hinc denegata Ecclesiae forma externa ac visibili, id etiam propugnare audebant, quod: *Quilibet tyrannus potest et debet licite et meritorie occidi per quemcumque vassallum suum vel subditum etiam per clanculares insidias et subtiles blanditias vel adulationes, non obstante quocumque praestito iuramento seu confoederatione factis, non expectata sententia vel mandato iudicis cuiuscumque* (2). Ne vero haec in civilem et ecclesiasticam auctoritatem societatemque flagitia, veluti absurda ac funesta refutarentur, vestigia Maomethi prementes nequiter edixerunt: *Universitates, studia, collegia, graduationes, et magisteria in eisdem sunt vana gentilitate introducta, et tantum prosunt Ecclesiae, sicut Diabolus* (3).

Sic in dies excrevit ardor ac pessima humanae voluntatis cupiditas, ut inde auxilio et ope Lutheri tota civilis et ecclesiastica Respublica perversa fuerit. Quo enim tempore hic barbarus ac postremus civilis et ecclesiasticae civilitatis vastator insurrexit, eo effrena plurimorum hominum voluntas devenerat, ut et ipse miraretur, quod tanta ac talia explere valuisset. Qui ergo tempora resque a Wicleffo ad Lutherum perpetratas intimius expendunt, nullam in huius doctrina subtilitatem dexteritatemque reperiunt, quibus tantam

(1) Vid. Conc. Const. art. 30.
(2) Ibid. art. Wicleff. 29. Husz art. 25.
(3) Ibid.

christianorum partem fallere ac secum trahere valuit. Errarunt equidem, qui eius pestem magnis laudibus extulerunt. Nil enim novi excogitavit praeter ea, quae prava et insatiabilis Wicleffi et Husz voluntas ac insipiens cor explere exoptarunt. Namque quidquid is effutiit, aperte vel latenter ex corde obscurato ac impio magistro Wicleffi et Husz eruperat. Qua porro praecipua ratione et homo ille, studia, universitates, academias, doctores, ut Wicleffus et Husz, damnare non erubuit? Cur sapientiam tot tantorumque Conciliorum, tot ac tantorum Patrum doctrinam; elata sed miserabili fronte, ut stercora, reputavit? Cur eorumdem Philosophorum placita ludibriis replevit? Non alia quidem de causa id perpetrare contendit, nisi quod perspecte cognoverit impotentiam sui ingenii novam subtilem haeresim ac errorem excudendi, quem praeclara Conciliorum, Patrum, ac Doctorum, nec non eorumdem Philosophorum gentilium sapientia non profligasset. Ne igitur cachinnis excipieretur, firmiter pravis ac perditis, atque late serpentibus humanae voluntatis deliriis, adhaesit. Eo enim tempore plurimorum hominum voluntas, ex peste Wicleffi et Husz, quibuscumque iam interius exuta frenis ac repagulis, vix occasio se obtulit, illico et externe, veluti flumen exundans, aggeribus sublatis, erupit. Unde Lutherus nil aliud egit, quam quod Maomethus inter populos Afros explevit. Scilicet obscuratis ac insipientibus cordibus latissimum unque vallum reclusit: unde intellectus effrenis cuiuscumque privatae voluntatis cupiditatibus captivus factus est.

Et quamquam alter ab altero media ad id perpetrandum diversa adhibuisse videatur, in effectu tamen pares omnino extitere. Si enim alter extollens desideria humanae carnis, omni morali lege soluta, ne resipiscerent, scientias ac intellectus cultum omnibus ac singulis prohibuit, alter in principe philosophorum nedum scientias ac disciplinas rectae rationis humanae, sed veritates praeter ac supranaturales damnavit. Hoc itaque unum hos inter discrimen fundamentale habetur, nimirum ille, ceu divinus Messias, absurda ac monstra Alcorani patefecit, hic neque tanta dexteritate praeditus, cuique privatae hominum cupiditati obiectum omnium veritatum reliquit. Propterea magis monstruosum ac horrendum sisthema invexit. Nam qui Alcoranum amplectuntur, nunquam obiectum veritatum rationalium ac divinarum immutant: contra qui Protestantismi vestigia premunt obiectum omnium veritatum absurde ac in horas mutant. In eo enim terminus est praetensi Messiae voluntas in libro Alcorani patefacta: in hoc effrenae privati hominis Voluntatis commodum ac deliramenta; unde et ipsae obiectivae veritates variantur continue, prout subiectiva cuiusque cupiditas exigit ac urget.

Protestantes idcirco in societatem sive privatam sive publicam non alia

de causa, quam ex propria ac privata singulorum utilitate impelluntur. Nulla hinc in alios, qui in eadem societate non recensentur, amicitia vel amor, nisi sibi utiles esse valeant. Propterea nullum ius internationale ordine iustitiae subnixum, sed in utilitate dumtaxat fundatum existere potest. Quin imo nec ulla in eos, qui in societate sunt, dilectio, si non amplius et ipsi utiles esse possunt. Quare maxima hominum pars, qui in huiusmodi societate habentur, sunt res vel privatorum vel eorum, qui societati praesunt. Ac res sunt viliores, quam servi gentilium; namque gentes non semper et non omnia utilitatis regula metiebantur. Totalem enim intellectus obcaecationem pravae gentium cupiditates non effecerunt. Propterea inter eas pluries auditum fuit: utile quidem aliquid esse, sed non iustum et honestum, ac cetera huiusmodi.

Re quidem vera ex legibus duodecim tabularum patri potestas erat necandi filium, qui sibi ac patriae utilis non foret; at ob id patri facultas haec tributa est, quia difficile admodum generatim censebatur, quod pater proprium filium absque causa urgentissima necaret. Idcirco ea inde, in abusum versa, ablata fuit. Infantes vero eorum, qui in societatibus protestantium bonis carentes nascuntur, si membris herculeis praediti sint, ne utile quod ex eis speratur pereat, alterius manu, non autem parentum cura aluntur. Hinc ipsa naturalis affectio, animalium etiam ratione carentium propria erga proprios natos, e medio tollitur. Qui membra laboribus apta non habent, vel mox ob ingentes labores fessa ac disrupta, fame pereunt. Canon enim privatae ac socialis cupiditatis est: alimenta iis dumtaxat praestanda, qui utiles sunt; ac ea tantum mensura, quae ad vitam in laboribus maximis traducendam necessaria reputatur.

Practica haec agendi ratio contra sui similes, quum privata ac infallibili voluntatis cupiditate nitatur, incorrigibilis evadit. Nam, etsi intellectus rationibus ita convictus fiat, ut nec subterfugii speciem exspiscari valeat, ab arena tamen nullatenus recedit. Quin imo illecebris ac vi perditae voluntatis illectus et actus, se victorem alte proclamat. Principium actionum enim, cum sit unice ac essentialiter subiectivum, ex pravae voluntatis deliramentis creatum ac rectum, quidquid externum est, et ad voluntatis oblectamentum non pertinens, nihil est. Et quamquam ex ineluctabili intimi sensus necessitate nemo denegare valeat obiectivam rerum existentiam, quidquid tamen externe existit, ideo est, quia *Ego* ille id ut sit vult ac expresse ponit. Hinc illud celebre absurdum inauditumque: *Ego* et *non Ego*, quod inde peperit ens undequaque absolutum, *Ego* et *non Ego*, complectens: ac demum ideam adeo omnibus perfectionibus ac determinationibus quibuscumque carentem, ut ea nihilo similis renuntiaretur. Unde mons novus, post multos ac inau-

ditos hiatus, Monstrum ridiculum humanae cupiditatis edidit, nimirum: *Esse et non Esse, idem esse.*

Hoc autem *Esse et non Esse* cum non sit quid externum et obiectivum, sed ipsum initium rerum ac essentiae humanae, unde in se ipsa oritur, perficitur, ac omnia ponit, ambitio humanae cupiditatis eo multo longius praetergressa est, quo Lucifer primique parentes devenerunt. Ille enim praesumpsit similitudinem dumtaxat cum Ente supremo ac aeterno, effutiens: *Similis ero Altissimo,* hi pariter similitudinem quamdam assequi contenderunt, cum fidem Diabolo aienti: *eritis sicut Dii,* tribuerunt. At hodierni humanae cupiditatis propugnatores, postremas deducentes consequentias, Deum ipsum veluti parem, seu similem reiecerunt; namque *absolute* edixerunt: *Vos Dii estis.* Propterea his magis proprie, quam gentibus illud Apostoli aptatur: *Evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum* (1).

Tunc siquidem penes Protestantes vera religio est, dum desideria mulcet, veritas, iustitia, pietas, dilectio ac cetera huiusmodi, dum utilitatem praeseferunt. Nil proinde mirum, quod omnia eorum theoremata, quibus religio, philosophia, ius publicum ac privatum, nec non ipsa in alterum dilectio innituntur, non sint prorsus veritati obiectivae consona, sed passim varientur, prout pravae voluntatis titillationes ferunt. Nam ipsae, totam hominis ac societatis vitam complectentes, studium acuunt, enixe homines magis magisque in dies impellunt ad omnia comparanda, quae inexplebilis voluntas exigit ac urget, atque licitum ac iustum renunciant, quod eadem parat. Hoc inde studio subiectivo fit, ut dolus sit medium praecipuum, quo quisque omnibus in suum commodum vertendis insudat. Quod si assequi nequeat, vitae passim subit taedium. Primum idcirco dolus ac circumventio, dein furor in omnes ac in se ipsum. E contra Alcoranum sequentes, ex eo quod principium eorum explendi pravae voluntatis desideria sit obiectivum, praetenso testimonio divino *directe* firmatum, prava eorum voluntas eorumque pravae cordis aspirationes, illico absque ulla prorsus meditatione, in ea irruunt, quae tantam humanae cupiditatis voraginis explendae spem faciant. Sic furor illis praecipue arma ministrat.

Ex quo itaque catholica Ecclesia restaurationem humani intellectus in ordine etiam ad societatem confecerat, atque simul humanae voluntatis restaurationom inceperat, duos hosce terribiles hostes contra se impavida conspexit, qui iugiter sese ad carnis deliramenta pro viribus tuenda pararunt, nimirum malas cordium cogitationes nec non caecam vim armorum. Quid

(1) Rom. 1. 24.

vero? Ecclesia quippe quae in ordine theoretico veritatum naturalium praeter ac supranaturalium iam superior exierat, de triumpho et in altero agone de iis, quae ad regimen, disciplinam, seu practicam agendi rationem spectant, referendo, nullatenus dubitavit. Exterruerunt quidem horrida Saracenorum arma totam christianam familiam : at eius caput ac pater, Romanus Pontifex, principes ac populos intrepidus ad arma vocavit, eorumque vim ac ferociam ita tandem depressit, ut, ad ultimum existentiae languorem redacti, vix adhuc supersint. Quin interim alii hostes e sententia victoriae campum dilatare potuerint. Nam quemadmodum caeco Saracenorum furori aptissime physicam armorum vim catholica Ecclesia seu Romanus Pontifex opposuit, ita in effrenam Protestantium petulantiam, terribilem sacrorum canonum disciplinam mirabiliter adhibuit.

Iam vero Lutherus propugnatoribus pravae hominum cupiditatis Wicleffo et Husz adamussim inhaerens, volumina sacrorum canonum flammis publice dedit. Regula enim externa obiectiva ac practica actionum hominis in se ac in societate spectati sublata, prava cuiusque voluntas, tamquam indomitus equus frenis omnino soluta, totum sensibilitatis campum percurrisset. Et ideo non paucos sacrae scripturae libros religiose servavit, ut principium resipiscentiae arceret. Ea enim natura hominis est, ut, quum in extremum errorum vitiorumque profundum ruerit, facilius pessimum vitae ductum agnoscat: maiori quippe nisu ac desiderio ad medicum conclamet. Ob hanc porro rationem, Deus Pater post quadraginta seculorum spatium Deum Filium mundi reparatorem dedit, ut humana ambitio dependentiam Creatoris excussam facto experiretur. Idcirco in plenitudine temporis supremus humanae naturae restaurator e caelo descendit, ut omnes, iam morbo propriae independentiae confecti, alacres medicinam appeterent.

Eo namque tempore totus terrarum orbis in pace compositus erat: in ea nimirum pace, qua omnis homo, iam misera servitutis conditione prae dependentia satis expertus, ac erroribus atque vitiis omnigenis obrutus, in extremum ignominiae ac vilitatis procubuerat ac misere iacebat. Quandoquidem gentes primum in Republica ac in propria Patria quamdam aequalitatis ac independentiae umbram expiscari enixe contenderunt. At nec umbram illam huiusmodi aequalitatis ac independentiae attingere valuerunt, nisi callidiores fortioresque maximam civium partem prius in servitutem redegissent. Inde pars minima ac victrix et ipsa in servitutem incidit, quum vano Patriae figmento thura dederit ac vitam et sanguinem sacraverit. Demum gens quaeque, propria Republica ac Patria ex Romanorum potentia amissa, Reipublicae ac Patriae alienae serva in omnibus facta est. Atque ipsi romani cives,

Republica subversa, hominem unum veluti numen, post innumeras atrocesque civiles discordias, vilissimi coluerunt.

In tantum ignominiae abyssum superba hominis cupiditas delapsa, ac propriis viribus assurgere ad pristinam dignitatem iam desperans, Reparatorem suspiravit et conclamare non destitit. Tandem Reparator e caelo descendit: et illico novum bellorum genus, primum in ordine veritatum naturalium praeter ac supranaturalium, alterum in ordine rerum agibilium, per orbem obstrepuit. Nec mirum, quum et ipse alte edixerit: *Non veni pacem mittere, sed gladium*. Numquam enim fiet, ut humana familia rursum in ea iaceat pace, quam tempore divi Augusti misere experta est. Possunt quidem homo hic, vel natio illa denuo in eam ruere pacem, sed nunquam omnes homines, omnes populi, ac per longum temporis spatium.

Erravit vehementer Lutherus, quum ad pessimam hanc conditionem seu pacem perpetuo traducere ac impellere christianam familiam praesumpserit. Is enim spem ipsam resipiscentiae, cum quorumdam librorum sacrae scripturae oblatione, ac tota sacrorum Canonum destructione, auferre incassum tentavit. Quum siquidem prava hominum voluntas nullam externam obiectivam et practicam agendi rationem haberet, et quidquid in libris callide selectis scripturarum legeret, id dumtaxat verum bonumque esset quod sibi placeret, tramitem salutis omnino deperderet. Namque principio ac norma agendi in se ipso quisque divinitus constituta, etiamsi extremum malorum profundum ac fructum absolutae independentiae condignum intrinsecus persentiat, non propterea medium resipiscentiae extra se quaeritare potest. Extra se enim nihil veri ac boni est: intra se nihil, nisi proprium esse ac propria voluntas, unde unicam veram ac practicam agendi normam intueri praesumit. Idcirco in adeo horrenda malorum voragine prostrata iaceret superba cuiusque hominis ac populi voluntas, ut peiores existerent, quam gentes, quae Deorum turbam ac Fatum coluerunt timueruntque. Nam homo et populus ethnicus, si mala sibi ingruebant, quum a Diis adversis vel Fato ea repeterent, quisque eos piaculis ac sacrificiis placare studuerunt.

Hinc timor divinitatum earumque cultus maxime superstitiosus evasit, ut sibi Deos propitios allicerent, vel iratos mulcerent. Strenuissimi ex gentilibus viri ac populi, maximo cum tremore ac reverentia coram haruspicibus ac signis, quibus Deorum voluntas pandebatur, constiterunt. Summa enim rerum tum hominis tum eius respectivae Patriae ab Diis immortalibus externe ac obiective repetebatur. Propterea, quum illi ad extremum malorum profundum procubuerint, vix patuit, quem Deum colere deberent, quid sibi esset agendum, ut omnia cederent propitia, illico resipuerunt. At homo vel populus,

qui ideam divinitatis, uti externam et obiectivam agendi normam ex corde depulerit, ac aliam subiectivam veluti infallibilem obscuratum ac insipiens cor effinxerit, quodcumque intra et extra seipsum amisit vestigium, quo iterum resumpto, rectum agendi tramitem carpere valeat.

Quod inter gentium philosophos Cebes in tabula illa mirifice expressit. Siquidem sapientissime docuit, neminem ad felicitatem adipiscendam pervenire posse, nisi immoderata pravae voluntatis concupiscentia enixe coerceatur. Unde ab recto ac externo humanae voluntatis regimine felicitas cuiusque pendet. Idcirco, si quis tramitem verae felicitatis, effrena pravae voluntatis concupiscentia duce, amiserit, necessum esse et Vir ille edixit, ut retro se vertat, ac, poenitentia congrue peracta, novum rectumque iter, illecebris pravae voluntatis depulsis, alacer ineat. Principium hoc resipiscentiae externum ac obiectivum iis omnino deficit, qui, se normam certam ac infallibilem subiective constituentes, postremas Protestantismi consequentias, seu effrenas humanae voluntatis cupiditates, in actum deduxerunt.

Absoluta alienatio vero ac divortium a quocumque externo ac obiectivo principio seu practica agendi norma, horrendum inauditumque malorum abyssum effodit. Hinc maximum humanae concupiscentiae facinus, maximam meretur poenam. Siquidem ob primam obscurati ac insipientis humani cordis praevaricationem, humana familia per longissimum quadraginta seculorum spatium nec aeternam nec temporaneam beatitatem assequi valuit: quin imo de abysso in abyssum miseriarum corruit. Praevaricatio illa vero eiusmodi fuit, ut primi parentes similitudinem cum Deo dumtaxat concupiverint. At protestantium praevaricatio et ausus, in postremis deductionibus, nec Deum sibi similem patiuntur: nam intra se ipsos tantum normam veri ac boni absolute constituunt. Quamcumque propterea auctoritatem, divinam scilicet, civilem, ac paternam, earumque dependentiam excludunt ac respuunt. Quare nullum temporis spatium satis esse videtur, ut homines ac populi huiusmodi, terribili malorum experientia fracti, sed nunquam instructi, resipiscere valeant.

Ergone effrenis haec humanae voluntatis malitia coerceri, ac restauratio eius in ordine domesticae atque civilis societatis perfici nequeat? Id nimium esset: namque Deus fecit nationes sanabiles. Quin imo, si humana malitia ordinem creationis pervertere valuit, ordinem restaurationis attingere nequit. Et reapse, restaurato humano intellectu etiam in ordine domesticae societatis ac civilis consortii, catholica Ecclesia, non obstantibus furore Saracenorum ac effrena Protestantium cupiditate, restaurationem humanae voluntatis etiam in ordine domesticae societatis et civilis consortii per sapientissimum Conci-

lium Tridentinum explevit, ac hostes illos acerrimos iam profligavit. Namque Patres Tridentini tam perfectum sacrorum canonum Codicem sanxerunt, ut validissimum contra effrenos humanae cupiditatis incursus propugnaculum constituerint. Propterea, quamvis iis temporibus prava plurimorum cupiditas armorum ferociam ac quidquid illecebrosius fallaciusque in medium protulisset, non tamen amplissimum opus restaurationis humanae voluntatis in ordine domesticae et civilis societatis iamdudum inceptum transvertere valuit. Quum enim sic ea, maiori cum nisu, divina atque humana miscere ac perimere contenderet, ut, frenis quibuscumque soluta, id verum bonum ac honestum proclamaret, quod sibi placeret, maxima cum sapientia atque cura Patres illi, quae ad externam ac obiectivam regiminis normam solidandam satis essent, evolvere ac statuere sunt enixi.

Nunquam sane catholica Ecclesia tam *directe* in concilia ante convenerat, ut completum sacrorum canonum Codicem, qui universam totius Ecclesiae christianaeque familiae disciplinam ac regimen respiciunt, sanciret. Nam usque ad concilium Lateranense sub Innocentio III habitum, quum Ecclesia *directe* ad firmandam exornandamque restaurationem humani intellectus in ordine abstracto veritatum naturalium praeter ac supranaturalium incubuerit, nonnisi *indirecte* canones, ad disciplinam ac regimen totius christianae societatis spectantes, edere curavit. Siquidem in praelaudato concilio primum Ecclesia *directe* opus restaurationis huius in ordine concreto agibilium incepit. Quod, etsi propter hostium incursus, aliquando friguit, nunquam tamen fuit neglectum: namque, dum armis christianorum principum ferociam praesertim Turcarum profligare insudabat, effrenam Wicleffi et Husz eorumque asseclarum cupiditatem in concilio Constantiensi enixe coercebat.

Res autem christiana, in tanta humanae voluntatis insolentia, eo tandem devenit, ut undique ruere videretur. Id omnium in votis idcirco erat, ut ope Concilii universalis et oecumenici non modo validissimum propugnaculum in hostes huiusmodi opponeretur, sed illud tamquam praesidium ac fundamentum restaurationis humanae voluntatis in ordine totius christianae familiae in reliquum tempus solidissimum erigeretur. Unde et ipsi christiani principes ac reges omnibus precibus pro urgentissima humanae voluntatis restauratione patres tridentinos exorarunt, ut, antequam canones ad fidem pertinentes, canones ad mores ac disciplinam totius christianae familiae spectantes, sancirent. Terribilis enim pavor omnium animos iampridem incesserat: nec maximum ruinae periculum christianae societati impendens quis arceri posse arbitrabatur, nisi catholicae Ecclesiae patres ac doctores in unum convenirent.

Namque et patres illi Basileenses ad huiusmodi hostes profligandos sapientissime idem medium adhibere censuerant, edicentes, quod: « Frequens generalium conciliorum celebratio, agri dominici praecipua cultura est, quae vepres, spinas, et tribulos haeresum, errorum, et schismatum extirpat, excessus corrigit, deformata reformat, et vineam Domini ad frugem uberrimae fertilitatis adducit: illorum vero neglectus, praemissa disseminat atque fovet, haec praeteritorum temporum recordatio et praesentium consideratio ante oculos nostros ponunt. Quapropter hoc edicto perpetuo sancimus, decernimus, atque ordinamus, ut amodo concilia generalia celebrentur, ita quod primum a fine huius concilii in quinquennium immediate sequens, secundum vero a fine illius immediate sequentis concilii in septennium, et deinceps de decennio in decennium perpetuo celebretur in locis, quae summus Pontifex per mensem ante finem cuiuslibet concilii approbante vel consentiente concilio, vel in eius defectum ipsum concilium deputare et assignare teneatur, ut sic per quamdam continuationem semper aut concilium vigeat aut per termini pendentiam expectetur, quem terminum liceat summo Pontifici de fratrum suorum sanctae romanae Ecclesiae Cardinalium consilio ob emergentes forte casus abbreviare, sed nullatenus prorogetur (1). »

Bellum *directe* ab effrena hominum cupiditate christianae societati indictum, quum acrius sane esset eo, quod antea *directe* ex erronea humani intellectus apprehensione ac malitia efferbuerat, satis hinc minime erat, canones semel statuere, iisdemque veluti norma inflexibili, christianam familiam regere ac moderari. Res enim non amplius erat de errore, qui fixam haberet radicem in falsa intellectus apprehensione ac malitia, sed in effrena humanae voluntatis libidine, quae, independentiam absolutam praesumens, nonnisi pluribus ac repetitis seu continuis actibus coerceri poterat. Ac ea insuper est pravae praesertim humanae voluntatis indoles, ut, pro temporum morum rerumque circumstantiis, aliis aliisque mediis ac stimulis ad rectum tramitem sequendum indigeat. Idcirco errores dumtaxat, qui *directe* ex defectu humani intellectus dimanant, semel vel bis convicti ac damnati evanescunt, non vero malae humani cordis cogitationes ac desideria, quae continuam externam ac obiectivam normam directivam ac poenalem necessario exigunt. Non minore proinde cura ac studio, sed imo enixius patres Constantienses et Basileenses bellum *directe* sustinere inceperunt, contra effrenam humanae voluntatis insolentiam, quam primi Ecclesiae patres contra errores praesertim atque humani intellectus malitiam certarant.

(1) Vid. Acta Concilii.

Tridentini patres vero nedum ferocissimum humanae voluntatis impetum incursumque retundere enixe contenderunt, sed ex orbe universo in unum coacti, terribilem adeo sacrorum canonum aciem praeordinarunt, ut ea a tribus abhinc seculis inter continuas omnigenasque huiusmodi hostis aggressiones in dies magis floruerit ac floreat. Patribus enim illis omnia per id tempus in promptu fuerunt, quae necessaria ac utilia essent, tum ad statum christianae societatis intrinsecus dignoscendum, tum ad media aptissima in tanta morum ac disciplinae perversitate detegenda. Nam principum christianorum favore et auxilio, nedum episcopi pacifice ex orbe universo, sed strenui ac doctissimi viri ex omni ordine et conditione in unum convenientes, antequam unumquemque canonem statuerent, acrem rerum disquisitionem praemiserunt. Propterea universam ac praeteritam catholicae Ecclesiae disciplinam, adeoque omnes canones ab apostolicis ad id temporis editos late evolventes, ac intrinsecus humanae naturae vim christianaeque societatis perfectionem, nec non genus novi belli, statum, indolem, ac ingenium hostium expendentes, amplissimum sacrorum canonum Codicem, tanta cum maturitate cura ac sapientia ediderunt, ut mirum in modum vim potestatemque christianae perfectionis in ordine domestici ac civilis consortii, antiquissima in Ecclesia recepta verborum forma, exhibuerint.

Qui concilii huius historiam satis norunt, debent porro de tanta patrum aliorumque virorum prudentia ac doctrina obstupescere. Quot enim quantaque etiam per principes gravissima proponebantur, ut sanctione munirentur? Quis difficultates pene inextricabiles, quae passim occurrebant, enumeret? Quandonam terribiles adeo super universa totius christianae familiae disciplina controversiae, iugum dependentiae humanae voluntati intrinsecum ac necessarium absolute excutere audentes, efferbuere? His tamen nullatenus obstantibus, Patres tridentini talem sacrorum canonum Codicem condiderunt, ut, gravissimis temporum morum rerumque circumstantiis, ac novo hostium genere eorumque indole ac ferocia inspectis, Graecorum sapientiam Romanorumque gravitatem, in arte difficillima regendi populos, toto caelo praestiterint.

Quid enim Philosophorum placita politica Iurisconsultorumque responsa ac Imperatorum leges prae iis, quae Patres illi constituerunt? Quid Praetorum edicta, Senatusconsultorum decreta, prae sacris canonibus in Concilio Tridentino sancitis? Sapientia gentilium Philosophorum, qui praesertim penes Graecos floruerunt, primam equidem, ut ita loquar, materiam seu basim ac fundamentum Romanorum ingenio praebuit. Ac Romani eam sic practice societati aptare sunt nixi, ut orbem sibi ubique devictum regere potuerint.

Ipsi enim, Etruriae primum iuribus sacris minorem absurditatem redolentibus religiose delectis, ac inde simul clariori Graecorum sapientia excerpta, super hisce duodecim tabularum leges condiderunt: iisque ad unguem inhaerentes, ius sic amplum in ordine naturae subinde interpretatione pedetentim evolverunt, ut merito inter populos ethnicos arte regiminis excelluerint. Ius illud vero, etsi ope et cura christianorum principum ac praesertim Iustiniani imperatoris in nova civili republica, plurimis passim resectis ac reiectis, perfectioni quodammodo accessit, non tamen eam assequi valuit. Nam basis ac fundamentum quum esset ratio humana immediata, Dei praesidio destituta, ea prae se ferre ac exhibere nequit, quae hominis christiani decori christianaeque societatis perfectioni cohaerere debent.

Sapientia ac practica regendi populos ars nunqnam sane apicem perfectionis in ordine praesertim christianae restaurationis assequi valet, nisi supernaturali luce ac robore communita extet. Duo enim necessario exquiruntur, ut codex legum apicem perfectionis attingere possit, nimirum completa humani intellectus in ordine veritatum naturalium praeter ac supranaturalium, nec non humanae voluntatis in ordine concreto agibilium restauratio. Quo idcirco altius, verius, ac rectius ius sacrum, unde leges civiles pendent, extat et eminet, eo tutius validiusque bonum temporaneum ac aeternum seu perfectio hominis, familiae, ac societatis obtinetur. Propterea principes Valentinianus et Marcianus Patribus Chalcedonensibus candide fatentur ac merito edicunt: *Omnibus rebus oportet praeponi divina* (1). Namque principium ac fundamentum *tranquillitatis est, ante civiles causas, sanctas Christi Ecclesias eisque dicatos in pace consistere, et orthodoxam fidem, quam continere imperium iudicamus, imperturbatam et immotam ab omni hostium genere custodiri* (2).

Ea hinc de causa Patres Tridentini, de consensu ac plausu omnium Principum christianorum, universam totius christianae familiae disciplinam sanciendam curarunt, ne leges civiles inde ederent, quae illius dispositioni adversarentur, sed potius eiusdem vestigiis mordicus inhaerentes, cum sacro iure leges ipsae unum veluti codicem efformarent. Apicem hunc perfectionis iam tota christiana societas procul dubio attigisset, nisi effrena Protestantium cupiditas, ac nequissima Regalistarum praesertim Richerianorum Febronianorumque fraus, nec non vulpina Iansenistarum hypocrisis, amicum utriusque ecclesiasticae et civilis auctoritatis foedus, pervertere viribus omnibus contendissent. Homines illi vero, etsi voraginem inter utramque potestatem

(1) In Epist. ad Patres Chalcedonenses.
(2) Pulcher. in Epist. ad Consularem Bithiniae Strategum.

*

effodere maximo cum christianae rei ac civilitatis detrimento curassent, nunquam tamen practicam novissimi iuris pontificii seu perfectissimi codicis Patrum Tridentinorum explicationem exornationemque impedire valuerunt. Namque Patres Tridentini luce ac robore divino communiti, sic omnia ad finem perduxerunt, ut opus, tunc maximo cum studio ac sapientia et arte regendi populos christianos expletum, nulla hominum malitia, ne illud explicationis ac exornationis apicem et culmen obtineret, impediri potuerit.

Cura enim ac diligentia eo etiam devenit, ut, contra morem in Ecclesia invectum, Patres illi romani Pontificis studio ac sapientiae dumtaxat enixe committere curaverint modum ac rationem enodandi difficultates, quae in dies super decretis ac statutis evolvendis orirentur. In facto apertissimo siquidem est, quod ante id temporis Doctores passim canones in Conciliis vel per supremos Pontifices editos in unum collegerint ac interpretati fuerint. Hinc innumerae illae ab christiana antiquitate sacrorum canonum collectiones ac interpretationes nullo non tempore apparuerunt. Id nunquam prohibuit catholica Ecclesia, sed potius laudibus ac praemiis rependendos curavit, qui hac in re melius essent versati. Quin imo et ipse Gregorius IX collectionem sacrorum canonum Universitati Bononiensi obtulit; ut omnes Doctores practicam agendi Ecclesiae rationem ac artem regendi christianos populos ediscerent sapienterque evolverent. Unde Doctores, Universitates, Academiae amplissimam sacrorum canonum supellectilem interpretatione ac studio ingenti ditarunt.

Contra morem hunc merito vero Patres tridentini custodiam novi Codicis curae dumtaxat Romani Pontificis commendare studuerunt, enixe edicentes: « Quod si in his recipiendis aliqua difficultas oriatur, aut aliqua inciderint, quae declarationem (quod non credit) aut definitionem postulant, praeter alia remedia, in hoc Concilio instituta, confidit sancta Synodus, Beatissimum Romanum Pontificem curaturum, ut vel evocatis ex illis praesertim provinciis, unde difficultas orta fuerit, iis quos eidem negotio tractando viderit expedire, vel etiam concilii generalis celebratione, si necessarium iudicaverit, vel commodiore quacumque ratione ei visum fuerit, Provinciarum necessitatibus, pro Dei gloria et Ecclesiae tranquillitate, consulatur (1). » Patres illi enim prae suis Antecessoribus *directe* ad restaurationem humanae voluntatis in ordine domesticae ac civilis societatis incubuerunt.

Ante quippe Episcopi ac Doctores cum Romano Pontifice in eo *directe* institerunt, ut ordinem veritatum naturalium praeter ac supranaturalium, ad intellectum praecipue pertinentium, tutarentur. Idcirco nonnisi *indirecte* cano-

(1) Sess. XXV in fin.

nes, ad restaurationem humanae voluntatis in ordine praesertim domesticae ac civilis societatis spectantes, edendos curarunt. Ex eo etiam, quod fideles primum mandatis ecclesiasticae et civilis potestatis promptius obtemperarent, nec tot ac adeo terribiles hostes, *directe* malitiam humanae voluntatis ad absolutam independentiam concitantes, insurgerent. Unde Patres Tridentini dumtaxat per longum annorum spatium totis incubuerunt viribus, ut externam ac obiectivam christiani ecclesiasticique regiminis formam constituerent, quae validissimum veluti propugnaculum huiusmodi novos hostium incursus retunderet, ac una simul communem ac universam fidelium et clericorum nec non eorumdem Ecclesiarum rectorum disciplinam obnixe firmaret.

Namque praeter communem ac universam in ordine etiam domesticae ac civilis societatis fidem, necessaria simul censetur ac est restauratio etiam humanae voluntatis in ordine domesticae ac civilis societatis, ut tota christiana familia, per orbem diffusa, ad apicem eiusdem christianae civilitatis pervenire valeat. Communis vero ac universalis haec disciplina, restaurationem humanae voluntatis in ordine domesticae ac civilis societatis respiciens, eos praesertim attingere ac ante omnes moderari debet, qui, in christiano consortio, ecclesiastico officio ac simul respectivo munere funguntur. Ab iis enim maxime pendet, ut ipsa fides in populo floreat vel elanguescat. Idcirco, nisi iis communis ac universalis practica externa ac obiectiva agendi regendique fideles norma ac ratio, poenis etiam ac praemiis propositis, praescriberetur, in tanto praesertim novorum hostium incursu, nec fides ipsa integra ac illibata floreret, nec humana voluntas in ordine domesticae ac civilis societatis restaurari ex integro posset.

Immo cuncta in maximum adducerentur discrimen ex eo dumtaxat, quod clericorum rectorumque fideles dirigentium disciplina quodammodo nutaret. Propterea et ipsi, qui principium absolutae independentiae humanae voluntatis fovent, sed consequentias exhorrescunt, ob id tantum etiam ruinam persentiunt, quod institutio seu ratio eligendi clericos perversa iam extet (1). Nec mirum: namque Ecclesia anglicana seu Protestantes, nisi Rectorum civilium et ecclesiasticorum interesse, antiqua christianorum assuetudo mor-

(1) Haec habent Scriptores Times penes Ephemeridem - *Armonia della Religione colla civiltà anno 1863 n. 24.* - Ibi: « D'anno in anno va sempre più diminuendo il numero degli uomini, che avendo ricevuto un'educazione elevata, ed occupando una ragguardevole condizione sociale, entrano negli ordini sacri, e che il vuoto da essi lasciato sia riempiuto da soggetti di una classe inferiore, chiamati comunemente letterati *(literates)*, i quali non hanno frequentato l'Università... La Chiesa stabilita dipende più d'ogni altro corpo religioso dalla condizione sociale del suo Clero per l'influenza che esso esercita; se il Clero non si estrae più che dalle file dei *literates* è impossibile calcolare i risultati d'un tale cambiamento.»

dicus inhaerendi catholicis institutionibus, ac invicta Romanorum Pontificum cum Episcopis catholicis resistentia et virtus ac praeclara sapientia in medio totius christianae familiae obstitissent, multo ante extremas consequentias nimirum Rationalismi seu Pantheismi in ordine theoretico veritatum, ac Socialismi seu Communismi in ordine concreto agibilium deduxissent. Unde hodie tandem terribili perculsi metu Anglicani seu Protestantes fateri coguntur, quod scientia ac theologia, semel habenis humanae voluntati absolute solutis, rerum omnium excidium minentur (1).

Haec et eorum obtestantur successores, qui, tribus abhinc seculis, effrenam humanae voluntatis independentiam ad sidera extollentes, apicem felicitatis christianae familiae promiserunt!... Quod vero aliud aptius remedium adhiberi datum est, quam leges ac externa et obiectiva norma, communis ac universalis regiminis forma, agendique ratio, ut teterrima haec humanae voluntatis cupiditas seu absoluta independentia enixe coerceatur? Quid enim pravae humanae voluntatis calliditas non fabricatur, ut etiam iugum hoc saltem interpretatione excutere valeat? Hinc ratio illa potissima, qua summi legumlatores enixe pluries prohibuerunt, ne quis leges interpretaretur, sed sibi aliisve specialiter adsignatis viris munus hoc expresse reservarunt. Hinc et certae atque fixae verborum formulae, quibus Reipublicae ac Civium negotia essent explenda. Ob id propterea Romani omnes populos arte regiminis praestiterunt, quod nedum leges duodecim tabularum super minus absurdis sacris iuribus minusque absurdis Philosophorum placitis condiderunt, sed facultatem eas interpretandi viris specialiter designatis, cum formulis verborum religiose servandis, tantum committendam curarunt.

Merito hinc Patres tridentini, non ut Romani iura sacrorum e coeno idololatriae, ac sapientiam ab humanae rationis fonte, sed infallibiliter ab ipso ore Dei haurientes, solliciti vim potestatemque christianae religionis ac caelestis sapientiae, nec non maxima cum diligentia formulas ex monitu divi Pauli ac verba antiquorum canonum, in ordine domesticae ac civilis societatis, deducere ac adhibere curarunt. Sicut enim concilia, quae humani intellectus restaurationem expleverant, fidem cum verborum formulis religiose servarunt, ita Patres tridentini Codicem, qui completam humanae voluntatis restaurationem expleret, edentes, consulto Romano Pontifici quamcumque Codicis huius difficultatem explanare eiusque vim potestatemque evolvere ac declarare, prout ipsi videretur, unanimes commiserunt. Quandoquidem, si mi-

(1) Times loc. cit. ibi: « In una parola la scienza e la teologia ci annunziano la fine di tutte le cose, la scienza avverte l'uomo a modo suo, che la fine verrà dal fuoco e lo conferma nella fede, che la terra non è immortale.»

nus absurda sacrorum iura ac humanae rationis sapientia, publicae gentilium societati recte applicata ac interpretatione deducta, Romanorum potentiam eorumque imperium per orbem universum extulerunt; divina Dei religio christianaeque institutionis sapientia, domesticae ac civili societati in ordine abstracto veritatum naturalium praeter ac supranaturalium restauratae, iam aptata ac rite evoluta, ad illum perfectionis apicem totam Christianam familiam ducit ac mirifice evehit, ut procul dubio utramque temporaneam ac aeternam beatitatem assequi valeat.

Namque decreta Patrum tridentinorum sunt veluti immobilia christianae perfectionis ac civilitatis fundamenta, super quibus in externa fidei unitate atque amoris vinculo, nova domus ac nova ubique Respublica extrui debet. Impossibile enim est, uno temporis momento leges omnes condere, quae totum rerum agendarum ordinem complecti valeant. Idcirco sapientissimi legumlatoris est, ea praecipua agibilium principia praestituere, quae, sapienter in dies deducta, societatem in omni bono perficiant.

Nemo hinc est, qui praeclaram Patrum tridentinorum sapientiam non videat: namque, tribus abhinc seculis, et immania novorum hostium agmina iam profligavit, et fortiter suaviterque catholicae Ecclesiae regimen ac disciplinam, per innumera rerum discrimina, sarctam tectamque servavit. Utinam omnes ecclesiastici, sive seculares, sive regulares ac praesertim viri illi, qui alios ac fideles quocumque modo ac ratione in externo Ecclesiae catholicae ministerio regunt moderanturque, explicationem exornationemque sapientissimi Codicis Tridentini in promptu haberent! Per longissimum enim spatium trium seculorum sic late sapienterque Patrum Tridentinorum decreta ad omnes christianae societatis casus rerumque eventa deducta fuerunt, ut praeclarissimum nec unquam periturum christianae perfectionis ac civilitatis monumentum constituat. Quis propterea metiatur profectum, in domesticam ac civilem societatem obventurum, si illud Clerici omnes ac praesertim fidelium Rectores manu diurna ac nocturna versarentur?

Catholica Ecclesia plenam humani intellectus restaurationem non alia praesertim de causa inter terribiles hostium incursus mirifice explevit, nisi quod immobilem in verborum etiam formulis undique fidei unitatem religiose servavit. Non secus ac hinc diversa se gessit ratione in humanae voluntatis restauratione: potiori immo cura atque nisu, inter adeo horrenda humanae cupiditatis deliramenta, restauratio haec expleri ac perfici debet. Unitas enim externa et obiectiva regiminis, in tota Ecclesia catholica per orbem diffusa ad unguem servata, huiusmodi hostium incursus retundere, ac familiam christianam ad perfectionis ac civilitatis apicem evehere, dumtaxat

valebit. Omnes quippe errores, a Wicleffo ad haec tempora directe ab voragine humanae cupiditatis erumpentes, validius per practicam externamque regiminis disciplinam agendique rationem, quam per cumulum rationum scientifice concinnatum, profligantur.

Ardens in cupiditate, sitit enormiter humana voluntas: atque sitis haec nonnisi experientiae facto extingui assolet. Nam intellectus non alia percipit, quam quae carnis desideria in huiusmodi conditione proponunt, nimirum: *Ex corde exeunt malae cogitationes*. Humana idcirco cupiditas, quae sibi similitudinem cum Deo adrogare praesumpsit, non secus ac experientia quadraginta seculorum quandoque resipuit: ita sane peior praesumptio haec, qua humana cupiditas sibi impudenter absolutam ab omni humana ac divina auctoritate independentiam adrogat, nonnisi firmissima externi ac obiectivi regiminis unitate profligari valet.

Apex vero perfectionis ac civilitatis nunquam in ordine domesticae ac civilis societatis obtineri potest, nisi et una tantum externa et obiectiva regiminis forma in tota catholica Ecclesia extet ac late floreat. Namque communis ac universalis perfectio atque civilitas ex eo manifesto pendet, quod eadem sit omni tempore ac loco christiana ratio, ordo iustitiae, et aequitas. Idcirco merito Patres tridentini communem, externam, et obiectivam regiminis formam pro universa catholica Ecclesia constituerunt, ut, inter ferocissimos novorum hostium incursus, humana voluntas etiam in ordine domesticae ac civilis societatis restaurari ac perfici posset. Hinc forma huiusmodi, vera Christi religione innixa, ac per spatium trium seculorum sapientissimis explicationibus ac declarationibus late ditata, unicum quippe propugnaculum extat; quo tota christiana societas, nedum incolumis ab hostium incursibus servatur, sed impavida ad perfectionis ac civilitatis apicem in dies perducitur.

Explicatio atque exornatio haec enim praeclarissimi Codicis Tridentini, non Doctorum atque Universitatum et Academiarum studio atque labore confecta extat, sed ab ipsis divi Petri Successoribus maxima et ingenti cura ac diligentia pedetentim expleta, iam emicat. Siquidem concredita sibi cura speciali ac exclusiva custodiendi evolvendi ac declarandi novum Codicem hunc Patrum Tridentinorum, Romani Pontifices in eo totis viribus institerunt perenniter, ut vis ac potestas tanti Codicis integra ac illibata persisteret. Namque primum Pius IV, vix Codice illo ad finem perducto, districte quamcumque interpretationem prohibuit, edicens: « Ad vitandum praeterea perversionem et confusionem, quae oriri possent, si unicuique liceret, prout ei liberet, in decreta Concilii commentarios et interpretationes edere, apostolica auctoritate

inhibemus omnibus, tam ecclesiasticis personis cuiuscumque sint ordinis, conditionis, et gradus, quam laicis quocumque honore ac potestate praeditis, Praelatis quidem sub interdicto ingressus Ecclesiae, aliis vero quicumque fuerint sub excommunicationis latae sententiae poenis, ne quis sine auctoritate nostra audeat ullos commentarios, glossas, adnotationes, scholia, ullumve omnino interpretationis genus super ipsius concilii decretis quocumque modo edere, aut quidquam quocumque nomine etiam sub praetextu maioris decretorum corroborationis aut exequutionis aliove quaesito colore statuere. Si cui vero in eis aliquid obscurius dictum et statutum fuisse, eamque ob causam interpretatione aut decisione aliqua egere visum fuerit, ascendat ad locum, quem Dominus elegit, ad Sedem videlicet Apostolicam, omnium fidelium magistram, cuius auctoritatem etiam ipsa sancta Synodus tam reverenter agnovit. Nos enim difficultates et controversias, si quae ex eis decretis ortae fuerint, nobis declarandas et decidendas, quemadmodum ipsa quoque sancta Synodus decrevit, reservamus: parati, sicut ea de nobis merito confisa est omnium provinciarum necessitatibus ea ratione, quae commodior nobis visa fuerit, providere (1). »

Idemque supremus Pontifex, ad tantum tamque grave officium rite sapienterque explendum, merito inde sub die secunda augusti 1564 Congregationem octo S. R. E. Cardinalium, qui eidem concilio interfuerant, ob id specialiter instituit, ut decreta Synodi in praxim deducerentur, et quidquid dubii aut difficultatis in exequutione contigeret, sibi incunctanter ac soliciti referrent. Is namque expresse edixit, ut praelaudati S. R. E. Cardinales decreta Concilii tridentini « firmiter observari faciant et cum effectu, nisi tam in exequutione dictorum decretorum Concilii, quam dictarum Literarum nostrarum aliqua dubietas aut difficultas emerserit, quo casu ad nos referant, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis (2). »

Prohibitio haec interpretandi decreta Concilii tridentini sic rigida perenniter viguit, ut etiam praelaudata Congregatio S. R. E. Cardinalium subinde dubitaverit, num et ipsa, quia saepe responsa dederat in rebus non dubiis, sed ad Concilii tantum intelligentiam pertinentibus, in censuras incidisset, quas Pius IV contra interpretationes facere audentes intulit. Dubium hoc vero supremo Pontifici Pio V propositum amicum habuit responsum: namque Pontifex ille expresse declaravit, se nullatenus credere, quod Congregatio praelaudata in censuras incidisset, ac interim pro futuro edixit « se tribuere facultatem Congregationi, ut absque ulla delegatione posset decidere

(1) In Bulla, quae incipit: *Benedictus Deus.*
(2) In Constitutione incipien. *Alias nonnullas.*

casus, quos Congregatio tamquam claros putaret decidendos, quos vero tamquam dubios putaret referendos, Sanctitati suae referret (1). »

Successu temporis causarum negotiorumque moles sic excrevit, ut pro faciliori rerum expeditione instituta fuerit Congregatio quatuor Cardinalium, quae ex declaratione Gregorii XIII edita sub die octava maii 1576 posset expedire casus in Congregatione generali decisos, nec non eos, quos pro claris haberet ex omnium sententia (2). Tandem Sixtus V sub die 22 Ianuarii 1587 Congregationi Concilio Tridentino praepositae, amplissimam fecit potestatem, consulto tamen supremo Pontifice, interpretandi dubia et difficultates extricandi, quae, super decretis, ad universam catholicae Ecclesiae disciplinam pertinentibus, orirentur. Mirabili vero solicitudine ac sapientia Congregatio haec, numero amplissimo S. R. E. Cardinalium in dies aucta, ac veluti generale Concilium permanens, tribus abhinc seculis, universam catholicae Ecclesiae disciplinam omnino integram servavit, evolvit, ac abusus e medio sustulit. Satis enim est, ut factum fuerit deductum ad notitiam sacrae Congregationis, quae invigilare debet super exequutione Concilii tridentini, et ex officio providere ad abusuum extirpationem, in toto christiano orbe (3).

Qua de re Congregatio huiusmodi, vel coniunctim vel cum supremi Pontificis intelligentia, per longissimum trium seculorum spatium, millena dubia resolvit, innumeras edidit declarationes, plurima sanxit decreta, ac varios decidit casus, quos maxime in ordine concreto rerum agibilium novisse refert. Unde amplissima haec omnia, ab tanto tamque Senatu, nec non divi Petri Successoribus in fide ac moribus infallibilibus edita, non minus ac decreta Concilii, authentica ac firma in tota catholica Ecclesia recensentur, ac praeclarissimum regiminis Codicem constituunt. Nihil enim amplius urgentius contingere videtur, quod iam in eo decisum ac declaratum non extet. Hinc votum ac desiderium omnium, ut plena ac uberrima haec ecclesiasticae disciplinae copia, unde perfecta humanae voluntatis in ordine domesticae ac civilis christianae societatis restauratio erumpit, sic in unum per dispertitas materias atque distinctis titulis colligeretur, ut ictu oculi in promptu haberi ac uti quisque in singulis variisque casibus ac circumstantiis in dies occurrentibus commode posset.

Non ambigimus, quin Episcopi praesertim ac doctissimi ecclesiastici Viri, quibus ex officio christianae perfectionis civilitatisque cura est concredita,

(1) Teste Fagnan. in cap. Cum venissent de iudiciis n. 30.
(2) Teste eodem Fagnan. in cap. Quoniam de constit. n. 7.
(3) In Constit. cuius initium *Immensa aeterni Dei.*

Opus hoc ingenti labore ac studio ad finem perductum ac typis edi inceptum, promovere libenter et ex corde velint. Namque eo insipiens novorum hostium arrogantia iam devenit, ut absolutam humanae voluntatis independentiam ad sidera toto ore extollant. Summum delirium hoc humanae voluntatis, nonnisi amplissimo experientiae facto corrigitur : unde catholica Ecclesia dumtaxat, ceu lucerna in monte ardens, nedum in ordine veritatum naturalium praeter ac supranaturalium, sed etiam in ordine rerum agibilium, praeclarissimum Codicem ac perfectam regiminis formam praebet, quum omnes singulos ac varios christianos populos, mira iustitiae ac aequitatis dispensatione, ad apicem perfectionis ac civilitatis perducat.

COLLECTIO

OMNIUM CONCLUSIONUM ET RESOLUTIONUM

QUAE IN CAUSIS PROPOSITIS

APUD

SACRAM CONGREGATIONEM CARDINALIUM

S. CONCILII TRIDENTINI

INTERPRETUM

PRODIERUNT AB EIUS INSTITUTIONE

ANNO MDLXIV AD ANNUM MDCCCLX

DISTINCTIS TITULIS ALPHABETICO ORDINE PER MATERIAS DIGESTA.

---

§. 1.

ABBAS IN GENERE.

1. Abbates aliique Praelati Episcopis inferiores non veniunt nomine Episcopi *in Olomucen. die 11 Iulii 1665 lib. 24 decretorum pag. 551.*

2. Amplia, etiamsi territorium separatum habeant, et iurisdictionem quasi episcopalem *in Olomucen. die 11 Iulii 1665 lib. 24 decretorum pag. 551.*

3. Siquidem proposito IV dubio: *An sub nomine Episcopi praecise veniunt Abbates, prout ipsi se iactant, vel etiam sub nomine Ordinarii in Bulla Gregorii XV inscrutabili, et nominatim in subiecta materia,* S. Congregatio responsum tulit: *Facultates concessas Episcopis ex Bulla Gregorii XV Inscrutabili non competere inferioribus Praelatis, licet proprium territorium, et iurisdictionem quasi episcopalem habeant* in Olomucen. die 11 Iulii 1665 lib. 24 decretorum pag. 551.

4. Namque titulus Ordinarii privativus ac proprius est Episcopi, significans absolutam potestatem Episcopo competentem in sua diaecesi *in Constantien. Iurisdictionis die 31 Martii 1770* §. *ad XVI.*

5. Hinc Abbas nequit se nuncupare ordinarium locorum abbatiae *in Constantien. Iurisdictionis die 31 Martii 1770* §. *ad XVI.*

6. Proposito enim dubio: *An Abbas possit se nuncupare Ordinarium locorum Abbatiae,* S. Congregatio die 5 Decembris 1696 respondit: *Negative.*

7. Secus vero est de alio titulo Iudicis ordinarii *in Constantien. Iurisdictionis die 31 Martii 1770* §. *ad XVI* (1).

8. Unde Abbas S. Mariae de Balneo non potuit se generatim inscribere ordinarium Vallis S. Mariae de Balneo *in Burgi S. Sepulchri die 15 Decembris 1698 lib. 48 decretorum.*

(1) S. Congreg. in Burgi s. Sepulchri iurisdictionis 20 Augusti 1698 ad VI dubium, de qua late Piton. in discept. eccles. 20. n. 20. et seqq.

9. Potuit tamen se intitulare Iudicem ordinarium in districtu abbatiae *in Burgi S. Sepulchri die 20 Septembris 1698 lib. 48 decretorum.*

10. Abbas S. Salvatoris Montis Amati prohibetur vocari nullius diaecesis: *in Clusina Iurisdictionis die 28 Martii 1705 lib. 55 decretorum.*

11. Itaque exemptiones Abbatum a iurisdictione Episcoporum nunquam nativae dici possunt *in Guastallen. Provinciae Mediolanensis die 19 Iulii 1766* §. *Hinc.*

12. Opinionem affirmativam licet primum amplexa fuerit S. Rota, postea reiecit, reprobavitque *in Guastallen. Provinciae Mediolanen. die 19 Iulii 1766* §. *Hinc.*

13. Repugnat enim exemptio, quae liberationem a servitute importat, cum nativa libertate *in Guastallen. Provinciae Mediolanen. die 19 Iulii 1766* §. *Hinc.*

14. Quod si dicatur, libertatem hanc esse nativam respectu aliorum Episcoporum, ex eo quod locus nulli episcopo, antequam religionem susciperet, subiectus erat, ut aliqui discordiam sententiarum conciliantes asseruerunt, magis ad subtilitates sermonum haec vergeret oratio, quam ad veritatem patefaciendam *in Guastallen. Provinciae Mediolanen. die 19 Iulii 1766* §. *Hinc.*

15. Quae sane est, ut nunquam libertas nativa sit, quae venire non potuit, nisi ex concessione summorum Pontificum, quibus in universo orbe totius dominici gregis cura mandata est *in Guastallen. Provinciae Mediolanen. die 19 Iulii 1766* §. *Hinc.*

16. Qui proinde et diaecesum novos fines terminarunt, et auxerunt, et amplificarunt, et coercuerunt *in Guastallen. Provinciae Mediolanen. die 19 Iulii 1766* §. *Hinc.*

17. Cathedras praeterea diviserunt, novas constituerunt, tota circumspectante et obsequente Ecclesia, cuius summam administrationem tutelamque habent, ex auctoritate per manus tradita ab ipso principe Apostolorum divo Petro, in cuius locum et potestatem romani Pontifices succedunt *in Guastallen. Provinciae Mediolanen. die 19 Iulii 1766* §. *Hinc.*

18. Divus enim Petrus fuit petra illa, super quam Christus filius Dei vivi fundavit Ecclesiam, et cui claves regni caelorum et suos agnos et suas oves pascendas tradidit *in Guastallen. Provinciae Mediolanen. die 19 Iulii 1766* §. *Hinc.*

19. Ex Pontificum concessione tot idcirco exemptionum privilegia, sive in monachos et regulares, sive in Abbates venerunt, quorum personas quandoque, quorum loca aliquando, veluti sibi ipsi, proprio iure, Pontifices reservarunt *in Guastallen. Provinciae Mediolanen. die 19 Iulii 1766* §. *Ex.*

20. Hinc immediatae subiectionis Sedi apostolicae nomina et iura deducta sunt *in Guastallen. Provinciae Mediolanen. die 19 Iulii 1766* §. *Ex.*

21. Exemptiones igitur Abbatum nituntur privilegiis Sedis apostolicae, quae, post dispertitum in diaeceseos orbem catholicum, concessae sunt monachis, quorum nonnulla monasteria sub divi Petri protectione recepta, ab Ordinarii iurisdictione subtracta fuisse constat usque ab seculo VIII, sub pontifice Adeodato *in Parmen. Abbatiae Fontisvivi die 19 Decembris 1801* §. *In primo* (1).

22. Hinc exemptorum varia conditio *in Guastallen. Provinciae Mediolanen die 19 Iulii 1766* §. *Ex.*

23. Hinc Abbatum varia species, qui Praelati inferiores dicuntur *in Guastallen. Provinciae Mediolanen. die 19 Iulii 1766* §. *Ex.*

24. Non omnibus quippe eamdem exemptionem concessere Pontifices *in Parmen. abbatiae Fontisvivi die 19 Decembris 1801* §. *In primo.*

25. Modo enim monasteria tantum ibique commorantes personas passive exemerunt a iurisdictione Episcopi, modo Abbatibus activam iurisdictionem in clerum et populum, sive privative concesserunt, sive cumulative cum Episcopo *in Parmen. Abbatiae Fontisvivi die 19 Decembris 1801* §. *In primo* (2).

26. Hinc apud Canonistas vulgatissima distinctio Abbatum in tres species: *in Parmen. Abbatiae Fontisvivi die 19 Decembris 1801* §. *In primo.*

27. Triplex quippe habetur species Abbatum: prima species est eorum, qui, certo generi personarum, existentium intra septa alicuius ecclesiae, sive monasterii, cum passiva exem-

(1) Card. Baronio ann. 676. n. 2. et notat De Prosper. de territor. separat. quaest. 2 in princip.

(2) Card. Petra in Comment. ad Constit. apostol. tom. 2, pag. 127, n. 3, et seqq.

ptione a iurisdictione Episcopi, praesunt, quique subsunt immediate romano Pontifici *in Guastallen. Provinciae Mediolanen. die 19 Iulii 1766* §. *De exemptionibus.*

28. Item *in Parmen. Abbatiae Fontisvivi die 19 Decembris 1801* §. *In primo, in Nullius Ferentilli Visitationis sacrorum Liminum die 17 Septembris 1814* §. *Ac primum.*

29. Secunda species est habentium iurisdictionem activam in clerum et populum certi loci, qui tamen locus est intra Episcopi diaecesim, et huiusmodi Praelati improprie tantum dicuntur nullius *in Guastallen. Provinciae Mediolanen. die 19 Iulii 1766* §. *De exemptionibus.*

30. Item *in Parmen. Abbatiae Fontisvivi die 19 decembris 1801* §. *In primo, in Nullius Ferentilli Visitationis sacrorum Liminum die 17 Septembris 1814.* §. *Ac primum.*

31. Tertia species est eorum, qui iurisdictionem habent activam in clerum et populum alicuius vel plurium locorum, quae avulsa et separata sunt a cuiuslibet Episcopi diaecesi *in Guastallen. Provinciae Mediolanen. die 19 Iulii 1766* §. *De exemptionibus.*

32. Item *in Parmen. Abbatiae Fontisvivi die 19 decembris 1801* §. *In primo, in Nullius Ferentilli Visitationis sacrorum liminum die 17 Septembris 1814* §. *Ac primum* (1).

§. II.

ABBAS QUOAD BENEDICTIONEM.

1. Abbatum benedictio a nonnullis improprie dicitur consecratio *in adnotationibus Secretarii die 12 Februarii 1724* §. *Quia vero.*

2. Namque Abbatum benedictio neque confert, neque imprimit characterem, sed est tantum quaedam orationum solemnitas *in Colonien. Functionum pontificalium et benedictionis abbatialis die 13 Iunii 1722* §. *Haec quoad* (2).

3. Hodie tamen fere nullus Abbas benedicitur, cum non sint perpetui, sed temporales *in adnotationibus Secretarii die 12 Februarii 1724* §. *Quia.*

4. Electione quippe et confirmatione, non vero benedictione episcopali Abbas fit *in Frisingen. die 3 Aprilis 1745* §. *Ex his.*

5. Benedictio enim nil aliud fortasse imponit, quam solam institutionem ad praefecturam monasterii *in Hispalen. ordinum die 18 Septembris 1773* §. *Ambigi* (3).

6. Qua de re non est absolute et simpliciter necessaria *in adnotationibus Secretarii die 12 Februarii 1724* §. *Quia vero.*

7. Hinc Abbates regulares duplici quidem qualitate pollere debent, ut scilicet in ordine sacerdotali sint constituti, et ut a catholico Antistite benedicti fuerint *in Adnotationibus Secretarii die 12 Februarii 1724* §. *Et ab his.*

8. Item *in Hispalen. Ordinum die 18 septembris 1773* §. *Abbates.*

9. Attamen id non ex necessitate; nam alias dicendum, si Episcopus tertio cum humilitate et devotione, sicut convenit, requisitus, eos benedicere forte renuerit *in Adnotationibus Secretarii die 12 Februarii 1724* §. *Haec sunt.*

10. Item *in Hispalen. Ordinum die 18 Septembris 1773* §. *Abbates* (4).

11. Tunc enim licet Abbatibus praesertim cisterciensibus proprios monachos benedicere, et alia, quae ad officium huiusmodi pertinent, exercere, donec ipsi Episcopi suam duritiem recogitent *in Adnotationibus Secretarii die 12 Februarii 1724* §. *Tertius.*

12. Idcirco potestas Abbatis potius a privilegio, quam a benedictione desumenda est *in Hispalen. Ordinum die 18 Septembris 1773* §. *Hoc autem* (5).

13. Quin obstet constitutio Benedicti XIII incipien. *Commissi nobis,* qua Abbatibus iniungitur, ut benedictionem infra annum a proprio diaecesano Antistite reportare debeant *in Hi-*

(1) Benedict. XIV. de Synod. diaeces. lib. 2, cap. 11, n. 2.
(2) Oldradus in celebri Consil. 4, quod late exornat Tamburin. de iur. abbat. disp. 11, quaest. 4.
(3) Colligi videtur ex Pontificali Romano, et confirmat Fagnan. in cap. Statuimus, de supplen. neglig. praelat. n. 6.
(4) Cap. Statuimus, de supplen. negligen. praelat.
(5) Quod sane declaratum fuit in Uratislavien die 12 Februarii 1724.

spalen. Ordinum die 18 Septembris 1773 §. *Hoc autem.*

14. Nam id non praecipitur sub poena nullitatis: quin immo expresse praeservata fuit dispositio Textus in cap. *Statuimus,* de supplen. negligen. praelator., atque etiam permittitur, ut in decursu anni possint Abbates omnia Abbatialia munia exercere *in Hispalen. Ordinum die 18 Septembris 1773* §. *Hoc autem.*

15. Siquidem Benedictus XIII in Constitutione edita anno 1725 statuit, quoscumque Abbates regulares perpetuo infra annum a die eorum electionis computandum debere solemnem benedictionem suscipere ab Episcopo diaecesano *in Brixien. die 28 Novembris 1733* §. *Et quamquam.*

16. Item *in Colonien. seu Leodien. Iuris benedicendi die 14 Iunii 1738* §. *Porro.*

17. Excepit vero praefatus Pontifex Abbates, quibus a romanis Pontificibus praedecessoribus indultum fuit, ut a suis Superioribus regularibus, vel ab eorum Praelatis delegatis benedictionem sumere possint, vel etiam per speciale indultum apostolicum concessum fuit, ut electi habeantur pro benedictis ab ipso summo Pontifice *in Brixien. die 28 Novembris 1733* §. *Et quamquam* (1).

18. Hinc Abbates ordinis sancti Basilii, vigore specialis privilegii, electi habentur pro benedictis *in Hispalen. Ordinum die 18 Septembris 1773* §. *Addit* (2).

19. Vel qui a summis Pontificibus privilegium habent, ea post electionem gerendi, quae agunt omnes Abbates benedicti *in Frisingen. die 3 Aprilis 1745* §. *Ex his.*

20. Item *in Hispalen. Ordinum die 17 Septembris 1773* §. *Abbates* (3).

21. Propterea huiusmodi privilegiis nullimode derogatum fuit per Constitutionem benedictinam, sed immo expresse in ea praeservata fuerunt privilegia Abbatibus non benedictis competentia *in Hispalen. Ordinum die 18 Septembris 1773* §. *Abbates* (4).

22. Et a lege, qua tenentur Abbates infra annum benedictionem reportare, excipiuntur, qui ex Apostolico privilegio potestatem habent pontificalia exercendi *in Frisingen. die 3 Aprilis 1745* §. *Ex his.*

23. Nam idem est ac si benedictionem accepissent episcopalem *in Frisingen. die 3 Aprilis 1745* §. *Ex his.*

24. Non possunt vero Abbates a quocumque catholico Antistite benedictionem licite suscipere, sed illam petere obstringuntur ab Episcopis, in quorum diaecesibus monasteria consistunt *in Brixien. die 28 Novembris 1733* §. *Et quamquam.*

25. Item *in Calonien. seu Leodien. Iuris benedicendi die 14. Iunii 1738.* §. *Porro* (5).

26. Verum Constitutio benedictina nullam facit mentionem de Abbatibus Monasteriorum, quae apostolicae Sedi sunt immediate subiecta *in Colonien. seu Leodien. Iuris benedicendi die 14 Iunii 1838* §. *Verum.*

27. Neque de illis, quorum electionis confirmatio, iuxta Germaniae concordata, debet a summo Pontifice impetrari *in Colonien. seu Leodien. Iuris benedicendi die 14 Iunii 1738* §. *Verum.*

28. Insuper praefata Constitutio loquitur de Abbatibus, uni dumtaxat monasterio praesidentibus *in Colonien. seu Leodien. Iuris benedicendi die 14 Iunii 1738* §. *Verum.*

29. Hinc apta nequaquam est comprehendere Abbatem, qui duobus praeest Monasteriis inter se aeque principaliter unitis, et quorum alterum in una diaecesi, alterum in altera diaecesi erectum reperitur *in Colonien. seu Leodien. Iuris benedicendi die 14 Iunii 1738* §. *Verum.*

30. Ad tramites itaque benedictinae Constitutionis benedictionem recipere potest a Metropolitano, omisso Diaecesano *in Colonien. seu Leodien. Iuris benedicendi die 14 Iunii 1738* §. *Verum.*

31. Namque per illam temperata quidem fuere antiqua privilegia, quorum praesidio non-

(1) Benedictus XIII. in Concil. Roman. tit. 2, cap. unic. et in eius Constit. incipien. *Commissi,* edita die 6 maii 1725.

(2) Pius IV. in Constit. incipien. *Regularem vitam* §. *Volentes,* et notat Pignatell. consult. canon. 158. n. 1, t. 4.

(3) Benedict. XIV. de Synod. diaeces. lib. 2, cap. 11, n. 9.

(4) Benedict. XIV. de Synod. diaeces. lib. 2, cap. 11.

(5) Arg. text. Devotis. 20, quaest. 1, cap. Statuimus de supplen. negligen. praelat., cap. Quoniam, cap. Cum contingat, de aetat. et qualitat. Tradunt cum aliis Barbos. de offic. et potest. Episcop. part. 2, alleg. 27, n. 51 et seqq. Tamburin. de iur. Abbat. tom. 1, disp. 11, q. 1, et 11. Card. Petra in Comment. ad Constit. 9 Sect. unic. n. 10.

nulli ex Abbatibus regularibus poterant benedictionem a quocumque catholico Antistite suscipere, sed aeque statuta lex fuit, ut huiusmodi Abbates a dioecesano *tantum Episcopo vel a Metropolitano* suscipere deberent *in Colonien. seu Leodien. Iuris benedicendi die 14 Iunii 1738* §. *Verum.*

32. At in casu, quo Abbas praesit duobus Monasteriis inter se aeque principaliter unitis, et quorum alterum in diaecesi Leodiensi, alterum intra limites Archiepiscopatus Coloniensis reperitur erectum, potest is ad tramites praelaudatae Constitutionis suscipere benedictionem vel ab Episcopo Leodiensi vel ab Archiepiscopo Coloniensi *in Colonien. seu Leodien. iuris benedicendi die 14 Iunii 1738* §. *Verum.*

33. Propositis enim dubiis: I. An benedictio Abbatis Stabulensis et Melmundariensis competat privative Archiepiscopo Coloniensi, vel Episcopo Leodiensi, seu potius sit in facultate hodierni Abbatis electi et confirmati se benedicere faciendi ab uno vel ab altero eorum, quem ipse maluerit, iuxta eius literas Apostolicas in casu etc.

II. An et a quo benedici debeat Regularis alterius Ordinis, quatenus postulatus et confirmatus fuerit in Abbatem eorumdem Monasteriorum in casu etc., S. Congregatio respondit: — Ad primum, ius benedicendi Abbatem neutri competere, sed eidem Abbati competere facultatem suscipiendi benedictionem ab alterutro, iuxta formam Literarum Apostolicarum. Ad secundum, provisum in primo, et amplius, *in Colonien. seu Leodien. iuris benedicendi die 20 Augusti 1738.*

34. Ex privilegiis Eugenii IV, et Iulii II Abbates triennales cistercienses Hispani, licet eis munus benedictionis non sit impensum, fruuntur omnibus et singulis honoribus, praeeminentiis, privilegiis, et praerogativis, quibus alii potiuntur Abbates benedicti, *in adnotationibus Secretarii die 12 Februarii 1724* §. *Aliorum* (1).

35. Occasione benedictionis, quam Abbates cistercienses ab Episcopis petebant, simultates et iurgia exoriebantur: quocirca Innocentius papa VIII concessit Abbati generali, ut Abbates et Abbatissas sui Ordinis benedicere posset *in adnotationibus Secretarii 12 Februarii 1724* §. *Occasione* (2).

36. Clemens VIII privilegium hoc subinde confirmavit et extendit ad vicarios Abbates, qui ab Abbate generali subdelegarentur pro reliquorum Abbatum et Abbatissarum ordinis benedictione *in adnotationibus Secretarii die 12 Februarii 1724* §. *Clemens* (3).

37. Idemque Clemens VIII iterum reassumpto tenore concessionis Innocentii octavi et ampliationis a se factae, ad aliam subsequentem devenit ampliationem, extendendo facultatem Abbatis generalis, quoad subdelegandum ab Abbatibus vicariis ad praesidentes et reformatores *in adnotationibus Secretarii die 12 Februarii 1724* §. *Clemens* (4).

38. Abbas semel benedictus non est iterum benedicendus *in Colonien. Functionum pontificalium et benedictionis abbatialis die 13 Iunii 1722* §. *Haec quoad* (5).

39. Sed videtur id locum sibi vindicare, quando agitur de benedictione, de cuius iteratione non videtur esse dubitandum *in Colonien. Functionum pontificalium et benedictionis abbatialis die 13 Iunii 1722* §. *Haec.*

40. Abbas regularis professus vero non tenetur suscipere benedictionem *in Posnanien. die 16 Aprilis 1639, lib. 16 Decretorum pag. 190.*

41. Siquidem proposito dubio: — An Abbas regularis professus teneatur sub poenis suscipere benedictionem, S. Congregatio respondit: — Non teneri, Abbatem tamen non benedictum non posse agere actus permissos Abbatibus benedictis — *in Posnanien. die 16 Aprilis 1639, lib. 39 Decretorum pag. 190.*

(1) Suarez de relig. tom. 4, lib. 2, cap. 29, et latius Diana in edit. coord. tom. 2, tract. 5, resol. 81.

(2) Lib. priv. Cisterciensium Parisiis edit. ann. 1713. pag. 137. ibi: « Tibi et Successoribus tuis praedictis dumtaxat, ut munus benedictionis huiusmodi quibuscumque dicti Ordinis Abbatibus et Abbatissis praedictis impendere, ac Abbatibus et Abbatissis praedictis, ut dictum munus a Te et Successoribus tuis praefatis recipere libere ac licite possitis et possint, indulgemus. »

(3) Lib. priv. Cisterciensium Parisiis edit. ann. 1713. pag. 199. ibi: « Tibi ac pro tempore existenti generali Abbati tui Ordinis, quandocumque opus fuerit principalibus Vicariis tuis, qui Abbates existunt, munus benedictionis ceteris Abbatibus et Abbatissis impendendi facultatem subdelegandi auctoritate Apostolica tenore praesentium perpetuam concedimus potestatem. »

(4) Lib. cit. pag. 207.

(5) Tamburin. de iure Abbat. tom. 1, disp. 11, quaest. 6.

§. III.

ABBAS QUOAD COLLATIONEM ORDINUM ET FACULTATEM CONCEDENDI LITERAS DIMISSORIALES.

1. Theologi modum et rationes exquirunt, quomodo simplicibus Sacerdotibus potuerit dari facultas conferendi ordinem subdiaconatus et diaconatus *in adnotationibus Secretarii die 12 Februarii 1724* §. *Verum.*

2. Facultas vero haec non solum promovendi ad minores ordines, sed etiam ad sacros, et ad ipsum presbyteratum, simplici Presbytero concedi nequit *in adnotationibus Secretarii die 17 Novembris 1725* §. *A defensoribus.*

3. Namque Papa, qui habet plenitudinem potestatis pontificalis, potest committere non Episcopo ea, quae ad dignitatem episcopalem pertinent *in adnotationibus Secretarii die 17 Novembris 1725.* §. *A defensoribus.*

4. Limita, dummodo tamen illa non habeat immediatam relationem ad verum corpus Christi *in adnotationibus Secretarii die 17 Novembris 1725* §. *A defensoribus.*

5. Et ideo ex eius commissione aliquis Sacerdos simplex potest conferre ordines minores et confirmare *in adnotationibus Secretarii die 17 Novembris 1725* §. *A defensoribus.*

6. Non autem aliquis non Sacerdos nec interim Sacerdos, maiores ordines, qui habent immediatam relationem ad corpus Christi, supra quod consecrandum Papa non habet maiorem potestatem, quam simplex Sacerdos *in adnotationibus Secretarii die 17 Novembris 1725* §. *A defensoribus* (1).

7. Extare nihilominus videtur privilegium Innocentii VIII, quo Abbati Cistercii diaecesis Cabilonensis, et aliis quatuor insignioribus Abbatibus, et eorum Successoribus datur facultas conferendi subdiaconatum et diaconatum Monachis sui Ordinis *in adnotationibus Secretarii die 12 Februarii 1724* §. *Verum* (2).

8. Ceterum Privilegium hoc concessum Abbatibus cisterciensibus ab Innocentio VIII conferendi suis Monachis subdiaconatum et diaconatum dicitur a nonnullis, quod fuerit revocatum a Concilio tridentino *in adnotationibus Secretarii die 17 Novembris 1725* §. *Et privilegium* (3).

9. Ab aliis tamen dicitur apocriphum *in adnotationibus Secretarii die 17 Novembris 1725* §. *Et privilegium* (4).

10. At quidquid sit de hoc, certum esse videtur, huic privilegio fuisse a Concilio tridentino derogatum in cap. 10 et 12 sess. 23 *in adnotationibus Secretarii die 12 Februarii 1724* §. *Verum* (5).

11. Abbas regularis effectus Vicarius generalis sui Ordinis non potest in defectum proprii Abbatis absque huius licentia suis subditis regularibus ordines minores conferre *in Nullius die 5 Aprilis 1636 lib. 15 decret. pag. 339.*

12. Ex antiqui iuris praescripto licitum erat non solum regularibus, sed aliis etiam secularibus Abbatibus primam tonsuram et minores ordines conferre *in Hispalen. Ordinum die 18 Septembris 1773.* §. *Ex antiqui.*

13. Haec autem illimitata facultas coercita fuit a sacro Concilio Tridentino in cap. 10 sess. 23 de reform. *in Hispalen. Ordinum die 18 Septembris 1773* §. *Ex antiqui.*

14. Hinc post Concilium Tridentinum Abbatibus ac aliis quibuscumque, quantumvis exemptis, non licet intra fines alicuius diaecesis consistentibus, etiamsi nullius sunt, vel exempti

(1) Colligitur ex Conc. Trid. sess. 22, can. 2, et sess. 23, can. 7. S. Thom. in quartum sententiarum dist. 25, qu. 1, art. 1 ad 3.

(2) Lib. privilegiorum Cisterciensium Parisiis edit. ann. 1713, p. 137, ibi: « Ac ne Monachis dicti Ordinis pro suscipiendis Subdiaconatus et Diaconatus ordinibus extra Claustrum hinc inde discurrere cogantur, tibi et successoribus tuis, ut quibuscumque dicti Ordinis Monachis, aliis vero quatuor Abbatibus praefatis, ac eorum successoribus, ut suorum Monasteriorum praedictorum religiosis, quos ad id idoneos reperietis, Subdiaconatus et Diaconatus ordines huiusmodi alias rite conferre possitis.

(3) Suarez de Religione tom. 4, lib. 2. cap. 29, n. 17, 24 et 25.

(4) Sylvius in 3 p. D. Thom. quaest. 28, art. 1, et innuit Navarr. lib. 5 consilior. Consil. 13 de privileg.

(5) Quod late ostendit Navarr. in Consil. 13 de privilegiis, et late prosequitur Suarez de Relig. tom. 4, lib. 2, cap. 29, n. 17, et 24 25.

esse dicantur, cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram vel minores ordines conferre *in Lucana die 14 Aprilis 1725* §. *Ad rem.*

15. Item *in Hispalen. Ordinum die 18 Septembris 1773* §. *Ex antiqui* (1).

16. Hac Synodali sanctione sublata propterea comperiuntur Abbatibus secularibus privilegia conferendi ordines *in Hispalen. Ordinum die 18 Septembris 1773* §. *Hac.*

17. Et quoad Abbates regulares, habentes subditos, vetita ipsis est ordinatio secularium, solumque concessum, ut regulares ordinare valeant *in Hispalen. Ordinum die 18 Septembris 1773* §. *Hac.*

18. Hinc nullus Praelatus inferior, regularis aut secularis hodie reperitur,cui liceat tonsuram et minores ordines conferre personis secularibus *in Hispalen. Ordinum die 18 Septembris 1773* §. *Hac.*

19. Amplia, tametsi omnimodam iurisdictionem ordinariam et quasi episcopalem et etiam temporalem habeat in clerum et populum, exclusis Episcopis, et sive illorum territorium sit intra fines alicuius diaecesis, sive extra *in Hispalen. Ordinum die 18 Septembris 1773* §. *Hac* (2).

20. Ceterum etsi unus Abbas Regularis ordinis sancti Benedicti Parmensis diaecesis habeat ius deferendi mitram et baculum, quoniam autem Concilium Tridentinum in sess. 23 cap. 10 de reformatione prohibet Abbatibus, ne possint tonsuram vel minores ordines cuiquam, qui Regularis sibi subditus non sit, intra fines alicuius diaecesis conferre, quaerit tamen a S. Congregatione: *An de consensu Episcopi Parmensis possit conferre dictos ordines?* S. Congregatio in casu censuit, posse de licentia Ordinarii loci, et cum literis dimissoriis Ordinarii eorum, qui ordinandi sunt *in Parmen. mensis Augusti 1586 ad 1 dubium.*

21. Dubio vero proposito — *an sufficiat licentia Vicarii generalis dicti Episcopi habentis facultatem concedendi literas dimissoriales?* respondit: Non sufficere licentiam Vicarii Generalis, nisi habeat ad id speciale mandatum *in Parmen. mensis Augusti 1586 ad II dubium.*

22. Constitutiones Congregationis Cisterciensis prohibent in cap. 51, ne ad clericalem statum transeant Conversi, in haec verba: — *qui ad Conversorum habitum recepti fuerint, ad clericorum statum transire etiam durante tempore probationis ne possint Constitutione Clementis VIII cautum est, in Congregationis Cisterciensis die 28 Novembris 1789* §. *Dubitari.*

23. Hinc dictio *ne possint* vim fortasse habet decreti irritantis, et nullitatem ordinationis inducit *in Congregationis Cisterciensis die 28 Novembris 1789* §. *dubitari* (3).

24. Notandum tamen, quod Constitutiones illae ad alteram se referunt Clementis VIII, in qua haec una delinquentibus imponitur ferendae sententiae poena, quod nempe, *si illi, qui superiores sunt, vel alii ad quos spectat in praedictis deliquerint, officiorum privationem se subituros sciant - in Congregationis Cisterciensis die 28 Novembris 1789* §. *Notandum.*

25. Ubi aliquid enim sub certa poena et sine decreto irritanti prohibet Constitutio, valet actus, licet delinquens sit puniendus *in Congregationis Cisterciensis die 28 Novembris 1789* §. *Notandum* (4).

26. Et hac forsan de causa, qui de Clementina scripserunt Constitutione, illicitam dumtaxat appellant Conversi ordinationem *in Congregationis Cisterciensis die 28 Novembris 1789* §. *Notandum* (5).

27. Abbates Ordinis sancti Basilii privilegio potiuntur minores ordines suis subditis conferendi *in Hispalen. ordinum die 18 Septembris 1773* §. *Ambigi* (6).

28. Nam Gregorius XIII Ordini sancti Basilii omnia privilegia concessit, quae Ordini Cassinensi tributa fuerint *in Hispalen. ordinum die 18 Septembris 1773* §. *Ambigi.*

(1) Concil. Trid. in cap. 10, sess. 23 de reform.

(2) Benedict. XIV in Synod. diaeces. lib. 2, cap. 11, n. 10, late Fagnan. in cap. Significasti de offic. archidiacon. n. 24.

(3) Authen. Si quae mulier. ibique Gloss. verb. nullatenus, Cod. ad Senatusconsult. Velleian. Clem. ult. de sequestr. possess. ibique Gloss. eodem verb. nullatenus.

(4) Gloss. in Clem. 1, verb. Inhibentes de iurepatronat. Rot. in decis. 34. n. 2, part. 1 recent.

(5) Praesertim Fagnan. in lib. 3. decret. cap. Relatum 7. n. 82, ne Cleric. vel Monach. Donat. in prax. regular. tom. 2, tract. 14, quaest. 14. Ferrar in biblioth. canon. verb. novitiatus n. 38.

(6) Vid. Can. 14 Concil. Nicaeni II.

29. Et quidem non per modum simplicis communicationis, sed absolute; imo et amplioris concessionis *in Hispalen. ordinum die 18 Septembris 1773* §. *Ambigi* (1).

30. Abbates monasterii sanctorum Petri et Pauli Weyarensis primam tonsuram et minores ordines suis subditis regularibus conferre nequeunt, etiamsi usu pontificalium potiantur *in frisingen. die 17 Septembris 1746.*

31. Proposito hinc dubio: An Abbas Monasterii SS. Petri et Pauli Canonicorum Regularium D. Augustini Weyarensis habeat facultatem primam tonsuram minoresque ordines suis subditis Regularibus conferre, etiam absque benedictione episcopali? S. Congregatio respondit: *Dilata et ad mentem — in Frisingen. die 3 Aprilis 1745.*

32. Dein reproposito dubio, negativum dedit responsum, etiamsi praedecessores facultatem mitra, baculo, aliisque insigniis Pontificalibus utendi ab Innocentio XII Pont. Max., Episcopo tamen annuente habuerint, sed ab ordinum collatione se abstinuerunt *in Frisingen. die 17 Septembris 1746.*

33. Privilegium a Pio IV. concessum Abbati S. Barbarae Mantuae, conferendi primam tonsuram et minores ordines, non fuit a Concilio tridentino in cap. 10 sess. 23 de reform. derogatum, cum illud sit Concilio posterius, et Concilium derogaverit antecedentibus et non subsequentibus privilegiis *in adnotationibus Secretarii die 16 Marti 1726* §. *Secunda.*

34. Neque privilegium hoc revocatum fuit a posteriori Bulla, in qua Pontifex revocavit omnia indulta Concilio tridentino adversantia et concessa ab aliis Pontificibus, quam a seipso *in adnotationibus Secretarii die 16 Martii 1726* §. *Primo.*

35. Nam primum indultum seu privilegium fuerat concessum in limine fundationis et in remuneratione meritorum, et intuitu Ducis Mantuae illustris ex fundatione et dotatione patroni, nec defuerat Ordinarii consensus *in adnotationibus Secretarii die 16 Martii 1726* §. *Primo.*

36. Insuper imperceptibile est, quod in secunda Bulla voluerit Pontifex primam revocare, cum secundam Bullam ediderit die 17 februarii anno 1564, licet eam publicaverit die 24 Februarii anno 1565, et primam Bullam favore Abbatis S. Barbarae ediderit pridie idus octobris anno 1564, et alias sequeretur absurdum, quia sequeretur, quod Papa revocatoriam edidisset tunc, quando privilegium *concessit in adnotationibus Secretarii die 16 Martii 1726* §. *Primo.*

37. Praesertim, quia in prima sua Bulla summus Pontifex Pius IV clausulas adeo efficaces, et insolitas derogatorias derogatoriarum adhibuit, ut nunquam dici possit, eidem fuisse derogatum a Bulla posteriori *in adnotationibus Secretarii die 16 Martii 1726* §. *Secundo.*

38. In prima siquidem datur facultas Duci Mantuae, Abbati et Capitulo pro tempore, quandocumque dictae Bullae datam semper posteriorem, quibuscumque futuris derogationibus, apponere: ibi: - *et de novo etiam sub data per eosdem Guilielmum et pro tempore exixtentem ducem ac abbatem archipresbyterum et alios alias dignitates obtinentes et capitulum eligenda, concessas fore et censeri* - *in adnotationibus Secretarii die 16 Martii 1726* §. *Secundo.*

39. Et eo vel magis, quia concurrit observantia, quae est optima cuiusque constitutionis interpres, et interpretatio ab eadem deducta praevalet cuicumque alii interpretationi *in adnotationibus Secretarii die 16 Martii 1726* §. *Tertio.*

40. Quum autem in sacra Congregatione dubiis propositis die 12 augusti 1679, ob contentiones inter Abbatem S. Barbarae tunc accidentaliter charactere episcopali decoratum, et Episcopum mantuanum, responsum fuit, ad primum *non licere:* ad secundum *negative:* ad tertium *non posse,* concludi posse videtur, Abbatis privilegium quoad tonsuram et minores ordines esse restrictum ad eos, qui sunt addicti servitio Ecclesiae S. Barbarae; et non esse indefinitum quoad omnes *in adnotationibus Secretarii die 1 Septembris 1725* §. *Cum* (2).

(1) Gregorius XIII in Constit. incipien. *Benedictus Dominus.*

(2) Primo: « Praetendit Abbas adscribere posse ad servitium eiusdem Ecclesiae numerum indefinitum, ac effrenatum Clericorum, eisque minores ordines conferre, etiamsi praedictae personae et Clerici adscripti nobiles existant, vel ex alia qualitate nunquam praedictae inserviant Ecclesiae, quinimmo saepe saepius mediante eadem adscriptione ordines confert illismet, qui per ipsum Episcopum Mantuanum fuerunt reiecti et improbati. »

41. Siquidem cum inter Abbatem S. Barbarae charactere Episcopi in partibus decoratum et Episcopum Mantuanum contentiones exortae fuerint, propositis congruis dubiis super istius Episcopi Mantuani querelis, S. Congregatio decrevit: Abbati adscribere ad servitium Ecclesiae numerum indefinitum et effrenatum clericorum, eisque minores ordines conferre, etiamsi praedictae personae et clerici adscripti nobiles existant, vel ex alia qualitate nunquam praedictae inserviant Ecclesiae, non licere; quum saepe saepius mediante eadem adscriptione ordines contulerit illismet, qui per ipsum Episcopum Mantuanum fuerint reiecti et reprobati *in Mantuana iurisdictionis die 16 Martii 1680 ad I dubium.*

42. Praeterea censuit, neque aliis etiam quibuscumque exteris et forensibus, neque sibi, neque Mantuano Episcopo subiectis eosdem ordines conferre posse; et contingente, uti ad praesens, quod idem Abbas accidentaliter existat decoratus aliquo titulo Episcopatus in partibus infidelium, pariter alienigenas non posse ad omnes sacros ordines promovere *in Mantuana iurisdictionis die 16 Martii 1680 ad II dubium.*

43. In casu vero, quo Abbas S. Barbarae tres ordines minores contulerat cuidam Bartholomaeo Turriano de plebe Fossiana Lucanae diaecesis, praeviis literis Dimissoriis sui Episcopi, ut a quacumque catholico Antistite ad primam tonsuram et minores Ordines promoveri possit, cum praefatus Bartholomaeus non fuisset inter clericos Numerarios, sed Supranumerarios, qui Ecclesiae S. Barbarae inservierant, proposito dubio: *An et quomodo sit providendum in casu,* S. Congregatio responsum dedit: - *Pro relaxatione suspensionis Oratoris arbitrio Episcopi Lucani* - in Lucana die 16 Martii 1726.

44. Lectores manus impositione licentia est unicuique Abbati solummodo in proprio monasterio faciendi, si dumtaxat eidem Abbati manus impositio facta noscatur ab Episcopo secundum morem praeficiendorum Abbatum, dum constet, illum esse presbiterum *in adnotationibus Secretarii die 12 Februarii 1724* §. *Primus* (1).

45. Hinc in cap. Cum contingat, de aetat. et qualitat. etc. decernitur, Abbatem presbiterum et benedictum primam tonsuram suis monachis conferre posse *in adnotationibus Secretarii die 12 Februarii 1724* §. *Secundus.*

46. In cap. autem Statuimus, de supplenda negligentia praelatorum, edicitur: Si Episcopus tertio cum humilitate ac devotione, sicut convenit, requisitus, substitutos Abbates vestros benedicere forte renuerit, eisdem Abbatibus licet proprios monachos benedicere, et alia quae ad officium huiusmodi pertinent exercere, donec ipsi Episcopi suam duritiem recogitent, et Abbates benedicere non recusent *in adnotationibus Secretarii die 12 Februarii 1724* §. *Tertius.*

47. Nec eis licitum sit aliis, quam monasteriorum suorum Conversis, et qui ad illa convolaverint, et in quos ecclesiasticam et quasi episcopalem iurisdictionem obtinent, primam clericalem conferre tonsuram, nisi eis id competat ex pleno apostolicae Sedis indulto *in adnotationibus Secretarii die 12 Februarii 1724* §. *Quartus.*

Item *in Parmen. abbatiae fontisvivi die 19 Decembris 1801* §. *Sive autem* (2).

48. Demum in cap. 10, sess. 23 Concilii tridentini de reform. decernitur, Abbatibus ac aliis quibuscumque, quantumvis exemptis, non liceat in posterum intra fines alicuius diaecesis consistentibus, etiamsi nullius diaecesis vel exempti dicantur, cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram vel minores ordines conferre *in adnotationibus Secretarii die 12 Februarii 1724* §. *Ultimus.*

Item *in Parmen. abbatiae fontis vivi die 19 Decembris 1801* §. *Sive autem.*

49. Ex hisce iuris canonici textibus inferunt communiter Doctores, duo esse necessaria ad effectum, ut Abbas regularis conferre valeat

Secundo: «Praesumit, aliis etiam quibuscumque exteris et forensibus, neque sibi, neque Mantuano Episcopo subiectis eosdem ordines conferre, et contingente, ut ad praesens, quod idem Abbas accidentaliter existat decoratus aliquo titulo Episcopatus in partibus infidelium praetendit pariter, alienigenas posse ad omnes sacros ordines promovere.»

Tertio: «Attribuit sibi potestatem concedendi dimissorias eisdem Clericis adscriptis, ut a quocumque alio catholico Antistite independenter ab Ordinario Mantuano valeant promoveri.» S. Congregatio die 16 Martii 1680, lib. 60 decretorum pag. 60 a terg.

(1) Can. Quoniam, dist. 69.

(2) Cap. Abbates, de privileg. in 6.

suis subditis regularibus tonsuram et minores ordines, quod videlicet sit presbiter et solemniter sit benedictus *in adnotationibus Secretarii die 12 Februarii 1724 §. Et ab his.*

50. Licet enim in citato textu Concilii tridentini prohibeatur Abbatibus conferre ordines cuiquam, qui regularis subditus non sit, non valet tamen illatio a contrario sensu, ut videlicet cuilibet suo subdito regulari ordines minores conferre possit, cum haec potestas sic explicanda sit, ut sibi vindicet locum, quando concurrant in Abbatibus qualitates a sacris canonibus requisitae, hoc est presbiterii, et benedictionis *in adnotationibus Secretarii die 12 Februarii 1724 §. Et ab his* (1).

51. Attenta quippe conciliari tridentini sanctione, in S. Congregatione inolevit distinctio inter Abbatem regularem, et Abbatem secularem, quod Abbas videlicet regularis, si sit presbiter et solemniter benedictus, conferre valeat suis subditis regularibus primam tonsuram et minores ordines *in Lucana die 14 Aprilis 1725 §. Attentaque.*

52. Hinc abbates regulares duplici qualitate pollere debent, quod scilicet in ordine sacerdotali sint constituti, et quod a catholico Antistite benedicti fuerint *in Hispalen. ordinum die 18 Septembris 1773 §. Quod nono, et §. Abbates* (2).

53. Ceterum haec benedictio non est absolute et simpliciter necessaria, ut Abbates suis subditis regularibus conferre valeant primam tonsuram et minores ordines *in adnotationibus Secretarii die 12 Februarii 1724 §. Quia vero.*

54. Alias enim non bene decretum fuisset in cap. Statuimus, de supplen. neglig. praelat., quod abbates primam tonsuram conferant et minores ordines, si Episcopi ter requisiti benedicere recusaverint *in adnotationibus Secretarii die 12 Februarii 1724 §. Quia vero.*

55. Immo ex hoc ipso infertur, huiusmodi potestatem non a benedictione, sed a privilegio fore desumendam *in Hispalen. ordinum die 18 Septembris 1773 §. Autem* (3).

56. Quia facultas conferendi ordines pendet a privilegio aut nativo aut concesso, non vero a benedictione *in Hispalen. ordinum die 18 Septembris 1773 §. Ambigi.*

57. Neque obesse videtur Constitutio Benedicti XIII incipien. *Commissi nobis*, qua Abbatibus iniungitur, ut benedictionem infra annum a proprio diaecesano Antistite reportare debeant *in Hispalen. ordinum die 18 Septembris 1773 §. Hoc autem.*

58. Nam id non praecipitur sub poena nullitatis, quin immo expresse praeservata fuit dispositio textus in cap. *Statuimus*, de supplen. neglig. praelat. *in Hispalen. ordinum die 18 Septembris 1773 §. Hoc autem.*

59. S. Congregatio hinc decrevit, Abbatem non benedictum, si habeat privilegium speciale Apostolicum conferendi ordines minores, posse suis subditis regularibus conferre, secus si id ei non fuerit ex privilegio Apostolico concessum *in Panormitana collationis ordinum die 16 Martii 1647 ad I dubium.*

60. Abbas regularis benedictus, vel habens privilegium a Sede apostolica faciendi omnia, quae possunt Abbates benedicti, potest primam tonsuram et ordines minores conferre suis subditis regularibus *in dubio die 20 Octobris 1579 lib. Posit. 11.*

Item *in dubio ad cap. 5, sess. 6 Concilii tridentini de reform., in Portugallien. die 2 Aprilis 1591, in Tullen. die 19 Decembris 1596 lib. 8 decretorum pag. 196, in Catanien. die 15 Februarii 1642 lib. 17 decretorum pag. 1, in Panormitana collationis ordinum die 16 Martii 1647, lib. 18 decretorum pag. 311, in Leodien. die 14 Martii 1648 lib. 18 decretorum pag. 454.*

61. Insuper a lege petendi benedictionem a Diaecesano, ut Abbates conferant tonsuram, et minores ordines, solvit praefatus Pontifex, quibus a romanis Pontificibus indultum fuit, ut a suis Superioribus regularibus, vel ab eorum Praelatis delegatis, benedictionem sumere possint *in Brixien. die 28 Novembris 1733 §. Et quamquam.*

62. Hinc Abbas Lubensis ceterique eiusdem provinciae Abbates presbiteri non benedicti ab Episcopo, sed a suo Patri generali vel eius sub-

(1) Fagnan. in cap. Quanto, n. 21 et seqq. de consuetudine. Vanespen. iur. eccles. univ. tom. 1, part. 1, tit. 31, cap. 6, n. 16 et seqq.

(2) Can. 14 Concilii Nicaeni II, relat in can. Quoniam, dist. 69. cap. Cum contingat, de aetat. et qualit. etc. cap. Statuimus, de supplen. neglig. praelat. cap. Abbates, de privileg. in 6.

(3) S. Congregatio in Uratislavien. 12 Februarii 1724.

delegatis possunt tonsuram et minores ordines suis subditis regularibus conferre *in Uratislavien. die 12 Februarii 1724.*

63. Itaut, nisi aliud Ordinatis obstet canonicum impedimentum, teneatur Ordinarius illis conferre ordines maiores *in Uratislavien. die 12 Februarii 1724.*

64. Nec non etiam, quibus per speciale indultum apostolicum concessum fuit, ut electi habeantur pro benedictis ab ipso summo Pontifice *in Brixien. die 28 Novembris 1733* §. *Et quamquam.*

Item *in Hispalen. ordinum die 28 Septembris 1773* §. *Et quamquam.*

65. Hinc et qui a summis Pontificibus privilegium habent ea post electionem gerendi, quae agunt omnes Abbati benedicti, suis subditis regularibus tonsuram et minores ordines conferunt *in adnotationibus Secretarii die 12 Februarii 1724.*

Item *in Lucana die 14 Aprilis 1725* §. *Attentaque, in Frisingen. die 3 Aprilis 1745* §. *Ex his, in Hispalen. ordinum die 18 Septembris 1773* §. *Abbates* (1).

66. Nam expresse in praefata Constitutione dictus Pontifex praeservare curavit privilegia Abbatibus non benedictis competentia *in Hispalen. ordinum die 18 Septembris 1773* §. *Abbates.*

67. Abbas monasterii Stambsensis ordinis cisterciensis potest tonsuram et ordines minores monachis sibi subditis, non autem aliis regularibus sibi non subditis conferre *in Brixien. die 12 Decembris 1733 ad VI dubium.*

68. Nec licet eidem tonsuram et minores ordines secularibus aliarum diaecesum cum dimissoriis suorum Ordinariorum et sine Episcopi Brixiensis licentia conferre *in Brixien. die 12 Decembris 1733 ad VII dubium.*

69. Demum Abbates regulares, qui pontificalium usum habent, facultatem quoque habent minores ordines conferendi *in Frisingen. die 3 Aprilis 1745* §. *Postulat* (2).

70. Quin propterea referre videatur, a summo Pontifice non fuisse expresse potestatem conferendi ordines tributam: satis enim est, potestatem atque usum concessisse pontificalium, e quibus ius venire videtur, minores ordines primamque tonsuram conferendi *in Frisingen. die 3 Aprilis 1745* §. *Postulat.*

71. Non alia quippe ratione ac illis, qui inter S. R. E. Cardinales allecti sunt, sine ullo particulari privilegio, fas est familiares suos tonsura minoribusque ordinibus insignire ex vetustissima consuetudine *in Frisingen. die 3 Aprilis 1745* §. *Postulat* (3).

72. Abbas vero non benedictus, nec habens privilegium faciendi omnia, quae possunt Abbates benedicti, non potest primam tonsuram nec minores ordines conferre *in Calaritana die 13 Februarii 1639 lib. 16 decretorum pag. 148.*

73. Alias quippe nulliter confert *in Calaritana die 13 Februarii 1639 lib. 16 decretorum pag. 148.*

74. Abbates familiae Cisterciensis ex eo, quod suscipere possunt benedictionem a suo Generali, sic benedicti conferunt primam tonsuram et ordines minores *in Brixien. die 28 Novembris 1733* §. *In specie* (4).

75. Hinc primam tonsuram suis monachis et minores ordines conferre valent cistercienses Abbates *in Congregationis Cisterciensis die 28 Novembris 1789* §. *De viribus* (5).

76. Certum est; inter privilegia competentia Abbatibus Ordinis cassinensis connumerari potestatem illis impertitam conferendi subditis primam tonsuram et minores ordines *in Hispalen. ordinum die 18 Septembris 1773* §. *Ambigi* (6).

(1) Benedict. XIV de Synod. diaeces. lib. 2, cap. 11, n. 7. Tamburin. De iure Abbat. tom. 1, disp. 11, quaest. 3, n. 3, et seqq., et eodem tom. 1, disp. 11, quaest. 13, et tom. 2, disp. 2, quaest. 3 per tot. Barbosa vot. 39, n. 28, lib. 3. Pirhing ad lib. 1 decret. tom. 1, tit. 11, sect. 1, §. 6, n. 43. Clericat. De sacram. ordin. decis. 13, n. 7 et seqq. et ita declaravit S. Congreg. in forma specifica, confirmata in literis apostolicis Clementis Octavi impressis inter privilegia Cisterciensium, Parisiis edita anno 1713, pag. 194.

(2) Arg. ex text. in can. 1 et 2, dist. 21, cap. Abbates de privileg. in 6, et late monent Butrius in cap. Cum inter, de sentent. et reiud. Fagnan. in cap. Cum contingat n. 1 et 2, de aetat. et qualit. Tamburin. de iure Abbat. tom. 2, disp. 2, quaest. 1, n. 8.

(3) Io. Andr. in cap. 1, de supplen. neglig. praelat. Barbosa de off. et potest episcop. part. 2, allegat. 3, n. 15. Clericat De sacram. ordin. dec. 14, n. 7.

(4) S. Congreg. in Uratislavien. die 12 Februarii 1724, lib. 74 decretor. pag. 66.

(5) Cap. Abbates, de privileg. in 6.

(6) Tamburin. de iur. Abbat. disp. 2, quaest. 3, n. 2, tom. 2. Pignatell. consult. canon. 158, n. 1, tom. 1.

77. Gravis tamen habetur quaestio, an illicita tantum seu etiam invalida sit collatio minorum ordinum facta ab Abbatibus regularibus de personis secularibus, aut a Praelatis secularibus de aliis personis praeter eas, quae comprehenduntur in eorum privilegiis post Concilium concessis *in Hispalen. ordinum die 18 Septembris 1773* §. *Gravis.*

Item *in Collen. tonsurae die 24 Ianuarii 1795* §. *Gravis.*

78. Qui ex benedictione Abbatis sacramentalem in eo admittunt potestatem, validam affirmant non subditi ordinationem, licet illicitam *in Collen. tonsurae die 24 Ianuarii 1795* §. *Gravis* (1).

79. Qui vero rem a canonicis repetunt principiis, eam ordinationem probant nullam *in Collen. tonsurae die 24 Ianuarii 1795* §. *Gravis.*

80. Potestas sane ordinandi adnexa est soli consecrationi, seu ordini episcopali, secundum proprietatem, ex indelebili scilicet charactere *in Collen. tonsurae die 24 Ianuarii 1795* §. *Gravis* (2).

81. Valide propterea Episcopus alienis etiam subditis ordines confert, quum semper innata eius potestas quoad omnes maneat *in Collen. tonsurae die 24 Ianuarii 1795* §. *Gravis* (3).

82. Abbas regularis contra, qui non accipit ex simplici benedictione characterem, ordinandi potestatem non habet ex ordine, sed ex concessione Ecclesiae, seu privilegio, ac tantum potest, quantum concessum *in Collen. tonsurae die 24 Ianuarii 1795* §. *Abbas* (4).

83. Ei olim tributa erat facultas conferendi tonsuram et minores ordines alienis etiam subditis, cum dimissoriis eorum Ordinarii *in Collen. tonsurae die 24 Ianuarii 1795* §. *Abbas* (5).

84. At restricta fuit ad proprios subditos regulares ex Concilio tridentino, ita ut denegata quoad alios censeatur *in Collen. tonsurae die 24 Ianuarii 1795* §. *Abbas.*

85. Hinc alieni subditi ordinatio fit absque privilegio, et ob defectum potestatis in Abbate ordinante est nulla *in Hispalen. ordinum die 18 Septembris 1773* §. *Gravis.*

Item *in Collen. tonsurae die 24 Ianuarii 1795* §. *Abbas* (6).

86. Paucis nihilominus respondet Benedictus XIV in cap. 11, n. 13, lib. 2, de synod. diaeces. his verbis: aut Abbas nullo fruitur privilegio conferendi primam tonsuram et minores ordines, aut privilegio potitur illos conferendi certo personarum generi *in Hispalen. ordinum die 18 Septembris 1773* §. *Gravis.*

Item *in Anglonen. et Tursien. Nullitatis ordinationis die 15 Maii 1802* §. *Quatenus vero.*

87. Si primum nec licite nec valide potest quemquam ad primam tonsuram, minoresque ordines promovere *in Hispalen. ordinum die 18 Septembris 1773* §. *Gravis.*

Item *in Anglonen. et Tursien. Nullitatis ordinationis die 15 Maii 1802* §. *Quatenus vero.*

88. Si alterum illicite profecto, attamen valide primam tonsuram, minoresque ordines etiam illis confert, qui ceteroquin inter personas non numerantur in privilegiis designatas *in Hispalen. ordinum die 18 Septembris 1773* §. *Gravis.*

Item *in Anglonen. et Tursien. Nullitatis ordinationis die 15 Maii 1802* §. *Quatenus vero.*

89. Ratio autem est, quia habentes potestatem conferendi ordines certo personarum generi, nunquam potestate ordinandi destituuntur, quamvis coercita sit iurisdictio *in Hispalen. ordinum die 18 Septembris 1773* §. *Gravis.*

90. Nam in privilegio seu commissione conferendi ordines duo implicite continentur, videlicet nuda et simplex potestas ordinandi, et iurisdictio restricta et limitata ad personas in

(1) Fagnan. in cap. Statuimus, de supplen. negligen. praelat. n. 16. Fermosin. in cap. Cum contingat, part. 2, n. 9 et seqq. de aetat. et qualit. Suarez de relig. tom. 4, tract. 8, lib. 2, cap. 29, n. 21. Tamburin. de iur. Abbat. tom. 2, disp. 2, quaest. 8 per tot.

(2) Fagnan. in cap. Statuimus n. 6, de supplen. negligen. praelat.

(3) Hallier. de sacr. elect. et ordinat. sect. 5, cap. 1, art. 2, de privileg. conferen. Abbat. n. 19.

(4) Vagnerek in lib. 5, tit. 32, cap. Abbates, de privileg. et excess. privilegiat. pag. 918.

(5) Benedict. XIV de Synod. diaeces. lib. 2, cap. 11, §. 12.

(6) Pignatell. consult. 367, n. 2, tom. 1. Leuren. for. eccles. lib. 1, tit. 2, quaest. 562, §. 4. Hallier. De sacr. elect. et ordinat. sect. 5, cap. 1, art. 2, §. 2, de privil. conferen. Abbat.

literis apostolicis designatas *in Hispalen. ordinum die 18 Septembris 1773* §. *Gravis.*

Item *in Anglonen. et Tursien. Nullitatis ordinationis die 15 Maii 1802* §. *Quatenus vero.*

91. At ex limitatione iurisdictionis non infertur ad limitationem praedictae potestatis, quoniam ad impressionem characteris nulla habetur ratio iurisdictionis *in Hispalen. ordinum die 18 Septembris 1773* §. *Gravis.*

Item *in Anglonen. et Tursien. Nullitatis ordinationis die 15 Maii 1802* §. *Quatenus vero* (1).

92. Hinc quidquid nonnulli dixerint, verior tamen sententia est, quae statuit, eos, qui iure gaudent conferendi ordines certo generi personarum, valide, sed tamen illicite minores ordines conferre sibi non subditis, quia certam ad id potestatem habent, quamvis illa abutantur *in Brixien. die 28 Novembris 1733* §. *Ceterum.*

Item *in Hispalen. ordinum die 18 Septembris 1773* §. *Quod vero* (2).

93. Huic vero sententiae adstipulantur etiam decreta sacrae Congregationis *in Brixien. die 28 Novembris 1733* §. *Huic.*

94. Equidem rescripsit sacra Congregatio, Abbatem non benedictum, habentem privilegium, ut supra, non posse ordines minores conferre non suis subditis, etiam regularibus alterius ordinis *in Brixien. die 28 Novembris 1733* §. *Huic.*

95. Collatione autem ordinum supradictis non suis subditis etiam regularibus facta, si fuerit de ordinibus etiam minoribus, et dictus Abbas non benedictus non habeat privilegium apostolicum, ordines collatos remanere invalidos, et ordinatos indigere alia ordinatione *in Brixien. die 28 Novembris 1733* §. *Huic.*

Item *in Anglonen. et Tursien. Nullitatis ordinationis die 15 Maii 1802* §. *In Panormitana.*

96. Si vero Abbas non benedictus habeat privilegium, et ordines minores tantummodo contulerit suis non subditis, ordinatos non indigere alia ordinatione *in Brixien. die 28 Novembris 1733* §. *Huic.*

Item *in Hispalen. ordinum die 18 Septembris 1773* §. *Similiter, in Collen. tonsurae die 24 Ianuarii 1795* §. *In hoc, in Anglonen. et Tursien. Nullitatis ordinationis die 15 Maii 1802* §. *In Panormitana ac* §. *In Lucana.*

97. Totidem verbis id edixit S. Congregatio *in Panormitana 16 Martii 1647 ad II dubium lib. 18 decretorum pag. 311.*

Item *in Lucana 16 Martii 1726,* ubi agebatur de collatione ordinum facta ab Abbate S. Barbarae civitatis Mantuae cuidam clerico, qui non comprehendebatur in privilegio eidem Abbati competenti, cumque disputatum fuisset dubium *an et quomodo sit providendum in casu,* S. Congregatio respondit: *Pro relaxatione suspensionis arbitrio Episcopi Lucani.*

98. Hinc certum est, Secularem tonsuratum ab Abbate benedicto, vel habente privilegium, ut possit facere ea omnia, quae potest Abbas benedictus, quamvis ab eo non debuerit ordinari, ob ademptam sibi a Concilio Seculares ordinandi facultatem, recepisse tamen characterem *in Hispalen. ordinum die 18 Septembris 1773* §. *Similiter.*

Item *in Anglonen. et Tursien. Nullitatis ordinationis die 15 Maii 1802* §. *In libro.*

99. Ita etiam respondit sacra Congregatio *in Brixien. die 12 Decembris 1733 ad VIII dubium*: ibi: *An taliter ordinati valide susceperint ordines,* scilicet Seculares aliarum Diaecesum: *affirmative.*

100. Secus, si Abbas non esset benedictus, vel tale privilegium non haberet *in Hispalen. ordinum die 18 Septembris 1773* §. *Similiter* (3).

101. Hinc censuit sacra Congregatio, Abbatem ex privilegio Pii V facultatem habentem ea omnia faciendi, quae facere potest Abbas benedictus, qui de mandato Vicarii apostolici quibusdam Secularibus non sibi, sed ipsi Vicario subditis primam tonsuram, et ordines minores contulit; contravenisse Concilio et Constitutioni Sixti V, characterem tamen ordinis impressisse

(1) Fagnan. in cap. Statuimus, signanter n. 23, de supplen. negligen. praelat.

(2) Tamburin. de iur. Abbat. tit. 1, disp. 2, quaest. 2, n. 3 et seqq. Clericat. de sacram. ordin. decis. 15, n. 7 et seqq. Fagnan. in cap. Statuimus, de supplen. negligen. praelat. et in cap. Aqua de consecrat. eccles. n. 11. Card. Petra ad Constit. 9 Pii II, n. 38, tom. 5.

(3) S. Congreg. die 11 Maii 1624, lib. 18 decret. pag. 169.

in Hispalen. ordinum die 18 Septembris 1773 §. *Variae* (1).

Item *in Anglonen. et Tursien. Nullitatis ordinationis die 15 Maii 1802* §. *Saepe alias.*

102. Abbates ideo Congregationis S. Bernardi et S. Benedicti nequeunt conferre ordines minores regularibus sibi non subditis *in Hispalen. ordinum die 18 Septembris 1773* §. *Similiter.*

Item *in Anglonen. et Tursien. Nullitatis ordinationis die 15 Maii 1802* §. *In Conimbricen.*

103. Promoti autem ab illis non indigent alia collatione ordinum *in Hispalen. ordinum die 18 Septembris 1773* §. *Similiter* (2).

Item *in Anglonen. et Tursien. Nullitatis ordinationis die 15 Maii 1802* §. *In Conimbricen.*

104. Ea hinc de causa S. Congregatio de nullitate ordinationis constare respondit *in Collen. tonsurae die 24 Ianuarii 1795,* quia scilicet deficiebat in Abbate Vallis Umbrosae *un particolar privilegio di ordinare chi si fosse,* quod sibi habere falso asserebat.

105. Alii imo tenent, Abbates tertiae speciei in proprio territorio separato posse conferre ordines minores Subditis secularibus *in Parmen. Abbatiae Fontisvivi die 19 Decembris 1801* §. *Sive autem.*

106. Tridentinum enim hoc prohibet tantum Abbatibus intra fines alicuius Diaecesis consistentibus *in Parmen. Abbatiae Fontisvivi die 19 Decembris 1801* §. *Sive autem* (3).

107. Alii vero contendunt, Abbates tertiae speciei non posse Secularibus ordines minores conferre, nisi ex privilegio *in Parmen. Abbatiae Fontisvivi die 19 Decembris 1801* §. *Sive autem* (4).

108. At si agatur de Abbate seculari, et tunc vel hic habet privilegium conferendi Secularibus tonsuram et minores ordines ante Concilium, vel post Concilium *in Lucana die 14 Aprilis 1725* §. *At si.*

109. Si ante Concilium nec tonsuram nec minores ordines conferre potest *in Lucana die 14 Aprilis 1725* §. *At si.*

Item *in adnotationibus Secretarii die 1 Septembris 1725* §. *Quoad primum, in Hispalen. ordinum die 18 Septembris 1773* §. *Quod vero.*

110. Haec enim privilegia fuerunt a Concilio sublata *in Lucana die 14 Aprilis 1725* §. *At si.*

Item *in adnotationibus Secretarii die 1 Septembris 1725* §. *Quoad primum, in Hispalen. ordinum die 18 Septembris 1773* §. *Quod vero.*

111. Concilium enim in sess. 23 cap. 10 de reformatione, cum non praeservaverit ius conferendi tonsuram et minores ordines, nisi Abbatibus habentibus subditos regulares, quo stante, idem Concilium ademisse dicendum est facultatem conferendi tonsuram et minores ordines Abbatibus Secularibus, qui nullos habent subditos regulares *in adnotationibus Secretarii die 1 Septembris 1725* §. *Quoad primum.*

112. Hinc in hacce facti specie ordinatio ab ipso facta non solum est illicita, sed invalida *in Lucana die 14 Aprilis 1725* §. *At si.*

Item *in Hispalen. ordinum die 18 Septembris 1773* §. *Quod vero.*

113. Sed si privilegium habeat post Concilium, ipse licite et valide confert primam tonsuram et minores ordines personis Secularibus in privilegio designatis *in Lucana die 14 Aprilis 1725* §. *At si.*

Item *in adnotationibus Secretarii die 1 Septembris 1725* §. *Quoad tertium.*

114. Concilium enim sustulit antecedentia privilegia, non futura *in adnotationibus Secretarii die 1 Septembris 1725* §. *Quoad primum* (5).

115. Quatenus vero conferat personis Secularibus, in privilegio non designatis, ordinatio est valida, sed illicita *in Lucana die 14 Aprilis 1725* §. *At si.*

Item *in adnotationibus Secretarii die 1 Septembris 1725* §. *Quoad tertium.*

116. Secus Abbas non potest primam tonsuram nec minores ordines conferre suis subditis, nec eis literas dimissorias concedere, si est Secularis *in Guastallae seu Veronen. Aprilis 1587 lib. 4 decretorum pag. 244.*

117. Amplia, etiamsi alleget consuetudinem immemorabilem in contrarium *in Guastallae*

(1) S. Congreg. in Cremonen. 13 Iunii 1591, lib. 7 decret. pag. 15.
(2) S. Congreg. in Conimbricen. 26 Iunii 1655, lib. 19 decret. pag. 484.
(3) Murga ad Constit. apost. Constit. IV Gregor. IX, n. 55.
(4) Cap. Abbates, de privileg. in 6.
(5) Fagnan. in cap. Statuimus n. 14 et 53, de supplen. neglig. praelat.

seu Veronen. Aprilis 1587 lib. 4 decretorum pag. 244.

118. Si Abbates regulares, habentes subditos regulares, conferant clericis secularibus primam tonsuram aut minores ordines, seculares ordinati remanent suspensi *in Lucana die 14 Aprilis 1725* §. *Attentaque.*

119. Abbates seculares, qui privilegium habent post Concilium, si primam tonsuram aut minores ordines conferant personis secularibus, in privilegio non designatis, ordinati remanent suspensi *in Lucana die 14 Aprilis 1725* §. *At si.*

Item *in adnotationibus Secretarii die 1 Septembris 1725* §. *Quoad tertium.*

120. Sacra Congregatio declaravit, Abbatem habentem privilegium Pontificium, ut possit ea omnia facere, quae possunt Abbates benedicti, qui de mandato Vicarii apostolici quibusdam secularibus non sibi, sed ipsi Vicario subditis primam tonsuram et ordines minores contulit, contravenisse Concilio (1) et Constitutioni Sixti V (2) *in Cremonen. die 13 Iunii 1591 lib. 7 decretorum.*

121. Propterea tam ordinans, quam ordinatus inciderunt in poenas propositas Constitutione praedicti Sixti V *in Hispalen. Ordinum die 18 Septembris 1773* §. *Variae.*

Item *in Anglonen. et Tursien. Nullitatis ordinationis die 15 Maii 1802* §. *Saepe alias* (3).

122. Hinc quatenus illicita saltem sit collatio ordinum ab Abbate non subdito facta, certe ordinans et ordinatus, si ministrarunt, in poenas suspensionis et irregularitatis incidunt *in Anglonen. et Tursien. Nullitatis Ordinationis die 15 Maii 1802* §. *Sive autem.*

123. Immo dubio proposito: *An Abbas Regularis non benedictus conferens Ordines minores non subditis in loco existente in diaecesi Episcopi, possit ab Episcopo diaecesano de huiusmodi collatione puniri?* Sacra Congregatio respondit: Abbatem non benedictum habentem privilegium conferendi ordines minores, si conferat suis non subditis regularibus, quamvis in loco exempto in diaecesi Episcopi existente, posse ab eodem Episcopo puniri iuxta praescriptum sacrorum canonum (4) *in Panormitana Collationis ordinum die 16 Martii 1647 ad III dubium, lib. 18 decretorum pag. 311.*

124. S. Congregatio resolvit, Abbatem regularem non benedictum habentem privilegium, ut supra, non posse ordines minores conferre non suis subditis Regularibus alterius ordinis: collatione autem ordinum supradictis non suis subditis etiam regularibus facta, si fuerit de ordinibus etiam minoribus et dictus Abbas non benedictus non habeat privilegium apostolicum, ordines collatos remanere invalidos, et Ordinatos indigere alia ordinatione. Si vero Abbas non benedictus habeat privilegium et ordines minores tantummodo contulerit suis non subditis, ordinatos non indigere alia ordinatione, sed tantummodo absolutione et rehabilitatione a Sede apostolica obtinenda *in Panormitana Collationis ordinum die 16 Martii 1647 ad II dubium.*

125. Abbas regularis conferens primam tonsuram vel minores ordines regularibus sibi non subditis est suspensus ab exercitio pontificalium *in dubio ad cap. 5, sess. 6, Pos. 11; et ad cap. 10, sess. 23 Concilii tridentini, de reform. Pos. 54.*

126. Hinc rehabilitatione a summo Pontifice indiget *in dubio ad cap. 5, sess. 6, Pos. 11, et ad cap. 10, sess. 23 Concilii tridentini de reform. Pos. 54.*

127. Et idem retinendum, conferens tonsuram vel minores ordines secularibus etiam de mandato Vicarii apostolici eidemque Vicario subditis *in Cremonen. die 13 Iunii 1591 lib. 7 decretorum pag. 15.*

128. Abbas tamen suspensus ab exercitio pontificalium, propter collatos ordines sibi non subditis, non censetur suspensus a divinis *in dubio ad cap. 5, sess. 6 Concilii tridentini, de reform. Pos. 11.*

129. Potest propterea uti sacerdos celebrare missam *in dubio ad cap. 5, sess. 6 Concilii tridentini de reform. Pos. 11.*

130. Hinc et Ordinati absolutione et rehabi-

(1) Sess. 23, cap. 10, de reform.

(2) Quae incipit *Sanctum et salutare* die 5 Ianuarii 1588, Bullar. Roman. t. 3, p. 1, pag. 40, ubi inter constitutiones ann. 1589 recensetur.

(3) S. Congreg. in Cremonen. 13 Iunii 1591, lib. 7 decret. pag. 15 ad III dubium.

(4) Ut in cap. Eos qui, de tempor. ordin. in 6, quod confirmavit ampliavitque Conc. Trid. in cap. 8, sess. 23, et in cap. 5, sess. 6, de reform.

litatione a Sede apostolica indigent *in Brixien. die 28 Novembris 1733* §. *Huic.*

Item *in Hispalen. ordinum die 18 Septembris 1773* §. *In* (1).

131. Romani autem Pontifices in similibus casibus misericorditer agere consueverunt cum huiusmodi promotis *in Hispalen. ordinum die 18 Septembris 1773* §. *Denique.*

132. Siquidem S. Congregatio in Papien. 5 Octobris 1594, lib. 8 decret. pag. 67 haec habet: ibi: *Retuli SSmo Domino nostro, multos in diaecesi Papien. extare Clericos, qui bona fide de licentia quondam Hippoliti de Rubeis tunc Episcopi Papien. fuere ab Abbatibus regularibus benedictis, sive habentibus a Sede apostolica privilegium, quod solent habere Abbates benedicti, ad clericalem tonsuram et quatuor ordines promoti, quorum deinde aliqui ad diaconatum, alii vero ad presbiteratum, rite tamen alias a suis Episcopis promoti sunt, et plures obtinuerunt beneficia. Et quia uti male promoti fuere, cum hodie Abbatibus regularibus, stante decreto Concilii tridentini cap. 10, sess. 23, de reform. minime competat ista facultas, nomine moderni Episcopi Papien., a quo hac de re literas accepi, supplicavi SSmo Domino nostro pro absolutione et rehabilitatione omnium praedictorum, perinde ac si a suis Episcopis canonice promoti fuissent: et SSmus Dominus noster ex sua benignitate absolutionem et rehabilitationem praedictis concessit, ac voluit per literas Congregationis nomine scriptas, praedictorum testimonium perhiberi.*

133. Unde et ab irregularitate, quatenus ministraverint, dispensatio concessa fuit *in Collen. Tonsura die 24 Ianuarii 1795* §. *Quae autem.*

Item *in Anglonen. et Tursien. Nullitatis ordinationis die 15 Maii 1802* §. *Sive* (2).

134. Praesertim, si accedat bona fides, in qua promoti acceperunt ordines, succurrendum eis erit per relaxationem a suspensione et rehabilitationem ad ordines *in Lucana die 1 Septembris 1725* §. *E contra.*

Item *in Hispalen. ordinum die 18 Septembris 1773* §. *Hinc minime, in Congregationis Cisterciensis die 28 Novembris 1789* §. *Quatenus* (3).

135. Hinc sacra Congregatio veniam pronius dedit, quando aliqua adest bona fides, et nulla subeat de dolo suspicio *in Anglonen. et Tursien. nullitatis ordinationis die 15 Maii 1802* §. *Sive.*

136. Imo ex bona fide Ordinantis quandoque ad bonam inferri videtur fidem Ordinati sacra Congregatio *in Congregationis Cisterciensis die 28 Novembris 1789* §. *ad 11.*

137. Supremus pontifex die 17 Ianuarii 1642 convalidavit ordinationes primae tonsurae et ordinum minorum antea factas ab Abbatibus cum literis dimissorialibus Ordinariorum, absolvitque a quibuscumque poenis hac de causa incursis *in Catanien. Iuris conferendi ordines die 15 Februarii 1642 lib. 17 Decembris pag. 1.*

138. Abbates Congregationis SS. Bernardi et Benedicti ordines etiam minores Regularibus sibi non subditis, et multo minus secularibus conferre non possunt: promoti vero ab illis non indigent alia collatione dictorum ordinum, sed absolutione et rehabilitatione a supremo Pontifice obtinenda *in Colimbrien. die 26 Iunii 1655.*

139. Censuit sacra Congregatio, facultatem conferendi ordines cuiquam, qui Regularis sibi subditus non sit, sublatam esse a Concilio inferioribus Praelatis; ideoque huiusmodi facultas quoad loca et personas, de quibus quaestio agitur, spectat ad solum Archiepiscopum Theatinum, intra cuius Diaecesis fines ipsa loca existere comperiuntur *in Theatina die 26 Septembris 1615 ad I dubium.*

140. Opinantibus olim Abbatibus ordinis S. Benedicti Regnorum Portugalliae, se iurisdictione quasi episcopali cum territorio separato potiri, dubio proposito: An iidem Abbates possint suis subditis secularibus ordines minores conferre? sacra Congregatio die 7 Augusti 1649 ad II dubium rescripsit: *Negative.*

141. Deinde quaesitum fuit: an praefatum decretum comprehendat hodiernos Abbates ordi-

(1) S. Congreg. in Panormitana 16 Martii 1647 ad II dubium, lib. 18 decret. pag. 311; in Conimbricen. 26 Iunii 1655, lib. 19 decretor. pag. 581, consonat et alia resolutio edita quoad Abbatem non benedictum Congregationis Cassinensis in Mutinen. ordinationis, quam refert Card. Petra in Constit. 9 Pii II, n. 40, tom. 3.

(2) S. Congreg. in Congregationis Olivetanae die 20 Septembris, et 29 Novembris, et 10 Decembris 1788 ad II dubium, in Collen. Tonsurae die 24 Ianuarii 1795 ad II dubium.

(3) Vid. S. Congreg. in Congregationis Olivetanae die 20 Septembris et 29 Novembris 1788 ad II dubium.

nis Cisterciensis S. Mariae de Salzedas, S. Ioannis de Tharouca et S. Petri das Aquinas in Regnis Portugalliae habentes subditos laicos? resolutio fuit protracta cum clausula, quod interim se abstineant in omnibus *in Lamacen. iurisdictionis 13 Augusti 1707.*

142. Demum S. Congregatio responsum tulit affirmativum pro comprehensione decreti *die 26 Ianuarii 1709.*

Item *die 16 Decembris 1713 ad I dubium.*

143. Abbas regularis benedictus, et habens privilegium faciendi omnia, quae possunt Abbates benedicti, non potest literas dimissorias suis subditis secularibus concedere *in Marsicana anno 1573, lib. 1 decretorum pag. 93.*

Item *in Nullius S. Laurentii in campo anno 1582, lib. 2 decretorum pag. 108; in Regien. die 4 Februarii 1634 lib. 15 decretorum pag. 39; in Catanien. die 25 Februarii 1641 lib. 16 decretorum pag. 482.*

144. Amplia, etiamsi Abbatia intra fines nullius diaecesis existat, proprium territorium habeat, et in ea Abbas utramque iurisdictionem spiritualem scilicet et temporalem in clerum et populum exerceat *in Marsicana anno 1573, lib. 1 decretorum pag. 93.*

Item *in Nullius S. Laurentii in campo anno 1582, lib. 2 decretorum pag. 108; in Regien. die 4 Februarii 1634 lib. 15 decretorum pag. 39; in Catanien. die 25 Februarii 1641 lib. 16 decretorum pag. 482.*

145. Hinc et opinantibus olim eisdem Abbatibus ordinis S. Benedicti Regnorum Portugalliae, se iurisdictione quasi episcopali cum territorio separato potiri, dubium delatum est in S. C., an iidem Abbates possint suis subditis secularibus literas dimissorias ad minores ordines suscipiendos concedere? et negativum prodiit responsum *die 7 Augusti 1649 ad II dubium.*

146. Quum inde dubitatum fuerit, an praefatum decretum comprehendat modernos Abbates ordinis Cisterciensis S. Mariae de Salzedas, S. Ioannis de Tharouca et S. Petri das Aquinas in Regnis Portugalliae habentes subditos laicos? S. Congregatio resolutionem distulit cum clausula, ut interim se abstineant in omnibus *in Lamacen. iurisdictionis die 13 Augusti 1707.*

147. Demum affirmativum tulit responsum pro comprehensione decreti *die 26 Ianuarii 1709.*

Item *die 16 Decembris 1713 ad I dubium.*

148. Potest tamen Abbas regularis commendatitias suis subditis secularibus concedere ad Episcopum intra cuius diaecesis limites existit abbatia, vel ad viciniorem, si nullius sit diaecesis *in dub. ad cap. 10, sess. 23, de reform. Concilii tridentini Pos. 54.*

Item *in Regien. die 4 Februarii 1634 lib. 13 decretorum pag. 39.*

149. Post factam a Pio IV unionem Capitulo S. Petri in Vaticano Abbatiarum S. Rufilli Foropompilii provinciae Ravennatensis et S. Petri de Cusatis provinciae Salernitanae, exorta est controversia inter Episcopos Brictinorien. et Policastren. ex una, et dictum Capitulum ex altera parte, an huic videlicet competeret plenaria iurisdictio cum territorio separato et qualitate vera Nullius in Abbatiis, uti supra unitis.

150. Sacra Congregatio anno 1672 censuit, controversiam hanc esse cognoscendam cum voto Rotae, et in huius rescripti sequelam confectus fuit pro parte Capituli voluminosus processus super competentia territorii separati; cumque adhuc non proposita in tribunali Rotae causa, excitata fuisset ab Episcopis praetensio, quod, etiamsi constaret, nunquam tamen ipsum potuisset habere facultatem concedendi literas dimissorias subditis memoratarum Abbatiarum, S. Congregatio die 11 Septembris 1717 demandavit, quod dubium dimissoriarum non in Rota, sed in ipsa sacra Congregatione proponeretur.

151. Cohaerenter ad haec in Congregatione habita die 21 Ianuarii 1719 propositum fuit praesens dubium: *An etiamsi constaret de territorio separato possit Capitulum S. Petri concedere dimissorias,* et responsum fuit: *Negative,* causaque reproposita, et instante Capitulo pro recessu a decisis, vel saltem pro indulto gratioso concedendi dimissorias rescriptum fuit die 24 Augusti 1720 *in decisis, et quoad indultum supplicet Sanctissimo,* exhibitoque a Capitulo supplici libello Sanctissimo pro dicto indulto, Sanctitas sua die 3 Augusti 1721 rescripsit: *Ad S. C. Concilii pro voto, et instantia proponatur, citatis Episcopis.*

152. Hinc supplicatio Capituli ad gratiosam Indulti concessionem restringitur, eique credit, locum esse, tum ex praerogativa Basilicae Vaticanae, tum ab exemplis consimilium conces-

sionum a summis Pontificibus factarum, non obstante, quod S. Congregatio in puncto iuris senserit, facultatem concedendi dimissorias dicto Capitulo nullatenus competere, et nullatenus urgente, quod adhuc pendeat in Rota quaestio super territorio separato, tum quia magna sunt fundamenta, quae Capitulo assistunt pro illius competentia, tum quia in praesenti territorium separatum est supponendum, cum in discussione causae super iure concedendi literas dimissorias, sacra Congregatio iuxta ea, quae supra relata sunt disputandum statuerit esse dubium. *An, etiamsi constaret de territorio separato, possit Capitulum S. Petri concedere dimissorias.*

153. Excipiunt e contra Episcopi non esse locum indulto, cum existentia territorii separati consueverit esse indulti fundamentum, et punctus super territorio separato indecisus adhuc pendeat in tribunali Rotae, et cum sit res pessimi exempli, quod, reiecta alicuius instantia in puncto iustitiae, succumbens rem denegatam obtineat in puncto gratiae.

154. Itaque proposito dubio: *An sit consulendum Sanctissimo pro concessione Indulti dandi dimissorias, de quibus agitur in casu etc.*, S. Congregatio *in Nullius seu Brictinorien. Indulti* die 23 Martii 1722 responsum tulit: *Dilata, et expectetur exitus causae in Rota super territorio separato.*

155. Propterea Abbates, etiam constito de territorio separato, cum plena iurisdictione quasi episcopali in clerum et populum, nequeunt, secluso particulari privilegio Apostolico, literas dimissorias subditis secularibus concedere *in Nullius seu Brictinorien. Indulti die 28 Martii 1722* §. *Non impugnat.*

156. Concilium enim tridentinum in sess. 23 cap. 10 statuit, non posse Abbates subditis secularibus dimissorias concedere, etiamsi Abbates nullius diaecesis vel exempti esse dicantur *in Nullius seu Brictinorien. Indulti die 28 Martii 1722* §. *Non impugnat.*

157. Cum iuxta constantem sacrae Congregationis sententiam verba illa - *etiamsi nullius diaecesis* - verificentur in Abbatibus habentibus territorium separatum *in Nullius seu Brictinorien. Indulti die 28 Martii 1722* §. *Non impugnat* (1).

158. Hinc dimissorias ad ordines secularibus concedere, aut matrimoniales denunciationes dimittere, nulli plane inferiori, etiam episcopalem iurisdictionem habenti, ac nullius etiam diaecesi existenti, licet *in Nullius seu Brictinorien. Indulti die 28 Martii 1722* §. *Non impugnat* (2).

159. Imo tanto cum rigore proceditur, ut sive Abbas sit secularis, sive regularis, habeatque iurisdictionem quasi episcopalem in clerum et populum et territorium separatum, personis tamen secularibus dimissorias concedere non possit *in Lucana die 14 Aprilis 1725* §. *At si.*

160. Amplia, non obstantibus quibusvis privilegiis praescriptionibus aut consuetudinibus etiam immemorabilibus *in Brixien. die 28 Novembris 1733* §. *ad VI.*

161. Quum itaque Abbas Guastallae postulaverit, ut in quasi possessione concedendi literas dimissoriales manuteneretur, utpote facultas haec eidem sublata erat, sacra Congregatio respondit, facultatem ordinandi ad Episcopum, intra cuius diaecesis fines Abbatia consistit, pertinere: quod si intra nullius diaecesis fines posita sit, ad viciniorem, vicinitatem autem ratione Ecclesiae, non territorii attendendam *in Guastallen. mensis Decembris 1587.*

162. Inde S. Congregatio expresse decrevit, Abbatem Guastallae non posse dimissorias ad ordines concedere, sed eas esse obtinendas a viciniori Episcopo *in Guastallen. die 24 Martii 1591.*

163. Siquidem S. Congregatio censuit, facultatem dimissorias ad ordines suscipiendos concedendi cuiquam, qui regularis sibi subditus non sit, sublatam esse a Concilio inferioribus Praelatis. Ideoque vis huiusmodi quoad loca et personas, de quibus agitur, spectare ad solum Archiepiscopum Theatinum, intra cuius diaecesis fines ipsa loca existere comperiuntur *in Theatina die 26 Septembris 1615 ad I dubium.*

(1) Late probat Fagnan. in cap. Significasti a n. 12 usque ad fin. de offic. Archidiacon.

(2) S. Congreg. resolvit anno 1601, lib. 9 decret., pag. 158., quam resolutionem iuxta morem reverenter excepit Rota in Theatina iurisdictionis 14 Decembris 1708 coram Emo Scotto; in Sulmonen. iurisdictionis super manutentione 2 Iulii 1714, §. Demum, quoad dimissorias, coram Almae Urbis Gubernatore, et iterum S. Congreg. in Nullius seu Vesprimien. iurisdictionis die 26 Martii et 17 Decembris 1718.

164. Abbas Farfensis non potest literas dimissorias ad ordines suscipiendos suis subditis secularibus concedere *in Farfen. anno 1584 lib. 4 decretorum pag. 103.*

165. Neque Abbas Albae Regalis in Hungaria potest concedere dimissorias ad ordines *in Nullius seu Vesprimien. Iurisdictionis die 26 Maii et 17 Decembris 1718 lib. 68 decretorum.*

166. Clerici abbatiae Ferentilli tenentur accipere ordines et dimissorias ab Episcopo Spoletano *in Spoletana anno 1581 lib. 3 decretorum pag. 128.*

167. Non suffragantur literae Abbatis commendatarii S. Antonii Viennensi Neapolis, ut eas obtinentes a sui Ordinarii iurisdictione exempti censendi sint *in Neapolitana Iurisdictionis die 1 Decembris 1668 ad I dubium.*

168. Et quamvis non liceat Abbati praedicto dimissorias subditis secularibus concedere, ad effectus praemissos non requiruntur eiusdem Abbatis literae testimoniales *in Neapolitana Iurisdictionis die 1 Decembris 1668 ad II dubium.*

169. Abbas S. Barbarae haud attribuere sibi valet potestatem concedendi dimissorias clericis adscriptis eiusdem Ecclesiae, ut a quocumque alio catholico Antistite independenter ab Ordinario Mantuano promoveri possint *in Mantuana iurisdictionis die 16 Martii 1680 ad III dubium.*

170. Abbas S. Silvestri Nonantulae ex speciali indulto Apostolico concedit literas dimissorias suis subditis secularibus tam pro clericali charactere, quam pro aliis etiam sacris ordinibus ad quemcumque maluerit Episcopum *in Nullius Nonantulae die 19 Ianuarii 1636 lib. 15 decretorum pag. 302.*

171. Amplia, etiamsi non sit praedictae Abbatiae vicinior *in Nullius Nonantulae die 19 Ianuarii 1636 lib. 15 decretorum pag. 302.*

172. Ad quaesitum: an Abbas monasterii S. Mariae de Balneo ordinis Camaldulensis, seu eius Vicarius possit concedere literas testimoniales de vita et moribus presbiterorum sui districtus recedere volentibus a locis Abbatiae? S. Congregatio respondit, non indigere testimonialibus Episcopi et Abbatis *in Burgi S. Sepulchri iurisdictionis die 20 Septembris 1698 ad II dubium.*

173. Quod autem regulares non subditi vel seculares, quibus Abbas ordines minores contulerit, habuerint literas dimissorias, vel a suis Superioribus regularibus, vel suis Ordinariis nihil refert ad licitam reddendam ordinationem *in Brixien. die 28 Novembris 1733* §. *Quod* (1).

174. Ceterum ordinum collatio facta ab Abbate secularibus, habentibus literas dimissorias suorum Ordinariorum non ob aliam causam censenda videtur illicita, nisi quia facta fuerit sine assensu Episcopi eius loci, in quo pontificalium exercitium adhibitum fuerit contra decretum sacri Concilii tridentini cap. 5, sess. 6 de reform. *in Brixien. die 28 Novembris 1733* §. *Ceterum.*

175. Nam alioquin sacra Congregatio censuit, Abbates, postquam ordinem sacerdotalem et munus benedictionis susceperint, posse tonsuram et minores ordines secularibus Episcopi iurisdictioni subiectis conferre, si modo ipsius Episcopi consensus accedat, iique pro se quisque ab eodem Episcopo literas dimissorias impetraverint *in Brixien. die 28 Novembris 1733* §. *Ceterum.*

176. Ita tamen, ut satis non sit, id generatim ab Episcopo fuisse concessum, sed hac semper concessione singulis opus sit *in Brixien. die 28 Novembris 1733* §. *Ceterum.*

177. Posse itidem eosdem ordines conferre aliis regularibus, qui literas dimissorias speciales suorum Superiorum, nec non specialem consensum Episcopi loci habuerint *in Brixien. die 28 Novembris 1733* §. *Ceterum.*

178. Ac praeterea aliis secularibus subditis aliorum Episcoporum *in Brixien. die 28 Novembris 1733* §. *Ceterum.*

179. Limita, dum tamen et ipsi attulerint speciales dimissorias suorum Ordinariorum, et

(1) Discusso hoc dubio iussu Clementis VIII in S. Rota determinatum fuit in decis. 985 coram Seraphino, quam approbavit etiam S. Congregatio in Catanien. Iuris conferendi ordines inter Episcopum Catanien. et Monachos Ordinis S. Benedicti Congregationis Cassinen. ac alios die 3 Decembris 1641, quae indicatur in lib. 16 decret. pag. 510, sed recensetur ad diem 15 Februarii 1642 post approbationem Pontificis, ut in lib. 17 decret. pag. 1, eademque resolutio habetur apud Fagnan. in cap. Aqua de consecrat. Eccles. n. 19. Nicol. Iucubrat. Iur. can. tom. 2, lib. 1, tit. 14. de aetat. et qualit. et ordin. praeficien. Dian. part. 7. tract. 11, resol. 42. Card. Petra ad Constit. 9 Pii II, n. 40. tom. 5.

*

consensum specialem Episcopi loci *in Brixien. die 28 Novembris 1733. §. Ceterum* (1).

180. Itaque propositis dubiis quoad Abbatem monasterii Stambsensis ordinis Cisterciensis, III. *An liceat dicto Abbati dimittere suos Monachos ad alium Episcopum pro suscipiendis ordinibus, sine literis dimissoriis Ordinarii Brixiensis,* IV. *An Monachi sic ordinati cum dispensatione Abbatis in aetate vel ab alio Episcopo cum solis literis obedientialibus, et sine dimissoriis Episcopi Brixien. sint licite ordinati.* VII. *An liceat eidem Abbati tonsuram et minores ordines conferre secularibus aliarum diaecesum cum dimissoriis sui Ordinarii et sine licentia Episcopi Brixiensis,* sacra Congregatio in Brixien. die 12 Decembris 1733 respondit: *Ad tertium, servetur decretum Clementis VIII anni 1596. Ad quartum, negative. Ad septimum, negative* (2).

181. Concilium Tridentinum hinc prohibet quidem in cap. 10, sess. 23 de reform. Abbatibus, ne possint tonsuram vel minores ordines cuiquam, qui regularis sibi subditus non sit, intra fines alicuius diaecesis conferre, sed sacra Congregatio censuit, posse de licentia Ordinarii loci et cum literis dimissoriis Ordinarii eorum, qui ordinandi sunt *in Hispalen. Ordinum die 18 Septembris 1773 §. Variae.*

182. Idcirco poterat antea Abbas benedictus vel habens privilegium a Sede apostolica faciendi omnia, quae possunt Abbates benedicti, conferre primam tonsuram et minores ordines Secularibus de licentia Episcopi ordinandorum ac etiam Regularibus sibi non subditis, et alterius Ordinis cum dimissoriis suorum Superiorum et consensu Episcopi loci, a quo de iure ordinari debuissent *in Bononien. Pos. 11.*

Item *in dubio ad cap. 5, sess. 6. concilii tridentini de reform., in Parmen. Augusti 1586 lib. 4 decretorum pag. 171.*

183. Verum contrariam postea tenuit sacra Congregatio sententiam, quod scilicet non possent *in Papien. anno 1594 lib. 8 decretorum pag. 26.*

184. Imo stantibus multiplicatis ordinationibus hoc modo factis ab huiusmodi Abbatibus,

(1) Ita S. Congregatio sanxit in Bononien. ut refert Fagnan. in cap. Aqua, n. 8 de consecrat. Eccles. qui etiam deinde hoc decretum ab obiectionibus vindicat explicando sub n. 16 decis. 985 coram Seraphino, ac n. 18 addit alterum simile decretum Sacrae Congregationis de Abbate Congregationis Olivetanae.

(2) Clemens VIII anno 1596 edixit, ne Regulares quicumque ordines ab alio susciperent Episcopo, quam ab eo, in cuius Diaecesi degunt, praeterquam, si iste abfuerit, vel ordinationes non esset habiturus, certis tamen etiam circa id adiectis conditionibus, ut videre est in decreto, quod refertur, et confirmatur in novissimo Concilio Romano tit. 21. cap. 2.

Siquidem supremus Pontifex die 15 Martii 1596 expresse mandavit, ut observaretur declaratio S. C. hisce verbis concepta: « Superiores Regulares posse suo subdito itidem Regulari, qui, praeditus qualitatibus requisitis, ordines suscipere voluerit, literas dimissorias concedere, ad Episcopum tamen diaecesanum, nempe illius Monasterii, in cuius familia ab iis, ad quos pertinet, Regularis positus fuerit: et si Diaecesanus abfuerit, vel non esset habiturus ordinationes, ad quemcumque alium Episcopum: dum tamen ab eo Episcopo, qui ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam, et dum ipsi Regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus, quo Episcopus Diaecesanus, vel abfuturus, vel nullas esset habiturus ordinationes. Verum cum a Superioribus Regularibus, Episcopo Diaecesano absente vel ordinationes non habente, literae dimissoriae dabuntur, in eis utique huiusmodi causam absentiae Diaecesani Episcopi, vel ordinationum ab eo non habendarum, exprimendam esse. Quod qui non fecerint, officii et dignitatis, seu administrationis ac vocis activae ac passivae privationis, ac alias arbitrio eiusdem SSmi Domini Nostri Papae reservatas poenas incurrant. »

Decretum hoc ante ediderat S. Congregatio, dum Nuntio Apostolico Hispaniae rescripsit die 26 Septembris 1589, ut ex Reg. Litt. lib. 7, pag. 77 patet, ac dein confirmarunt Innocentius XIII in Constit. incipien. *Apostolici Ministerii* die 23 Maii 1723 §. 17 (Bullar. Rom. tom. 11, part. 2, pag. 261) nec non Benedictus XIII in Constit. cuius initium: *In supremo* die 23 Septembris 1724 §. 14 (Bullar. Rom. tom. cit. pag. 353). Demum Benedictus XIV in Constit. quae incipit: *Impositi Nobis* die 27 Februarii 1747 §. Demum (Bullar. eiusdem tom. 2, pag. 82) id pariter confirmavit, et in §. Praeterea expresse edixit: - ibi - Ut Superiorum Regularium dimissoriae, quae ideo ad alium Antistitem directae fuerint, propterea, quod Episcopus Diaecesanus extra Diaecesim commoretur, vel ordinationem non sit habiturus, nullius sint roboris et momenti, nisi illis iuncta fuerit authentica attestatio Vicarii generalis, vel Cancellarii, aut Secretarii eiusdem Episcopi Diaecesani, ex qua constet, vel ipsum a Diaecesi abesse, vel Clericorum ordinationem habiturum non esse proximo legitimo tempore, per ecclesiasticas leges ad hunc effectum statuto. - Idem Pontifex loc. cit. in §. *Quemadmodum* declarat, quibus suffragantur privilegia Ordinum Regularium ordines a quocumque catholico Antistite suscipiendi.

decretum edidit, quo prohibitum fuit, tonsuram et minores ordines, nisi suis subditis regularibus conferre, non autem regularibus alterius Ordinis, Congregationis, aut Instituti *in Catanien. Iuris conferendi ordines die 15 Februarii 1642 lib. 17 decretorum pag. 1.*

185. Amplia, etiamsi habeant dimissorias suorum Superiorum regularium, et consensum Ordinariorum, intra quorum diaecesum fines ipsi Regulares ordinandi existunt *in Catanien. Iuris conferendi ordines die 15 Februarii 1642 lib. 17 decretorum pag. 1.*

186. Propterea multo minus personis Secularibus et habentibus literas dimissorias a suis Ordinariis *in Catanien. Iuris conferendi ordines die 15 Februarii 1642 lib. 17 decretorum pag. 1.*

187. Inhibuit propterea Archiepiscopis, et aliis Praelatis inferioribus tam secularibus, quam regularibus, ut in futurum concedere non audeant literas dimissorias huiusmodi Abbatibus directas, nec ab ipsis recipi *in Catanien. Iuris conferendi ordines die 15 Februarii 1642 lib. 17 Decretorum pag. 1.*

188. Siquidem Sacra Congregatio in praefata Catanien. iuris conferendi ordines decretum edidit tenoris sequentis. - In causa Catanien Iuris conferendi ordines minores inter Episcopum Cataniensem ex una, et Monachos Ordinis S. Benedicti Congregationis Cassinensis ac alios ex altera die 13 Novembris 1641, S. Congregatio Concilii, utraque parte informante ore et scriptis ac rationibus hinc inde deductis mature examinatis, inhaerendo decisioni Rotae Romanae sub die 27 Aprilis 1592 coram Card. Seraphino factae, nec non declarationibus eiusdem sacrae Congregationis dictae decisioni conformibus subsequutis, censuit, improbata opinione contraria, Abbates regulares benedictos eiusdem Congregationis cassinensis seu alterius Congregationis vel Ordinis aut Instituti habentes etiam iura episcopalia, usumque mitrae, baculi, et benedicendi facultatem ac primam tonsuram et minores ordines conferendi, non posse dictam primam tonsuram et minores ordines, nisi suis subditis regularibus conferre, non autem regularibus alterius Ordinis, Congregationis, aut Instituti, etiamsi habeant dimissorias suorum Superiorum regularium et consensum Ordinariorum, intra quorum diaecesum fines ipsi regulares ordinandi existunt, et multo minus personis secularibus habentibus literas dimissorias a suis Ordinariis, ac propterea inhibuit Archiepiscopis, Episcopis et aliis Praelatis inferioribus tam secularibus, quam regularibus, ut in futurum concedere non audeant literas dimissorias supradictas huiusmodi Abbatibus directas, nec ab ipsis recipi, ut in lib. 17 decret. pag. 1.

189. Huiusmodi sacrae Congregationis decretum supremus Pontifex die 17 Ianuarii 1642 approbavit ac inviolabiliter servari iussit *in Catanien. iuris conferendi ordines die 15 Februarii 1642 lib. 17 decretorum. pag. 1.*

190. Imo die 25 Ianuarii eiusdem anni 1642 censuit, huiusmodi decretum esse publicandum, iterumque approbavit convalidavitque ac observari mandavit *in Catanien. iuris conferendi ordines die 15 Februarii 1642 lib. 17 decretorum pag. 1.*

191. Demum die 15 Februarii 1642 facto rursus verbo in sacra Congregatione de omnibus supradictis, iussit omnino publicari et inviolabiliter observari debere *in Catanien. Iuris conferendi ordines die 15 Februarii 1642 lib. 17 decretorum pag. 1.*

192. Hinc ad formam supradicti decreti successive respondit sacra Congregatio *in Colimbrien. die 26 Iunii 1655, lib. 19 decretorum pag. 484.*

Item *in dubio die 11 Maii 1658 lib. 21 decretorum pag. 249.*

193. In Doctorum conflictu vero constans non fuisse videtur S. Congregationis iudicium *in Collen. Tonsurae die 24 Ianuarii 1795 §. In hoc.*

194. Quandoque enim validam declaravit ordinationem clerici non subditi, factam ab Abbate regulari vel titulari, consuluitque dumtaxat Sanctissimo pro rehabilitatione Clerici ad exercitium ordinum *in Collen. Tonsurae die 24 Ianuarii 1795 §. In hoc* (1).

195. Quandoque vero ob defectum potestatis

(1) Ut in Panormitana collationis ordinum 16 Martii 1647 lib. 18 decretorum, pag. 311, in Conimbricen. 26 Iunii 1655 lib. 19 decretorum pag. 484, et in Lucana 16 Martii 1726, quas resolutiones refert etiam Benedictus XIV de Synod. Diaeces. lib. 2, cap. 11, §. 13, eisque absque discussione articuli adhaeret.

in Abbate ordinante contrarium definivit *in Collen. Tonsurae die 24 Ianuarii 1795* §. *In hoc* (1).

196. Accessitque Rotalis decisio 985 coram Seraphino, cui titulus - *Dubium S. Congregationis Concilii.* De mandato enim Clementis VIII quaesitum fuit in terminis: *An Abbates, qui habent facultatem conferendi tonsuram et minores ordines subditis sibi regularibus, possint, stante decreto Concilii tridentini cap. 10, sess. 23, tonsuram ac minores ordines conferre personis secularibus, habentibus literas dimissorias a suis ordinariis,* et sacrum Rotae auditorium respondit: *Non posse,* non tantum scilicet licite, sed nec etiam valide, *ex quo sublata est praecise et absolute facultas Abbatibus conferendi ordines, praeterquam regularibus eis subditis,* ut in dicta decis. n. 9. *in Collen. tonsurae die 24 Ianuarii 1795* §. *In hoc.*

197. Quum autem pro validitate ordinationis ab S. Congregatione prodierunt definitiones, ad antiquum forsan respexerunt Abbatum privilegium ordinandi etiam non subditos *in Collen. tonsurae die 24 Ianuarii 1795* §. *Quae* (2).

198. At re ex restricto ad subditos privilegio paucis abhinc annis expensa, nullam S. Congregatio declaravit ordinationem etiam Monaci factam ab Olivetano abbate post dimissam abbatiam *in Collen. tonsurae die 24 Ianuarii 1795* §. *Quae.*

199. Quaesitum sane fuit die 20 Septembris 1788 per folium manuscriptum in causa Congregationis Olivetanae, I. *An constet de nullitate ordinationis, ita ut sit iteranda.* II. *An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione, rehabilitatione et dispensatione ab irregularitate, quatenus ministraverit.* Atque S. Congregatio rescripsit: *Constare de nullitate, et ad dominum Secretarium cum Sanctissimo - in Collen. tonsurae die 24 Ianuarii 1795* §. *Quae.*

200. Reproposita vero causa in Congregatione diei 29 subsequentis Novembris ampliavit rescriptum in haec verba: *In decisis, et Monacho esse secreto reiterandos ordines minores; et ad dominum Secretarium cum Sanctissimo pro absolutione a suspensione eiusdem Monaci propter susceptum ordinem subdiaconatus per saltum, eiusque rehabilitatione, nec non pro dispensatione ab irregularitate ad cautelam, quatenus in dictis ordinibus ministraverit.* Illudque Sanctissimus die 10 Decembris *in omnibus benigne approbavit, et annuit* pro gratia absolutionis a suspensione, rehabilitationis, et dispensationis ab irregularitate, quatenus ministraverit, arbitrio et conscientiae Abbatis generalis eiusdem Congregationis, cum facultate etiam subdelegandi *in Collen. die 24 Ianuarii 1795* §. *Quae.*

201. Hinc S. Congregatio et nullam declaravit ordinationem Clerici non subditi facta ab Abbate Vallis Umbrosae eiusque secretam reiterationem praescripsit *in Collen. die 24 Ianuarii 1795 ad I dubium.*

202. Sed agebatur de Abbate, qui abbatiam in manibus summi Pontificis resignaverat, et interinum regimen Monasterii exercebat *in Anglonen. et Tursien. Nullitatis ordinationis die 15 Maii 1802* §. *Quamquam.*

203. Consulendum vero esse Sanctissimo rescripsit, pro rehabilitatione Clerici bona fide ordinati *in Collen. die 24 Ianuarii 1795 ad II dubium.*

204. Propterea, ut valide Abbates conferant primam tonsuram et minores ordines actuale in eis exercitium abbatialis muneris requiritur *in Congregationis cisterciensis die 28 Novembris 1789* §. *De viribus.*

205. Hanc enim non habent potestatem ex ordine et charactere, qui indelebilis est, sed ex privilegio limitato ad subditos, quibus absque iurisdictione carent *in Congregationis cisterciensis die 28 Novembris 1789* §. *De viribus* (3).

(1) Teste Pignatell. in consult. 367 n. 5 et seq. tom. 1.

(2) Ex eo id praesertim contigit, quod aliquis speciali privilegio apostolico polleret. In Brixien. die 28 Novembris 1733 ad validitatem ordinationis sustinendam mentio fit de privilegio Clementis VIII, quod adhuc in medium non erat prolatum. Inde reproposita causa die 12 Decembris eiusdem anni 1733, etsi ageretur de iis, qui ordinati fuerant ab Abbate Ordinis Cisterciensis cum dimissoriis sui Ordinarii et sine licentia Episcopi Brixien., ac ea propter agebatur de secularibus aliarum Diaecesum, proposito dubio: « An taliter ordinati valide susceperint ordines. » Sacra Congregatio respondit: « Ad octavum affirmative.»

(3) Pignatell. consult. canon. 367, n. 2, tom. 1. Hallier. de sacr. elect. et ordinat. sect. 5, cap. 1, art. 2, §. 2. de privi-

206. Hinc nullam etiam declaravit sacra Congregatio ordinationem Monaci factam ab Olivetano Abbate, qui abbatiam dimiserat, alterumque Ordinati monasterium, ut simplex superior regebat *in Congregationis cisterciensis die 28 Novembris 1789* §. *Agebatur* (1).

207. At validam S. Congregatio declaravit ordinationem Conversi subditi, factam per Abbatem cisterciensem, dum abbatialem exercebat iurisdictionem *in Congregationis cisterciensis die 28 Novembris 1789 ad I dubium.*

208. Consulendum vero esse censuit Sanctissimo, pro absolutione et rehabilitatione et dispensatione ab irregularitate, quatenus Conversus illicite ordinatus, contra constitutiones Clementis VIII et cisterciensis Ordinis, in ordinibus ministraverit *in Congregationis cisterciensis die 28 Novembris 1789 ad II dubium.*

209. Sacra Congregatio validam item declaravit collationem minorum ordinum ab Abbate S. Mariae de Axilia Ordinis cisterciensis, peractam de mandato Abbatis S. Mariae de Sagittario Professo eiusdem monasterii Aloisio Ronchi, etiamsi sacramentum confirmationis iste non suscepisset *in Anglonen. et Tursien. Nullitatis ordinationis die 15 Maii 1802 ad I dubium.*

210. Consulendum vero esse censuit Sanctissimo pro absolutione, rehabilitatione, et dispensatione ab irregularitate, quatenus Ordinans et Ordinatus ministraverint, praevia collatione Sacramenti confirmationis in Ordinato *in Anglonen. et Tursien. Nullitatis ordinationis die 15 Maii 1802 ad II dubium.*

211. Post haec proposito dubio I. *An liceat Abbati monasterii Stambsensis Ordinis cisterciensis dispensare super aetate cum religiosis sui monasterii sibi subditis pro suscipiendis sacris ordinibus.* II. *An Monachi eiusdem monasterii ad ordines promovendi praeter literas obedientiales teneantur exhibere Ordinario Brixinensi fidem sui baptismi ad docendum de legitima aetate,* S. Congregatio in Brixien. die 12 Decembris 1733 respondit: *Ad primum negative. Ad secundum negative, dummodo in literis obedientialibus exprimatur aetas.*

212. Qui vero contraveniunt decreto in Catanien. iuris conferendi ordines die 15 Februarii edito, tam concedentes literas dimissoriales, quam ordinantes, a collatione ordinum suspensi ipso iure evadunt, praeter alias poenas arbitrio sacrae Congregationis reservatas *in Catanien. iuris conferendi ordines die 15 Februarii 1642 lib. 17 decretorum pag. 1.* (2).

213. Abbas regularis concedens dimissorias suis subditis secularibus est ipso iure suspensus per annum ab officio et beneficio *in Tarraconen. Ianuarii 1590 lib. 6 decretorum pag. 102.*

214. Amplia, non obstante quocumque privilegio aut consuetudine etiam immemorabili eas concedendi *in Elven. Aprilis 1587 lib. 4 decretorum pag. 237.*

215. Quoad Abbatem monasterii Stambsensis Ordinis cisterciensis propositis dubiis: IV. *An monachi sic ordinati cum dispensatione Abbatis in aetate vel ab alio Episcopo cum solis literis obedientialibus et sine dimissoriis Episcopi Brixiensis sint licite ordinati.* Et quatenus negative. V. *An et in quas poenas tam dictus Abbas, quam ipsi Monachi taliter ordinati inciderint,* S. Congregatio in Brixien. die 12 Decembris 1733 respondit: *Ad quartum negative. Ad quintum in poenas canonicas.*

leg. ordin. conferen. Abbat. concess. n. 18 et seqq. Leuren. for. eccles. lib. 1, tit. 2, quaest. 562, §. 4. Rigant. ad regul. 24 Cancell. §. 3, n. 306. Rot. in decis. 985. per tot. coram Seraphino.

(1) S. Congreg. in Congregationis Olivetanae die 20 Septembris et 29 Novembris 1788 per folium manuscriptum propositae ad I dubium, ut supra refertur.

(2) Siquidem S. Congreg. in Catanien. Iuris conferendi ordines die 15 Februarii 1642 lib. 17 decretor. pag. 1. ibi. «Quod si secus fiat tam concedentes, quam ordinantes, a collatione ordinum suspensi ipso iure remaneant praeter alias poenas arbitrio eiusdem Sacrae Congregationis reservatas.»

§. IV.

ABBAS QUOAD CURAM ANIMARUM.

1. Abbas curatus per se ipsum administrationem sacramentorum omnium et functiones parochiales omnes, quae in collegiata et parochiali Ecclesia S. Io. Baptistae terrae Angri omnino explendae sunt, agere debet, ita ut non tantum eas, quas maluerit, sed si quas agere non possit, per quatuor canonicos concuratos, quibus Ecclesia parochialis una cum Abbate tamquam capite componitur, coadiuvari debeat *in Nucerina Paganorum functionum parochialium et servitii chori die 15 Decembris 1708 ad I dubium.*

Item *die 14 Iunii 1710.*

2. Atque praefatus Abbas tempore absentiae a residentia non tenetur sui vice-Oeconomum pro exercitio curae animarum in casu, de quo agitur, constituere *in citata Nucerina Paganorum functionum parochialium et servitii chori ad II dubium.*

3. Missamque lectam parochialem pro populo applicandi onus ad eumdem Abbatem spectare S. Congregatio definivit *in citata Nucerina paganorum functionum parochialium et servitii chori ad III dubium.*

4. Quum exercitium curae animarum in Abbatia Ferentilli penes Episcopum Spoletanum actu resideret et non penes Capitulum Lateranense, S. Congregatio declaravit, applicationem Missae pro populo spectare ad Episcopum, firma tamen remanente obligatione applicationis Parochorum Abbatiae pro singulis populis sibi commissis *in Nullius Ferentilli visitationis sacrorum liminum die 17 Decembris 1814.*

5. Vigentibus olim pluribus controversiis inter Episcopum Passaviensem, et Abbates monasteriorum in ea diaecesi existentium, circa exercitium curae animarum in parochialibus Ecclesiis, quae erant annexae vel incorporatae ipsis monasteriis exemptis, vel de eorum iurepatronatus, novem dubia proposita fuerunt in S. Congregatione die prima Octobris 1681. Tertium quidem his verbis conceptum erat: *An Parochi etiam regulares monasteriorum, ut supra quamvis exemptorum, possint curam animarum exercere in dictis Ecclesiis sine approbatione Episcopi,* fuitque responsum: *Negative;* octavum vero ita se habebat: *An Abbates et alii Praelati regulares, in parochiis, ubi habent purum iuspatronatus acquisitum vel cessum a laicis, quibus in hoc succedunt, teneantur diaecesano Episcopo praesentare sacerdotes seculares, ut antea laici tenebantur; an vero possint substituere monachos, eosque pro libito, non salutato Ordinario, removere, et sic Episcopis iurisdictionem et reliqua iura subtrahere,* prodiitque responsum: *Teneri, nec posse substituere ad libitum* (1) in Passavien. parochialium die 28 Iulii 1731 §. Vigentibus.

6. Praeterea inter ea novem dubia, quae anno 1681 disceptata fuerunt, ultimum hoc erat: *An Episcopus, sive eius officialis, possit religiosos praedictos exemptorum monasteriorum, ut supra, per censuras ecclesiasticas ad obedientiam in praemissis compellere,* responsum ita fuit: *Affirmative in omnibus, quibus subiiciuntur ob curam animarum, nisi habeant speciale privilegium* in Passavien. parochialium die 28 Iulii 1731 §. Ceterum.

7. Decretis hisce obtemperarunt, ut par erat, Regulares. Conquestus tamen fuit apud S. Congregationem Episcopus, quod Abbas, qui nunc praeest monasterio S. Mariae Alderspachii Ordinis Cisterciensis, contra morem, quem alii monasteriorum itidem exemptorum Abbates retinent, quique etiam antehac a Praedecessoribus suis servabatur, religiosis eiusdem monasterii non dubitaret mandare officium Vicarii, sive, ut vocant, Cooperatoris ad exercitium curae animarum in parochialibus Ecclesiis ab eo monasterio dependentibus, nulla obtenta approbatione ipsius Episcopi; itemque, eo inscio, ab hoc munere illos revocare, aliosque sufficere, contra sanctionem Concilii Tridentini (2), Constitutionem S. Pii V (3), et Constitutionem Gre-

(1) Uti constat ex lib. 22 decret. pag. 663, et refert etiam Pignatell. consult. 7, n. 19, tom. 7.
(2) In cap. 11, sess. 25 de Regular.
(3) Scilicet 47, §. 5.

gorii XV (1) *in Passavien. parochialium die 28 Iulii 1731 §. Decretis.*

8. Itaque propositis dubiis: I. An Abbas monasterii Alderspachii teneatur praesentare Episcopo Vicarios et Parochos, sive regulares, sive seculares in Ecclesiis, quibus imminet cura animarum, eidem monasterio unitis, seu ab eo dependentibus, vel in quibus habet iuspatronatus, et ii ab eodem Episcopo obtinere debeant approbationem ad curam animarum, iuxta decreta S. Congregationis edita anno 1661. *Et quatenus affirmative.* II. An idem servandum sit quoad regulares, qui in Ecclesiis praedictis exponuntur ad curam animarum titulo Pro-Vicarii seu Cooperatoris. *Et quatenus affirmative.* III. An idem Abbas possit dictos religiosos vicarios vel cooperatores ad libitum removere, et alios subrogare in exercitio curae animarum, Episcopo inscio. *Et quatenus negative.* IV. An et quas poenas incurrant dicti Abbas et religiosi, exercentes curam animarum in praedictis Ecclesiis sine Episcopi approbatione, S. Congregatio *in Passavien. parochialium die 28 Iulii 1731* respondit: - Ad primum affirmative. Ad secundum affirmative. Ad tertium affirmative quoad primam partem, certiorato Episcopo; et quoad secundam partem negative. Ad quartum, Episcopum posse procedere iuris remediis; et amplius -.

9. Sacra Congregatio hinc censuit, Abbates destinatos ad curam animarum non posse absque Episcopi approbatione illam exercere *in Olomucen. iurisdictionis die 11 Iulii 1665 ad III dubium.*

10. Proposito enim dubio: *An Abbates et alii Praelati inferiores in parochiis, ubi habent purum iuspatronatus acquisitum vel cessum a laicis, quibus in hoc succedunt, teneantur Episcopo diaecesano praesentare sacerdotes seculares, ut ante laici tenebantur; an vero possint substituere monachos, eosque pro libitu non salutato Ordinario removere, et sic Episcopo iurisdictionem et reliqua iura subtrahere,* Sacra Congregatio respondit: *teneri, nec posse substituere ad libitum* in Olomucen. iurisdictionis die 11 Iulii 1665 ad III dubium.

11. Habet Abbas monasterii et abbatiae S. Paterniani canonicorum regularium S. Salvatoris Fani habitualem curam animarum, quum actualis penes Vicarios amovibiles resideat, Ecclesiarum parochialium S. Antonii abbatis Castri Podii, S. Laurentii Castri Cerasae, et S. Mariae Maioris, quae alias in numero animarum superat; in hac praeter vicarium addere capellanum curatum Vicarii censuerunt; et re ad S. Congregationem delata, ad hoc Abbatem teneri statuit *in Fanen. parochialium die 14 Novembris 1716 ad I dubium.*

12. Minime autem idem Abbas tenetur in Ecclesia S. Antonii Abbatis Castri Podii, ad quam ultra 20 Castri incolae, pueris exceptis, alii 147 parochiani territorium habitantes pertinent, alium capellanum adiungere *in Fanen. parochialium die 14 Novembris 1716 ad II dubium.*

13. Neque ad onus praedictum Capellanum curatum addendi in favorem paroeciae S. Laurentii Castri Cerasae, in quo adsunt adulti parochiani 71 et extra Castrum 260 dictus Abbas tenetur *in Fanen. parochialium die 14 Novembris 1716 ad III dubium.*

14. Propositis dubiis: I. An Parochi regulares, cuiuscumque ordinis illi sint, et praesertim Praemonstratenses, Cistercienses, et Benedictini, exercentes curam animarum personarum secularium et non commensalium in parochiis in diaecesi Omolucensi, licet illae monasteriis exemptis sint unitae et annexae, sive sint de iurepatronatus, etiamsi cura animarum residere dicatur in Abbatibus, visitationem Episcopi subire teneantur in iis, quae pertinent ad curam animarum, sive Episcopus visitet per se, sive per alium, non obstantibus privilegiis dictorum monasteriorum. *Et quatenus affirmative.*

II. An dicti parochi... teneantur festa diaecesis populo annunciare et celebrare? Pariter chrisma et Olea SS. ab Episcopo diaecesano accipere teneantur?

III. An parochi regulares, etiamsi sint Abbates, possint a Superioribus regularibus ad curam animarum destinari, illamque exercere, sine approbatione Episcopi.

IV. An regulares dari in coadiutores dictorum parochorum possint a Superioribus regularibus sine expressa licentia Episcopi: sive potius sit in potestate Episcopi in approbatione Confessariorum regularium limitare eorumdem

(1) Nempe 18 Bullar. tom. 4.

facultates non solum quoad tempus, sed etiam quoad personas et loca, in quibus debent confessiones audire.

V. An liceat sive Abbatibus, sive Parochis regularibus, praesertim Cisterciensibus pro libitu, et sine licentia Episcopi, pro parocho, modo unam, modo alteram Ecclesiam sive Capellam, in qua sacramenta a Parochis administrentur fidelibus diaecesis Omolucensis, constituere?

VI. An Praelati regulares, ubi habent purum iuspatronatus parochiarum acquisitum vel cessum a laicis, quibus in hoc succedunt, teneantur Episcopo praesentare sacerdotes seculares, ut antea laici tenebantur: an vero possint substituere monachos, eosque pro libitu, non salutato Episcopo, removere? Sacra Congregatio in Omolucen. die 17 Iunii 1755 respondit: Ad primum et secundum, affirmative. Ad tertium, negative. Ad quartum, negative ad primam partem, affirmative ad secundam. Ad quintum, negative. Ad sextum, affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

15. Repropositis subinde dubiis sub formula: *An sit standum vel recedendum a decisis in casu* etc. S. Congregatio in praefata Omolucen. die 2 Augusti 1755 responsum tulit: *In decisis.*

16. In causa hinc *Palentina iuris visitandi* propositis dubiis: I. An parochialis Ecclesia S. Mariae Magdalenae unita regio monasterio Benedictorum, sive regulari illorum Ecclesiae sub titulo sancti Zoili in Villa de Carrion ordinis Cluniacensis, ordinariae iurisdictioni sit subiecta, et pastoralis illius visitatio, omnesque actus, visitationem ipsam respicientes, ad Ordinarium Palentinum pertineant. *Et quatenus negative.*

II. An liceat Abbati dicti regii monasterii exerceri facere animarum curam supradictae parochialis Ecclesiae S. Mariae Magdalenae per presbiterum, sive secularem, sive regularem ad eius nutum amovibilem, sine Ordinarii Palentini licentia, approbatione, et examine in casu etc., S. Congregatio die 18 Februarii 1764 respondit: *Ad primum, affirmative in iis, quae curam animarum et sacramentorum administrationem respiciunt. Ad secundum, negative.*

17. Enim vero sacra Congregatio censuit, ipsos etiam Capellanos coadiutores curae approbatione Episcopi indigere *in Passavien. parochialium die 28 Iulii 1731* §. *Decretis* (1).

18. Cum itaque episcopalis Curia Uratislaviae sub annum 1733 inhibuisset Abbati monasterii S. Vincentii Ordinis praemonstratensis in ea civitate pridem erecti, ne parochialia iura super secularibus personis eiusdem monasterio servitio addictis, sive intra monasterii septa, sive extra illa degentibus, multoque minus super eorum familiis in posterum exerceret, id aegre ferens praefatus Abbas querelas S. detulit Congregationi. Praecipuum momentum, cui innititur memoratus Abbas est vetustissima et pacifica possessio, iuxta quam asserit, tum suos antecessores, tum seipsum usque ad annum 1733 omnimodam iurisdictionem parochialem super enunciatis personis eorumque familiis exercuisse. Contra vero Eminentissimus Episcopus, ad refellendam magnificatam possessionem nomine Abbatis propositam, folium literis suis adnexum S. Congregationi transmisit. Proposita hinc dubia: *An patri Abbati monasterii S. Vincentii Ordinis Praemonstratensis in civitate Uratislaviae, sive religiosis ab eo deputatis competat exercitium omnimodae iurisdictionis parochialis quoad personas inservientium eidem monasterio, eorumque familias, tam degentium intra, quam extra illius septa in casu* etc. Sacra Congregatio in Uratislavien. iurium parochialium die 25 Ianuarii responsum dedit: *Negative, et P. Abbatem, sive religiosos ab ipso deputatos, posse tantum laicis degentibus intra septa monasterii, eique actu inservientibus ministrare sacramenta Eucharistiae etiam tempore Paschalis, ac Extremae Unctionis, nec non sepulturam dare in propria Ecclesia, iuxta decretum editum in Mediolanen.*

19. Siquidem *in Mediolanen.* proposito dubio: An laicis, qui intra Claustra regularium habitant, et illis actu serviunt, possint regulares sacramentum Eucharistiae etiam tempore Paschae, ac extremae unctionis ministrare, nec non in eorum Ecclesiis eisdem laicis sepulturam dare, S. Congregatio sub mensem Iunii 1587 rescripsit: *Posse* (2) in Uratislavien. iurium parochialium *die 25 Ianuarii 1738* §. *Ad illustrandam.*

20. Praeterea existentibus usque ab anno 1569

(1) Id resolvit in Assisien. Curae Animarum 16 Novembris 1709 ad II dubium, lib. 59 Decretorum pag. 365, et in Nullius seu Montis Cassini praeeminentiarum 26 Ianuarii 1726 ad IV dubium.

(2) Ut in lib. 4 Decret. pag. 267 et seqq.

nonnullis controversiis inter Parochum Ecclesiae S. Donati et Rectorem Ecclesiae S. Mariae Oppidi S. Donati Soranae Diaecesis, satius duxit bon. mem. Thomas Gilius, tunc Episcopus Sorae, dictam Ecclesiam S. Donati unire seu incorporare alteri S. Mariae, sumptaque occasione, quod primo dicta Ecclesia Rectore viduata reperiebatur, illam univit transferendo ad alteram S. Mariae curam animarum per idoneum Vicarium seu Vicarios exercendam. Secuta huiusmodi unione, novae exortae fuerunt controversiae inter Abbatem seu Parochum S. Mariae et Archipresbiterum eiusdem Ecclesiae, circa praecedentiam et functiones parochiales. Propterea propositis dubiis.

I. An stante unione Ecclesiae S. Donati cum Collegiata et Parochiali Ecclesia S. Mariae et Marcelli, cura habitualis resideat penes dictam Ecclesiam in casu etc.

II. An exercitium curae actualis privative spectet ad Abbatem, vel cumulative ad Archipresbiterum, Abbatem, et reliquos Praebendarios in casu etc.

III. An singulae functiones, tam Parochiales, quam non Parochiales, quae fiunt intra dictam Ecclesiam, peragendae sint ab illius Abbate, sive potius ab Archipresbytero in casu etc.

IV. An absolutio super defunctis expleri debeat ab Archipresbitero, sive ab Abbate in casu etc.

V. An in processione, quae fit in festo Sanctissimi Corporis Christi, debeatur praecedentia Abbati vel Archipresbitero in casu etc.

VI. An in dicta Collegiata prima dignitas sit Archipresbiter, vel Abbas in casu etc.

VII. An primus locus et praecedentia, tam intra quam extra dictam Ecclesiam, debeatur Abbati, seu potius Archipresbitero in casu etc.

VIII. An, tam Abbati, quam Archipresbitero dictae Ecclesiae cumulative competat titulus Rectoris, sive potius Abbati vel Archipresbitero in casu etc.

IX. An singulae hebdomadae initium sumere debeant ab Abbate, sive Archipresbitero in casu etc.

X. An et ad quem pertineat retinere claves Archivii in casu etc.

XI. An procuratores Capellarum sint secrete eligendi per schedulas, sive potius per acclamationem in casu etc.

XII. An liceat Archipresbitero admittere Presbiteros ad participationem incertorum, sive potius fieri debeat per Procuratorem, ab omnibus Praebendariis eligi solitum in casu etc.

21. S. Congregatio *in Sorana iurium parochialium* die 7 Aprilis 1731 respondit; *Ad primum, affirmative. Ad secundum, iterum proponatur. In reliquis, dilata.*

22. Reproposito vero dubio I. An exercitium curae actualis privative spectet ad Abbatem, vel cumulative ad Archipresbiterum, Abbatem, et reliquos Praebendarios in casu etc. cum ceteris supra relatis dubiis, S. Congregatio in praefata *Sorana iurium parochialium* die 5 Maii 1731 responsum tulit: Ad primum, exercitium curae actualis spectare ad Abbatem, coadiuvandum tamen ab Archipresbitero et Praebendariis. Ad secundum, functiones parochiales spectare ad Abbatem; in reliquis servetur solitum. Ad tertium, negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam. Ad quartum, ut ad proximum. Ad quintum, neutram esse. Ad sextum in functionibus parochialibus spectare ad Abbatem, in reliquis servetur solitum. Ad septimum, competere Abbati. Ad octavum, servetur solitum. Ad nonum, retinendas esse iuxta solitum. Ad decimum, per schedulam. Ad undecimum, fiat per schedulas secretas per Praebendarios.

---

*

§. V.

ABBAS QUOAD DIGNITATEM, OFFICIUM, POTESTATEM ET IURISDICTIONEM.

1. Abbas ius praelaturae acquirit per simplicem electionem *in Congregationis Cisterciensis die 28 Novembris 1789* §. *Si initium* (1).

2. Licet contra electus ius acquirat praelaturae, eius tamen exercitium et administrationem obtinet a confirmatione *in Congregationis Cisterciensis die 28 Novembris 1789* §. *Si initium* (2).

3. In iure vero retinendum est, exemptionem, qua fruuntur Abbates a iurisdictione Episcoporum, eamdem ubique non esse *in Nullius Ferentilli Visitationis sacrorum Liminum die 17 Septembris 1814* §. *Ac primum.*

4. Namque modo passivam habent exemptionem, modo activam iurisdictionem in clerum et populum *in Nullius Ferentilli Visitationis sacrorum Liminum die 17 Septembris 1814* §. *Ac primum.*

5. Hanc ideo iurisdictionem vel *privative* exercent, vel *cumulative* cum Episcopis *in Nullius Ferentilli Visitationis sacrorum Liminum die 17 Septembris 1814* §. *Ac primum* (3).

6. De iurisdictione Abbatis generalis ambigi nequit *in Namurcen. die 19 Decembris 1744* §. *Hinc* (4).

7. Hinc generalis Abbatis sententia, qua declaratur nulla professio emissa ab eo, qui vitio corporis laborabat, valida censenda est, cum penes Abbates talis iurisdictio resideat *in Namurcen. die 19 Decembris 1744* §. *Hinc.*

8. Sacra tamen Congregatio supplicandum esse Sanctissimo censuit pro sanatione huiusmodi sententiae Abbatis generalis Ordinis praemonstratensis *in Namurcen. die 30 Ianuarii 1745* §. *In casu.*

9. Proposito enim dubio. *An sustineatur sententia Abbatis generalis ordinis Praemonstratensis, ita ut constet de nullitate professionis in casu etc.* S. Congregatio in praefata Namurcen. die 30 Ianuarii 1745 responsum tulit: *In casu de quo agitur, supplicandum esse Sanctissimo pro sanatione sententiae.*

10. Abbas *del Tardon* apostolico privilegio potiri videtur, ea omnia gerendi, quae ab Abbatibus benedictis fieri possunt, quamvis ipse benedictionem non acceperit *in Hispalen. Ordinum die 18 Septembris 1773* §. *Post haec* (5).

11. Quamvis hinc in Gregoriana constitutione nulla mentio de Abbatibus habeatur, nihilominus videtur, quod, ex privilegiis, quae singillatim referuntur a Tamburino, possunt etiam Abbates non benedicti ordinare, aliaque exercere, quae possunt Abbates benedicti, ut ex privilegio Eugenii IV Congregationi cassinensi de observantia in Hispania, et Congregationi S. Iustinae de Padua, et pro Basilianis etiam non benedictis extant privilegia eiusdem Eugenii IV, Pauli III, Gregorii XIII, et Pauli V *in Hispalen. Ordinum die 18 Septembris 1773* §. *Post haec* (6).

(1) Fagnan. in Cap. 3, de postulat. n. 77.

(2) Cap. Pastoralis in fin. de rescript. cap. Nosti, cap. Transmissum, de elect. Gothfred. in cap. 2, de translat. Episcop. Fagnan. in cap. 3, de postulat. Tamburin. de iur. Abbat. disp. 6, quest. 13, n. 20, et 25.

(3) Card. Petra comment. ad Constit. apostol. pag. 127, n. 3 et seqq.

(4) Cap. Ea, quae, de stat. monach. cap. Si quis contra clericum, de for. competen., late Tamburin. de iur. abbat. tom. 1. disp. 1, quaest. 4.

(5) Gregorius XIII in Constit. incipien. *Benedictus dominus* §. 18 haec habet: « Monasteriis, Conventibus Prioribus et monachis praedictis nec non conversis et oblatis aliisque etiam dictorum monasteriorum S. Basilii religiosis et personis, ut de cetero omnibus et quibuscumque privilegiis, praerogativis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, indulgentiis, favoribus, gratiis et indultis tam spiritualibus quam temporalibus Congregationi praedictae Cassinensi illiusque personis et locis per quoscumque romanos Pontifices et in specie concessis, confirmatis, et innovatis ac etiam per viam communicationis ad eamdem Congregationem Cassinensem extensis, quibus illi utuntur, potiuntur et gaudent et uti potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, quae tamen usu recepta sint et sacris canonibus ac dictis Concilii Tridentini decretis ipsiusque ordinis S. Basilii instituto non adversantur, uti potiri et gaudere libere et licite valeant, concedimus et indulgemus. »

(6) Pignatell. consult. 158, tom. 4. n. 1.

12. Abbas non benedictus vero nec habens privilegium faciendi omnia, quae possunt Abbates benedicti, non potest gerere actus permissos Abbatibus benedictis *in Posnanien. die 16 Aprilis 1639 lib. 16 decretorum pag. 180.*

13. Abbatibus aliisque Praelatis Episcopis inferioribus non competit facultas Episcopis concessa a Bulla Gregorii XV incipien. INSCRUTABILI *in Olomucen. die 11 Iulii 1665 lib. 24 decretorum.*

14. Sicuti Episcopus in contractibus monialium, quae sibi subiiciuntur, libere et independenter a quocumque alio per se vel per alium substitutum intervenire, suumque consensum et auctoritatem praestare potest *in Mediolanen. die 12 Maii 1736* §. *Porro* (1).

15. Ita quoque liberum est Abbati, veluti superiori ordinario monasterii monialium, absque ullo penitus interventu, sive consensu Protectorum, oeconomicae eiusdem monasterii administrationi incumbere, suumque pro singulorum eius contractuum stipulatione consensum interponere *in Mediolanen. die 12 Maii 1736* §. *Porro* (2).

16. Potissimum, si Protectores nullam iurisdictionem aut superioritatem obtinent super monasterio *in Mediolanen. die 12 Maii 1736* §. *Praesertim.*

17. Quippe qui tantum eliguntur, ut Monialium iura promoveant, easque ab iniuriis et molestiis adversus ipsarum privilegia et exemptiones illatis tueri procurent *in Mediolanen. die 12 Maii 1736* §. *Praesertim.*

18. Hinc propositis dubiis: I. An Protectores seu Curatores Ven. Monasterii et Monialium Sanctae Radegundae Civitatis Mediolanensis ordinis S. Benedicti ordinis Cassinensis intervenire valeant et praestare eorum consensum in stipulatione cuiuscumque contractus, sive instrumenti faciendi a dictis Monialibus cumulative cum Patre Abbate Ven. Monasterii S. Simpliciani illarum superiore; sive potius dicti contractus et instrumenta celebrari ac stipulari debeant cum consensu et interventu privativo dicti Patris Abbatis, vel ipsius Delegati absque licentia et interventu dictorum Protectorum.

II. An instrumenta, quae celebrari solent occasione vestitionum, et professionum, nempe obligationes, quae fieri solent ab iis, ad quos pertinet, pro alimentis anni probationis, pro paraphernalibus, pro deposito datis, pro annua praestatione vitalitia, pro solutione dotis, et pro fine ac renunciatione, rogari possint per acta cuiuscumque Notarii dictae Civitatis, sive potius privative per Notarium Cancellarium Curiae Archiepiscopalis in casu etc., S. Congregatio in praefata Mediolanen. die 2 Iunii 1736 respondit: *Ad primum, Negative quoad primam partem, et Affirmative quoad secundam. Ad secundum, Dilata; et scribatur Eminentissimo Archiepiscopo pro meliori informatione, iuxta instructionem.*

19. S. Congregatio decrevit vero, non licere Abbatibus Sanctissimi Salvatoris et SS. Spiritus et Galli Ordinis Cassinensis puellas admittere in Capitulo Monialium Monasteriorum S. Mariae Theodotae pro acceptatione ad habitum, antequam ab Episcopo illarum voluntas exploretur. *in Papien. die 16 Martii 1743 ad I dubium.*

20. Proposito subinde dubio: An Abbates praedicti puellas in nominatis Monasteriis admittere possint, ut habitum sumant, et ut in eis morentur in habitu seculari per mensem, vel ad aliud tempus, etiam ut exploretur illarum vera vocatio, vel pro quacumque alia causa absque licentia Sedis Apostolicae? S. Congregatio respondit: quoad admissionem causa educationis absque licentia Sedis Apostolicae non valere; quoad reliquos vero casus non posse absque licentia Episcopi *in Papien die 16 Martii 1743 ad II dubium.*

21. Neque etiam praedictis Abbatibus, absque particulari Episcopi venia in scriptis danda, licentias ingrediendi clausuram dictorum Monasteriorum, cuivis etiam necessario admittendo, concedere licere censuit S. Congregatio *in Papien. die 16 Martii 1743 ad III dubium.*

22. Atque dubiis propositis: Quot et quas personas iidem Abbates secum sumere debeant occasione eorum ingressus intra septa dictorum Monasteriorum pro locali visitatione explenda?

23. An dicti Abbates extra casum dictae localis visitationis possint septa Monasteriorum ingredi?

24. Quot et quas personas assumere in comi-

(1) Can. Monasteria, can. Abbatibus, cap. 1 de offic. ordin. cap. Episcopus, eod. tit. in 6.

(2) Fagnan. in cap., n. 24, de offic. ordinar. Tamburin. de iur. abbat. disp. 1, quaest. 2, n. 2, tom. 2. Card. de Luc. de iurisdict. disc. 1, n. 6. Panimoll. dec. 24, adnot. 1, n. 2.

tatu teneantur? S. Congregatio responsum tulit, servandum omnino esse in omnibus Constitutionem Alexandri VII incipien. Felici *in Papien. die 16 Martii 1743 ad IV, V, et VI dubium.*

25. Praeterea S. Congregatio resolvit, non posse praedictos Abbates, inconsulto Episcopo, concedere licentias accedendi cancellos dictorum Monasteriorum tam secularibus quam regularibus ipsis benevisis, etiamsi sint propriae Congregationis *in Papien. die 16 Martii 1743 ad XII dubium.*

26. Ius vero competit Abbati Eberbacensi Ordinis Cisterciensis denunciandi ac determinandi diem electionis faciendae Abbatissarum Monasterii Marien-Munster eiusdem ordinis *in Wormatien. Iurisdictionis die 17 Septembris 1746 ad VI dubium.*

27. Quin imo elapsa die praefinita, et nemine ex parte Ordinarii comparente, licet praefato Abbati ad electionem procedere *in Wormatien. Iurisdictionis die 17 Septembris 1746 ad VII dubium.*

28. Post haec, ex iuris dispositione habetur, nulli licere Ecclesias aedificare, sine consensu Episcopi *in Elven. die 9 Februarii 1754* §. *Datis.*

Item nulli licere, Episcopo inconsulto, Ecclesias benedicere, et in iis sacramenta ministrare *in Elven. die 9 Februarii 1754* §. *Datis.*

29. Siquidem proposito dubio XIV. *An Praelati et Abbates regulares possint sine speciali indulto, calices, campanas aliaque vasa sacra, in quibus intervenit sacra unctio, benedicere pro usu alienarum Ecclesiarum?* S. Congregatio in Omolucen. iurisdictionis die 7 Iunii 1755 respondit: *Ad decimum quartum, Negative.*

30. Propterea id iuris custodiendum esse videtur, licet res sit de Regularibus *in Elven. die 9 Februarii 1754* §. *Datis.*

31. Privilegia enim, quae Regularibus data sunt a summis Pontificibus interpretari debent, sine praeiudicio iurium Episcopalium *in Elven. die 9 Februarii 1754* §. *Datis.*

32. Amplia, etiamsi res sit de Ecclesia privata non publica, cum non liceat Abbati Ecclesiam, quae publica sit, privatam reddere, novo muro circumducto *in Elven. die 9 Februarii 1754* §. *Datis.*

33. Et in idem recidit, etsi res esset de Ecclesia seu Oratorio privato; nam sine privilegio Apostolico et sine Episcopi destinatione vetitum est in Oratorio privato sacra agere *in Elven. die 9 Februarii 1754* §. *Datis.*

34. Siquidem S. Congregatio iamdiu statuit, posse quidem Abbates omnia benedicere, exceptis tamen illis, in quibus requiritur sacra unctio *in Guastallen. Iunii 1587 lib. 4 decretorum pag. 273.*

35. Item *in Salutiarum die 5 Februarii 1656 lib. 19 decretorum pag. 558.*

36. Limita, et pro usu tantum suae Ecclesiae *in Guastallen. Iunii 1587 lib. 4 decretorum pag. 273.*

Item *in Salutiarum die 5 Februarii 1656 lib. 19 decretorum pag. 558.*

37. Quod intelligendum est, etiamsi habeat privilegium benedicendi calices, et alia, in quibus requiritur sacra unctio *in Salutiarum die 5 Februarii 1656 lib. 19 decretorum pag. 558.*

38. Quidquid enim sit de antiquis privilegiis, quibus frui potuerint Abbates regulares, habenda ob oculos sunt decreta, quae instar legis generalis edita fuerunt iussu Alexandri VII a S. Rituum Congregatione anno 1659, circa inferiores Praelatos pontificalium usu insignitos *in Brixien. die 28 Novembris 1733* §. *Verum* (1).

39. In §§. enim 18 et 19 sic habetur: Ecclesiasticam supellectilem pro servitio dumtaxat suarum Ecclesiarum, vel Monasteriorum benedicant *in Brixien. die 28 Novembris 1733* §. *Verum.*

40. Reliqua pontificalia extra loca ipsis Abbatibus subiecta, vel pro servitio alienae Ecclesiae, aut in subditos pariter alienos, etiam de licentia Ordinariorum exercere non valeant *in Brixien. die 28 Novembris 1733* §. *Verum.*

41. Hinc nequeunt exercere campanarum benedictiones, calicum, et similium, in quibus sacra adhibetur unctio *in Brixien. die 28 Novembris 1733* §. *Verum.*

42. Hinc Abbates et Praelati Episcopis inferio-

(1) Copiose hac de re agunt Tamburin. de iure abbat. tom. 1 disp. 22, quaest. 1 et seqq. disp. 23, quaest. 1 cum quatuor seqq. Pasqualig. de sacrif. nov. leg. tom. 1. quaest. 676, tom. 1. quaest. 922 et 803. tom. 2. Passerin. de stat. homin. tom. 3, quaest. 189, artic. 10 a n. 922 ad 939. Card. Petra in comm. ad Constitut. 6 Urban. IV, n. 15, et seqq tom. 3, ad Constit. 2 Benedicti XI, n. 12, et seqq. Ferrar. in biblioth. can. verb. Abbas n. 31 per extensum refert decretum Alexandri VII, nec non declarationes S. R. Congregationis.

res tenentur servare decretum ab Alexandro VII editum circa usum restrictum pontificalium Praelatis inferioribus concessum *in Constantien. iurisdictionis die 31 Martii 1770* §. *Ad XIII* (1).

43. Siquidem proposito dubio XV quoad Abbates Benedictinos, Cistercienses, et Praemonstratenses: An dicti Abbates et Praelati teneantur servare decretum ab Alexandro VII editum circa usum restrictum Pontificalium Praelatis inferioribus concessum ? S. Congregatio in Omolucen. iurisdictionis die 7 Iunii 1755 respondit: *Ad decimumquintum, Affirmative.*

44. Suffragari tamen posse videtur, ad facultatem benedicendi sacris vestibus, vel consecrandi ea, in quibus sacrum chrisma adhibetur, communicatio privilegiorum, nec non consuetudinis, et in locis propriae iurisdictionis *in Brixien. die 28 Novembris 1733* §. *Observanda* (2).

45. Hinc potest Episcopus de iure procedere contra sacerdotes, sive seculares, sive regulares, qui in Ecclesia vel Oratorio privato sacra egerunt et sacramenta ministrarunt *in Elven. die 9 Februarii 1754* §. *Datis:* et ita resolvit S. Congregatio ad I et II dubium.

46. Enim vero propositis dubiis: I. *An licuerit Abbati S. Benedicti de salute civitatis Lisbonae Ecclesiam ruralem aedificare in Villa de Alandroal, inscio Episcopo Elvensi, eamque solemniter benedicere, sacra peragere, et sacramentum Eucharistiae administrare in casu etc.* Et quatenus negative.

II. *An substineatur interdictum latum ab eodem Episcopo, itaut possit etiam, prout de iure, procedere contra sacerdotes seculares et regulares, qui inibi celebrarunt, aut celebrant in casu etc.*, S. Congregatio in praefata Elven. die 9 Februarii responsum dedit: *Ad primum, Negative. Ad secundum, Affirmative.*

47. Quandoque vero S. Congregatio resolutiones huiusmodi ad S. R. Congregationem remisit: proposito enim dubio VIII: An liceat Abbati monasterii Stambsensis Ordinis Cisterciensis non solum sacram suppellectilem benedicere, in qua unctio sacra non adhibetur, sed etiam altaria, aliaque vasa sacra, quae sacro chrismate delibuntur, consecrare, idque non tantum ad proprii monasterii, sed etiam aliarum Ecclesiarum usum ? respondit: Ad octavum, ad S. R. Congregationem *in Brixinen. die 12 Decembris 1733 ad VIII dubium* (3).

Item proposito dubio: An Abbates monasterii divi Hieronymi Congregationis Olivetanae de Quarto extra monasterium possint exercere Pontificalia in supplicationibus Sodalitii mortis et orationis, quod in eorum Ecclesia erectum est; extra monasterium, mitram et baculum pastoralem deferre; tintinnabula, sacram suppellectilem, altaria etiam pro usu aliarum ecclesiarum etiam secularium benedicere ? S. Congregatio mandavit, ut recurrant ad S. R. Congregationem *in Ianuen. iurium parochialium die 31 Iulii 1748 ad IV dubium.*

48. Quum maior pars Beneficiatorum Ecclesiae Collegiatae S. Barbarae extra propriam canonicam sparsim viveret, in territorio aliorum Parochorum praetendit Abbas, irrequisito Parocho, occurrente eorumdem Beneficiatorum infirmitate vel morte, eisdem ministrare omnia sacramenta, ac respective eorum cadavera ad propriam Ecclesiam deferre, absque ulla solutione quartae funeris, S. Congregatio contra praefatum Abbatem responsum dedit *in Mantuana iurisdictionis die 16 Martii 1680 ad IV dubium.*

49. Hinc et proposito dubio: An idem possit huiusmodi functiones peragere instar supplicationis, et quoties aliqua ex dignitatibus praedictae Ecclesiae decumbat, et moriatur in aliena Parochia, aliae dignitates, omnibus insignibus pontificalibus indutae, valeant perducere, ut supra, defunctum pariter insignitum mitra et plu-

(1) Ferrar. in bibliot. canon. verb. abbas.

(2) S. R. Congr. die 22 Septembris 1703 in Fulden. concessionis indulti, ut refert Card. Petra in comm. ad Constit. 2 Benedicti VI, n. 18 in fin. tom. 3.

(3) Congregatio illa vero die 22 Ianuarii 1735 respondit, servari Decreta anni 1659 die 27 Septembris circa usum Pontificalium Praelatis Episcopo inferioribus concessorum, approbante Alexandro VII Pont. Max. edita, inter quae edictum fuit in dub. XVIII - ibi - Ecclesiasticam supellectilem pro servitio dumtaxat suarum Ecclesiarum vel Monasteriorum benedicant - Atque in dubio XIX - ibi - Reliqua Pontificalia extra loca ipsis Abbatibus subiecta vel pro servitio alienae Ecclesiae, aut in subditos pariter alienos, etiam de licentia Ordinariorum exercere non valeant, puta campanarum benedictiones, Calicum, et similium, in quibus sacra adhibetur unctio, nec non minorum ordinum collationes.

viali, S. Congregatio respondit, Negative *in Mantuana iurisdictionis die 16 Martii 1680 ad V dubium.*

50. Insuper quum aliqua beneficia, existentia in Ecclesia divi Thomae, ad praesens detenta per clericos regulares ministrantes infirmis, et in altera divi Antonii administrata per societatem Sanctissimae Trinitatis, fuissent unita praedictae Collegiatae S. Barbarae, praesumit dictus Abbas in festivitatibus eorumdem sanctorum instar supplicationis, ac cum omnibus insignibus episcopalibus a praefata Collegiata exeundo accedere ad supradictas Ecclesias, quodque magis est, per longum et affectatum circulum usque ad faciem Palatii Episcopalis, eo modo et forma pertransire, et postea in eisdem Ecclesiis celebrare in pontificalibus, benedictionemque solemnem super populum impertiri, quod de facto exercet, nullo ad id adhibito consensu ac licentia Episcopi Mantuani? ut ad proximum S. Congregatio rescripsit *in Mantuana iurisdictionis die 16 Martii 1680 ad VI dubium.*

51. Ex eo etiam, quod idem Abbas sibi facultatem ministrandi sacramentum confirmationis seu chrisma attribuerat, S. Congregatio *non licere* expresse resolvit *in Mantuana iurisdictionis die 16 Martii 1680 ad IX dubium.*

52. Abbas de licentia Episcopi potest reconciliare Ecclesias et caemeteria *in dubio ad cap. 5, sess. 6 de reformation. Posit. 11.*

53. Quum Abbas et Monachi Coenobii in Waldassen. Ordinis Cisterciensis felicis recordationis Clementi Papae XI exposuissent, quod apostolica intercedente auctoritate Bonifacii IX et Xisti IV nonnullae suo monasterio fuerant unitae parochiales Ecclesiae praesertim in Tursenreut, Benthel Wondreb, Falkembergh cum expressa facultate eas moderandi per monachos ad nutum amovibiles, seu per sacerdotes seculares, et quod Consistorium Episcopale Ecclesiae Ratisbonensis in controversiam revocabat facultatem praeficiendi monachos curae animarum, et eos pro animi sententia removendi, fuerunt a Sanctitate Sua preces remissae ad S. Congregationem.

Scriptum fuit iuxta morem pro informatione Ordinario Ratisbonensi, et ille in suis literis unionem dictarum Ecclesiarum parochialium admisit, sed addidit, ab immemorabili tempore fuisse ad eas ab Abbatibus praesentatos tamquam Vicarios perpetuos sacerdotes seculares, qui ordinaria auctoritate fuerunt instituti, nec umquam retroactis temporibus fuisse Ecclesias a monachis ad nutum amovibilibus gubernatas. Hinc propositis dubiis I. *An Vicarii deputandi ab Abbate Monasterii Waldassen. Parochiis, de quibus agitur, sint deputandi perpetui, seu potius temporanei.* Et quatenus affirmative quoad secundam partem. II. *An sit liberum Abbati deputare in praedictis Vicarios temporaneos, etiam Monachos sui Monasterii in casu etc.*, S. Congregatio die 28 Iulii 1713 respondit: *Ad primum, Negative quoad primam, affirmative quoad secundam partem. Ad secundum, Affirmative* (1).

54. Itaque quum qualitas unionis parochialium Monasterii sit plenaria subiectiva, et titulorum extinctiva, inferri videtur, Abbatem posse in posterum monachos deputare in temporaneos vicarios *in Ratisbonen. Vicariae die 2 Augusti 1721 §. Excipit.*

55. Hinc nec denegari potest Abbati facultas amovendi religiosum curae animarum propositum *in Augustana parochialium die 10 Maii 1760 §. Subsistente* (2).

56. Siquidem in casu Abbatum praemonstratensium Diaecesis Augustanae proposito dubio II. *An ad parochias, de quibus agitur, praesentari et institui debeant presbiteri seculares tamquam veri et perpetui parochi, seu potius canonici regulares praemonstratenses, ad nutum Abbatis amovibiles in casu etc.*, S. Congregatio in Augustana parochialium die 10 Maii 1760 respondit: *Ad secundum, Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, et amplius.*

57. Imo possunt etiam removere presbiteros seculares iam ad parochiales admissos *in Ratisbonen. Vicariae die 2 Augusti 1721 §. Excipit.*

58. Idcirco, cum ex bullis unionum deprehendatur, unionem parochialium monasterio factam esse plenariam, subiectivam, et, uti dicitur, ad mensam, removendi facultas statim sibi videtur locum vindicare ad terminos praesertim bullae 47 S. Pii V §. 5 Bullar. tom. 2 *in*

(1) Teste S. Congregatione in Ratisbonen Vicariae die 2 Augusti 1721.

(2) S. Congreg. in Narnien. iurisdictionis 13 Iulii 1669 lib. 26 decret. pag. 257, Rot. in decis. 273, n. 3 et seqq. coram Lancetta.

Ratisbonen. Vicariae die 2 Augusti 1721 §. *Excipit.*

59. Nec enim huic Bullae derogatum fuit in posteriori Constitutione 9 Gregorii XIII, qui eam reduxit ad terminos iuris communis et Concilii tridentini *in Ratisbonen. Vicariae die 2 Augusti 1721* §. *Excipit.*

60. Nam Gregorius subsequenter declaravit, pianam constitutionem in suo robore permanere debere, dummodo cum fratre, seu religioso Vicario ad nutum amovibili, et deputato ad regimen parochiae extra claustra, alius regularis socius superaddatur *in Ratisbonen. Vicariae die 2 Augusti 1721* §. *Excipit* (1).

61. Itaque in casu praedicti Abbatis Coenobii in Waldassen Ordinis Cisterciensis proposito dubio: *An liceat Abbati de Waldassen deputare in Vicarium Vicariae in Tursenreut Monachum sui Monasterii, et respective removere modernum Vicarium in casu etc.,* S. Congregatio in Ratisbonen. Vicariae die 23 Augusti responsum dedit: *Non esse locum remotioni in casu etc.*

62. Abbas, habens duas parochiales unitas monasterio, debet in utraque constituere suum Curatum, assignata unicuique, ex decimis, reditibus, et primitiis, congrua *in Aurien. parochialium die 28 Martii 1716 lib. 66 decretorum ad II dubium.*

63. Et recusante Abbate deputare Vicarium in utraque parochia, potest Episcopus illum constituere *in Aurien. parochialium die 28 Martii 1716 ad III dubium lib. 66 decretorum.*

64. Instante tamen praedicto Abbate, concessa ei fuit remissoria *in Aurien. parochialium die 28 Martii 1716 lib. 66 decretorum.*

65. Ultra vero Vicarium curatum non tenetur Abbas adiungere Capellanum pro eo coadiuvando in administratione sacramentorum, attenta numerositate populi *in Fanen. parochialium die 14 Novembris 1716 lib. 66 decretorum.*

66. Abbas S. Petri Mutinae non potest, vacantibus parochialibus, Vicarios deputare, sed ad Episcopum Mutinensem pertinet *in Mutinen. anno 1573 lib. 1 decretorum pag. 37.*

67. Quod neque Abbas S. Zenonis Veronen. facere potest, sed ad ipsum Episcopum Veronensem spectat *in Veronen. anno 1580 lib. 2 decretorum pag. 103.*

68. Abbas Farfensis potest deputare Vicarios seu Oeconomos in beneficiis vacantibus, dummodo habeat ius congregandi synodum *in Farfen. anno 1584 lib. 4 decretorum pag. 103.*

69. Insuper, dummodo eam constet legitime congregasse et ad effectum examinatores elegisse *in Farfen. anno 1584 lib. 4 decretorum pag. 103.*

70. Abbas, qui confert parochialem, immittit in possessionem *in Lucen. lib. 2 decretorum p. 144.*

71. Cum ad dirimendam controversiam inter Episcopum et Abbatem Commendatarium S. Mariae de Rampona, et S. Laurentii in Dogliolo pridem exortam super modo, quo conferendae essent parochiales Ecclesiae ad enunciatam Abbatiam spectantes, discussum inter cetera fuerit dubium: *An et quando in collatione Ecclesiarum parochialium Abbatiae servanda sit forma tradita a sacro Concilio cap. 18 sess. 24 de reform.,* primum die nempe 11 Aprilis 1682 prodiit resolutio: *servandam* esse *Constitutionem Pianam* (2); deinde vero reproposita causa sub consueto dubio: *An in collationibus Ecclesiarum Parochialium Abbatiae S. Laurentii in Dogliolo sit standum vel recedendum a decisis die 11 Aprilis 1682 in casu* etc. die 17 Iunii 1719 rescriptum fuit: *Recedendum a decisis* (3) in Nullius seu S. Severini Parochialis die 17 Augusti 1737 §. *Cum.*

72. Propositis vero dubiis: I. *An collatio Ecclesiae Parochialis, de qua agitur, spectet ad Eminentissimum Abbatem commendatarium S. Mariae de Rampona.* Et quatenus affirmative. II. *An literae collationis expeditae per Episcopum S. Severini favore Ioannis Mazza, et possessio ab ipso capta, vigore dictarum literarum, de dicta Ecclesia, sint circumscribendae in casu etc.,* S. Congregatio in praefata Nullius seu S. Severini Parochialis die 7 Septembris 1737 respondit: *Dilata, et coadiuventur probationes.*

73. In Anglonen. Parochialis, postquam dubio ita concepto: *An ius conferendi beneficia curata spectet ad Episcopum, vel potius ad Eminentissimum Abbatem,* die 4 Iulii 1716 rescri-

(1) Gonzal. ad regul. cancell. gloss. 5, §. 3, n. 79.
(2) Ut in lib. 32 decret. pag. 216.
(3) Ut in lib. 69 decret. pag. 289.

ptum fuerat: *Collationem tituli parochialis S. Lucae spectare ad Eminentissimum Abbatem, concursum vero, praeelectionem, et institutionem authorizabilem spectare ad Episcopum,* proposita, ad petitionem tum Eminentissimi Domini Cardinalis Firrao moderni Abbatis S. Eliae, tum Episcopi tunc temporis Anglonensem Ecclesiam regentis, subalterna quaestione: *An ius concedendi Bullas provisionis ad Ecclesiam Parochialem S. Lucae competat Episcopo, seu potius Eminentissimo Abbati in casu etc.,* die 15 Decembris superioris anni 1736 prodiit Resolutio: *Negative quoad primam partem, et affirmative quoad secundam* (1) in Nullius seu S. Severini Parochialis die 17 Augusti 1737 §. *Alterum.*

74. Proposito hinc dubio: An institutio in beneficiis iurispatronatus sit danda ab Episcopo, vel ab Eminentissimo Abbate, Sacra Congregatio respondit, institutionem quoad utrumque beneficium ad Eminentissimum Abbatem spectare *in Anglonen. iurisdictionis die 4 Iulii 1716 ad I dubium.*

75. Abbas S. Petri Mutinae non potest edicta publicare, pro concursu parochialium, ad eius collationem spectantium, sed pertinet ad Episcopum Mutinensem *in Mutinen. anno 1573 lib. 1 decretorum pag. 37.*

76. Abbas Montis Casini, respectu beneficiorum curatorum in diaecesi Capuana existentium, licet ad eius collationem spectantium, non potest instituere concursum *in Capuana anno 1573 lib. 1 decretorum pag. 43.*

77. Quod neque permissum est Abbati S. Zenonis Veronensis, sed ad ipsum Episcopum Veronensem pertinet *in Veronen. anno 1580 lib. 2 decretorum pag. 103.*

78. Hinc Abbates aliique Praelati inferiores Episcopis nequeunt instituere parochos in parochiis, ubi habent purum iuspatronatus acquisitum vel cessum a laicis, sed tenentur praesentare Episcopo Diaecesano sacerdotes seculares vel regulares in parochos *in Olomucen. die 11 Iulii 1665 lib. 24 decretorum.*

79. Sacra Congregatio censuit, examen et edicta proponere et alias provisiones facere iuxta cap. 18, sess. 24 Concilii tridentini de reform. spectare ad Episcopum tantum, et non ad alium inferiorem *in Nullius seu Massanen. iuris convocandi synodum die 14 Iunii 1738* §. *Concursus.*

80. Non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili *in Nullius seu Massanen. iuris convocandi synodum die 14 Iunii 1738* §. *Concursus.*

81. Amplia, etsi Inferior ex immemorabili haberet hoc ius cumulative cum Episcopo in loco suae iurisdictionis *in Nullius seu Massanen. Iuris convocandi synodum die 14 Iunii 1738* §. *Concursus.*

82. Limita, dummodo in ipsius Episcopi diaecesi parochialis posita sit *in Nullius seu Massanen. iuris convocandi synodum die 14 Iunii 1738* §. *Concursus.*

83. Quod si parochialis non sit intra fines Diaecesis alicuius Episcopi, et Inferior Episcopo omnimodam habeat iurisdictionem episcopalem, nec alicui subdatur, sed est immediate subiectus Sedi apostolicae, nullius diaecesis proprium territorium habens, si habeat ius congregandi synodum, et legitime constet, illam congregasse, et congregare, et elegisse, ac eligere examinatores, poterit concursum instituere, examinare, et approbare Oeconomos, Vicarios deputare et alia facere, quae praescribuntur in cap. 18, sess. 24 *in Nullius seu Massanen. iuris convocandi synodum die 14 Iunii 1738* §. *Concursus.*

84. Hinc Abbas, habens utramque iurisdictionem in clerum et populum cum territorio separato nullius omnino diaecesis, non potest instituere coram se concursum, nisi habeat ius convocandi synodum, illam constet legitime convocasse, et examinatores elegisse *in Farfen. anno 1573, lib. 2 decretorum pag. 103.*

Item *in Cassinen. Februarii 1588; in Nuldie 2 augusti 1626 lib. 13 decretorum pag. 106; in Forosempronien. die 17 Iunii 1630 lib. 14 decretorum pag. 294.*

85. Episcopus idcirco manuteneri debet, donec dicta requisita Abbas probaverit *in Nullius seuMassanen. iuris convocandi synodum die 14 Iunii 1738* §. *Concursus* (2).

86. Habenti vero ius convocandi synodum conceditur etiam a sacra Congregatione facultas eligendi examinatores extra synodum *in Sa-*

(1) Ut in lib. 86 decretor. pag. 457 et seqq.

(2) S. Congr. in lib. 6 decret. pag. 91. Id sanxit in Theatina 16 Septembris 1615 ad II dubium.

baudiae die 5 Aprilis 1631 lib. 14 decretorum pag. 410.

87. Hinc, sicuti concursus institui tantum potest ab eo, qui ius convocandi synodum obtinet, ita ex potestate Abbati facta indicendi concursum, tributa quoque videtur facultas congregandi synodum *in Nullius seu Massanen. iuris convocandi synodum die 14 Iunii 1738* §. *Hinc autem* (1).

88. Idcirco Praelatus inferior, qui ex Apostolico privilegio ius habet congregandi synodum, potiri quoque dicitur iure instituendi concursum, utpote ad synodi convocationem consectario *in Nullius seu Massanen. iuris convocandi synodum die 14 Iunii 1738* §. *At licet* (2).

89. Verum praetereundum non est, convocationem synodi, veluti ius quoddam speciale monarchicum ferendi leges ecclesiasticas, adeo privative Episcopis competere, ut Praelatus quicumque inferior nequeat illud sibi vindicare, nisi praeter territorium separatum cum omnimoda ordinaria seu quasi episcopali iurisdictione, afferat Apostolicum indultum, in quo sibi id iuris explicite tribuatur, proponatque insuper subsequutam consuetudinem, qua constet, ipsum solere convocare synodum, ibique synodales examinatores eligere *in Nullius seu Massanen. iuris convocandi synodum die 14 Iunii 1738* §. *At licet* (3).

90. Hinc sacra Congregatio die 17 Augusti 1626 censuit: Abbatem non posse congregare synodum, quamvis habeat iurisdictionem quasi episcopalem, nisi etiam habeat ius congregandi synodum *in Nullius seu Massanen. iuris convocandi synodum die 14 Iunii 1738* §. *At licet.*

91. Propterea proposito dubio: *An Archimandritae Massanensi competat ius convocandi synodum in casu etc.*, S. Congregatio in Nullius seu Massanen. iuris convocandi synodum die 5 Iulii 1738 responsum tulit: *Negative.*

92. Non idcirco enim, quod Abbates tertiae speciei vere nullius sint et separatum habeant territorium, statim ius sibi vindicare poterunt congregandi synodum diaecesanam, sed necesse est, ut duo insuper probent *in Parmen. Abbatiae Fontisvivi die 19 Decembris 1802* §. *Alterae.*

93. Primum scilicet, sibi a Sede apostolica concessum fuisse explicitum privilegium synodum congregandi *in Parmen. Abbatiae Fontisvivi die 19 Decembris 1801* §. *Alterae.*

94. Secundum, tale privilegium deductum fuisse in usu et reapse a suis Antecessoribus fuisse synodum coactam *in Parmen. Abbatiae Fontisvivi die 19 Decemb. 1801* §. *Alterae* (4).

95. Abbati Classensi non competere ius synodum convocandi, illam convocasse non constare, ac examinatores in ea elegisse, respondit sacra Congregatio ex ab ipso deductis *in Forosempronien. die 17 Iunii 1630 lib. 14 decretorum pag. 294.*

96. Ac eapropter Episcopo Forosempronien. competit concursus facere pro parochialibus Ravegnanae, et magis idoneum ex approbatis ab Examinatoribus synodalibus praeeligere *in Forosempronien. die 17 Iunii 1630 lib. 14 decretorum pag. 294.*

97. Abbas Ecclesiae S. Mariae de Miraculis Congregationis Cassinensis, seu Monasterii Superior permittere non debet affixionem ad valvas eiusdem Ecclesiae Edictorum Episcopi, concernentium exercitium iurisdictionis, respectu subditorum Secularium, sed Regularium in iis, in quibus isti ei subduntur *in Andrien. Edictorum die 29 Novembris 1710 ad III dubium.*

Item *die 24 Ianuarii 1711 ad I dubium.*

98. Instaurata controversia inter Episcopum

(1) Rot. in decis. 629, part. 4 divers. Card. Petra in commentar. ad Constit. 4 Callisti III, sect. 2, n. 114 in fin.

(2) Garz. de benef. part. 9, cap. 2, n. 131. Tamburin. de iur. abbat. part. 3, disp. 9, quaest. 20, n. 2, et alii adducti per Barbos. ad Concil. sess. 21, cap. 18, n. 50.

(3) Garz. de benef. part. 2, cap. 2, n. 121 et seqq. Paris de resign. lib. 8, quaest. 9, n. 98. Barbos. ad Concil. sess. 24, cap. 18, n. 45; et alii relati per Card. Petra in comm. ad Constit. 4. Callisti III sect. 2, n. 114, tom. 5. S. Congr. 26 Septembris 1615 consentanee ad haec rescripsit, ut in lib. II decret. pag. 163: ibi: « Inferiorem Episcopo, si modo omnimodam iurisdictionem habeat episcopalem nec alicui subdatur, sed sit immediate subiectus Sedi apostolicae, nullius diaecesis ac proprium habens territorium, si ius habeat congregandi synodum et legitime constet, illam congregasse, posse concursum parochialium vacantium instituere atque alia peragere, quae ipsius Concilii decreto praescribuntur cap. 18, sess. 24: verum priusquam se has omnes et singulas qualitates habere legitime docuerit, id ius in locis supradictis ad Archiepiscopum tantum pertinere.

(4) Benedict. XIV de synod. diaeces. lib. 2, cap. II, n. 5.

*

Miletensem et Vicarium Societatis Iesu insignis Abbatiae Sanctissimae Trinitatis olim Monachorum Cisterciensium a s. m. Gregorio XIII unitae Collegio Graecorum Urbis, proposita haec fuerunt dubia: An Ven. Collegio Graecorum Urbis competat iurisdictio quasi Episcopalis cum territorio separato super Ecclesiis et Populo Oppidorum et Castrorum Abbatiae Sanctissimae Trinitatis Mileti? *Et quatenus negative.*

99. An Vicario seu Ministro, pro gubernio dictae Abbatiae deputato, competat ius congregandi Synodum in praedictis Ecclesiis?

100. An dicto Vicario competat ius convocandi concursus occasione provisionis Ecclesiarum Parochialium eiusdem Abbatiae? *Et quatenus negative.*

101. An hoc ius convocandi concursus, et auctoritativae institutiones, concedendae novis Parochis, ad Episcopum Miletensem spectent?

102. An sit locus purgationi attentorum, et quomodo?

103. An praedictae Ecclesiae, quae denominantur abbatiales, subsint ordinariae iurisdictioni Episcopi Miletensis, quoad curam animarum, sacramentorum administrationem, et sacramentalia in populum?

104. An Episcopus Miletensis, tamquam delegatus Apostolicus, dictas Ecclesias visitare possit? S. Congregatio remisit resolutionem ad S. Rotam (1) *in Mileten. iurisdictionis die 19 Iunii 1714.*

105. Ius instituendi et destituendi, sicut admit Ordinario institutionem auctorizabilem, ita plenam tribuit facultatem Abbati committendi curam, cui maluerit *in Colonien. die 10 Maii 1760* §. *Praesertim* (2).

106. Verum institutio auctorizabilis nequaquam per Abbatem praescribi potest contra Ordinarium, sine iurisdictione activa in populum *in Colonien. die 10 Maii 1760* §. *Curia* (3).

107. Hinc approbatus pro cura secundaria deputari non potest ad curam primariam certae Ecclesiae, sine novo examine, sine nova approbatione Ordinarii *in Colonien. die 10 Maii 1760* §. *Curia* (4).

108. Quin obstent decisiones S. Rotae in Burgen., cum loquantur de parocho, iterum non examinando, quoad curam eiusdem parochiae, ad quam fuit approbatus *in Colonien. die 10 Maii 1760* §. *Nec putat* (5).

109. Imo nec etiam suffragari posset expressum privilegium, ob derogationes contentas in Concilio tridentino cap. 11 sess. 25 de regul., et in Constitutione S. Pii V 47 §. 5, et Benedicti XIV 109 §. 9 in eius bullario tom. 1 *in Colonien. die 10 Maii 1760* §. *Curia* (6).

110. Propterea proposito dubio: *An Regularis ad exercitium curae animarum in Ecclesia Dumwaldensis plene incorporata Abbatiae Steinfeldensis Ordinis Praemonstratensis ab illius Abbate deputatus, et alias ab Ordinario Coloniensi, praevio examine Synodali ad excipiendas confessiones, de venia quorum interest, praedicandum verbum Dei, aliaque sacramenta Parochis incumbentia ad eorum*

(1) Hinc proposito I dubio S. Rota respondit: *Constare de territorio separato iuxta modum*, ut in decis. 9 tit. de offic. Ordin. coram Falconerio. Concessit insuper manutentionem in quasi possessione exercendi plenariam iurisdictionem super quatuor locis, *salva tamen semper manutentione Episcopi in reliquis locis et Ecclesiis, in dubio comprehensis, et de sua iurisdictione comprobatis*, ut in decis. in Mileten. super manutentione die 1 Aprilis 1715 coram eodem, quae extra collectas vagatur. Eadem S. Rota resolvit alterum dubium super iure congregandi et celebrandi synodum, ex quo ius provenit faciendi concursus in Ecclesiis dictorum locorum, ut in decis. 13, et 15 eod. tit. loc. cit. Demum S. Rota censuit, quoad quatuor loca Abbati concessa recedendum a decisis, in reliquis in decisis respondit, ut in decis. 10, et 11 cor. eod. loc. cit. Hinc integrum et universale territorium in toto ambitu suae Diaecesis, nullo ex dictis locis excepto, de iurisdictionis Episcopi fuit declaratum et confirmatum in decis. 10, et 11 loc. cit., et concessa super hoc iure manutentio in decis. 12 loc. cit., nec non diaecesana et territorialis iurisdictio Episcopi definita secumtulit resolutionem et confirmationem in favorem Episcopi subalterni dubii super iure congregandi synodum in Ecclesiis dictorum locorum eiusque iuris manutentione, ut in decis. 13, 14, 15, 16, 17, 18 loc. cit.

(2) Rot. in Burgen. iurisdictionis super commissione curae, coram Falconerio tit. de miscell. decis. 13, n. 3; et coram Crispo decis. 341, n. 3; et coram Gamaches 2 decembris 1722 §. Quo praemisso.

(3) Ita distinguit Rot. in Burgen. super commissione curae coram Falconerio tit. de miscell. decis. 13, n. 1 et 3.

(4) Rot. in decis. 71, n. 9 coram Merlin.

(5) Sic etiam in terminis loquuntur Barbos. de iur. eccles. univ. lib. 3, cap. 6, n. 48, et 49; Pignatell. consult. canon. 133, n. 7, tom. 1.

(6) S. Congreg. in Palentina 9 Februarii 1760.

requisitionem administrandam approbatus, teneatur se subiicere novo examini pro approbatione ad curam animarum dictae Ecclesiae in casu etc., S. Congregatio in Colonien. die 10 Maii 1760 responsum dedit: *Affirmative et amplius.*

111. Propterea parochi regulares, etiamsi sint Abbates, non possunt a Superioribus regularibus ad curam animarum destinari, illamque exercere, sine approbatione Episcopi *in Constantien. Iurisdictionis die 31 Martii 1770* §. *ad XXI* (1).

112. Abbas Monasterii Amorbacensi coactus fuit a S. Congregatione ad parochialem Ecclesiam et Beneficium Primissariae in Buchen. praesentare presbiterum secularem, non vero Monachum ipsius Monasterii, quamquam diutinam possessionem et privilegia asseruerit. At possessio non immemorabilis, ne quidem centenaria, sed necessitate ducta, comperta est *in Herbipolen. Parochialis Ecclesiae et Primissariae die 5 Decembris 1750 ad I dubium.*

Item *die 13 Martii 1751.*

113. Misnensis episcopatus ab haereticis occupatus fuit, illiusque administratio et ecclesiastica iurisdictio in Catholicos, qui in utraque Lusatia supererant, Capitulo Budissino, quod Vice-episcopum elegit, tributa fuit. Sed Abbas monasterii Neo-Cellelensis episcopalia iura et simul parochialia vindicavit, et ea in detrimentum Ecclesiae Misnensis hactenus exercet. Hinc Capitulum conquestus fuit contra Abbatem apud Nuncios Apostolicos, inde in S. Congregatione, quae, dubia exhibita ad S. Congregationem de Propaganda Fide, remisit *in Misnen. iurisdictionis die 16 Ianuarii 1745.*

114. Abbati parocho Ecclesiae S. Pauli debetur duplicata portio fructuum etiam ex legatis piis *in Verulana die 14 Martii 1722 ad III dubium.*

115. Verum administratio bonorum et redituum ecclesiae S. Pauli non spectat privative ad Abbatem parochum *in Verulana die 14 Martii 1722 ad II dubium.*

116. Abbates aliique Praelati inferiores Episcopis nequeunt sibi pensiones reservare super parochiis, in quibus ab ipsis deputatur vel monachus vel sacerdos secularis ad curam animarum exercendam *in Olomucen. die 11 Iulii 1665 lib. 24 decretorum.*

117. Abbas, cuius monasterio unita est Ecclesia parochialis, non potest absque licentia Ordinarii constituere fontem baptismalem, pro commoditate parochianorum, in ecclesia Grancia sui monasterii *in Calaguritana Iurisdictionis die 11 Ianuarii 1698 lib. 48 decretorum.*

118. Abbas, iurisdictionem exercens quasi episcopalem in Ecclesia collegiata, exemptus et ordinarius ipsius ecclesiae, de consensu seu consilio sui Episcopi, non potest supprimere canonicatus seu praebendas, aut portiones *in Alexandrina anno 1573 lib. 1 decretorum p. 11.*

Item *in Palentina Novembris 1584 lib. 4 decretorum pag. 4.*

119. Amplia, etiamsi in praedicta Ecclesia omnia concurrant, quae praescribuntur a sacro Concilio tridentino in cap. 15 sess. 24 de reform. *in Alexandrina anno 1573 lib. 1 decretorum pag. 11.*

Item *in Palentina Novembris 1584 lib. 4 decretorum pag. 4.*

120. Abbates secularium Ecclesiarum collegiatarum, iurisdictionem quasi episcopalem exercentes, non possunt facere uniones, sicut possunt Episcopi *in dubio ad cap. 13 sess. 24 de reform. Posit. 100.*

121. Modus vero providendi Ecclesiis de praedicatoribus talis esse videtur: si Abbas vult deputare regulares sui ordinis, expediat literas patentes, in quibus dicet: eligimus et deputamus ad Ecclesiam parochialem NN. nostrae Congregationis pleno iure subiectam *in Spoletana Concionatoris die 13 Aprilis 1737* §. *Praeter ea* (2).

122. Episcopus autem sic electo seu deputato suam Benedictionem impertiri debet, et nihil aliud *in Spoletana Concionatoris die 13 Aprilis 1737* §. *Praeter ea.*

123. Quo vero ad Praedicatores alterius ordinis sive Seculares, Abbas dabit illis literas patentes, dicendo: nominamus seu praesentamus, quibus exhibitis Episcopo, iste eas dimittet in eius Cancellaria, ut ibi remaneant ad publicum

(1) S. Congreg. in Olomucen. 1755 ad III dubium.

(2) Super hac materia ad iuris aeque ac praxis tramites late tradunt Pignatell. consult. 206, tom. 4. Barbos. de offic. et potest. Episcop. allegat. 79; Panimoll. decis. 91, annot. 1 et 2. Monacell. tom. 1, tit. 12, form. 7; Piton. discept eccles. 101, n. 1 et seqq. et signanter n. 8, tom. 4.

documentum *in Spoletana Concionatoris die 13 Aprilis 1737* §. *Praeter ea.*

124. Hinc dabit suas patentes praesentato, seu nominato per Abbatem, in quibus exprimenda erit nominatio seu praesentatio Abbatis, et faciat deputationem, seu licentiam praedicandi in populum *in Spoletana Concionatoris die 13 Aprilis 1737* §. *Praeter ea.*

125. Demum illi benedictionem impertietur, super qua necessitate dimittendi patentes Abbatis in Cancelleria et exprimendi in patentibus Episcopi nominationem seu praesentationem Abbatis extat resolutio etc. *in Spoletana Concionatoris die 13 Aprilis 1737* §. *Praeter ea.*

126. Hinc cum in Ecclesiis plenarie unitis cura resideat penes ipsum Monasterium et Abbatem, qui dicitur primus Parochus, ad eumdem quoque Abbatem pertinere debet Concionatoris electio *in Spoletana Concionatoris die 13 Aprilis 1737* §. *Ceterum* (1).

127. Cum enim Abbas harum Ecclesiarum unitarum sit Parochus, utique illi onus iniunctum est praedicandi Verbum Dei, et accedente legitimo impedimento, per alios praestare tenetur, ad illius nominationem Abbas in scriptis procedere debet, quam Concionator electus Episcopo praesentare debet, qui illi Episcopalem benedictionem impertiatur *in Spoletana Concionatoris die 13 Aprilis 1737* §. *Ceterum* (2).

128. Pitonius in discept. 101, n. 5, tom. 4 post relatas Sacrae Congregationis resolutiones et Rotalem decisionem nititur eas conciliare hisce verbis: Mihi autem reflectenti ad veritatem videtur, utramque opinionem posse de facili conciliari, quoniam decisiones S. Rotae in Fanen., nec non resolutio Sacrae Congregationis in Ferrarien. loquuntur de simplici iure nominandi et praesentandi seu eligendi Concionatores *in Spoletana Concionatoris die 13 Aprilis 1737* §. *Ceterum.*

129. Resolutio vero Sacrae Congregationis in Cremonen. loquitur de iure deputandi *in Spoletana Concionatoris die 13 Aprilis 1737* §. *Ceterum.*

130. Unde concluditur, quod ubi Abbas Conciones expleri velit per Regulares alterius Ordinis vel Seculares, spectet ad Episcopum eos deputare, ad nominationem tamen et praesentationem Abbatis *in Spoletana Concionatoris die 13 Aprilis 1737* §. *Ceterum.*

131. Scilicet spectet ad Episcopum dare licentiam praedicandi, nec non benedictionem iisdem Concionatoribus nominatis per Abbatem, de qua nominatione seu praesentatione Episcopus mentionem facere debet in suis literis, quum incompatibilis non sit deputatio Episcopi, cum nominatione Superioris Regularis *in Spoletana Concionatoris die 13 Aprilis 1737* §. *Ceterum* (3).

132. Propositis itaque dubiis: I. *An et sub qua formula sint concipiendae Literae Patentes Concionatoris destinati ab Abbate S. Eulilii et respective, an Concionator teneatur novas recipere Literas Patentes ab Episcopo Spoletano, vel potius sufficiat solummodo petere et recipere solitam benedictionem ab eodem Episcopo in casu* etc.

II. *An idem Concionator possit ad sui libitum comparere coram Episcopo pro habenda et recipienda benedictione praedicta, dummodo id faciat paulo ante Quadragesimam in casu* etc., S. Congregatio in praefata Spoletana Concionatoris die 13 Aprilis 1737 respondit: *Ad primum, Literas Abbatis concipiendas esse cum verbis, nominamus et praesentamus, Concionatorem vero teneri ultra benedictionem recipere ab Episcopo Literas deputationis, in quibus fiat mentio nominationis seu praesentationis Abbatis. Ad secundum, ad mentem* (4).

133. Repropositis deinde dubiis sub formula: *An sit standum vel recedendum a decisis in casu* etc., S. Congregatio in citata Spoletana die 28 Ianuarii 1741 respondit: *In decisis, et amplius.*

134. Hinc Abbates, qui non sunt nullius Diaecesis, non habent ius concedendi licentiam Regularibus concionandi extra proprias Ecclesias, sed hoc spectat ad Episcopum; intra cuius Diaecesis fines sitae sunt Abbatiae *in Calagurita na anno 1600 lib. 9 decretorum pag. 143.*

135. Ceterum Abbas prohibere potest Regularibus, ne praedicent in Ecclesiis suorum

(1) Rot. in Fanen. iurisdictionis 21 Ianuarii 1704. §. fin. coram Card. Scotto.

(2) Rot. in decis. 5 Iunii 1705 coram Caffarell.

(3) S. Congreg. Episcoporum et Regularium in Alatrina die 3 Iulii 1693.

(4) Mens fuit, ut deberet potissimum inspici et certius edoceri quid hac in re synodales Constitutiones huius Diaecesis praeciperent.

Ordinum, non petita ab eo benedictione *in Nullius Ravennaten. die 1 et 15 Septembris 1629 lib. 14 decretorum pag. 154 et 169.*

136. Imo et prohibere, ne praedicent, cum rationabili tamen causa *in Nullius Ravennaten. die 1 et 15 Septembris 1629 lib. 14 decretorum pag. 154 et 169.*

137. Abbas S. Mariae de Balneo non potest impertiri benedictionem Concionatoribus, destinatis pro Ecclesia Monasterii, et aliis Parochialibus, intra districtum Abbatiae *in Burgi S. Sepulchri Iurisdictionis die 20 Septembris 1698 lib. 48 decretorum.*

138. Abbas autem S. Silvestri Nonantulae potest benedictionem publice in Ecclesia Praedicatoribus impertiri privative quoad Abbatem Regularem Monasterii *in Nonantulana Iurisdictionis die 20 Iunii 1682 lib. 32 decretorum pag. 320.*

139. Facultas approbandi confessarios, qui in Ecclesia S. Barbarae confessiones excipiunt personarum ad eam accedentium, concessa minime videtur Abbati praedictae Ecclesiae *in adnotationibus Secretarii die 17 Novembris 1725* §. *Aliae demum.*

140. Nam non videtur, competere posse simpliciter exempto, vel ad summum habenti limitatam iurisdictionem in loco, sed carentem vero territorio separato et iurisdictione activa in clerum et populum *in adnotationibus Secretarii die 17 Novembris 1725* §. *aliae demum.*

141. Hinc facultas approbandi confessarios Praelatis inferioribus nullo modo competit, sine territorio separato *in Aquilana iurisdictionis die 21 Iunii 1760* §. *Probandum.*

142. Respicit enim curam animarum, in qua propria consistit iurisdictio episcopalis *in Aquilana iurisdictionis die 21 Iunii 1760* §. *Ad probandum* (1).

143. Immo tenetur offerre Episcopo, intra cuius diaecesis limites sita est abbatia, personas approbandas ad confessiones et praedicationem *in Calaguritana anno 1580 lib. 2 decretorum pag. 232.*

144. Nam Abbates, qui non sunt nullius diaecesis, non habent ius approbandi sacerdotes seculares ad confessiones audiendas, sed spectat ad Episcopum, intra cuius diaecesis fines sitae sunt abbatiae *in Calaguritana anno 1600 lib. 9 decretorum pag. 143.*

145. Hinc Abbas, licet habeat iurisdictionem quasi episcopalem, nisi sit pariter nullius diaecesi, itaut nec ipse, nec illius subditi alicui Episcopo subsint, non potest sibi reservare casus *in Nullius die 5 Februarii 1650 lib. 19 decretorum pag. 26.*

146. Inferiores Praelati enim non possunt casus sibi reservare, nisi iurisdictionem quasi episcopalem in eo loco obtinuerint, et nulli diaecesano subsint, nec eorum subditi *in Suessionen die 16 Septembris 1662 ad II dubium.*

147. Publicatio indulgentiarum facienda est per Ordinarios locorum iuxta praescriptum sacri Concilii tridentini in sess. 21 cap. 9 de reform. *in Aquilana iurisdictionis die 10 Maii 1760* §. *Nihilominus.*

148. Quemadmodum Praelatis exemptis secundae speciei nulla competit facultas publicandi indulgentias, ita nihil prodesse videtur consuetudo, quia reprobata est per Concilium tridentinum, uti irrationabilis *in Aquilana iurisdictionis die 21 Iunii 1760* §. *Ideoque* (2).

149. Itaque nullum ius competit Abbati, qui non habet territorium vere separatum *in Aquilana iurisdictionis die 10 Maii 1760* §. *Nihilominus.*

150. Praesertim, si eius Abbatia de aliqua diaecesi sit reputanda, itaut dici nequeat omnino ordinarius, ut distinguendo species Praelatorum inferiorum docent Doctores *in Aquilana iurisdictionis die 10 Maii 1760* §. *Nihilominus* (3).

151. Hinc contrarium dicendum, cum Abbatia territorium habeat omnino separatum a diaecesi, itaut tamquam Abbas vere nullius connumerandus sit inter Praelatos tertiae speciei, qui in suo territorio videntur veri ordinarii *in Aquilana iurisdictionis die 21 Iunii 1760* §. *Data est.*

152. Et propterea ad ipsum, tamquam ad verum ordinarium, spectare videtur publicatio indulgentiarum, licet vetita sit praelatis pri-

(1) Piton discept. eccles. 124, n. 14; Rot. in decis. 65, n. 1 post Tamburin. de iur. abbat. tom. 3, et in decis. 516 n. 18 coram Ansaldo, in Nolana beneficiorum 25 Iunii 1759 §. 10 coram Paracciano.

(2) Card. Petra in comm. ad Constit. 4 Calisti III sect. 2, n. 96 ad 98, tom. 5.

(3) Vanespen. iur. eccles. univ. part. 2, tit. 7, cap. 3, n. 15. Card. Petra in comment. ad Constit. 4 Calisti III sect. 1, n. 6, et sect. 2, n. 96 et 98. pag. 125.

mae et secundae speciei *in Aquilana iurisdictionis die 21 Iunii 1760 §. Data est* (1).

153. Propositis vero in praefato casu Aquilanae dubiis: I. *An et ad quem spectet publicatio Giubilaei et Indulgentiarum in terra Luculi in casu etc.*

II. *An subscriptio edictorum et quarumcumque scripturarum iurisdictionalium possit ab Abbate S. Ioannis de Luculo expleri, cum data:* Datum Aquilae ex palatio nostrae residentiae *in casu etc.*, S. Congregatio in Aquilana iurisdictionis die 21 Iunii 1760 respondit: *Ad primum, spectare ad Episcopum. Ad secundum, Negative, et esse apponendam datam ex Abbatia S. Ioannis Civitatis Aquilae.*

154. In sacra Congregatione examinatum fuit articulum: an concessio facta simpliciter presbitero conferendi sacramentum confirmationis adversetur Concilio tridentino, quod in sess. 7, can. 3 anathema dixit adversus asserentes, ordinarium ministrum confirmationis non esse solum Episcopum *in adnotationibus Secretarii die 17 Novembris 1725 §. Quoad secundum.*

155. Verum tres cardinales fuerunt in sensu, quod dicta facultas quodammodo adversetur tridentino, et quatuor alii in oppositam iverunt sententiam *in adnotationibus Secretarii die 17 Novembris 1725 §. Quoad secundum.*

156. Ex quo scilicet Concilium ibi loquitur de ministro ordinario et non de ministro extraordinario *in adnotationibus Secretarii die 17 Novembris 1725 §. Quoad secundum.*

157. Certum tamen est, ex Concilio tridentino in can. 12 sess. 7 de sacram. in genere solum Episcopum esse ordinarium ministrum confirmationis *in Parmen. Abbatiae Fontisvivi die 19 Decembris 1801 §. Quoad.*

158. Ex speciali vero delegatione summi Pontificis esse potest etiam simplex sacerdos *in Parmen. Abbatiae Fontisvivi die 19 Decembris 1801 §. Quoad* (2).

159. Id quod Pontifex divus Gregorius indulsit Presbiteris Sardiniae, ob inopiam Episcoporum *in Parmen. Abbatiae Fontisvivi die 19 Decembris 1801 §. Quoad.*

160. Immo et Regularibus quandoque hoc privilegium datum legitur, praecipue patri Guardiano S. Sepulchri ab Innocentio III confirmatum in Constitutione, incipien. *Cum infrascriptum*, et Constitutione, cuius initium: *Demandatam* Benedicti XIV *in Parmen. Abbatiae Fontisvivi die 19 Decembris 1801 §. Quoad.*

161. Legitur tamen, ut inquit Eugenius IV in Concilio florentino in decreto unionis, aliquando per apostolicae Sedis dispensationem, ex rationabili, et urgente admodum causa, simplicem Sacerdotem, chrismate per Episcopum confecto, hoc sacramentum confirmationis administrasse *in Parmen. abbatiae Fontisvivi die 19 Decembris 1801 §. Quoad.*

162. Abbatibus vero tertiae speciei hoc datum est, ut possint quemlibet Episcopum advocare, ut sacramentum confirmationis in territorio separato ministrent *in Parmen. Abbatiae Fontisvivi die 19 Decembris 1801 §. Quoad* (3).

163. Hinc Abbates possunt generatim vocare quemcumque catholicum Antistitem pro administrando sacramento confirmationis suis subditis *in Farfen. anno 1573 lib. 1 decret. pag. 103.*

Item *in Nullius Sancti Laurentii in campo anno 1580 lib. 2 decretorum pag. 108; in Dyrachien. die 21 Augusti 1627 lib. 13 decretorum pag. 316 et alias saepius.*

164. Et in specie Abbas Farfensis potest vocare quemcumque maluerit catholicum Antistitem pro administrando suis subditis confirmationis sacramentum *in Farfen. anno 1584 lib. 4 decretorum pag. 103.*

165. Quod vero non potest facere Abbas S. Zenonis Veronensis, sed ad ipsum Episcopum Veronensem spectat *in Veronen. anno 1580 lib. 2 decretorum pag. 103.*

166. Non desunt imo exempla huius indulti etiam Abbatibus concessa, et praecipue Abbati seculari S. Barbarae Mantuae, qui ex Bulla Pii V potest sacramentum confirmationis suis subditis conferre *in Parmen. abbatiae Fontisvivi die 19 Decembris 1801 §. Quoad* (4).

167. Et Abbati regulari Montis Casini hoc privilegium concessit Sixtus V in Constitutione, cuius initium: *Benignitas,* confirmavitque Benedictus XIII in Constit. 8, quae incipit: *Inscru-*

(1) Card. Petra in comm. ad Constit. 4 Calisti III, sect. 2, n. 96 ad 98, tom. 5.
(2) Can. Pervenit, dist. 95.
(3) Card. Petra in comment. ad Constit. apost. tom. 5, pag. 124, n. 90.
(4) Ita refert Benedict. XIV in synod. diaeces. lib. III, cap. 1, n. 6.

tabilis, post Concilium romanum *in Parmen. Abbatiae Fontisvivi die 19 Decembris 1801* §. *Quoad.*

168. Imo concessit supremus Pontifex hanc confirmationis Sacramentum ministrandi facultatem post Concilium tridentinum Abbati regulari, qui hoc privilegium ante Concilium habebat a Sede apostolica sibi concessum *in Dubio die 3 Martii 1575 ad can. 1 et 3 de confirmation. sess. 7, Posit. 11.*

169. Et certum est, administrandi Sacramentum confirmationis facultatem, concessam ante Concilium Abbati regulari, posse a Papa confirmari post Concilium *in Dubio die 3 Martii 1575 ad can. 1 et 3 de confirmation. sess. 7, Posit. 11.*

170. An autem expediret, post Concilium Papam concedere hanc facultatem Abbati regulari, pro negativa steterunt sex e septem Cardinalibus, eo ducti motivo, ne detur occasio Haereticis se confirmandi in errore, quod hoc Sacramentum possit conferri a Sacerdote simplici, et hoc ita resolutum, post maturam materiae discussionem *in Dubio die 3 Martii 1575 ad can. 1 et 3 de confirmation. sess. 7, Posit. 11.*

171. Et propterea huiusmodi facultatem non esse concedendam simplicibus Sacerdotibus sive secularibus, sive regularibus in Insulis Philippinis censuit sacra Congregatio, non obstante, quod ob Diaecesis amplitudinem et Populorum frequentiam, extra Civitates in vastissimis agris viventium, quamplures non confirmati decederent *in Indiarum occidentalium die 28 Ianuarii 1656 lib. 21 decretorum pag. 512.*

172. Ceterum, cum hoc privilegio donari velit Abbas, haec videtur interponenda conditio esset, ut reciperet chrisma ab Episcopis *in Parmen. Abbatiae Fontisvivi die 19 Decembris 1801* §. *Notandum.*

173. Nam in Concilio Romano, sub Silvestro celebrato, in can. 5 expresse prohibetur Presbiteris chrisma conficere *in Parmen. Abbatiae Fontisvivi die 19 Decembris 1801* §. *Notandum* (1).

174. Neque haec facultas eisdem unquam a Pontificibus concessa legitur *in Parmen. Abbatiae Fontisvivi die 19 Decembris 1801* §. *Notandum* (2).

175. Imo Abbas S. Silvestri Nonantulae ex speciali indulto Apostolico potest olea sacra ex vicinis Episcopis accipere *in Nullius Nonantulae die 19 Ianuarii 1636, lib. 15 decretorum pag. 302.*

176. Quatenus vero haec privilegia concedantur, facilius indulgeri poterit usus cappae magnae, quae donat iurisdictionem, et convenit Abbatibus tertiae speciei cum territorio separato, quaeque inter vestes pontificales recensetur *in Parmen. Abbatiae Fontisvivi die 19 Decembris 1801* §. *Notandum* (3).

Item *in Colimbrien. die 26 Iunii 1655 ad II dubium, lib. 19 decretorum pag. 485.*

177. Abbas Benedictus, vel habens privilegium faciendi omnia, quae possunt Abbates benedicti, non potest exercere ea, quae sunt ordinis episcopalis, absque expressa eorum concessione *in Dubio die 3 Martii 1573 ad can. 1 de confirm. Posit. 11.*

Item *in Portugallien. die 28 Februarii 1643 lib. 17 decretorum pag. 152 ad II dubium; in Colimbrien. die 26 Iunii 1655 lib. 19 decretorum pag. 485 ad II dubium.*

178. Hinc non potest Sacramentum confirmationis ministrare *in Dubio die 3 Martii 1573 ad can. 1 de confirm. Posit. 11.*

Item *in Portugallien. die 28 Februarii 1643 lib. 17 decretorum pag. 152 ad II dubium; in Colimbrien. die 26 Iunii 1655 lib. 19 decretorum pag. 485 ad II dubium.*

179. Amplia, Abbates non possunt ministrare Sacramentum confirmationis etiam habentes privilegium faciendi omnia, quae faciunt Episcopi, sola excepta chrismatis confectione et sacrorum ordinum collatione *in Dubio die 3 Martii 1575 Posit. 11 ad can. 1 et 3 de confirmation. sess. 7.*

180. Et propterea ab eis confirmati, sicuti nulliter Sacramentum susceperunt, ita indigent nova confirmatione, mature perpensis privilegiis Abbatum ordinis S. Benedicti et S. Bernardi *in Portugallien. die 28 Februarii 1643 lib. 17 decretorum pag. 152 ad II dubium.*

181. Ex quo Pius IV facultatem dederit habendi et retinendi in Ecclesia S. Barbarae sacrum chrisma ab Ordinario loci aut alio catholico Antistite benedictum, illudque distribuendi et conferendi Christifidelibus, minime videtur, Abbatem S. Barbarae et in eius defectu cete-

(1) Teste Bellarmin. de Sacram. confirmat. lib. 1, cap. 8, propos. 2 vers. Secundo probatur.

(2) Tamburin. de iur. Abbat. disp. 3, quaest. 2, n. 2, tom. 2.

(3) Clement. in Concordia pastoral. part. 2, cap. 1, n. 100; Card. De Luc. in adnot. ad Concil. trident. disc. 6, n. 5.

ras eiusdem Ecclesiae Dignitates, ministros extraordinarios constituere voluisse Sacramenti confirmationis *in Adnotationibus Secretarii die 1 Septembris 1725 §. Quoad quartum.*

182. Nam, licet chrisma non sit simplex oleum, sed oleum balsamo mixtum, iuxta textum in Cap. unico de sacra unctione, et balsami mixtura sit necessaria in Sacramento confirmationis, sive deinde hoc sit de necessitate sacramenti, sive de necessitate praecepti (1), cum sacrum nihilominus chrisma in tot aliis consecrationibus ordinationibus et benedictionibus adhibeatur, sensus idcirco privilegii Piani esse poterit, ut sacrum chrisma ab Episcopo benedictum conservetur in Ecclesia S. Barbarae, ut casibus opportunis consignetur illis, qui eo uti possunt, absque ulla necessitate adstruendi, quod Abbas et ceterae Dignitates eodem uti valeant in conferendo confirmationis Sacramento *in Adnotationibus Secretarii die 1 Septembris 1725 §. Licet.*

183. Adeoque, cum inter cetera dubia proposita die 12 Augusti 1679 inter Episcopum Mantuanum et Abbatem S. Barbarae, nonum conceptum esset sequentibus verbis, *denique attribuit sibi facultatem ministrandi Sacramentum confirmationis seu chrisma,* huic dubio die 16 Martii 1680 responsum fuit: *Non licere - in Adnotationibus Secretarii die 1 Septembris 1725 §. Adeoque.*

184. Et in tantum tunc responsum fuit: *Non licere,* et non fuit responsum: *Non posse,* in quantum tunc Abbas S. Barbarae characterem habebat episcopalem; si enim Abbas fuisset simplex Sacerdos responsum fuisset: *Non posse,* iuxta celebrem textum in cap. *Quanto* de consuetudine *in Adnotationibus Secretarii die 1 Septembris 1725* §. Et in.

185. Abbates secularium Ecclesiarum Collegiatarum, mitra, annulo, et baculo aliisque insignibus pontificalibus ex indulto Apostolico utentes, indigent speciali facultate Sedis apostolicae ad hoc, ut in missa cum processionum aliorumque actuum pontificalium celebrationibus solemniter populo benedicere valeant *in Pennen. exemptionis die 23 Martii 1658, lib. 21 decretorum pag. 213.*

186. Siquidem proposito dubio: - II. An Abbates secularium et Collegiatarum Ecclesiarum mitra, annulo, et baculo, aliisque insignibus Pontificalibus ex indulto aut privilegio Apostolico utentes, opus habeant impetrare a Sede Apostolica munus benedictionis, ad hoc, ut ipsi in missarum, processionum, aliorumque actuum Pontificalium celebrationibus Populo benedicere valeant, S. Congregatio respondit: - Indigere speciali privilegio - *in Pennen. exemptionis die 23 Martii 1658, lib. 21 decretorum pag. 213.*

187. Sacra Congregatio censuit, Abbatem in casu habentem, ex privilegio S. M. Iulii II, ut possit omnes actus exercere et insignia deferre ac si munus benedictionis suscepisset, utique posse Ecclesiam, de qua agebatur, benedicere *in Eugubina seu Congregationis Olivetanae die 19 Aprilis 1625, lib. 12 decretorum pag. 276.*

188. Abbas exemptus potest uti mitra auro ornata *in Cremonen. synodi die 8 Augusti 1733* §. *Posita.*

189. Contra Abbas non exemptus uti debet solum mitra simplici, alba, et plana *in Cremonen. synodi die 8 Augusti 1733* §. *Posita* (2).

190. Abbates, habentes usum mitrae et baculi, praecedere debent Canonicos extra casum, quo capitulariter incedant *in Mileten. Decembris 1586, lib. 4 decretorum pag. 216 ad II dubium.*

191. Habentes autem usum mitrae et baculi, ac iurisdictionem quasi episcopalem exercentes, praecedere debent Vicarios Generales Episcoporum in Synodo provinciali *in Narbonen. anno 1612 lib. 11 decretorum pag. 120 ad III dubium.*

192. Patula est enim sacrorum canonum dispositio, qua statuitur, Abbatibus, qui usum pontificalium habent, digniorem sive ultimum post omnes in processionibus aliisque publicis functionibus competere locum, ceterisque omnibus inferioribus Dignitatibus praecedere debere *in Beneventana praecedentiae die 10 Septembris 1853* §. *Haec* (3).

193. Imo suae dignitatis ratione solum in-

(1) Iuxta varias scilicet Scribentium opiniones, de quibus apud Card. Petra tom. 3 ad Constit. apost. pag. 139.

(2) Clemens IV in cap. Ut apostolicae, de privileg. in 6.

(3) Cap. Statuimus, de maior. et obed.; cap. Si quis deinceps.; cap. Ut apostolicae, de privileg. in 6. Caeremonial. Episcop. lib. 1, cap. 31, n. 15; Benedict. XIV de synod. Diaeces. lib. 3, cap. 10, n. 5.

cedere debet *in Beneventana praecedentiae die 10 Septembris 1853* §. *Haec* (1).

194. Quia aequalis incessus, nimirum in eadem linea, arguit aequalitatem dignitatis, quod sane non debet, sed ad hoc quod dignior suam habeat praeeminentiam, necesse est, ut alter progrediatur, et alter subsequatur *in Beneventana praecedentiae die 10 Septembris 1853* §. *Haec* (2).

195. Verum, si Abbas neque ordinariam iurisdictionem habeat, neque exemptione personali perfruatur, nullatenus a ceteris differt Dignitatibus *in Beneventana praecedentiae die 10 Septembris 1853* §. *Hac ratione* (3).

196. Hinc eum praecedere potest quodvis Collegium, ratione maioris dignitatis praerogativae, qua pollet *in Beneventana praecedentiae die 10 Septembris 1853* §. *Hac ratione.*

197. Proposito hinc in casu praedictae Beneventanae dubio: II. *An et de cuius Collegii bono iure praecedentiae constet, et quomodo incedere debeat Abbas S. Spiritus in processionibus, etiam ad effectum manutentionis in casu* etc., S. Congregatio in praefata Beneventana praecedentiae die 10 Septembris 1853 respondit: *Ad secundum, Servetur solitum.*

198. Abbas vel alius Praelatus Episcopo inferior nequit extra Ecclesias sibi subiectas uti pontificalibus insignibus *in Cremonen. synodi die 8 Augusti 1733* §. *Adstipulantur* (4).

199. Amplia, etiamsi concurrerent consuetudo ac privilegia *in Cremonen. synodi die 8 Augusti 1733* §. *Adstipulantur* (5).

200. Abbas non potest Pontificaliter celebrare extra propriam Ecclesiam sine Episcopi Diaecesani licentia *in Calaguritana die 17 Aprilis 1638 lib. 16 decretorum pag. 1.*

Item *in Uratislavien. die 16 Iunii 1668, lib. 26 decretorum pag. 18 ad V. dubium.*

201. Abbas Commendatarius S. Silvestri Nonantulae potest cantare Missam in festo S. Silvestri titularis Ecclesiae, Pontificalia exercere, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum Confirmationis et Ordinis ac pontificalia alium ministranda vocare privative ad Abbatem regularem Monasterii *in Nonantulana Iurisdictionis die 20 Iunii 1682 lib. 32 decretorum pag. 320* (6).

(1) Colligitur ex quadam resolutione S. Congregationis in Ragusina super praecedentia inter Canonicos et Abbates.

(2) Scarfant. ad Ceccoper. lucubr. canon. tom. 3 addit. 7, n. 20.

(3) Ceccoper. lib. 1, tit. 9, n. 12.

(4) Card. Petra ad Const. 6 Urbani IV, n. 53, tom. 3, ibique Decreta generalia S. R. C. ab Alexandro VII confirmata.

(5) Monacell. in Formular. Legal. pract. tom. 4, pag. 40 n. 88, ibique S. R. Congreg. anno 1687.

(6) Siquidem-Nonantulana etc. Ut absque iudiciorum strepitu dubitari nunquam contingat, an et quae iurisdictio in Ecclesia Monasterii S. Silvestri de Nonantula olim Ordinis S. Benedicti et modo Congregationis Cisterciensis competat Abbati Commendatario, Emus Cardin. Rospigliosius modernus Abbas; Monachorum quietis eaque ac propriae iurisdictionis solicitus infra dubia cum Procur. gen. praefatae Congreg. concorditer efformavit exoptans, ut ab hac S. Congr. quid iuris fuerit super eorum singulis decernatur.

Quapropter EE. PP. perpensis informationibus et summariis utriusque Partis vicissim communicatis ex ad eorum manus deferendis respondere non gravabuntur.

I. An ius visitandi Ecclesiam S. Silvestri Nonantulae spectet ad Cardinalem Abbatem Commendatarium, vel ad PP. Visitatores Cistercienses?

II. An praesupposita competentia iuris visitandi, possit nec ne visitare SSmum Sacramentum, quod solum pro Monachis inservit?

III. An ius cantandi missam in festo S. Silvestri Titularis pertineat ad Vicarium dicti Card. com. vel ad Praelatum Monachorum?

IV. An Monachis et eorum Praelato ibi residenti competat ius utendi Pontificalibus in Ecclesia praedicta cum licentia vel sine dicti Cardinalis commendatarii?

V. An absente E. Card. commendatario delegatio SSmi in die festivitatis Corporis Christi spectet ad Vicarium dicti E. Cardinalis, vel ad Praelatum Monachorum?

VI. An liceat dicto E. Card. comm. in dicta Ecclesia Synodum convocare et Episcopos delegare, qui in eadem Ecclesia Sacramentum Confirmationis et Ordinis, aliaqua Pontificalia administrent, idque absque licentia Praelati Monachorum?

VII. An Vicario dicti E. Cardinalis commendatarii liceat usus Rocchetti in praedicta Ecclesia, quando alias ratione Prothonotariatus, vel alterius dignitatis, talis habitus non competeret?

VIII. An liceat Vicario praedicto benedictionem publice impertire Praedicatoribus in praedicta Ecclesia, et an Praedicatores teneantur petere licentiam praedicandi a Praelatis Monachorum?

S. Congr. ad primum respondit, Spectare ad Eminentissimum Commendatarium quoad secularia, et quasi episcopalia, quo vero ad regularia ad Regulares. Ad secundum, Posse. Ad tertium, Spectare ad Eminentissimum Commenda-

*

202. Abbas benedictus ab Episcopo, pontificalia in alterius Diaecesi exercens, remanere suspensus videtur ab exequutione et exercitio eorum, quae secumfert benedictio *in Colonien. Functionum pontificalium et benedictionis abbatialis die 13 Iunii 1722* §. *Poenae.*

203. Ducto scilicet argumento a cap. 5 sess. 6 Concilii tridentini, in quo ordinati ab exercente pontificalia in alterius diaecesi sunt ipso iure suspensi ab ordinum exequutione *in Colonien. Functionum pontificalium et benedictionis abbatialis die 13 Iunii 1722* §. *Poenae.*

204. Abbas potest generatim remittere denunciationes matrimoniorum, promulgare excommunicationes, exceptis iis, quae feruntur ad effectum revelationis *in Farfen. anno 1573 lib. 1 decretorum pag. 103.*

205. At Abbas S. Zenonis veronensis nequit remittere denunciationes matrimoniorum *in Veronen. anno 1580 lib. 2 decretorum pag. 103.*

206. Abbas, habens iurisdictionem quasi episcopalem, cognoscit et facit probationes status liberi suorum subditorum, matrimonium contrahere volentium *in Papien. die 3 Iunii 1651 lib. 19 decretorum pag. 13 ad II dubium.*

207. Et Episcopus tenetur eas admittere *in Papien. die 3 Iunii 1651, lib. 19 decretorum pag. 13 ad II dubium.*

208. Abbatibus, temporalem et spiritualem iurisdictionem in loco habentibus, dirigendae sunt dispensationes matrimoniales *in Dubio ad cap. 20 sess. 24 de reform. Posit. 110.*

209. Nec non dirigendae sunt expeditiones, quae significativae appellantur *in Dubio ad cap. 3 sess. 24 de reform. Posit. 147.*

210. At olim Abbatibus Ordinis S. Benedicti Regnorum Portugalliae opinantibus, iurisdictione quasi episcopali cum territorio separato potiri, propositum fuit dubium: An dispensationum matrimonialium literae in forma *Significavit,* et similes debeant dictis Abbatibus quoad eorum subditos committi? S. Congregatio negativum dedit responsum *in Aug. die 7 Augusti 1649 ad I dubium.*

211. Proposito subinde dubio: An decretum anni praedicti comprehendat modernos Abbates ordinis Cisterciensis, S. Mariae de Salzedas, S. Ioannis de Tharouca, et S. Petri das Aquiras in Regnis Portugalliae habentes subditos laicos? Sacra Congregatio resolutionem distulit cum clausula: et interim se abstineant in omnibus *in Lamacen. iurisdictionis die 13 Augusti 1707.*

212. Deinde vero censuit respondere affirmative pro comprehensione decreti *in Lamacen. die 26 Ianuarii 1709.*

213. Denique pluribus productis privilegiis, et iurisdictionalibus actibus, ex quibus qualitatem veram *nullius* Abbates habere putabant, S. Congregatio respondit: Dilata, et dentur remissoriales et compulsoriales Abbatibus, et interim se abstineant *in Lamacen. die 16 Decembris 1713 ad I dubium.*

214. Quamdiu idcirco Praelatus inferior legitime non probaverit, se omnimodam iurisdictionem quasi Episcopalem habere, S. Congregatio decrevit, ad Episcopum dumtaxat spectare de causis absentiae Parochorum cognoscere, illisque abscedendi facultatem impertiri, atque in ipsorum locum Vicarios sufficere praevio examine approbandos, sacerdotes item sive seculares sive regulares approbare ad confessiones personarum secularium audiendas, licentiasque concionandi concedere, sacramentum chrismatis ministrare, et causas matrimoniales et criminales, ad forum ecclesiasticum spectantes, cognoscere *in Theatina die 26 Septembris 1615 ad II dubium.*

Item *in Suessionen die 16 Septembris 1662.*

215. Quod si inferior, ex immemorabili consuetudine, praedictas causas cognoscere consueverit, huiusmodi consuetudinem non esse quidem a Concilio sublatam: ceterum donec illam probaverit per tres sententias conformes vel unicam, quae in vim iudicatam transierit, causas huiusmodi a solo Episcopo esse cognoscendas censuit S. Congregatio *in Theatina die 26 Septembris 1615 ad IV dubium.*

216. Abbas de Luculo non habet cognitionem causarum matrimonialium nec criminalium suorum subditorum, sed hanc habet Episcopus Aquilanus *in Aquilana anno 1613 lib. 11 decretorum pag. 30.*

217. Exorta quaestio inter Episcopum et Abbatem Monasterii S. Mariae de Balneo Ordinis

tarium vel eius Vicarium. Ad quartum respondit, Posse Priorem etiam sine licentia Abbatis commendatarii in his, quae illi competunt uti Priori. Ad quintum, Spectare ad Vicarium Eminentissimi dicti Cardinalis commendatarii. Ad sextum, Licere. Ad septimum respondit, Negative. Ad octavum, Affirmative quoad primam partem, quo vero ad secundam respondit: Negative.

Camaldulensis, propositum fuit dubium: An licitum sit Abbati S. Mariae de Balneo eiusque Vicario dare attestationes super statu libero nubentium, praevio examine testium in eius Cancellaria? Sed S. Congregatio instantiam ad S. Congregationem S. Officii remisit *in Burgi S. Sepulchri iurisdictionis die 20 Septembris 1698 ad I dubium* (1).

218. Abbas S. Facundi in Hispania potest omnia peragere, quae continentur in decreto Concilii tridentini in cap. 18, sess. 24, de reform., concurrentibus in eo requisitis Abbatis nullius cum territorio separato *in Legionen. lib. 2 decretorum pag. 119.*

219. Abbas, qui nullum in Civitate diaecesis possidet palatium abbatiale, nequit subscriptionem edictorum et quarumcumque scripturarum iurisdictionalium explere cum data Civitatis diaecesis *in Aquilana iurisdictionis die 10 Maii 1760* §. *Nec.*

220. Amplia, quamvis dudum in Civitate diaecesis palatium abbatiale fuerit temporis iniuria collapsum *in Aquilana iurisdictionis die 21 Iunii 1760* §. *De subscriptione.*

221. Neque obstat, etsi actus voluntariae iurisdictionis exerceri possent in alieno territorio, si in Brevi solum permissum fuisset Abbati tribunal erigere in suo territorio *in Aquilana iurisdictionis die 21 Iunii 1760* §. *De subscriptione.*

222. Ac proinde residentia iurisdictionalis ab eo asserenda non est extra territorium, in palatio suae habitationis, existente in parte Civitatis unice subiecta iurisdictioni Episcopi *in Aquilana iurisdictionis die 21 Iunii 1760* §. *De subscriptione.*

223. Abbas tribunal erigere nequit in locis et domibus Episcopo subiectis, sicuti peragere id nequiret Episcopus in locis exemptis *in Aquilana iurisdictionis die 10 Maii 1760,* §. *Nec* (2).

224. In Oppido Civitatis Mediolanensis diaecesis Coenobium extat Monachorum Montis Oliveti, cuius Abbatia commendata est Eminentissimo Card. Odescalco Archiepiscopo. Penes Abbatem commendatarium stare dicitur cura habitualis; Ecclesia enim Coenobii est Parochialis, et cura actualis exercetur a perpetuo Vicario. Inter Monachos et Vicarium iurgia et contentiones saepius exortae sunt. Cum autem die 26 mensis Ianuarii 1718 Livius Bazza Vicarii munere fungens percussus fuerit a duobus Monachis, ab Antonio videlicet Petragrossa, sacerdote, et ab Alexandro Fumagallo, laico converso, nonnulla acta in Curia Archiepiscopali gesta fuerunt, de quorum validitate in praesenti est disputandum. Itaque propositis dubiis: I. An acta hactenus facta per Curiam Archiepiscopalem Mediolanen. contra Rev. Patrem Antonium Petragrossa, et Fr. Alexandrum Monachos sustineantur in casu etc.

II. An liceat eidem Curiae Archiepiscopali declarare vel saltem denunciare excommunicatos in vim can. Si quis suadente, dictos Monachos in casu etc. Et quatenus negative.

III. An constet de sufficiente punitione facta per dictum Abbatem regularem in casu etc. Et quatenus negative.

IV. An, quomodo, et quibus poenis sit procedendum contra dictos Monachos in casu etc. V. An licuerit eidem Abbati regulari absolvere praedictos Monachos a censuris, si quas incurrerint in vim dicti can. Si quis suadente, in casu etc., S. Congregatio in Mediolanen. censurarum die 2 Decembris 1719 respondit: Ad primum, Affirmative, excepto Monitorio expedito die 14 Februarii 1718, nec non excepta citatione expedita die secunda iunii eiusdem anni. Ad secundum, Licere (renovata tamen citatione iuxta Instructionem) declarare fratrem Alexandrum, nec non P. Antonium, quatenus delictum habeatur pro notorio, et quatenus habeatur tantum pro publico licere denunciare, id est praecipiendo suis Parochis et Subditis universis, ne eos admittant intra Ecclesias sibi subiectas, et non conversentur cum eodem. Ad tertium, Negative. Ad quartum, Detrudendos nomine S. Congregationis in carcerem formalem, et per Abbatem certioretur Eminentissimus Episcopus de poena delinquentibus imposita. Ad quintum, Negative.

225. Abbas Farfen. non potest concedere excommunicationes ad effectum revelationis pro rebus deperditis, vel subtractis *in Farfen. anno 1584 lib. 4 decretorum pag. 103.*

(1) Siquidem ex decreto Clem. X incipien. *Cum alias,* ut in Bullar. tom. 7. pag. 46, instantiae huiusmodi ad praelaudatam Congregationem privative spectant.

(2) Cap. Cum Episcopus, de offic. ordin. in 6; Cardinalis de Luc. in adnotat. ad Concilium tridentinum disc. 6, num. 12.

226. Quod neque potest facere Abbas S. Zenonis Veronensis, sed ad ipsum Episcopum Veronensem spectat *in Veronen. anno 1580 lib. 2 decretorum pag. 103.*

227. In causa Cassinen. proposito dubio: Ad quem interdicti ab Episcopo, pro absolutione saltem ad cautelam obtinenda, accedere debeant; et an Abbates, qui, ut praefertur, in locis sibi subditis habeant plenariam iurisdictionem quasi Episcopalem, possint illos sic interdictos ac loca interdicta, tamquam id de facto potius, quam servata forma sacrorum canonum processerint, auctoritate ordinaria ipsorum Abbatum absolvere et relaxare? S. Congregatio responsum tulit, ad primam partem accedere debere ad eum, qui interdictum relaxavit, ad secundam, non posse *in Cassinen. mensis Februarii 1588 ad V dubium.*

228. S. Congregatio praeterea rescripsit, non competere Abbatibus singulis ordinis Praemonstratensis Provinciae Sveviae facultatem dispensandi, in Monasteriis eorum regimini commissis, ab esu carnium certis anni temporibus per Constitutionem Iulii II Pont. Max. prohibito *in Ordinis Praemonstratensis die 15 Decembris 1725 ad II dubium.*

229. Amplia, nec pro uno die solemnis festivitatis in communi Coenaculo vel in Aula Hospitii, in quo Abbas et Canonici commorantes in Monasterio discumbant *in Ordinis Praemonstratensis die 15 Decembris 1725 ad III dubium.*

230. Causa tamen subsistente, dispensare possunt quoad aliquos Canonicos in casibus particularibus *in Ordinis Praemonstratensis die 15 Decembris 1725 ad IV dubium.*

231. Et quoad Canonicos, extra Monasterium in Parochiis ex obedientia degentes et expositos, iusta causa concurrente, ab Abbate Monasterii dispensatio praedicta concedi potest *in Ordinis Praemonstratensis die 15 Decembris 1725 ad V dubium.*

232. Sacra Congregatio resolvit, Abbati Collegiatae Ecclesiae Villae de Zafra, tam intra quam extra Ecclesiam non pileum, nec pectorale instar Episcoporum, sed vestem violaceam tantum deferre licere *in Pacen. seu Nullius iurisdictionis die 15 Ianuarii 1729 ad VIII dubium.*

233. Nec Pontificalia, extra dies in concordia per Sedem Apostolicam confirmata praescriptos, eidem Abbati peragere licet *in Pacen. seu Nullius iurisdictionis die 15 Ianuarii 1729 ad IX dubium.*

234. Idemque Abbas in dicta Collegiata, dum horae canonicae celebrantur, non potest adhibere Caudatarium, sed instar aliorum Canonicorum cappa magna uti valet in *Pacen. seu Nullius iurisdictionis die 15 Ianuarii 1729 ad X dubium.*

235. Nec eidem Abbati Sacra Congregatio permisit, in dicta Ecclesia, altero celebrante missam solemnem, incensum in thuribulo ponere illumque benedicere, nec aquam, cum vino miscendam per celebrantem, ut faciunt Episcopi ex praescripto caeremonialis *in Pacen. seu Nullius iurisdictionis die 15 Ianuarii 1729 ad XI dubium.*

236. Censuit praeterea, nec praefato Abbati, nec Celebranti in praedicta Collegiata de Zafra competere ius benedicendi Concionatores, qui concionem habituri sunt, sed ipsi Abbati debere prius reverentiam *in Pacen. seu Nullius iurisdictionis die 15 Ianuarii 1729 ad XII dubium.*

237. Denique Sacra Congregatio decrevit, Abbatem titulo Reverendissimi a Concionatoribus, dum hi verbum Dei annunciant, salutandum esse *in Pacen. seu Nullius iurisdictionis die 15 Ianuarii 1729 ad XIII dubium.*

238. Capitulares Ecclesiae S. Mariae nuncupatae *la Greca* ad Religionem Hierosolymitanam spectant. Hi graviter de clerico Xaverio Miccoli Abbate seu Rectore in minori aetate et non in sacris ordinibus constituto conquesti sunt, eo quod in Capitularibus negotiis et in Clero se vellet ingerere: hinc S. Congregationi visum est declarare, eumdem Abbatem absentem a chori servitio, substituere Presbiterum sibi benevisum ad exercenda iura praeeminentialia sibi competentia non posse, sed illa ad Capitularem Presbiterum Decanum, et respective ad Presbiterum Capitularem in ordine antiquiorem devolvi *in Nullius Putignani die 6 Maii 1741 ad I dubium*

239. Statuit inde, nec licere dicto Abbati non renuncianti ad vesperas et missas solemnes canendas ad sui arbitrium alium sacerdotem substituere, sed Decanum seu Presbiterum in ordine, ut supra, antiquiorem celebrare debere *in Nullius Putignani die 6 Maii 1741 ad II dubium.*

240. Resolvit imo, non posse Presbiteris Capitularibus, aliisque de Clero licentiam discedendi a choro concedere, et sese ab illo absque legitima causa et diutine secedendi *in Nullius Putignani die 6 Maii 1741 ad III dubium.*

241. Eadem S. Congregatio decrevit, nec posse eumdem Abbatem in librum referre absentias Sacerdotum, qui tempore divinorum officiorum, vel exedram ad excipiendas confessiones occupant, vel organum pulsant, dummodo primi ex deputatione, secundi absque stipendio id peragant *in Nullius Putignani die 6 Maii 1741 ad IV dubium.*

242. Abbas nullius diaecesis visitat Ecclesias parochiales sibi subditas cumulative cum Episcopo viciniore *in Sarsinaten. anno 1580 lib. 2 decretorum pag. 105.*

243. Abbas, iurisdictionem spiritualem et temporalem habens, non subiacet visitationi Episcopi *in Marsicana lib. 1 decretor. pag. 93.*

244. Abbas S. Silvestri Nonantulae potest visitare Ecclesiam S. Silvestri quoad temporalia sive secularia et episcopalia, tam per se quam per suum Vicarium generalem privative quoad Abbatem regularem Monasterii *in Nonantulana iurisdictionis die 20 Iunii 1682 lib. 32 decretorum pag. 320.*

245. Abbas, habens iurisdictionem visitandi Ecclesiam parochialem suo Monasterio unitam, potest in actu visitationis cogere sub censuris Capellanos eiusdem Ecclesiae ad exhibendos libros continentes legata, anniversaria, eosque relinquere in manu Abbatis pro revisione *in Calaguritana Visitationis die 9 Septembris 1702 lib. 52 decretorum.*

246. Abbates et Monachi, sub obedientia viventes, non visitantur ab Episcopo *in Augustana anno 1581 lib. 3 decretorum.*

247. Propositis dubiis: III. An Cardinalis Radziovuski, modernus Abbas Commendatarius Abbatiae Sieciechovien Ordinis S. Benedicti, possit exercere iurisdictionem super Monachos? *Et quatenus negative.*

IV. An institutiones et destitutiones Superiorum et Officialium Regularium factae ab ipso Abbate commendatario sustineantur? S. Congregatio respondit: Dilata, interim vero per modum provisionis et sine praeiudicio iurium ambarum partium Nuntius Apostolicus provideat de Superiore *in Cracovien. divisionis die 14 Martii 1705 ad III et IV dubium.*

248. Clerici Regulares seu Presbiteri seculares, qui obtinent ab Abbate Commendatario S. Antonii Viennensis Neapolis literas patentes seu commissionales, ipsarum literarum vigore ab Ordinarii iurisdictione non sunt exempti *in Neapolitana iurisdictionis die 1 Decembris 1668 ad III dubium.*

249. Ad Abbatem Commendatarium Ecclesiae S. Mariae de Popsis spectat Capellanorum et Eremitarum pro servitio ipsius Abbatialis Ecclesiae deputatio, et respective Procuratoris pro administratione eleemosynarum, et oblationum fidelium, sub obligatione tamen rationem Episcopo reddendi, a quo visitari etiam possit Ecclesia, iure saltem delegato, et quoties id sibi in Domino expedire videbitur *in Hieracen. die 30 Martii 1743.*

250. In relatione rationis bonorum Monialium S. Sebastiani instituti Canonicorum Regularium Lateranensium ad formam Bullae Gregorii XV incipien. *Inscrutabili,* non obstante praetenso eius non usu, intervenire potest Abbas eiusdem Monasterii, et quatenus idem Abbas opportune monitus non comparuerit, sive per se sive per alium Regularem, recognitio fieri potest a solo Episcopo *in Ariminen. die 27 Ianuarii 1748 ad IX dubium.*

251. Sacra Congregatio decrevit, ob renuentiam Capellanorum Ecclesiae Sanctae Crucis, eumdem Abbatem occasione visitationis, eaque permanente, Capellanos Ecclesiae S. Crucis ad asportandum, exhibendum, et relinquendum in eius mansionibus Abbatialibus libros et originales scripturas visitationem concernentes, cogere posse ad formam resolutionis editae sub die 18 Augusti 1696 *in Hispalen. die 9 Septembris 1702.*

252. In qua sane ad IV dubium rescriptum fuit, quod Archiepiscopus in actu Visitationis potest cogere Capitulum, sive eius Officiales ad transferendos libros ad palatium Archiepiscopale, ut eos ipse Archiepiscopus possit inspicere et recognoscere; sed tantum illos libros et documenta respicientia negotia particularia iuxta exigentiam Visitationis *in Hispalen. die 18 Augusti 1696 lib. 46 decret. pag. 345.*

253. Abbas Ecclesiae S. Mariae de Miraculis Congregationis Cassinensis, seu Monasterii Superior permittere non debet affixionem ad valvas eiusdem Ecclesiae Edictorum Episcopi, concernentium exercitium iurisdictionis, respe-

ctu subditorum Secularium, sed Regularium in iis, in quibus isti ei subduntur *in Andrien. Edictorum die 29 Novembris 1710 ad III dubium.*

Item *die 24 Ianuarii 1711 ad I dubium.*

254. In provincia Cisterciensi Calabriae et Lucaniae singuli Abbates, qui de quinquennio in quinquennium Monasteria moderantur, habent iurisdictionem supra omnes Monachos in quibuscumque Monasteriis commorantes *in Anglonen. et Tursien. Nullitatis ordinationis die 15 Maii 1802* §. *Verum.*

255. Nam Summus Pontifex Urbanus VIII anno 1633 iussit, - quod omnia huiusmodi monasteria, illorumque superiores, monachi, religiosi, conversi, novitii, servientes, oblati, familiares, aliaeque personae quaecumque, nec non omnia illorum bona, res, iura, proprietates, membra adnexa, et dependentia, et pertinentia, sint communia, et tamquam unum inter se corpus ad dictam Congregationem immediate spectent *in Anglonen. et Tursien. Nullitatis ordinationis die 15 Maii 1802* §. *Verum.*

256. Imo Monachus ex uno dictorum Monasteriorum professus tamquam in omnibus professus habeatur *in Anglonen. et Tursien. Nullitatis ordinationis die 15 Maii 1802* §. *Verum.*

§. VI.

ABBAS QUOAD FRUCTUS ET DISTRIBUTIONES.

1. Celebris fuit in S. Rotae Auditorio controversia, an Ecclesia sub invocatione S. Pauli in Civitate Verulana existens, esset simplex Parochialis, vel potius Collegiata, fuitque resolutum, esse Collegiatam (1). Novis autem exortis controversiis inter Ioannem Baptistam Nochiarolum dictae Ecclesiae Abbatem et eiusdem Ecclesiae Beneficiatos, subscripta fuerunt dubia: I. An in dicta Ecclesia S. Pauli omnimoda cura animarum resideat penes Abbatem Parochum, vel actualis tantum.

II. An administratio bonorum et redituum Ecclesiae spectet privative ad Abbatem.

III. An dicto Abbati debeatur duplicata portio fructuum, etiam ex legatis piis Ecclesiae provenientium, S. Congregatio respondit: Ad primum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam. Ad secundum, Negative. Ad tertium, Affirmative *in Verulana die 14 Martii 1722.*

2. Proposito dubio: - An liceat Abbatibus, et aliis Superioribus regularibus suis aut Monachis seu secularibus Sacerdotibus, in Parochiis eorum degentibus, annuas pensiones imponere, aut partem decimarum pro suis Monasteriis reservare, quae decimae alias proprie in Parochi alimenta penduntur? Sacra Congregatio respondit: - Quoad pensiones Negative, in reliquis clarius esse rem proponendam - *in Olomucen. Iurisdictionis die 11 Iulii 1665 ad IX dubium.*

3. Capitulares Collegiatae S. Mariae nuncupatae *la Greca* in Oppido Putignani erectae, et ad Religionem Hierosolymitanam spectantis, graviter de Clerico Xaverio Miccoli eiusdem Ecclesiae Abbate sive Rectore apud S. Congregationem conquesti sunt. Quocirca, ad avertenda mala, bono Collegiatae regimini et debito Ecclesiae cultui plurimum exitiosa, supplicarunt etiam decerni: V. An diebus ferialibus Abbas Ecclesiae S. Mariae *della Greca* valeat ad sui libitum praestare assistentiam choro, sive potius teneatur assistere una cum aliis Presbiteris in uno ex tribus turnis hebdomadae. VI. An idem Abbas debeat subiacere punctaturis, scilicet amissioni distributionum quotidianarum, etiam diebus ferialibus in casu etc., S. Congregatio responsum dedit: Ad quintum, Negative quoad primam partem, et Affirmative quoad secundam. Ad sextum, Affirmative - *in Nullius terrae Putignani die 6 Maii 1741.*

4. Repropositis subinde dubiis sub formula: An sit standum vel recedendum a decisis in casu etc., S. Congregatio respondit: In decisis in omnibus, et amplius *in Nullius terrae Putignani die 17 Februarii 1742.*

(1) Uti plene desumitur ex decis. 960 coram Penia, edit. Lugdunensis.

§. VII.

ABBAS QUOAD ONERA.

1. Abbas, Parochi, et Beneficiati Abbatiae, quae etiam sit vere *Nullius* cum Territorio separato, tenentur taxam Seminario Diaecesis vicinioris contribuere *in Mileten. Taxae Seminarii die 6 Decembris 1738* §. *Sane.*

2. Id expressis verbis statuit S. Congregatio *in Nullius Castri Durantis, seu Urbinaten. 13 Novembris 1593* lib. 7 decret. pag. 135, ubi ita legitur: - Visum fuit Sanctissimo domino nostro, Abbatem Castri Durantis et Beneficiatos illius iurisdictionis teneri contribuere Seminario Urbinati, cum Concilium Tridentinum voluerit, pro Seminariis detrahendam esse portionem aliquam ex illis beneficiis, quae nullius Diaecesis sunt: verum voluit Sanctitas Sua, Seminarium Urbinatense debere recipere aliquot pueros Iurisdictionis dictae Abbatiae, habito respectu ad summam contribuendam *in Mileten. Taxae Seminarii die 6 Decembris 1738* §. *Sane.*

3. Hinc ex Monasterii reditibus, quamvis sit *Nullius diaecesis* contribuendum esse censuit sacra Congregatio ad Seminarium, quod Monasterio est vicinior *in Mileten. Taxae Seminarii die 6 Decembris 1738* §. *Sane.*

4. Siquidem S. Congregatio in Theatina II dubio respondit: - Ad secundum, ex dicti Monasterii redditibus, quamvis sit *Nullius diaecesis,* esse contribuendum ad Seminarium Archiepiscopi Theatini, si Archiepiscopus est aliis Episcopis dicto Monasterio vicinior, *ut in lib. 11 decretorum pag. 85 - in Mileten. Taxae Seminarii die 6 Decembris 1738* §. *Sane.*

5. Censuit vero S. Congr., scribendum ad Episcopum Attrabatensem, ne cogat Abbatem Marchianensem ad habendam lectionem Theologalem in suo Monasterio, cum ulterius id adimpleat, sustinendo Collegium iuniorum Monachorum in Universitate Duacensi, ibique Artium et Theologiae Professores ad illos docendos Monasterii sumptibus sustineat; et curet, ne idem Abbas gravetur in Seminarii taxa ultra illud, quod, deductis Monasterii et dicti Collegii oneribus, aequum esse cum Deputatorum consilio prudenter cognoverit *in Attrabaten. die 9 Septembris 1594.*

6. Nec teneri Abbatem Farfensem solvere taxam Seminario Romano ex fructibus Mensae Abbatialis decrevit S. Congregatio, licet Praedecessorum observantiae adversetur. Ille enim Abbas de facta erogatione dictae taxae in favorem Seminarii Toffiae, ad seipsum spectantis, docuerit *in Romana Taxae Seminarii die 11 Augusti 1742* (1).

7. Ubi revera in Territorio *Nullius Diaecesis* proprium reperitur Seminarium, illudque ad statum omnimodae perfectionis redactum est, nullo equidem iure adigi posse videtur pro Seminario vicinioris Episcopi quidquam contribuere *in Romana Taxae Seminarii die 11 Augusti 1742* §. *Ait.*

8. Secus enim Abbates, propriam Diaecesim habentes, ac Beneficiati eidem subiecti, duplici afficerentur contributionis onere, nimirum et in proprium Seminarium, et in alienum: quod porro cohaerere non videtur Tridentini decretis, neque menti S. Congregationis *in Romana Taxae Seminarii die 11 Augusti 1742* §. *Ast.*

9. Iam vero S. Congregatio die 30 Martii 1599 censuit: - Scribendum esse Episcopo Audomarensi, ut supersedeat in exigendo taxam pro Seminario Duacensi a Monasterio S. Bertini, donec certiorem reddiderit S. Congregationem de iuribus, quibus id posse facere praetendat, cum Monasterium alleget, se non teneri ad dictam contributionem eo respectu, quia post Concilii Tridentini decreta, in exequutionem illorum erexit Seminarium, in quo quadraginta Scholares aluntur - *in Romana Taxae Seminarii die 11 Augusti 1742* §. *Ast.*

10. Ex eo etiam, quod longe maior spiritualis obveniet utilitas, si annua pensio seu contributio solvatur Seminario Nullius Diaecesis, quippe quia summa huiusmodi generatim paucis pueris alendis sufficiet, et isti sub disciplina suorum Presbiterorum veluti peculiaribus propriae Diaecesis legibus propriique Antistitis spiritui magis accommodata aptiores

(1) Vid. Benedict. XIV in Constit. incipien. *Dum universi,* quoad iurisdictionem Abbatiae Farfensis et S. Salvatoris Maioris.

fient ad ecclesiastica munia in eadem Diaecesi obeunda, manumque auxiliarem in eiusmodi Gregis regimine ei praestandam *in Romana Taxae Seminarii die 11 Augusti 1742* §. *Gemina.*

11. Praesertim, si plerique Puerorum Nullius Diaecesis alibi instructi, post emensum consuetum studiorum curriculum, sese soleant alio in loco addicere, nullumque prorsus Ecclesiae suae emolumentum praestent sive servitium, atque reditus Seminarii, cui solvitur pensio seu contributio, valde excreverint *in Romana Taxae Seminarii die 11 Augusti 1742* §. *Gemina et* §. *Secundo.*

12. Quin ideo obstet consuetudo solvendi pensionem seu contributionem a Praedecessoribus servata, cum illa vel referri debeat ad tempus, quo nondum erectum, aut ad integram perfectionem, iuxta praescriptum Concilii Tridentini, redactum foret Seminarium, vel non coacte, sed libere facta sit ab iisdem Antecessoribus, qui certos Alumnos a se nominandos maluerint in Seminario, cui solvere debebat pensionem seu contributionem, educari *in Romanae Taxae Seminarii die 11 Augusti 1742* §. *Quod.*

13. Idcirco proposito dubio: - An Eminentissimus Abbas Farfensis teneatur solvere taxam Seminario Romano ex fructibus mensae Abbatialis in casu etc. - S. Congregatio respondit: - Negative - *in Romana Taxae Seminarii die 11 Augusti 1742.*

14. Abbas Commendatarius, qui loco Episcopi est, tenetur generatim ad Ecclesiae Cathedralis seu Titularis reparationem, in quam causam, quartam reddituum partem assignare debet *in Nullius seu Sublacen. Reparationis Ecclesiae die 11 Iulii 1750* §. *Censet.*

15. Ecclesiae vero Parochialis et simplicis Collegiatae reparatio, non Abbati, sed Parocho, vel iis, qui in ea obtinent beneficia, incumbere debet *in Nullius seu Sublacen. Reparationis Ecclesiae die 11 Iulii 1750* §. *Censet.*

16. Procedit, etiamsi Abbates non iure ordinario, sed iure patronatus beneficia in Ecclesia reparanda conferret *in Nullius seu Sublacen. Reparationis Ecclesiae die 11 Iulii 1750* §. *Censet.*

17. Quoties enim reditus congrui a Patronis pro dote beneficiorum assignati sunt, compelli tunc non debent Patroni, sed Rectores Ecclesiae ad eiusdem reparationem *in Nullius seu Sublacen. Reparationis Ecclesiae die 11 Iulii 1750* §. *Censet* (1).

18. Propterea Cardinalis Spinula Abbas Commendatarius in Visitatione Collegiatae et Parochialis Ecclesiae S. Andreae Sublaquei sancivit, ut a Praeposito et Canonicis eadem repararetur Ecclesia. At istis renuentibus, S. Congregatio ad eumdem Abbatem non spectare declaravit *in Nullius seu Sublacen. Reparationis Ecclesiae die 11 Iulii 1750.*

19. Didacus quidam vero, Abbas Sanctissimae Trinitatis de Sacargia, cui Prioratus seu Parochialis Ecclesiae S. Petri de Escano in temporalibus reperitur adnexus, ratam fructuum decimalium partem erogare in restaurationem dictae Parochialis tenetur; qua de causa reclamare a Decreto Episcopi super fructuum quartae partis sequestro apposito minime valet *in Bossanen. Reparationis Ecclesiae Parochialis die 11 Martii 1741 ad I et II dubium.*

20. Item in terra Canis Mortui adest Ecclesia curata, reparatione, amplificatione, ac sacris supellectilibus, indigens. Populus praetendit id spectare ad Abbatem Commendatarium Abbatiae S. Mariae de Plano, cui dicta Ecclesia unita est; unde, re cognita, S. Congregatio censuit, ad Eminentissimum Abbatem spectare *in Sabinen. Reparationis Ecclesiae die 13 Maii 1679 ad I dubium.*

21. Quum S. Congregatio decreverit, ad erectionem novae Parochiae in loco S. Agathae, ad Monasterium Canonicorum Lateranensium Tremitarum spectanti, deveniendum esse iuxta modum, ab Eminentissimo Praefecto explicandum, etiam declaravit, Abbatem dicti Monasterii teneri ad subministrationem supellectilium aliarumque rerum, quae pro cura animarum idoneae videntur *in Larinen. die 15 Aprilis 1741 ad III dubium.*

22. Duo haec, ex Constitutione Benedicti XIV quae incipit: *Cum semper oblatas,* constituta fuere, primum scilicet, ut Missa pro populo applicanda sit ab iis, qui actu exercent curam animarum, proptereaque a Parochis, Vicariis, tum perpetuis, tum amovibilibus, sive secularibus, sive regularibus, Oeconomis Ecclesiarum vacantium, ac generatim omnibus, apud quos anima-

(1) Panimoll. decis. 6 annot. 8 a n. 16 ad 19.

rum cura resident *in Nullius Ferentilli Visitationis Sacror. Liminum die 17 Septembris 1814* §. *Ex Constitutione.*

23. Alterum vero in citata Constitutione praescriptum est, ut ii, quibus onus applicationis iniungitur, hoc facere teneantur singulis diebus Dominicis, ceterisque de praecepto *in Nullius Ferentilli Visitationis Sacrorum Liminum die 17 Septembris 1814* §. *Ex Constitutione.*

24. Et quamquam Episcopi, vel alii, qui Episcopalem exercent iurisdictionem, in Benedictina Constitutione nominati non sint, attamen communis sententia tenet, Episcopum aliosque iura Episcopalia exercentes, quibus impensius, quam Parocho animarum cura commissa est, ad applicationem teneri aeque ac alios, qui curam animarum actu exercent *in Nullius Ferentilli Visitationis Sacrorum Liminum die 17 Septembis 1814* §. *Ex Constitutione* (1).

25. Propterea, cum curae animarum exercitium in Abbatia Ferentilli penes Episcopum, non vero Capitulum Lateranense resideret, sacra Congregatio, proposito dubio: - An et cui incumbat onus applicandi Missam pro populo in Abbatia Ferentilli in casu etc. -, respondit: - Spectare Episcopo Spoletano, firma obligatione applicationis Parochorum Abbatiae pro singulis Populis sibi commissis *in Nullius Ferentilli Visitationis Sacrorum Liminum die 17 Decembris 1814.*

26. Abbas Collegiatae Ecclesiae B. M. V. et SS. Fabiani et Sebastiani de Carignano tenetur propriam Missam in eadem Ecclesia, spectata eiusdem Ecclesiae erectionis Bulla, celebrare *in Ianuen. die 25 Ianuarii 1727 ad I dubium.*

27. At eidem et Canonicis debetur summa assignata cum additione augumenti scutorum centum stampae et coronae ianuae, cum obligatione tamen Missas pro fundatoris suorumque anima applicandi *in Ianuen. die 25 Ianuarii 1727 ad III et IV dubium.*

28. Quum Archipresbiter Ecclesiae Parochialis S. Mariae Pontis Sancti in Suburbiis Civitatis Fori Cornelii in casu absentiae a cura animarum cum licentia S. C. vel Episcopi sextam fructuum partem ad formam Bullae erectionis sibi vindicari possit, Eminentissimus Abbas illam ei persolvere tenetur *in Imolen. iurium Parochialium die 12 Februarii 1707 ad XII dubium.*

Item *die 23 Iulii eiusdem anni 1707.*

29. Propositis dubiis: - An et quomodo Abbas, Canonici, et Assistentes Ecclesiae Collegiatae ac Parochialis S. Ioannis Baptistae terrae Angri choro interesse et horas canonicas dicendas teneantur?

30. An iidem teneantur quotidie, vel quibus diebus canere et respective applicare Missam conventualem pro benefactoribus? - S. Congregatio respondit: - Servari solitum - *in Nucerina Paganorum functionum Parochialium et servitii chori die 5 Decembris 1708 ad IV et V dubium.*

31. Capitulares Collegiatae Ecclesiae S. Mariae *della Greca* Religionis Hierosolymitanae in S. Congregatione conquesti sunt de clerico Xaverio Miccoli Abbate, in minori aetate constituto. Hinc S. Congregatio, re mature expensa, censuit, praedictum Abbatem ad sui libitum diebus ferialibus assistentiam choro praestare non posse, sed una cum aliis Presbiteris in uno ex tribus turnis hebdomadae interesse teneri *in Nullius Putignani die 8 Maii 1741 ad V dubium.*

Item *die 17 Februarii 1742.*

32. Ac dubio: - An Abbas praedictus, dum choro aliisque functionibus Ecclesiasticis assistere debeat, teneatur personaliter interesse, seu liceat ei inservire per alium? - S. Congregatio mandavit, ut darentur decreta edita in Alatrina, Callien, Leyrien, et Ferentina die 17 Novembris 1685 *in Nullius Putignani die 6 Maii 1741 ad VIII dubium* (2).

(1) Naldi in summ. verb. Parochus n. 19; Monacell. for. eccles. tit. 16 form. 2 n. 24; Girald. iur. pontif. part. 2 sect. 85 §. An vero; aliique, quos affert Ferrar. in biblioth. can. verb. Missa art. 3 n. 11.

(2) At S. Congregatio in praefata *Alatrina die 24 Martii* 1612 edixerat: Ad primum, eos tantum, qui in Civitate, ubi est Cathedralis, vel in eius suburbiis sunt praesentes, non autem alios posse substituere. Ad secundum, non requiri causam ad substituendum: quod vero monuit S. Congregatio, ut Episcopo cordi sit, ne Canonici ea substituendi facultate abutantur, eo respexit, ne substitutiones huiusmodi sint nimium frequentes, quod Episcopi erit arbitrio. Ad quartum, absentem in Castro Diaecesis non posse substituere.

Item in *Gallien. die 29 Iulii* 1628 S. Congregatio respondit: Decretum Episcopi esse confirmandum, illud tamen intelligendo, ut Canonici ad invicem se substituere valeant, dummodo non substituantur ii, qui eodem tempore servitio sint adstricti; et Episcopus curet, ne iidem Canonici huiusmodi facultate se invicem substituendi abutantur.

33. Abbas Commendatarius Parochialis Ecclesiae S. Mariae Oppidi Positani Cathedraticum, nec non Procurationem Archiepiscopo, Abbatialem Ecclesiam et Parochialem visitanti, solvere debet, etiamsi Abbas praedictus territorium separatum a Diaecesi Amalphitana habere et Abbatiam esse veluti simpliciter commendatam contenderet *in Amalphitana Cathedratici et Procurationis die 14 Martii 1739 ad I et III dubium.*

34. Abbati Commendatario Ecclesiae S. Mariae de Popsis, ad quem Capellanorum et Eremitarum pro suae Ecclesiae servitio, et respective Procuratoris pro eleemosynarum et oblationum administratione spectat deputatio, rationem reddendi obligatio Episcopo, a quo visitari etiam potest Ecclesia iure saltem delegato, et quoties id sibi in Domino videbitur, incumbit *in Hieracen. die 30 Martii 1743.*

35. Abbas Monasterii B. M.V. de Naxera Ordinis S. Benedicti Congregationis Hispaniarum, qui habet Iurisdictionem ordinariam in Civitate Naxera, et ius visitandi privative Parochialem S. Crucis, et Ecclesiam S. Michaelis, eorumque Clericos et Capellanos, in reliquis vero ordinariam cum Episcopo cumulative, non tenetur restituere libros exhibitos baptismi et matrimoniorum, praeterquam quoad libros quotidianos *in Calaguritana Visitationis die 18 Iunii 1701 ad VIII dubium.*

36. Abbati onus iniunctum est praedicandi verbum Dei, et, accedente legitimo impedimento, per alios praestare tenetur *in Spoletana Concionatoris die 13 Aprilis 1737* §. *Ceterum* (1).

37. Sixtus V in Constitutione Incipien. *Romanus Pontifex* praecepit, ut omnes Episcopi tenerentur statutis temporibus ad Visitationem Sacrorum Liminum, et rationem reddendam de Pastorali Officio et de rebus omnibus, Ecclesiarum statum Cleri et populi disciplinam respicientibus *in Parmen. Abbatiae Fontisvivi die 19 Decembris 1801* §. *Nam ex.*

38. Hanc legem ampliavit Benedictus XIV quoad omnes Abbates, Priores, Praepositos, quocumque iure, et titulo, vel ex origine, vel praescriptione, vel ex indulto, et privilegio Apostolico, spiritualem iurisdictionem, seu quasi Episcopalem exercentes, cum territorio separato *in Parmen. Abbatiae Fontisvivi die 19 Decembris 1801* §. *Nam ex.*

39. Iniunxit praeterea singulis Abbatibus huiusmodi, ut antequam Ecclesiarum administrationem susciperent, iuramento pollicerentur huius Constitutionis exequutionem *in Parmen. Abbatiae Fontisvivi die 19 Decembris 1801* §. *Nam ex* (2).

40. Occurrentibus consuetis supplicationibus totius Cleri, quin imo etiam illa Augustissimi Corporis Christi, Abbas S. Barbarae Ecclesiae Collegiatae charactere Episcopi in partibus decoratus, renuit ad easdem accedere supplicationes: at S. Congregatio teneri decrevit *in Mantuana iurisdictionis die 16 Martii 1680 ad VII dubium.*

41. Item Abbas praedictus praesumpsit, se non teneri ad generalem Synodum intervenire, neque ipsius Clerum subiacere eiusdem Synodi determinationibus, quae quum ut plurimum edantur ad componendum habitum et honestatem Clericorum, maxime exinde oritur difformitas et abusus eiusdem Cleri dictae Collegiatae respectu ceterorum, qui ad normam decretorum Synodalium honeste et laudabiliter vivunt, Sacra Congregatio idcirco teneri pariter edixit *in Mantuana iurisdictionis die 16 Martii 1680 ad VIII dubium.*

42. Abbas S. Sophiae, ex privilegio speciali confirmato a S. Pio V, non tenetur accedere ad Synodum diaecesanam Beneventanam *in dubio ad cap. 2 Sess. 24 de reform. Posit.* 77.

43. Abbas vero habens curam animarum, quam tamen exercet per Vicarium, sufficit, quod interveniat Synodo per ipsum Vicarium *in dubio ad cap. 2 sess. 24 de reform. Posit.* 77.

44. Immo nullo modo tenetur ad Synodum diaecesanam accedere non habens curam animarum nec populum *in dubio ad cap. 2 Sess. 24 de reform. Posit.* 77.

45. Amplia, etiamsi Abbas non sit exemptus

Demum in *Leyrien die 7 Septembris* 1630 S. Congregatio censuit, dandas esse litteras patentes in forma Episcopo Leyriensi, qui pro XI quadriennio sacra Apostolorum limina visitavit, et respondendum ad capita, ut infra: Ad septimum, licere Capitularibus se ad invicem substituere, dummodo eodem tempore substituens et substitutus eidem servitio adstricti non sint, et hac facultate non abutantur, *ut in lib.* 35 *decretorum pag.* 454.

(1) Rot. in decis. 5 Iunii 1705 coram Caffarell.

(2) Benedictus XIV in Constit. quae incipit: *Quod sancta* ann. 1749 n. 7, tom. I, §. 5, et per tot.

in dubio ad cap. 2 Sess. 24 de reformation. Posit. 77.

46. Abbas Sanctissimae Trinitatis tenetur accedere ad Synodum diaecesanam Miletensem, nisi constet habere iurisdictionem quasi episcopalem in Parochos et Parochianos suae Abbatiae *in Mileten. Decembris 1586 lib. 4 decretorum pag. 216.*

47. Nec potest Synodum separatim celebrare, nisi constet alias legitime celebrasse *in Mileten. Decembris 1586 lib. 4 decretorum pag. 216.*

48. Clerici Abbatiae Ferentilli tenentur accedere ad Synodum diaecesanam Spoletanam *in Spoletana anno 1581 lib. 3 decretorum p. 128.*

49. Abbas Commendatarius S.Benedicti, Sedi Apostolicae subiectus, in Provincia Taurinensi pro causis Diaecesanorum dictae Abbatiae, tenetur deputare Vicarium generalem intra limites eiusdem Abbatiae, cum Communitas et Homines dictae terrae Abbatialis ab antiquo tempore quasi possessione Vicarios generales habendi gaudeant *in Nullius S. Benigni die 5 Maii 1703.*

§. VIII.

ABBAS QUOAD QUALITATEM NULLIUS SEU TERRITORIUM SEPARATUM.

1. Abbas, qui territorium habet omnino separatum, tanquam Abbas *vere nullius* connumerandus est inter Praelatos tertiae speciei, qui in suo territorio sunt veri ordinarii *in Aquilana iurisdictionis die 21 Iunii 1760* §. *Data est* (1).

2. At iurisdictio una cum territorio separato non est facile concedenda *in Parmen. Abbatiae Fontisvivi die 19 Decembris 1801* §. *Quae omnia.*

3. Privilegia enim parce concedenda sunt *in Parmen. Abbatiae Fontisvivi die 19 Decembris 1801* §. *Quae omnia* (2).

4. Maxime, cum separatio territorii praeiudicium inferat iuribus Episcopalibus *in Parmen. Abbatiae Fontisvivi die 19 Decembris 1801* §. *Quae omnia* (3).

5. Ceterum omnis spiritualis in terris potestas a Deo translata est in divum Petrum eiusque legitimum successorem romanum Pontificem, a quo veluti capite in ceteros diffluit *in Parmen. Abbatiae die 19 Decembris 1801* §. *Quae omnia* (4).

6. Hinc ab eius perdet arbitrio, quibus velit subtrahere, quibus concedere iurisdictionem Episcopalem *in Parmen. Abbatiae Fontisvivi die 19 Decembris 1801* §. *Quae omnia* (5).

7. Causae vero indulgendi huiusmodi privilegia sunt: exercitium plurium actuum episcopalium, quod Abbas possidet super aliquo territorio *in Parmen. Abbatiae Fontisvivi die 19 Decembris 1801* §. *Quae omnia.*

8. Insuper exempla innumera huius activae quasi episcopalis iurisdictionis alicui Congregationi concessa *in Parmen. Abbatiae Fontisvivi die 19 Decembris 1801* §. *Quae omnia* (6).

9. Demum modicum Episcoporum circumstantium detrimentum, qui iam multis abhinc annis in aliquo loco plures iurisdictionis actus non gerunt *in Parmen. Abbatiae Fontisvivi die 19 Decembris 1801* §. *Quae omnia.*

10. Ita ut territorium separari posset formaliter, eximendo illud a iurisdictione Ordinarii, quin materialis avulsio necessaria sit *in Parmen. Abbatiae Fontisvivi die 19 Decembris 1801* §. *Quae omnia* (7).

11. Hinc de prima et secunda specie Abbatum potest dari praescriptio etiam quadragenaria

(1) Card. Petra in comment. ad Constit. 4 Callisti III sect. 1, n. 6 et seqq.

(2) Cap. 3 de privileg. in 6.

(3) Lotter. de re benef. cap. 23, n. 15.

(4) Bellarmin. controv. lib. 4, cap. final. de Roman. Pontif.

(5) Cap. Si Papa 10, de privileg. in 6; ibique Cockier. de iurisdict. ordinar. in exempt. part. 1, quaest. 3, num. 18; Rot. in decis. 219, n. 3. coram Royas.

(6) Ut habetur ex. gr. ex Constit. Pauli III anno 1537 cuius initium: *Benignitas*, favore Congregationis Cassinentium.

(7) Clement. in concordia pastoral. part. 2, cap. 1, n. 101; Rot. in Brictinorien. seu nullius Foropompilien. 16 Martii 1726 §. Cum etenim, coram Cerro.

cum titulo *in Guastallen. Provinciae Mediolanen. die 19 Iulii 1766* §. *Ex his.*

12. De tertia vero praescriptio excluditur, ac requiritur omnino expressum et clarum privilegium, quod authenticum pateat *in Guastallen. Provinciae Mediolanen. die 19 Iulii 1766* §. *Ex his.*

13. Vel immemorabilis, quae privilegium in suo veluti ventre et sinu contineat *in Guastallen. Provinciae Mediolanen. die 19 Iulii 1766* §. *Ex his.*

14. Immemorabilis namque ad hoc redigitur, ut privilegium secumferat *in Guastallen. Provinciae Mediolanen. die 19 Iulii 1766* §. *Ex his.*

15. Sine quippe privilegio Apostolico iura vere Episcopalia, quae intra humanum commercium non sunt, ac in vim et robur sacramentorum influunt, cum proprio territorio ab aliis avulso, acquiri nequeunt, uti aliae, vel minores, vel profanae res, ex pacto interdum, ac tolerantia possessorum, quae faciat, ut pactum praesumi possit *in Guastallen. Provinciae Mediolanen. die 19 Iulii 1766* §. *Ex his.*

16. Qui enim ordinem non habet, nunquam acquirere potest Diaecesim, et quae a legitima tantum et suprema Concedentis potestate poterant proficisci *in Guastallen. Provinciae Mediolanen. die 19 Iulii 1766* §. *Non etenim.*

17. Distinguendum namque in iure est de Episcopo, qui exercitium iurisdictionis circa finitimos locos acquirat, et de hisce inferioribus, qui nullam Diaecesim habent, ac nullam intrinsecus potestatem exercendi ea munera, multoque minus acquirendi, habere possunt *in Guastallen. Provinciae Mediolanen. die 19 Iulii 1766* §. *Non etenim.*

18. Hinc apertissima proficiscitur ratio, cur licet aliquando quadragenaria cum titulo sufficiens visa fuerit etiam Rotae, vel quodcumque Apostolicum privilegium, attamen in Congregatione particulari iussu Clementis XI deputata responsum fuit die 3 Iunii 1721 pro acquisitione territorii separati ac iurisdictionis ordinariae omnino requiri clarum et undequaque subsistens Apostolicum privilegium *in Guastallen. Provinciae Mediolanen. die 19 Iulii 1766* §. *Non etenim.*

19. Aut consuetudinem immemorabilem, cum suis omnibus requisitis rite probatam, per quam Apostolicum privilegium de iure praesumi valeat *in Guastallen. Provinciae Mediolanen. die 19 Iulii 1766* §. *Apertissima.*

Item *in Parmen. Abbatiae Fontisvivi die 19 Decembris 1801* §. *Cum vero.*

20. In praefata quippe Congregatione proposito dubio: - An ad tramites sacrorum canonum, sacrique praesertim Concilii Tridentini, possit inferior Praelatus territorium separatum et iurisdictionem ordinariam et quasi episcopalem in clerum et populum, cum ipsius Episcopi exclusione in aliquo speciali loco acquirere per quadragenariam praescriptionem una cum titulo colorato -, responsum fuit die 3 Iunii 1721: - Non posse, sed pro acquisitione territorii separati praedictaeque iurisdictionis omnino requiri aut clarum et undequaque subsistens Apostolicum privilegium, aut consuetudinem immemorabilem cum suis omnibus requisitis rite probatam, per quam Apostolicum privilegium de iure praesumi valeat - (1) *in Guastallen. Provinciae Mediolanen. die 19 Iulii 1766* §. *Apertissima.*

21. Quod postmodum clarius sanxit in Constitutione incipien. *Inter multa* 4 Aprilis 1747 Benedictus XIV, edicens: - Non potest Praelatus inferior iure asserere, eo in loco veram qualitatem *nullius* cum territorio separato sibi acquisitam esse, et iurisdictionem ordinariam, et quasi Episcopalem in eumdem, privative ad Episcopum sibi competere, nisi clarum exhibeat Apostolicae Sedis privilegium, quo idem locus a diaecesi et iurisdictione ordinaria Episcopi dismembratus, avulsus, et separatus fuerit, ipsiusque Praelati iurisdictioni per omnia subiectus *in Guastallen. Provinciae Mediolanen. die 19 Iulii 1766* §. *Quod.*

Item *in Parmen. Abbatiae Fontisvivi die 19 Decembris 1801* §. *Cum vero* (2).

22. Vel nisi deficiente huiusmodi Apostolico privilegio, immemorabilem saltem consuetudinem sibi faventem attulerit, cum omnibus requisitis circumstantiis iuridice probatam, eamque non limitatam ad unum aliquod actuum genus, sed quae omnes complectatur actus, in quibus episcopalis iurisdictionis iura consistunt,

(1) Quae refertur in Bullario praefati Clementis XI part. 2 inter decret. memorab. Congregationum particularium decret. 5, pag. 145.

(2) Idem Benedictus XIV in Constit. incipien. *Apostolicae servitutis* Bullar. tom. 1, n. 76 eadem statuerat ann. 1742.

eosque ostendat, a se pacifice et sine ulla diaecesani Episcopi contradictione exercitos fuisse - *in Guastallen. Provinciae Mediolanen. die 19 Iulii 1766* §. *Quod.*

Item *in Parmen. Abbatiae Fontisvivi die 19 Decembris 1801* §. *Cum vero.*

23. Hinc non verificatur territorium separatum ex privilegio speciali vel expresso, quod non exhibetur, vel tacite praesumpto ab immemorabili, quae, uti interrupta per actus iurisdictionales exercitos ab Episcopo, nullius remanet efficaciae *in Caputaquen. die 12 Iulii 1760* §. *Minusque* (1).

24. Privilegium autem debet exhiberi authenticum ac summa diligentia inspici *in Guastallen. Provinciae Mediolanen. die 19 Iulii 1766* §. *Privilegium* (2).

25. Necessitas propterea est, ut non solum privilegium, sive ex authentico sive ex immemorabili concludatur, verum etiam privilegii usus *in Guastallen. Provinciae Mediolanen. die 19 Iulii 1766* §. *Atque inde.*

26. Non enim omnia, quae iurisdictionis sunt, censentur data hisce Abbatibus, qui tantum habent, quantum ceperunt atque retinuerunt *in Guastallen. Provinciae Mediolanen. die 19 Iulii 1766* §. *Atque inde.*

27. Immo multa, nisi speciatim dentur cum ipso territorio separato, non dicuntur concessa *in Guastallen. Provinciae Mediolanen. die 19 Iulii 1766* §. *Atque inde.*

28. Hinc ius convocandi Synodum Diaecesanam, ius indicendi concursum ad parochiales Ecclesias, ius conferendi tonsuram et minores ordines, et literas dimissoriales dandi, non dicuntur concessa cum territorio separato *in Guastallen. Provinciae Mediolanen. die 19 Iulii 1766* §. *Atque inde.*

29. Unde S. Congregatio disputato dubio de Abbatia S. Ruphilli: - An etiamsi constaret de territorio separato, posset Capitulum S. Petri concedere dimissorias, concordi suffragio die 21 Ianuarii 1719 responsum fuit: - Negative - *in Guastallen. Provinciae Mediolanen. die 19 Iulii 1766* §. *Atque inde.*

30. Ex hac varia et multiplici privilegiorum diversitate atque ex eorum vario usu in pluribus, varia et non bene forsitan adhuc digesta, in omnibus de iure horum Abbatum doctrina in forum profecta est *in Guastallen. Provinciae Mediolanen. die 19 Iulii 1766* §. *Ex hac.*

31. Dum plerique iura originis ab variis effectibus dimetientes, ideoque secundum illos de eorum origine varie disserentes, rem potius confuderunt, quam explicarunt *in Guastallen. Provinciae Mediolanen. die 19 Iulii 1766* §. *Ex hac.*

32. Summatim igitur certum omnino est, non potuisse separari territorium ac non Episcopo dari, nisi suprema Sedis Apostolicae auctoritas intercesserit *in Guastallen. Provinciae Mediolanen. die 19 Iulii 1766* §. *Ex hac.*

33. Abbates vero ea habere, quae, vel primum, vel postea a Sede Apostolica obtinuerunt, atque servarunt *in Guastallen. Provinciae Mediolanen. die 19 Iulii 1766* §. *Ex hac.*

34. Hinc necessarium privilegium, et quidem clarum afferri debere *in Guastallen. Provinciae Mediolanen. die 19 Iulii 1766* §. *Ex hac.*

35. Hinc saltem immemorabilem, qua privilegium probetur *in Guastallen. Provinciae Mediolanen. die 19 Iulii 1766* §. *Ex hac.*

36. Hinc non solum privilegium, sive delegationem Apostolicam administrationis separatae Ecclesiae, sed eiusdem privilegii varium usum attendi *in Guastallen. Provinciae Mediolanen. die 19 Iulii 1766* §. *Ex hac.*

37. Qua de re nonnulli ordines minores conferunt: nonnulli dimissoriales dant: nonnulli indicunt concursus ad Parochiales *in Guastallen. Provinciae Mediolanen. die 19 Iulii 1766* §. *Ex hac varia.*

38. Nonnulli demum alia exercent, quae intime territorio separato non cohaerent omnia, sed datum est vel unum, vel alterum speciatim *in Guastallen. Provinciae Mediolanen. die 19 Iulii 1766* §. *Ex hac varia.*

39. Deficiente propterea expresso privilegio Apostolico, controversia omnis ex immemorabili dirimenda est *in Parmen. Abbatiae Fontisvivi die 19 Decembris 1801* §. *Deficiente.*

40. Hinc duo prae oculis habendum, et primum, num Abbates in territorio illos exercuerint actus, in quibus episcopalis iurisdictionis

(1) Arg. ex text. in cap. Auditis in fin. de praescript.; firmat Rot. in Tuden. iurisdictionis 16 Februarii 1729, §. 12 coram Card. Millino; in Conversana iurisdictionis 2 Decembris eiusdem anni §. fin. coram Canilliac Decano.

(2) Cap. Accepimus, de fid. instrum., cap. Cum personae, de privileg. in 6.

iura consistunt *in Parmen. Abbatiae Fontisvivi die 19 Decembris 1801* §. *Deficiente.*

41. Alterum, utrum actus eiusmodi, quatenus exerciti probentur, gesti sint ab eo tempore, quod memoriam hominum superet *in Parmen. Abbatiae Fontisvivi die 19 Decembris 1801* §. *Deficiente.*

42. Ad primum quod attinet, textus in cap. *Conquerente* de offic. iud. ordin. declarat actus, qui episcopalem iurisdictionem praeferunt *in Parmen. Abbatiae die 19 Decembris 1801* §. *Deficiente.*

43. Scilicet canonicam obedientiam, subiectionem et reverentiam, institutionem et destitutionem, correctionem et reformationem, ac censuram ecclesiasticam *in Parmen. Abbatiae Fontisvivi die 19 Decembris 1801* §. *Deficiente.*

44. Insuper iurisdictionem quoque causarum omnium, ad forum ecclesiasticum de iure spectantium, poenitentias, et sacramentorum omnium, quae ab Episcopo sunt recipienda, collationem, synodum, et synodatici seu cathedratici nomine duos solidos, quartam decimationum et mortuariorum, visitationem quoque annuam *in Parmen. Abbatiae Fontisvivi die 19 Decembris 1801* §. *Deficiente.*

45. Quos actus Canonistae omnes ex Glossa in praedicto cap. *Conquerente* dividunt in illos, qui ad legem iurisdictionis, aliosque, qui ad legem diaecesanam pertinent *in Parmen. Abbatiae Fontisvivi die 19 Decembris 1801* §. *Deficiente* (1).

46. Idcirco ad evincendam iurisdictionem quasi episcopalem, non satis esse videtur, Abbates exercuisse actus, qui referuntur ad legem iurisdictionis, sed necessarium esse, exercuisse actus, qui referuntur ad legem diaecesanam *in Parmen. Abbatiae Fontisvivi die 19 Decembris 1801* §. *Haec quae* (2).

47. Nam ab actis exercitis inferri non licet ad actus, qui non probantur gesti, et pro quibus semper salvum est Episcopo ius universale, quo nititur eius ordinaria iurisdictio *in Parmen. Fontisvivi die 19 Decembris 1801* §. *Haec quae* (3).

48. Iurisdictionis vero exercitium complecti debet omnes et singulos actus, in quibus potestas episcopalis consistit *in Parmen. Abbatiae Fontisvivi die 19 Decembris 1801* §. *Haec quae* (4).

49. Itaque territorium separatum non acquiritur vigore consuetudinis, nisi probato immemorabili exercitio omnium actuum iurisdictionalium, privative quoad Episcopum *in Caputaquen. die 17 Ianuarii 1761* §. *Ob concessam.*

50. Hinc consuetudo immemorabilis non debet esse limitata ad unum actuum genus, sed omnes complecti debet, et quidem pacifice sine ulla contradictione *in Guastallen. Provinciae Mediolanen. die 19 Iulii 1766* §. *Quod* (5).

51. Ad immemorabilem tamen consuetudinem inducendam satis quoque videtur centenaria *in Parmen. Abbatiae Fontisvivi die 19 Decembris 1801* §. *Quoties.*

52. Haec enim aequiparatur immemorabili *in Parmen. Abbatiae Fontisvivi die 19 Decembris 1801* §. *Quoties* (6).

53. Et omnes ex ea praesumitur superaccessisse titulos, idoneos ad confovendam possessionem *in Parmen. Abbatiae Fontisvivi die 19 Decembris 1801* §. *Quoties* (7).

54. Verum haec ipsa centenaria possessio debet esse continua et nunquam interrupta *in Parmen. Abbatiae Fontisvivi die 19 Decembris 1801* §. *Quoties* (8).

55. Ceterum, si actus singuli non habeant centenariam, sufficere videtur possessio in genere exercendi actus, qui episcopalem iurisdi-

(1) Gonzalez comment. in decret. lib. 1, tit. 31, cap. 16, n. 1, litt. E; Pirrhing. in ius can. lib. 1, tit. eod., §. 2, n. 41; Reinffest. eod. lib. et tit. §. 4, n. 84.

(2) Quos enumerat Reinffest. in lib. 1, tit. 31, §. 4, n. 96 et seqq., scilicet videndum, num Abbates exegerint Cathedraticum, quartam decimationum, mortuariorum, tertiam partem oblationum, subsidium charitativum.

(3) Arg. cap. Auditis, de praescript., notat Fagnan. n. 39; Clement. in Concord. pastoral. part. 1, cap. 4, n. 35; Rot. in decis. 24, n. 11 post Prosper. de territor. separat.

(4) Rot. in Burgen. iurisdictionis S. Ioannis super territorio separato die 10 Ianuarii 1727, quae est decis. 163, n. 30 coram Ratto.

(5) Benedict. XIV in Constit. incipien. *Inter multa* 4 April. 1747.

(6) Rot. in Tudertina immissionis 13 Martii 1789, §. 5 coram Cesarei.

(7) Rot. in Bononien. immissionis 12 Iunii 1790, §. 3 coram Malvasia.

(8) L. 3, ff. de usucap.; notat Vinnius in Select. quaest. lib. 2, cap. 34, n. 3.

ctionem indigitant, quique centenariam longe excedunt, et immemorabilem, cum suis requisitis circumstantiis, praeseferunt *in Parmen. Abbatiae Fontisvivi die 19 Decembris 1801 §. Verum.*

56. Unde, si actus singuli non prosunt, uniti saltem conferunt ad inducendam centenariam *in Parmen. Abbatiae Fontisvivi die 19 Decembris 1801 §. Verum* (1).

57. Haec insuper roboratur ex scientia et acquiescentia Episcoporum, quae semper praesumitur, ubi palam actus exerciti fuerint *in Parmen. Abbatiae Fontisvivi die 19 Decembris 1801 §. Verum* (2).

58. Secus enim iuris praesumptio assistit Episcopis in toto ambitu suarum diaecesum *in Caputaquen. die 12 Iulii 1760 §. Ordinariam* (3).

59. Haec praesumptio coadiuvatur vero, ex visitationibus antiquis, a suis Antecessoribus peractis, et successivis temporibus renovatis in Ecclesiis loci, quoad sacramenta et sacramentalia *in Caputaquen. die 12 Iulii 1760 §. Ordinariam.*

60. Item ex consuetudine, qua Vicarii curati Ecclesiarum parochialium eorumdem locorum approbati fuerunt ab Episcopis *in Caputaquen. die 12 Iulii 1760 §. Ordinariam.*

61. Nec non ad Synodum vocati fuerunt *in Caputaquen. die 12 Iulii 1760 §. Ordinariam.*

62. Aliique Sacerdotes in eisdem Ecclesiis Sacramentum poenitentiae de illorum licentia administrarunt *in Caputaquen. die 12 Iulii 1760 §. Ordinariam.*

63. Ab Episcopis tabellae casuum reservatorum affixio in Ecclesiis dictorum locorum demandata fuit *in Caputaquen. die 12 Iulii 1760 §. Ordinariam.*

64. Ordines ab iisdem collati fuerunt *in Caputaquen. die 12 Iulii 1760 §. Ordinariam.*

65. Sacramento chrismatis Populus confirmatus fuit a praedictis Episcopis *in Caputaquen. die 12 Iulii 1760 §. Ordinariam.*

66. Hinc haec omnia, uti praeseferentia exercitium iurisdictionis episcopalis, coadiuvare videntur praesumptionem iuris, pro subiectione eorumdem locorum ordinariae iurisdictioni Episcopi, in cuius diaecesi sita sunt *in Caputaquen. die 12 Iulii 1760 §. Ordinariam* (4).

67. Ceterum territorium separatum non excludere videntur visitationes Episcopi, tamquam referibiles ad facultatem, a Concilio in cap. 9 sess. 24 tributam Episcopo viciniori *in Caputaquen. die 17 Ianuarii 1761 §. Contra.*

68. Neque territorium separatum excludere videtur ordinum collatio, facta ab Episcopo, tamquam referibilis ad qualitatem Episcopi vicinioris *in Caputaquen. die 17 Ianuarii 1761 §. Contra* (5).

69. Item, territorium separatum non excludere videtur vocatio Presbiterorum ad Synodum, facta ab Episcopo, tamquam referibilis ad qualitatem Episcopi vicinioris *in Caputaquen. die 17 Ianuarii 1761 §. Contra* (6).

70. Demum, territorium separatum non excludere videntur licentiae audiendi confessiones datae ab Episcopo, quae intelligi possunt pro locis suae Diaecesis *in Caputaquen. die 17 Ianuarii 1761 §. Contra.*

71. Cessare tamen videtur praesumptio favore Episcopi, si Diaecesis ex pluribus Diaecesibus coaluisset, cum loca praedicta esse potuerint inter unam et alteram ex Diaecesibus, utcumque modo reperiantur in ambitu Diaecesis *in Caputaquen. die 12 Iulii 1760 §. Contra* (7).

72. Territorium imo separatum probe arguitur ex universali iurisdictione *in Aquilana iurisdictionis die 21 Iunii 1760 §. Ad probandum* (8).

(1) Rot. in decis. 10, n. 27 coram Zaratt.

(2) Tondut. resol. benef. 60, n. 13.

(3) Card. de Luc. de iurisdict. disc. 1, 14, et 15; Cardin. Petra ad Constitut. 6 Alex. III, sect. 1, n. 37, tom. 2; Rot. in Passavien. visitationis 26 Februarii 1731 coram Sanctissimo.

(4) Rot. in decis. 29, n. 7 coram Caprara; in decis. 22, n. 8 de offic. ordin. coram Falconer.; et in terminis commendae Hierosolymitanae in Tuden. iurisdictionis super manutentione 11 Martii 1735, §. Sicut namque, coram Card. Crescentio; et 16 Februarii 1730, §. 2 coram Card. Millino.

(5) Rot. in decis. 24, n. 20, tit. de offic. ordin. coram Falconerio.

(6) Rot. in decis. 9, n. 24, tit. de offic. ordin. coram Falconerio.

(7) Rot. in decis. 3, n. 3 de offic. ordin. coram Falconerio.

(8) Fagnan. in cap. Significasti n. 17 de offic. Archidiac.; Rot. in decis. 2, c. 11. de offic. ordin. coram Falconerio.

73. Arguitur pariter territorium separatum ex facultate approbandi Confessarios, quae Praelatis inferioribus sine territorio separato nullo modo competit *in Aquilana iurisdictionis die 21 Iunii 1760* §. *Ad probandum.*

Item *in Caputaquen. die 12 Iulii 1760* §. *Docet.*

74. Ex eo etiam, quod a quadraginta annis quis Oeconomos parochialium deputaverit *in Caputaquen. die 12 Iulii 1760* §. *Docet.*

75. Nec non quia facultatem concionandi tribuerit *in Caputaquen. die 12 Iulii 1760* §. *Docet.*

76. Namque respicit curam animarum, in qua proprie consistit iurisdictio episcopalis *in Aquilana iurisdictionis die 21 Iunii 1760* §. *Ad probandam.*

Item *in Caputaquen. die 12 Iulii 1760* §. *Docet* (1).

77. Unde expleri nequivisse censetur, nisi quis territorio separato potiretur *in Caputaquen. die 12 Iulii 1760* §. *Docet.*

78. Similiter arguitur ex nuncupatione *nullius,* in regestis sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium apposita *in Aquilana iurisdictionis die 21 Iunii 1760* §. *Observantia* (2).

79. Limita, nisi nuncupatio *nullius* abusive et recenter inducta, et rarissime usurpata sit *in Aquilana iurisdictionis die 21 Iunii 1760* §. *Ideoque.*

80. Nam optime congruere videtur Praelatis exemptis secundae speciei, vigore privilegii et consuetudinis, quin inducat veram qualitatem *nullius,* nisi iungatur cum verificatione territorii separati et avulsi a quacumque Diaecesi *in Aquilana iurisdictionis die 21 Iunii 1760* §. *Ideoque* (3).

81. Hinc propositis dubiis: - I. An et ad quem spectet publicatio Iubilaei et Indulgentiarum in terra Luculi in casu etc.

II. An subscriptio edictorum et quarumcumque scripturarum iurisdictionalium possit ab Abbate S. Ioannis de Luculo expleri cum data: *Datum Aquilae ex Palatio nostrae Residentiae* in casu etc.-, S. Congregatio respondit: - Ad primum, Spectare ad Episcopum. Ad secundum, Negative, et esse apponendam datam ex Abbatia S. Ioannis civitatis Aquilae - *in Aquilana iurisdictionis die 21 Iunii 1760.*

82. Repropositis subinde dubiis sub formula: - An sit standum vel recedendum a decisis in casu etc.-, S. Congregatio responsum dedit: - In decisis, et amplius - *in Aquilana iurisdictionis die 18 Iulii 1761.*

83. Nam Regulares sub pretextu suarum exemptionum nequeunt publicare indulgentias in eorum Ecclesiis *in Marsicana lib. 1 decretorum pag. 93.*

Item *in Neritonen. ad II dubium lib. 1 decretorum pag. 143; in Aquilana iurisdictionis die 18 Iulii 1761* §. *Verum* (4).

84. Ex eo praesertim, quod in praefato casu Aquilanae iurisdictionis, controversia iurisdictionalis, dudum vigens inter Episcopum Aquilanum et Abbatem Sancti Ioannis de Luculo, prodierat Rotae decisio sub titulo Aquilanae iurisdictionis 30 Martii 1607 coram Pamphilo (5), dirempta fuit anno 1623 mediante concordia, quam de voto S. Congregationis confirmaverat S. M. Urbanus VIII per Breve expeditum die 29 Decembris 1625, et in ea conventum extitit, quod Abbas, Abbatia, et Ecclesia S. Ioannis de Collimento de Luculo sint et intelligantur de Diaecesi Aquilana. Cumque Abbas, contra formam dictae confirmationis Apostolicae, sibi arrogaret facultatem absolvendi a casibus reservatis, die 14 Ianuarii 1673 disputata fuerunt in S. Congregatione tria dubia: - I. An et quibus mediis coercendus sit dictus Abbas, ob non servatam in dicta parte reservationis casuum Concordiam, iuxta confirmationem S. Sedis? II. An et cuiusnam intitulatione, Episcopine vel Abbatis tenenda sint affixa in Sedibus confessionalibus Abbatiae Edicta casuum reservatorum? III. An Curati earumdem Ecclesiarum teneantur adire Episcopum pro facultate absolvendi ab illis? -, Sacra Congregatio, perpenso tenore Concordiae et

(1) Piton. Discept. eccles. 124, n. 14; Rot. in decis. 65, n. 10 post Tamburin. de iur. Abbat. tom. 3; in decis. 546, n. 18 coram Ansaldo; in Nolana beneficiorum 25 Iunii 1759 §. 10 coram Paracciano.

(2) Tradunt Fagnan. in cap. Significasti n. 17 de offic. Archid.; Passerin. in cap. Nullus n. 151, de tempor. ordin.; Rota in decis. 69, n. 16, part. 19, Recent., et decis. 10, n. 3, de offic. ordin. coram Falconerio.

(3) Card. Petra in comment. ad Constit. 4 Calisti III, sect. 1, n. 12, tom. 5.

(4) Barbos. aliam S. Congregationis resolutionem refert in part. 1, cap. 16, n. 40 de Paroch.

(5) Impress. penes Marchesan. de commiss. part. 1, pag. 989.

Brevis confirmationis, respondit: - Ad primum, Abbatem praefatum coercendum esse iuris remediis. Ad secundum, Edicta tenenda esse cum intitulatione Episcopi Aquilani. Ad tertium, Affirmative - (1) *In Aquilana iurisdictionis die 10 Maii 1760* §. *Controversia.*

85. Praeterea, territorium separatum arguitur ex eo, quod mitti consuevissent literae Apostolicae, pro indulgentiarum publicatione *in Aquilana iurisdictionis die 21 Iunii 1760* §. *Observantia.*

Item *in Caputaquen. die 12 Iulii 1760* §. *Docet* (2).

86. Commissiones enim huiusmodi demonstrant, Abbates se palam in hac parte gessisse pro Ordinariis, et eorum iurisdictionem exercuisse *in Parmen. Abbatiae Fontisvivi die 19 Decembris 1801* §. *Nam anno* (3).

87. Hinc, licet Abbatia eiusque territorium sint in Diaecesi N. N., et ab illa materialiter non separentur, attamen non deficit separatio territorii formalis et secundum quid, quae eosdem producit effectus *in Aquilana iurisdictionis die 21 Iunii 1760* §. *Observantia* (4).

88. Tribunal, cum Officialibus Curiae ab immemorabili retentum, territorium separatum innuit *in Caputaquen. die 12 Iulii 1760* §. *Contra* (5).

89. Verum efficaciter non eruitur territorium separatum ex retentione Tribunalis, et exercitio iurisdictionis intra septa Commendae, cum hanc habeant potestatem Praelati exempti, citra praeiudicium ordinariae iurisdictionis Episcopi in clerum et populum, iuxta dispositionem Concilii tridentini in cap. 11 sess. 25 de reg. *in Caputaquen. die 12 Iulii 1760* §. *Minusque* (6).

90. Validissimum vero praebere videtur argumentum territorii separati erectio et collatio beneficiorum *in Caputaquen. die 12 Iulii 1760* §. *Contra* (7).

91. Facultas concedendi licentias discedendi *in Caputaquen. die 12 Iulii 1760* §. *Contra* (8).

92. Cognitio causarum matrimonialium et criminalium *in Caputaquen. die 12 Iulii 1760* §. *Contra* (9).

93. Quae enim omnia minime licent Praelatis inferioribus, etiam secundae speciei *in Caputaquen. die 12 Iulii 1760* §. *Contra.*

94. Insuper probatur ex longaeva acquiescentia Episcoporum viciniorum circa exercitium actuum iurisdictionalium *in Guastallen. Provinciae Mediolanen. die 19 Iulii 1766.* §. *Itidem* (10).

95. Unde de antiqua qualitate vere nullius et profecto summae speciei ambigi non posse videtur *in Guastallen. Provinciae Mediolanen. die 19 Iulii 1766* §. *Propterea.* (11).

96. Territorium separatum etiam innuit visitatio Ecclesiarum *in Caputaquen. die 12 Iulii 1760* §. *Contra* (12).

97. Territorium autem separatum minime deduci videtur, si Episcopo reservata sit visitatio Abbatiae, iuxta Constitutionem sacri Concilii Tridentini in cap. 8 sess. 7 de reform. *in Aquilana iurisdictionis die 21 Iunii 1760* §. *His tamen.*

98. Quo enim loco Praelati solum primae et secundae speciei comprehenduntur, non autem Praelati vere nullius territorium separatum habentes, quorum respectu visitatio committitur Episcopo viciniori per aliam Concilii sanctionem in cap. 9 sess. 24 de reform. *in Aquilana iurisdictionis die 21 Iunii 1760* §. *His tamen* (13).

(1) Ut in lib. 28 decretorum pag. 1.

(2) Card. De Luc. de iurisdict. disc. 18, n. 3

(3) Card. Petra in comment. ad Constit. apost. tom. 3, pag. 562, n. 11; Rot. in decis. 18, n. 41 post Ceccoper; in decis. 101, n. 7 coram Dunozett.; in decis. 264, n. 6 coram Molino.

(4) Card. de Luc. de iurisdict. disc. 18, n. 3.

(5) Card. Petra in commentar. ad Constit. 6 Alex. III, sect. 1, n. 72, tom. 2.

(6) Cui adhaerent Constitutiones 136 S. Pii V, 67 Gregorii XIII, et Decretalis Benedicti XIV in Conversana iurisdictionis inter suas Constitutiones 76 tom. 1, et concordant aliae Decretales in Tusculana 33 et in Spiren. 40 tom. 2.

(7) Rot. in Nuperr. decis. 378, n. 1 et 2.

(8) Garz. de benef. part. 3, cap. 2, n. 90.

(9) Card. Petra in comment. ad Constit. 4 Callisti III, sect. 2, n. 37, tom. 3.

(10) Rot. in Marsicen. seu Nullius iurisdictionis super bono iure 7 iunii 1700, coram Muto.

(11) Rot. in decis. 334, n. 4, part. 4, tom. 1 recent.; in decis. 34, n. 10. de offic. ordin. et territor. separat. coram Falconerio; et in Nullius terrae pratularum 27 Novembris 1724, §. Ex quo, coram Calcagnino.

(12) Piton. discept. eccles. 128, n. 15.

(13) Card. Petra in comment. ad Constit. 4 Callisti III, sect. 1, n. 21 et 22, tom. 5.

99. Nam in locis *nullius* sacrum Concilium Tridentinum in dicto cap. 9 sess. 24 de reform. mandat, fieri ab Episcopo visitationes, iure delegato *in Caputaquen. die 12 Iulii 1760* §. *Docet.*

100. Hinc, nisi quis probet, se habere iurisdictionem omnino ordinariam cum territorio separato et qualitate, ut pragmatici aiunt, *vere nullius,* non potest se subtrahere ab illa iurisdictione, quam tridentina Synodus saltem nomine Sedis apostolicae Episcopis omnibus delegavit *in Eugubina Visitationis die 7 Septembris 1805* §. *Episcopus* (1).

101. Si praesertim in facto esset, quod Episcopi ordinariam semper exercuissent iurisdictionem spiritualem in locis, quae exempta dicuntur; hoc enim in casu propositis dubiis: - I. An Episcopus Caputaquensis exercere valeat omnimodam iurisdictionem in locis Rhodii et Sancti Mauri, seu potius talis iurisdictio competat Baiulivo S. Euphemiae? II. An Vicarii curati pro Ecclesiis parochialibus Rhodii et Sancti Mauri a Baiulivo praesentati examinari et approbari debeant ab Episcopo? III. An deputatio Oeconomi provisionalis ad dictas Parochias spectet ad Ordinarium? IV. An assertus Vicarius Baiulivatus dare possit licentias confessiones audiendi in dictis Ecclesiis quibuscumque Sacerdotibus etiam non approbatis ab Ordinario? V. An administratio Sacramenti Confirmationis in locis Rhodii et Sancti Mauri privative spectet ad Episcopum Caputaquensem in casu etc.-, S. Congregatio die 19 Novembris 1757 respondit: - Dilata, et fiet extractio documentorum, citata Parte - *in Caputaquen. die 19 Aprilis 1760* §. *Agitur.*

102. Repropositis subinde praefatis dubiis, S. Congregatio respondit: - Ad primum, Spectare ad Episcopum iurisdictionem ordinariam in Clerum et Populum; quo vero ad Ecclesias subiective unitas, delegatam. Ad secundum, Affirmative. Ad tertium, Affirmative. Ad quartum, Negative. Ad quintum, Affirmative *in Caputaquen. die 2 Augusti 1760.*

103. Demum eisdem dubiis rursum propositis sub formula: - An sit standum vel recedendum a decisis in casu etc-, S. Congregatio responsum dedit: - In decisis, et amplius - *in Caputaquen. die 17 Ianuarii 1761.*

104. Item, ad Abbatiam seu Monasterium S. Salvatoris Ordinis Cisterciensis ex antiquis privilegiis nonnulla pertinent Castra, et signanter terra Monticelli, super qua Abbas praetendit omnimodam et quasi episcopalem habere iurisdictionem cum formali territorii separatione. At Episcopo contradicente, dubiis propositis tum super articulis admittendis, et in casu, quod non sint admittendi, an et de cuius bono iure constet etiam ad effectum manutentionis? responsum prodiit: ad primum, Negative. Ad secundum, Constare de bono iure Episcopi, quoad situationem in diaecesi Clusina, et quoad exclusionem territorii separati praetensi per Abbatem; et super quibus actis competat eidem Abbati iurisdictio particulariter videatur *in Clusina seu Nullius iurisdictionis die 21 Aprilis 1703.*

105. Reproposita subinde causa, S. Congregatio stetit in decisis, cum additione, quod super actibus particularibus iurisdictio quaenam competat Abbati? Examinentur ab Eminentissimis Acciaiola, Ferrario, et Panciatico *in Clusina seu Nullius iurisdictionis die 5 Aprilis 1704 ad I et II dubium.*

106. At decretis editis (2) a Congregatione particulari super competentia iurisdictionis ordinariae in genere, et super exclusione territorii separati, tum etiam super nonnullis actibus particularibus in favorem praedicti Abbatis S. Salvatoris, ipso Abbate non acquiescente, et super quibus actibus particularibus

(1) Card. De Luc. de iurisdict. disc. 1, n. 1; Galliard. instit. iur. canon. lib. 1, tit. 24, n. 1.

(2) Ursaya in Discept. Eccles. V, tom. 2, part. 1, n. 210 et seqq. refert, quod Congregatio particularis die 6 Iulii 1704 decreverit, competere Abbati iurisdictionem tam in suo Monasterio, quam in Regularibus. Item competere Abbati ius deferendi mitram, annulum, baculum, et sandalia Pontificalibus, celebrandis in Ecclesia sui Monasterii, nec non mozzettam intra ambitum eiusdem Monasterii. Item competere Abbati ius visitandi Ecclesias etiam curatas in Castris Abbatiae et Monticelli sitas, cumulative cum Ordinario; ita tamen, ut decreta Abbatis non adversentur decretis Ordinarii. Item competere Abbati in eisdem Ecclesiis, in Castris Abbatiae et Monticelli sitis, praesentationem seu respective institutionem tituli collativam, praevio tamen concursu coram Ordinario: institutionem vero authorizabilem competere eidem Ordinario, ad formam Concilii. Item competere Abbati in praefatis Ecclesiis electionem Concionatorum, approbandorum tamen ab Ordinario. Item competere Abbati in eisdem Ecclesiis deputationem Capellanorum amovibilium, approbandorum pariter ab Ordinario in concernentibus curam animarum. Omnes vero reliquos praetensos actus iurisdictionis spectare ad Ordinarium.

sit standum vel recedendum a decisis, reclamante ad Signaturam SSmi, haec remisit ad S. Congregationem tantum quoad actus particulares, quae respondit: - In decisis in omnibus, cum prohibitione Abbati se denominandi *Nullius* - *in Clusina iurisdictionis super actibus particularibus 28 Martii 1705* (1).

107. Secus vero dicendum esset, sì constaret de qualitate *Nullius Diaecesis;* propositis enim dubiis: - I. An Monasterium S. Honuphrii nuncupatum *di massa diruta* sit Nullius Diaecesis? *Et quatenus negative.*

II. An Priori seu Abbati dicti Monasterii liceat facultatem concedere Sacerdotibus secularibus, vel regularibus, ab Ordinario non approbatis, audiendi confessiones personarum secularium in dicta Ecclesia S. Honuphrii? *Et quatenus negative.*

III. An Sacerdotes Seculares et Regulares alterius Diaecesis, etiam a proprio Ordinario approbati, audire possint confessiones personarum secularium, de licentia dicti Prioris seu Abbatis pro tempore eiusdem Monasterii? Et *quatenus negative.*

IV. An et in quas poenas incidant tam Prior sive Abbas, quam Confessarii?

V. An fons baptismalis, in eadem Ecclesia positus, sit removendus? - S. Congregatio respondit: - Dilata ad primam post aquas, suspensis interim per modum provisionis, et sine praeiudicio iurium partium Confessariis, non approbatis ab Episcopo - *in Caputaquen. die 28 Augusti 1756.*

108. Inde praefatis dubiis repropositis, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Ad mentem in casu, de quo agitur, et mens est: Non expedire uti Confessariis, ab Ordinario non approbatis. Ad tertium, Affirmative. Ad quartum, Provisum in antecedentibus. Ad quintum, Negative, et ad mentem, et mens est: Quod non utatur, nisi consulta S. Congregatione - *in Caputaquen. die 11 Decembris 1756.*

Demum eisdem dubiis repropositis sub formula: - An sit standum vel recedendum a decisis in casu etc. -, S. Congregatio responsum tulit: - In decisis, et amplius - *in Caputaquen. die 30 Iulii 1757.*

109. In casu propterea, quo exemptio absoluta a Romano Pontifice concessa fuit, proposito dubio: - An Vicarii electi ab Eminentissimo Protectore examinari et approbari debeant ab Episcopo Eugubino ante exercitium curae Animarum, sive potius suscipere possint exercitium curae independenter a qualibet confirmatione et approbatione dicti reverendissimi Episcopi -, S. Congregatio respondit: - Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam - *in Eugubina iurisdictionis die 28 Augusti 1773 ad IV dubium.*

110. Propositis vero dubiis: - I. An Abbas Cassinensis Monasterii Sanctissimae Trinitatis Civitatis Cavae suum particulare territorium separatum reservatum in territorio Cavensi habeat, et quale illud sit?

II. An pendente discussione super dicto territorio separato reservata iurisdictio in eo exerceri debeat per Abbatem vel per Episcopum Cavensem privative quoad ipsum?

III. An Hospitium et Capella S. Mariae de obedientia sit de territorio et iurisdictione Abbatis Cavensis?

IV. An constet de attentatis? - S. Congregatio remisit decisionem ad S. Rotam *in Caven. iurisdictionis die 3 Augusti 1709 ad I, II, III et IV dubium* (2).

(1) Card. Petra in Comm. ad Constit. IV Calisti III, Sect. III, n. 33, tom. 5 haec habet de huiusmodi causa - ibi - Hinc S. Congregatio Concilii in famigerata Causa *Clusina iurisdictionis*, etsi pro parte Abbatis S. Salvatoris Ordinis Cisterciensis, praetendentis separationem veram territorii in duobus Castris, fuissent producta privilegia Apostolica et praesertim Gregorii XV, ut nullus Sacerdos in praefatum Monasterium quamlibet iurisdictionem vel potestatem haberet, nisi per Sedis apostolicae Pontificem, et nulla alia magna persona, servis, famulis, liberis, et cunctis rebus molestiam inferret; et quod nulla magna seu parva persona intra districtum in aliquibus Castris ipsius manum habere, vel iudicare sive aliquod placitum tenere habeat · ac deducta fuisset praetensa praescriptio iurium Episcopalium; tamen, quia titulus Apostolicus fuit recognitus non sufficiens pro separatione territorii, nullam vim habere potuit praetensa praescriptio, cum nullam ille potuisset aliquo modo praebere bonam fidem in praescribente, ac proinde 21 Aprilis 1703 resolvit S. Congregatio: « Constare de bono iure Episcopi, quoad situationem in Diaecesi Clusina, et quoad exclusionem territorii separati praetensi ab Abbate, et super quibus actibus competit eidem Abbati iurisdictio particulariter videatur. Et die 5 Aprilis 1704 stetit, in decisis. Ac perscrutatis in Congregatione actibus particularibus, fuerunt aliqui adiudicati Abbati.

(2) Hinc S. Rota, vigore remissionis S. Congregationis, decidit, omnibus DD. Auditoribus suffragantibus, « Ab-

111. Ceterum activa iurisdictio ex privilegio concessa Abbatibus non secumfert separationem et divisionem territorii *in Eugubina Visitationis die 7 Septembris 1805* §. *Episcopus* (1).

112. Neque exemptionem a delegata iurisdictione Episcopi *in Eugubina Visitationis die 7 Septembris 1805* §. *Episcopus* (2).

113. Si quis vero connumerandus sit inter Praelatos secundae speciei, reservantur Episcopo solum ea, quae spectant ad legem diaecesanam *in Caputaquen. die 12 Iulii 1760* §. *Contra* (3).

114. Ad legem autem diaecesanam spectat exactio cathedratici, quartae decimationum, mortuariorum, tertiae partis oblationum, ac subsidii charitativi *in Parmen. Abbatiae Fontisvivi die 19 Decembris 1801* §. *Haec quae* (4).

115. At Abbates, cum qualitate vere nullius et cum territorio separato, exempti sunt ab ordinaria et delegata iurisdictione Episcopi *in Eugubina Visitationis die 7 Septembris 1805* §. *Episcopus* (5).

116. Hinc in casu, quo Romanus Pontifex Card. Protectori S. Agnetis ita potestatem dedit, ut Ecclesias unitas S. Sebastiani et S. Benedicti administraret, - ut suppressi Monasterii et S. Sebastiani Ecclesias praedictas, loca, personas, res, et bona, a quacumque Eugubini et Alatrini Episcoporum respective et Abbatum Ordinis S. Benedicti nunc et pro tempore existentium, visitatione, correctione, iusisdictione, et quavis alia superioritate, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, motu scientiae et potestatis plenitudine, ac auctoritate et tenore similibus penitus et omnino liberemus, absolvimus, eximimus (6)-, proposito dubio: - An Episcopo Eugubino competat iurisdictio ordinaria, seu potius delegata Sedis Apostolicae, ad effectum visitandi Ecclesias Parochiales S. Benedicti Veteris, S. Crucis de Murena, S. Petri de Salia in sasu etc.-, S. Congregatio respondit: - Negative in omnibus - *in Eugubina Visitationis die 7 Septembris 1805.*

§. IX.

ABBAS QUOAD RESIDENTIAM.

1. Abbas tenetur penes Parochialem Ecclesiam residere *in Cosentina Privationis et censurarum die 17 Novembris 1736* §. *At praeterea.*

2. Amplia, etiamsi Vicarium perpetuum in ea retineat *in Cosentina Privationis et Censurarum die 17 Novembris 1736* §. *At praeterea.*

3. Limita vero, nisi tota animarum cura in Vicarium perpetuum fuerit translata *in Cosentina Privationis et Censurarum die 17 Novembris 1736* §. *At praeterea.*

4. Siquidem id sanxit S. Congregatio in *Portugallen.* lib. 1 decretorum pag. 96: - ibi - Rodoricus Pincheiro Episcopus Portugallensis, cum parochialem Ecclesiam haberet, nuncupatam Abbatiam S. Olaiae Oppidi seu loci de constante Portugallensis Diaecesis, obtinuit a Sede Apostolica Vicarium perpetuum, in quem omnis cura animarum legitime translata fuit, et Sacramentorum administratio. Renunciavit postea huiusmodi Parochialem, quam obtinuit in totum Gaspar Riberius, qui nunc a Sacra Congregatione supplicat declarari, eum non esse obbligatum ad

» batem Cavensem habere particulare territorium separatum in Monasterio Cavensi, et aliis locis reservatis in » Capitulis, et Bulla Leonis X, » ut in Decis. 3, tit. de Offic. Ord. coram Falconerio. Praeterea dubio proposito: - An Hospitium et Capella S. Mariae de Obedientia sit de territorio separato, et iurisdictione Abbatis? eadem S. Rota respondit: - Negative, tam quoad territorium, quam quoad iurisdictionem praeter ea, quae de iure competunt locis exemptis - ut in Decis. 5, loc. cit.

(1) Rot. in decis. 304, n. 11, part. 11, recent. in Paderbonen. iurisdictionis 8 Martii 1756 §. 13 coram Bussio.

(2) Marescott. variar. resol. lib. 2, cap. 15, n. 4 et 5; Lotter. de re benef. lib. 1, quaest. 25, n. 23; Rot. in decis. 401, n. 13, coram Caprara.

(3) Clement. in concord. pastor. p. 1, cap. 4, n. 85 et seqq.; Card. De Luc. de iurisdict. disc. 1, n. 9.

(4) Reinffest. in ius canon. lib. 1, tit. 31, §. 4, n. 96 et seqq.

(5) Card. De Luc. de iurisdict. disc. 1, n. 8; Cagliard. Instit. iuris canon. lib. 1, tit. 24, n. 1.

(6) Innocent. X, VII Kal. Octobris anno X.

residentiam dictae parochialis Ecclesiae, durante vita dicti Vicarii perpetui, in quem legitime omnis animarum cura translata fuit dictae parochialis Ecclesiae, Sacra Congregatio ita declaravit; *Si modo tota cura animarum translata fuit legitime in hunc solum Vicarium perpetuum.*-

5. Secus Abbas ad residentiam compelli debet', poenis statutis a iure communi in toto tit. de cleric. non residen., et ab eodem Concilio tridentino in cap. 1 sess. 23 de reform. *in Cosentina Privationis et Censurarum die 17 Novembris 1736* §. *At praeterea.*

6. Namque Abbas, habens curam animarum ipsi incumbentem, tenetur ad residentiam, etiamsi Abbatia sit tenuis reditus *in dubio ad cap. 12 sess. 24 de reform. Posit. 83.*

7. Hinc Abbas Collegiatae Ecclesiae S. Ioannis Baptistae terrae Angri, qui animarum curam habet, ad residentiam tenetur *in Nucerina Paganorum residentiae die 26 Februarii 1707 ad I dubium.*

8. Nec abesse potest singulis annis per tres menses ad formam S. Concilii Tridentini sess. 6, cap. 2; et sess. 23 cap. 1 de reformatione *in Nucerina Paganorum residentiae 25 Februarii 1707 ad II Dubium.*

9. Abbas Collegiatae S. Benedicti Capuae tenetur et potest cogi ad residentiam ab Archiepiscopo Capuano *in Capuana anno 1573 lib. 1 decretorum pag. 44.*

10. Abbas S. Cucerfati Barchinonen. tenetur residere in Sede abbatiali idest monasterio, non obstante consuetudine in contrarium *in Barchinonen. Residentiae die 17 Ianuarii 1692 lib. 42 decretorum.*

11. Iulius Caesar Miccolius, Abbas Ecclesiae S. Mariae *la Greca* Terrae Putignani, tenetur ad residentiam sub poena fructuum amissionis, beneficiique privationis, non autem distributionum, etiamsi an esset Ecclesia illa Collegiata vel Receptitia et Abbatialis simplex beneficium dubitaretur *in Conversana seu Terrae Putignani residentiae die 22 Novembris 1755* ad *I dubium.*

12. Imo cum eodem Abbate, tamquam presbitero participante dictae Ecclesiae, poenae in non residentes, tam a iure communi, quam a sacro Concilio tridentino inflictae, locum habent *in Conversana seu Terrae Putignani residentiae die 22 Novembris 1755 ad II dubium.*

13. Quidquid enim in casu res esset de qualitate Ecclesiae, certum erat, Abbatem ex vetustissima consuetudine ad residentiam teneri; adeoque propositis dubiis: - I. An R. D. Iulius Caesar Miccoli, Abbas Ecclesiae S. Mariae *la Greca* Terrae Putignani, teneatur ad residentiam sub poena amissionis fructuum et privationis beneficii, seu potius sub poena amissionis distributionum in casu etc.

II. An cum eodem R. D. Iulio Caesare Miccoli, tamquam presbitero partecipante dictae Ecclesiae, locum habeant poenae non residentium, tam a iure communi, quam a S. Concilio tridentino inflictae in casu etc.-, S. Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam. Ad secundum, Affirmative *in Conversana seu Terrae Putignani residentiae die 22 Novembris 1755.*

14. Abbas S. Benigni nullius diaecesis tenetur constituere vicarium Generalem, intra fines Diaecesis residentem, pro causis suorum Subditorum *in Nullius Abbatiae S. Benigni die 5 Maii 1703 lib. 53 decretorum.*

15. Amplia, etiamsi ex consuetudine praedictus Vicarius residere consueverit in civitate Taurini *in Nullius Abbatiae S. Benigni die 5 Maii 1703 lib. 53 decretorum.*

16. Abbas Bernardinus Lucernarius, Parochus Ecclesiae S. Blasii, in inferiori regione Urbis Pontis Curvi *Pastino* nuncupata sitae, habitare nequit in domo paterna, in superiori regione manente, extra fines nempe suae Paraeciae *in Pontis Curvi residentiae die 20 Decembris 1755.*

Item *die 7 Februarii 1756.*

17. At Abbas, qui non est vere et proprie parochus Ecclesiae, sed ibi abbatialem obtinet dignitatem, sibique onus curae animarum dumtaxat habitualis, non vero actualis incumbit, non teneri videtur instar veri Parochi praecisam residentiam praestare *in Cosentina Privationis et censurarum die 17 Novembris 1736* §. *Deinde.*

18. Unde et animarum curam per seipsum exercere minime tenetur, sed potest eam per Vicarios substitutos obire *in Cosentina Privationis et censurarum die 17 Novembris 1736* §. *Deinde.*

19. Quapropter nequit suis Ecclesiis statim destitui, iuxta praescriptum sacri Concilii tri-

dentini in Cap. 1 sess. 23 de reform. *in Cosentina Privationis et Censurarum die 17 Novembris 1736* §. *Deinde.*

20. Amplia, etsi absque Archiepiscopi licentia et iusta causa a residentia diu abfuisset *in Cosentina Privationis et Censurarum die 17 Novembris 1736* §. *Deinde.*

21. Sed tamquam Abbas ad residentiam in suis Ecclesiis praestandam compelli debet ad normam, quam idem sacrum Concilium Tridentinum in Cap. 12 sess. 24 de reform. praescribit *in Cosentina Privationis et Censurarum die 17 Novembris 1736* §. *Deinde.*

22. Praesertim, si Archiepiscopi licentia a suarum Ecclesiarum residentia discendens, alicubi se contulerit, ibique gravibus infirmitatibus conflictatus legitime fuerit impeditus, quominus ad residentiam reverteretur *in Cosentina Privationis et Censurarum die 17 Novembris 1736* §. *Secundo.*

23. Nam eo in casu adversus eum, uti iusta infirmitatis causa, et cum Archiepiscopi licentia absentem, per privationem Ecclesiarum et ecclesiasticas censuras procedi nequit *in Cosentina Privationis et Censurarum die 17 Novembris 1736* §. *Secundo* (1).

24. In casu vero, quo Vicarius generalis edidit decretum privationis et excommunicationis, nulla etiam praemissa citatione, ad sententiam omnino necessaria (2), etsi nonnullae citationes comminatoriae poenarum transmissae fuerint, proposito dubio: - An decretum Curiae Archiepiscopalis, tam quoad excommunicationem, quam quoad restitutionem fructuum, et privationem Abbatiae curatae sustineatur in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Ordinarius procedat ex integro servatis servandis - *in Cosentina Privationis et Censurarum die 1 Decembris 1736.*

25. Ex eo etiam, quod Vicarius generalis, destitutus speciali facultate privandi Rectores suis Ecclesiis et Beneficiis, nequit eos parochialibus Ecclesiis destituere *in Cosentina Privationis et Censurarum die 17 Novembris 1736* §. *Adversus.*

26. Vicarium enim generalem Episcopi non posse beneficia conferre, nec quemquam illis privare, nisi id specialiter fuerit ab Episcopo commissum, sancivit Bonifacius VIII in Cap. Cum in generali, et in Cap. Licet, de Offic. Vicar. in 6, hisce verbis: - Licet, in Officialem Episcopi per commissionem officii generaliter sibi factam, causarum cognitio transferatur; potestatem tamen inquirendi, corripiendi, aut puniendi aliquorum excessus, seu aliquos a suis beneficiis, officiis, vel administrationibus amovendi, transferri nolumus in eumdem, nisi sibi specialiter haec committantur-*in Cosentina Privationis et Censurarum die 17 Novembris 1736* §. *Adversus* (3).

§. X.

ABBAS QUOAD VACATIONEM ET ELECTIONEM.

1. Iure constitutum habetur, quod mortuo Praelato, eius iurisdictio ad solum cathedralis Ecclesiae Capitulum transire debeat *in Nullius Terrae Pontiani electionis Vicarii Capitularis die 16 Decembris 1741* §. *Porro* (4).

2. Communius tamen ab iuris Auctoribus traditum est, eamdem iurisdictionem, mortuo Abbate, vel alio Praelato, cui iurisdictio quasi episcopalis competat cum territorio separato, ad Capitulum Ecclesiae Collegiatae, cuius erat ille Praelatus, devolvi *in Nullius Terrae Pontiani electionis Vicarii Capitularis die 16 Decembris 1741* §. *Porro.*

3. Hinc quasi nulla discriminis ratio, inter Capitula eiusmodi, et alia Cathedralium Ecclesiarum, queat in hac re allegari *in Nullius*

(1) Iuxta text. in cap. unic. de cler. non residen. in 6, cap. 1 de cleric. aegrot.; docent Fagnan. in cap. Ut Abbates de aetat. et qualit. n. 34, et seqq.; Thesaur. de poenis eccles. verb. Beneficium cap. 9, vers. frustra quod; et firmavit Rot. in decis. 499, n. 6, part. 13, recent.; in decis. 386 in fin. coram Duran.

(2) Ut in cap. 8 et seq. de cleric. non residen.

(3) Quod et communiter tradunt Garz. de benef. part. 5, cap. 9, n. 75; Barbos. de potest. Episcop. Allegat. 50, n. 74; Ventrigl. in prax. for. Eccles. part. 2, annot. 14, §. 1, n. 14; Peregrin. in prax. Vicar. part. 1, sect. 2, sub Sect. 1. n. 17, 19 et 22.

(4) Cap. Cum olim de maior. et obedien.

Terrae Pontiani electionis Vicarii capitularis die 16 Decembris 1741 §. Porro.

4. Adeoque Vicarium Capitularem ab hisce Collegiatis Ecclesiis eligi posse videtur *in Nullius Terrae Pontiani electionis Vicarii Capitularis die 16 Decembris 1741 §. Porro* (1).

5. Quod enim et Rotae Auditorium edixit (2) *in Nullius Terrae Pontiani electionis Vicarii Capitularis die 16 Decembris 1741 §. Porro.*

6. Ceterum huic sententiae non omnino adhaesisse videtur Sacra Congregatio *in Nullius Terrae Pontiani electionis Vicarii Capitularis die 16 Decembris 1741 §. Porro* (3).

7. Propterea propositis dubiis: - I. An, vacante Sede Abbatiali Ecclesiae S. Andreae in Flumine, liceat Archipresbitero, et Canonicis Ecclesiae S. Nicolai Terrae Pontiani eligere Vicarium Capitularem. *Et quatenus Affirmative.* II. An electio ab eisdem Archipresbitero et Canonicis facta in persona Canonici Benedicti Mancini sustineatur. *Et quatenus Negative.* III. An et quomodo sit providendum in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Ad primum et secundum, Negative. - Ad tertium, Ad D. Secretarium cum Sanctissimo pro deputatione Vicarii Apostolici - *in Nullius Terrae Pontiani electionis Vicarii Capitularis die 23 Septembris 1742.*

8. Electio Abbatis, Abbatia non vacante sive per mortem, sive per renunciationem Possessoris, non sustinetur *in Congregationis Montis Virginis die 2 Maii 1648 lib. 18 decretorum pag. 476.*

9. Successoris Abbatis electio, supposita renunciatione illius Abbatis, qui per decennium iuxta Constitutiones Ordinis officium Abbatis non exercuit, a Capitulo admissa, non sustinetur *in Congregationis Montis Virginis die 2 Maii 1648 lib. 18 decretorum pag. 476.*

10. Electio Abbatis Monasterii Ordinis praemonstratensis, in diaecesi et civitate Uratislavien. existentis, debet fieri cum assistentia Episcopi diaecesani pro tempore *in Uratislavien. die 12 Septembris 1648 lib. 18 decretorum pag. 523.*

11. Facta autem, absque interventu Episcopi vel eius Commissarii, valida est *in Uratislavien. iurisdictionis die 4 Maii 1697 lib. 47 decretorum.*

12. Amplia, non obstante consuetudine approbata a Sacra Congregatione, qua praedictus Episcopus pro tempore intererat electioni quorumcumque Praelatorum regularium, eosque auctoritate ordinaria confirmabat *in Uratislavien. iurisdictionis die 4 Maii 1697 lib. 48 decretorum.*

ABBATIA EXEMPTA ET NULLIUS DIAECESEOS.

1. Qualitas *vere nullius*, nempe superioris et ultimae speciei Abbatum, evincitur ex aperta eius nuncupatione in literis Apostolicis *in Guastallen. Provinciae Mediolanen. die 19 Iulii 1766 §. Abbas.*

2. Amplia, licet privilegii scriptura, ex iniuria temporum, desit *in Guastallen. Provinciae Mediolanen. die 19 Iulii 1766 §. Abbas.*

3. Limita, dummodo certissimum id sit, ex testimonio Historici, nec non ex constanti, per nulla temporum intervalla, interrupto usu privilegii *in Guastallen. Provinciae Mediolanen. die 19 Iulii 1766 §. Abbas.*

4. Nam hoc in casu impugnari ullo modo non potest *in Guastallen. Provinciae Mediolanen. die 19 Iulii 1766 §. Abbas* (4).

5. Hinc de qualitate *vere nullius* dubitari nequit, si reapse constet, Abbatem cognovisse de

(1) Fagnan. in cap. His, quae 11, de maior. et obed. n. 39 ad 48, usque ad finem.; Card. De Luc. de iurisdict. disc. 54, n. 3; Pellegrin. in prax. vicar. part. 1, sect. 4 et 5, n. 3.

(2) In decis. 346, n. 3, part. 1 recent.

(3) Quam declarationem S. Congregat. refert Bellarmin. in Concil. Trident. sess. 24, cap. 16, de reform. in haec verba: - *Item hoc caput* (quo praescribitur, ut a Capitulo, Sede vacante, Vicarius infra octo dies post mortem Episcopi constituatur, vel existens confirmetur) *non loquitur de Collegiata, defuncto Praelato, qui habet ius episcopale* -.

(4) Rot. in decis. 346, n. 11 in Marsicen. seu Nullius iurisdictionis super bono iure 7 Iunii 1700 §. Clarius, coram Muto.

causis non solum civilibus et quidem matrimonialibus, sed de criminalibus, Tribunal ac Vicarium generalem et Officiales curiae retinuisse, Ordinandis literas dimissoriales concessisse, et quidem ad quem placuit Episcopum, potestatem discedendi a territorio cuicumque e suo Clero fecisse, sacrum Chrisma ab aliis Episcopis, ut libuit, accepisse, beneficia erexisse, eorumque resignationes admisisse, de Parochis providisse, suam praestitisse auctoritatem de alienandis Ecclesiae bonis, censuras tulisse tum in Clericos, tum in Laicos, atque ab iis absolvisse, omnia alia egisse, quae haec *vere nullius* qualitas secumferebat *in Guastallen. Provinciae Mediolanen. die 19 Iulii 1766* §. *Constare.*

6. Praesertim, si ab ipsa antiquissima fundatione nunquam tot seculorum cursu aliquis ex finitimis Episcopis ullum iurisdictionis actum vel in abbates vel in personas et loca territorii exercuisset *in Guastallen. Provinciae Mediolanen. die 19 Iulii 1766* §. *Itidem.*

7. Nam incredibile esset, Episcopos finitimos de Abbatia ignoravisse vel non curavisse, cum potissimum satis ampla et non ignobilis pars Diaecesis sit, vel damnosissima et summopere vituperanda rei maxime necessariae incuria deseruisse, nisi certo deprehendissent, Abbatiae territorium nihil ad se pertinere *in Guastallen. Provinciae Mediolanen. die 19 Iulii 1766* §. *Itidem* (1).

8. Ex his omnibus propterea de antiqua qualitate *vere nullius* et profecto summae speciei ambigi non posse videtur *in Guastallen. Provinciae Mediolanen. die 19 Iulii 1766* §. *Propterea* (2).

9. Ceterum, cum inter Episcopum Spoletinum et Capitulum Lateranense controversiae ortae essent, et ille contenderet, Abbatiam sitam esse intra fines Diaecesis Spoletinae, hoc vero contenderet, esse omnino separatam, facta est concordia, probante Urbano VIII, in qua utrinque conventa fuit distributio iurisdictionis *in Nullius Ferentilli Visitationis Sacrorum Liminum die 17 Septembris 1814* §. *Cum.*

10. Hinc in concordia Episcopo concessum fuit, ut expeditio Literarum Apostolicarum dirigeretur Episcopo seu Vicario, seu Dignitatibus et Canonicis Diaecesis, et inscriberetur - *Spoletana seu Nullius* - *in Nullius Ferentilli Visitationis Sacrorum Liminum die 17 Septembris 1814* §. *Quamquam.*

11. Item, ut Episcopus qua delegatus sacrosanctae Tridentinae Synodi visitaret Ecclesias Abbatiae, servata forma praescripta ab eadem Synodo et procurationem exigeret *in Nullius Ferentilli Visitationis sacrorum Liminum die 17 Septembris 1814* §. *Quamquam.*

12. Praeterea, ut Ordinandi suscipere tenerentur ordines, aut saltem dimissorias ab eodem Episcopo *in Nullius Ferentilli Visitationis Sacrorum Liminum die 17 Septembris 1814* §. *Quamquam.*

13. Cui praeterea competeret ius consecrationis Altarium et administratio Sacramenti Chrismatis *in Nullius Ferentilli Visitationis Sacrorum Liminum die 17 Septembris 1814* §. *Quamquam.*

14. Demum, ut concursus pro Ecclesiis parochialibus Abbatiae experiundi essent coram Episcopo vel eius Vicario, et Parochos eiusdem Abbatiae intervenire oporteret Synodo, quatenus ab Episcopo Spoletino essent intimati *in Nullius Ferentilli Visitationis Sacrorum Liminum die 17 Septembris 1814* §. *Quamquam.*

15. Capitulo vero Lateranensi haec adscripta fuerunt iura: ut omnem reliquam iurisdictionem, praeterquam in casibus superius exceptis, super toto Abbatiae territorio exerceret, proptereaque omnimodam iurisdictionem in causis ecclesiasticis, civilibus, criminalibus haberet *in Nullius Ferentilli Visitationis Sacrorum Liminum die 17 Septembris 1814* §. *Capitulo.*

16. Insuper, ut eidem competeret ius approbandi Confessarios et Concionatores, publicandi indulgentias, fasque esset Vicario capitulari mittere Spoletum in feria IV maioris hebdomadae saltem Subdiaconum, ut Olea sancta acciperet *in Nullius Ferentilli Visitationis Sacrorum Liminum die 17 Septembris 1814* §. *Capitulo.*

17. Ob controversiam vero, inter Episcopum Anglonensem, et Abbatem Rapacciolum Commendatarium Monasterii S. Eliae Ordinis S. Basilii Oppidi Carboni exortam, occasione eius Ec-

(1) Rot. in Marsicen. seu Nullius iurisdictionis super bono iure 7 Iunii 1700, coram Muto.

(2) Rot. in decis. 334, n. 4, part. 4 Recent. tom. 1, in decis. 34, n. 10, de offic. iud. ordin. et territor. separat. coram Falconerio n. 10, in Nullius Terrae Pratularum 27 Novembris 1724, §. Ex quo, coram Calcagnino.

clesiae Visitationis in id, quod ad animarum curam pertinet, dubium exhibitum in favorem Episcopi iurisdictionis S. Congregatio resolvit, addens: Donec per rem iudicatam constiterit, praefatam Abbatiam esse *Nullius* et cum territorio separato et iurisdictione quasi episcopali *in Anglonen. iurisdictionis die 24 Ianuarii 1660.*

18. Instaurata subinde eadem controversia inter modernos Episcopum et Emum Abbatem, proposito dubio: An constet, Abbatiam praedictam esse *Nullius* et habere territorium separatum et iurisdictionem quasi episcopalem? S. Congregatio demandavit, ut darentur Literae compulsoriales ac remissoriales cum praefixione termini *in Anglonen. iurisdictionis die 24 Augusti 1709.*

19. Inde distulit resolutionem, ut coadiuvarentur probationes, non retardata exequutione decreti S. Congregationis anno 1660 editi *in Anglonen. iurisdictionis die 16 Maii 1711.*

Demum ex deductis negativum dedit responsum *in Anglonen. iurisdictionis die 17 Novembris 1714.*

20. Item, Abbas Parochialis Ecclesiae SS. Nazarii et Celsi olim Ordinis S. Benedicti ab Episcopi iurisdictione suam esse Abbatiam exemptam praesumpsit; e contra ex documentis, Episcopos Vercellenses iure ordinario saepius visitasse, constitit. Unde S. Congregatio decrevit, praefatam Abbatiam minime esse exemptam ab ordinaria Episcopi iurisdictione *in Vercellen. iurisdictionis die 9 Iulii 1735 ad I dubium.*

21. Fuldensis Abbatia sita est intra limites Diaecesis Herbipolensis, et Episcopi pro tempore in eadem Abbatia nec non in illius clerum et populum gesserunt plures actus ordinariae iurisdictionis *in Herbipolen. die 28 Augusti 1723.*

22. Proposito vero dubio: An, cessante hospitalitate cessaverit exemptio concessa Ecclesiae et Abbatiae S. Mariae de Patientia, vigore Brevis summi Pontificis Clementis VIII? S. Congregatio respondit: Negative *in Neapolitana Censurarum die 29 Novembris 1693.*

23. Abbatia in Civitate una cum Praepositura, habente annexam curam animarum in loco *Celle* nuncupato, non potest simul retineri a Monacho *in Bambergen. seu Nullius Fulden. Incompatibilitatis die 30 Septembris 1713 lib. 63 decretorum.*

Item *die 23 Februarii 1715 lib. 65 decretorum.*

24. Amplia, etiamsi alleget, Abbatiam obtinuisse a Sede Apostolica, cum facultate retinendi etiam Praeposituram, et Praepositura non sit residentialis *in Bambergen. seu Nullius Fulden. Incompatibilitatis die 30 Septembris 1713 lib. 63 decretorum.*

Item *die 23 Februarii 1715 lib. 65 decretorum.*

25. Itaut neque locus sit dispensationi *in Bambergen. seu Nullius Fulden. Incompatibilitatis die 30 Septembris 1713 lib. 63 decretorum.*

Item *die 23 Februarii 1715 lib. 65 decretorum.*

26. Abbatia exempta non potest visitari ab Episcopo, nisi praemissa declaratione, quod eam visitare intendit, tamquam Sedis apostolicae delegatus *in Aquilana die 25 Augusti 1606 lib. 10 decretorum pag. 156.*

27. Abbatia, in qua Generalis Ordinis sedem ordinariam principalem habet, non subiacet visitationi Episcopi *in Faventina Iunii 1589 lib. 6 decretorum pag. 9.*

Item *in Papien. Iunii 1597 lib. 9 decretorum pag. 21.*

28. Amplia, etiam in iis, quae concernunt curam animarum et Sacramentorum administrationem, *in Faventina Iunii 1589 lib. 6 decretorum p. 9.*

Item *in Papien. Iulii 1597 lib. 9 decretorum pag. 21.*

29. Secus vero, etiamsi cura animarum residere dicatur in Abbatibus, visitatio Episcopi excludi nequit in iis, quae pertinent ad curam animarum, sive Episcopus visitet per se, sive per alium *in Constantien. iurisdictionis die 31 Martii 1770* §. *Item in dicta.*

30. Amplia, non obstantibus privilegiis cuiuscumque Ordinis, praesertim praemonstratensis, Cisterciensis, et Benedictini *in Constantien. iurisdictionis die 31 Martii 1770* §. *Item in dicta* (1).

31. Abbatia S. Mariae *degli organi* nuncupata Veronensis debet visitari ab Episcopo Veronensi, non obstante, quod recognoscat in

(1) S. Congreg. in Omolucen. anno 1735, ad 1 dubium.

suum Ordinarium Patriarcham Aquileiensem pro tempore *in Veronen. anno 1580 lib. 2 decretorum pag. 162.*

32. Abbatia Ferentilli, cum sit intra limites Diaecesis Spoletanae, potest visitari ab Episcopo Spoletano *in Spoletana anno 1581 lib. 3 decretorum pag. 128.*

33. Abbatia Sancti Silvestri de Nonantula, quoad secularia et episcopalia, visitari debet ab Abbate commendatario, sive ab eius Vicario generali; quoad regularia, a Visitatoribus regularibus *in Nonantulana Iurisdictionis 20 Iunii 1682 lib. 32 decretorum pag. 320.*

§. I.

ABBATISSA SEU PRIORISSA IN GENERE.

1. Reperiuntur in Hierarchia ecclesiastica, improprie tamen, quamplura Collegia Canonicarum seu Canonissarum secularium, quae suis bonis haud renunciantes, Regularemque professionem non emittentes, vitam ducunt divino cultui addictam, sub cura et regimine Abbatissarum, ad instar Canonicorum secularium in Ecclesiis: eorum tamen status, ordo, seu regula, nec approbata nec reprobata fuerunt â Sancta Sede, sed tantum tolerata et permissa *in Tullen. seu Nullius S. Petri Romaricomontis Visitationis die 27 Iulii 1730* §. *Reperiuntur.*

2. Inter alia Collegia, celebre est illud S. Petri Romaricomontis in Lotharingia, Sedi Apostolicae immediate subiectum, cuius Abbatissa praeficitur a Romano Pontifice, ad electionem dictarum Canonissarum, primaque Dignitas et Caput dicti Collegii dicitur. Adsunt etiam aliae inferiores Dignitates, pluresque Canonissae, ex illustri ac equestri sanguine ab utroque parente progenitae, quae simul conveniunt in choro, divinum officium, aliasque preces dietim canentes, nullam tamen emittunt professionem, ac propria bona retinentes, possunt ad libitum matrimonium contrahere *in Tullen. seu Nullius S. Petri Romaricomontis Visitationis die 28 Iulii 1730* §. *Inter.*

3. In eadem Ecclesia adsunt etiam decem Presbiteri, Canonici nuncupati, aliique Ecclesiastici inferioris ordinis, praebendas et beneficia de iurepatronatus dicti Collegii possidentes, propriosque et particulares reditus habentes, qui ab onere chori, et psalmodiae exempti, Altari tantum per turnum inserviunt, ac dictis Canonissis Sacramenta ministrant *in Tullen. seu Nullius S.* Petri *Romaricomontis Visitationis die 28 Iulii 1730* §. *Inter.*

4. Emus Card. de Rohan, tamquam Visitator Apostolicus nonnulla condidit decreta, in quinquaginta articulos divisa, quae quamvis, praevio examine, et oraculo S. Congregationis approbari promeruerint a S. Sede de anno 1727, nihilominus Canonici, praetendentes in aliquibus se laesos fuisse, recursum habuerunt ad S. Congregationem. Propositis hinc dubiis:-

I. An Capitulum Ecclesiae S. Petri Romaricomontis constituatur ex solis Abbatissa et Canonissis seu Dominabus, sive potius ex eis simul cum Presbiteris Canonicis, Altaris maioris nuncupatis.

II. An Abbatissa et Canonissae seu Dominae possint capitulariter congregare privative et sine interventu dictorum Presbiterorum Canonicorum, Altaris maioris nuncupatorum, punire excessus graves alicuius deliquentis ex eisdem Canonicis.

III. An incorporatio Canonicatuum seu Praebendarum S. Romarici et S. Crucis nuncupatorum, aliis octo Canonicatibus Altaris maioris nuncupatis, illorumque aequiparatio, etiam quoad onera et functiones, substineatur.

IV. An adimplementum praesentaneum dictis Presbiteris Canonicis, Altaris maioris nuncupatis, iniunctum onerum trium semipraebendarum, et quarumdam Capellarum eis annexarum post vitam possessorum, substineatur in casu etc.-, S. Congregatio respondit:- Dilata, non retardata tamen exequutione decretorum Eminentissimi de Rohan Visitatoris- *in Tullen. seu Nullius S. Petri Romaricomontis Visitationis die 28 Iulii 1730.*

5. Repropositis subinde dubiis, S. Congregatio respondit:-Ad primum, Affirmative quoad primam partem, et Negative quoad secundam. Ad secundum, Servetur decretum 46 (1) Emi-

(1) In 46 articulo vero confirmata fuit auctoritas et iurisdictio Abbatissae et Dominarum de Capitulo, quoad Ca-

nentissimi Visitatoris. Ad tertium, Affirmative. Ad quartum, Affirmative, facto verbo cum Sanctissimo, et amplius - *in Tullen. seu Nullius S. Petri Romaricomontis Visitationis die 13 Ianuarii 1731.*

6. Abbatissa Imperialis Monasterii Maioris Monialium S. Mauritii ordinis Benedictini novum Parochum instituit in Ecclesia parochiali S. Mariae ad Circulum. Vicarius generalis dubitavit, utrum praefata institutio collativa tantum fuerit, an vero authorizabilis, quae a dignitate Episcopi inseparabilis praefertur. At S. Congregatio decrevit, praefatam Abbatissam ius habere conferendi animarum curam praedictae Ecclesiae S. Mariae ad Circulum ei, quem Ordinarius ad regimen animarum idoneum approbaverit *in Mediolanen. iuris conferendi die 17 Decembris 1701.*

7. Ioannes Franciscus Marx primarias preces obtinuit ab Imperatore Francisco I ad assequendum unum ex duobus beneficiis erectis in Ecclesia Monialium veteris Cellae primo vacaturum. Archiepiscopus Moguntinus illas exequendas minime duxit, quia praedictorum beneficiorum collatio ad Abbatissam pertinebat, et Apostolicum indultum in favorem Imperatoris locum tantum haberet, quoad Collatores saltem quatuor beneficiorum, minime vero duorum *in Moguntina primariarum precum die 14 Decembris 1748.*

8. Dubio autem proposito: - An preces Imperiales sint exequendae, itaut Io. Francisco Marx adiudicandum sit unum ex duobus Altaribus in Ecclesia Monasterii Monialium veteris Cellae vulgo in Altenmunster Ordinis Cisterciensis primo vacaturum, seu ad Abatissam eiusdem Monasterii libera eorumdem collatio pertineat in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Ad Iudices suos - *in Moguntina primariarum precum die 14 Decembris 1748.*

9. Est in oppido Thorensi Ecclesia Collegiata, cuius Capitulum, tum ex Canonicis, tum ex Canonissis, constat. Abbatissa potiri uno etiam canonicatu solet. Cumque Abbatissae Thorensi delatus anno 1727 per electionem fuerit etiam Abbatissatus Essendiensis, impetravit illa a Sede Apostolica facultatem retinendi utrumque, ea tamen lege, ut sex cuiusque anni mensibus resideret in uno, et sex in altero; deinde vero obtinuit indultum Apostolicum, ut per biennium moram facere posset Essendii. Hinc igitur orta est quaestio, an Abbatissae, per id tempus, quo residet in Ecclesia Essendiensi, debeantur proventus Canonicatus Ecclesiae Thorensis seorsum et ultra reditus Mensae Abbatialis. Itaque propositis dubiis: - I. An et pro qua rata temporis debeantur D. Abbatissae Thorensi fructus sui Canonicatus, praebendales nuncupati.

II. An eidem residenti cum familia in Abbatissatu Thorensi debeantur fructus, quos vocant oeconomicos.

III. An eidem non interessenti Anniversariis et similibus debeantur fructus, seu emolumenta pro illis dari solita in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Dilata, et scribatur Nuncio Apostolico iuxta instructionem - *in Leodien. fructuum die 28 Martii 1733* (1).

10. Abbatissae Monasteriorum SS. Mariae et Aureliani, et S. Mariae Theodotae Civitatis Ticini tenentur recipere a Ministris Curiae episcopalis edicta sive mandata, quorum exequutio a Sede Apostolica specialiter delegatur, etiamsi sub regimine Abbatis Ordinis S. Benedicti sint *in Papien. die 18 Martii 1743.*

11. Proposito enim dubio: - XI An Abbatissae utriusque Monasterii recipere teneantur a Ministris Curiae Episcopalis edicta, sive mandata, quorum exequutio a S. Sede specialiter delegatur Episcopo in casu etc. -, S. Congregatio responsum tulit: - Ad undecimum, Affirmative - *in Papien. die 16 Martii 1743.*

nonicos aliosque Ecclesiasticos et Ministros Ecclesiae, prout antea competebat, ex decretis aliarum Visitationum: eo tantum de novo praescripto, quod si ageretur de aliquo delicto seu crimine, requirente iudicialem animadversionem et processum - Dictae Dominae, vocatis Canonicis ad Capitulum, ut in simili casu fuit practicatum, et accepto istorum consilio, Romae recursum instituent pro petendo Commissario Apostolico, qui procedere possit contra culpabilem per censuras, privationem beneficii, et alias poenas canonicas; et nihilominus ipsae Dominae illum interim arcebunt ab exercitio functionum in earum Ecclesia -.

(1) Instructio vero in eo praecise versata est, ut Nuntius referret, quaenam fuerit hactenus observantia, circa fructuum perceptionem, quoad Abbatissas, et Canonissas, habentes Indultum Apostolicum, pro retentione plurium beneficiorum incompatibilium, et quaenam sit consuetudo in aliis Capitulis, quoad fructus praebendales in absentia lucrandos a Canonicis, habentibus Indultum retinendi plures praebendas incompatibiles, *ut in Reg. Litt. Lib. 28, die 28 Martii* 1733.

§. II.

ABBATISSA SEU PRIORISSA QUOMODO ELIGATUR ET CONFIRMETUR.

1. Ad tramites Sacri Concilii Tridentini Episcopus praeesse debet electioni Abbatissae, quae fit a Monialibus sibi subiectis *in Tiburtina die 26 Aprilis 1727* §. *Procedendo.*

2. Praelatus autem regularis praeesse debet electioni, quae fit a Monialibus sibi subiectis, et exemptis a iurisdictione Episcopi *in Tiburtina die 26 Aprilis 1727* §. *Procedendo.*

3. Verum aliter res se habet post constitutionem Gregorii XV incipien. *Inscrutabili,* in qua cautum est, ut in Monasteriis exemptis possit Episcopus una cum Superioribus Regularibus quarumcumque Abbatissarum, Priorissarum, Praefectarum vel Praepositarum eorumdem Monasteriorum, quocumque nomine appellentur, electionibus vel per se vel per alium interesse *in Tiburtina die 26 Aprilis 1727* §. *Procedendo.*

Item *in Pharaonen. iurisdictionis die 19 Septembris 1733* §. *Quantum*; *in Leodien. Visitationis die 22 Ianuarii 1763* §. *Validam; in Constantien. iurisdictionis die 31 Martii 1770* §. *ad VI.*

4. Citra tamen ullam Monasteriorum impensam *in Tiburtina die 26 Aprilis 1727* §. *Procedendo.*

Item *in Constantien. Iurisdictionis die 31 Martii 1770* §. *ad VI* (1).

5. Proposito enim dubio: - V. An Occasione dictae interessentiae redditionis rationis et explorationis teneatur Monasterium ad aliquam expensam pro Ministris Curiae Episcopalis Wormatiae, sive ex quocumque alio titulo-, S. Congregatio responsum dedit: — Ad quintum, Negative - *in Wormatien. iurisdictionis die 9 Iulii 1746.*

6. Reproposito subinde dubio sub formula: - An sit standum vel recedendum a decisis sub die 9 Iulii anni currentis 1746-, S. Congregatio respondit: - In decisis, et amplius - *in Wormatien. iurisdictionis die 17 Septembris 1746.*

7. Ceterum potest Episcopos in casibus huiusmodi cogere Regulares et Moniales per Mulctas *in Wormatien. iurisdictionis die 9 Iulii 1746.*

8. Propositis enim dubiis: -

VI. An praefati Regulares et Moniales cogi possint per mulctas in casibus praedictis.

VII. An licita fuerit exactio centum Imperialium facta a reverendissimo Vicariatu Wormatiensi, seu potius teneatur dictam summam Monasterio Marien-Munster restituere, et omnia damna reficere in casu etc.-, S. Congregatio respondit: - Ad sextum, Affirmative. Ad septimum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam - *in Wormatien. iurisdictionis die 9 Iulii 1746.*

9. Repropositis vero dubiis sub formula: - An sit standum vel recedendum a decisis-, S. Congregatio respondit: - Ad sextum et septimum, Ad mentem - *in Wormatien. iurisdictionis die 17 Septembris 1746.*

10. Hinc electio Abbatissae, in Monasteriis Regularibus subiectis, fieri debet cum interventu Episcopi vel eius Vicarii generalis *in Curien. iurisdictionis die 10 Aprilis 1660 lib. 22 decretorum pag. 80.*

11. Nam Sacra Congregatio constanter semper rescripsit, Episcopum praesidere debere ad praescriptum Constitutionis Gregorii XV electioni Abbatissae vel Priorissae Monasteriorum monialium etiam exemptorum a iurisdictione ipsius Episcopi *in Pharaonen. iurisdictionis die 19 Septembris 1733* §. *Itaque.*

Item *in Constantien. iurisdictionis die 31 Martii 1770* §. *Unde in una.*

12. Siquidem id edixit S. Congregatio *in Conimbricen. 16 Iulii 1639 ad IV dubium; in Hieracen. Visitationis 26 Ianuarii 1692 ad VIII dubium; et in Pharaonen. Iurisdictionis,* ubi proposito dubio: - I. An Eminentissimus Episcopus interesse possit tam per se, quam per alium electionibus Abbatissarum vel Priorissarum Monasteriorum Monalium Regularibus Ordinis Cisterciensis subiectarum-, Sacra

(1) Gregorius XV in Constit. incipien. *Inscrutabili* 18, tom. 4, Bullar. §. 5.

Congregatio die 14 Novembris 1733 respondit:- Affirmative in omnibus-.

Item *in Wormatien. iurisdictionis die 9 Iulii et 17 Septembris 1746 ad II dubium.*

13. Propterea electio Abbatissae fieri nequit sine praesentia Episcopi diaecesani *in Conversana iurisdictionis die 8 Maii 1751 ad I dubium.*

14. Si tamen fiat sine interventu Vicarii generalis non est propterea contra constitutionem Gregorianam *in Tiburtina die 26 Aprilis 1727* §. *Sola.*

15. Unde nulla censeri nequit *in Tiburtina die 26 Aprilis 1727* §. *Sola.*

Propositis enim dubiis-: I. An in electionibus Abbatissarum una cum Vicario generali interesse possit etiam Notarius Archiepiscopalis?

II. An dicta electio facta absque interessentia Vicarii et Notarii sit contra Constitutionem praedictam ac propterea nulla? S. Congregatio respondit: - Negative - *in Neapolitana electionis Abbatissae die 4 Maii 1675 lib. 29 decretorum pag. 65 a tergo.*

16. Ceterum in Monasteriis, Regularibus subiectis in regno Portugalliae, potest fieri absque interventu Episcopi vel eius Vicarii generalis, durante suspensione Constitutionis de exemptorum privilegiis *in Colimbrien. die 22 Septembris 1640 lib. 16 decretorum pag. 428.*

17. Quamobrem, regno Portugalliae seposito, Regulares tenentur Episcopo significare diem electionis, et eum usque ad praefinitum tempus expectare, si declaraverit, se velle uti facultate interessendi per se, vel per alium *in Tiburtina die 26 Aprilis 1727* §. *Pleraque.*

18. Hinc Episcopus inhibere potest Regularibus, ne ad electionem Abbatissarum exemptarum deveniatur, non significata sibi die electionis, cui sive per se sive per alium praesidere vult *in Omolucen. iurisdictionis die 7 Iunii et die 2 Augusti 1755.*

19. Siquidem proposito dubio: - IX. An possit Episcopus inhibere Regularibus, praesertim Cisterciensibus et Benedictinis, ut sine examine Ordinarii Puellas ad habitum et professionem, et praecise, ne ad electionem Abbatissarum exemptarum deveniatur, non significata Ordinario die electionis, cui Episcopus sive per se sive per alium interesse et praesidere possit? S. Congregatio respondit: - Ad nonum, Affirmative - *in Omolucen. iurisdictionis die 7 Iunii 1755.*

20. Reproposito subinde dubio sub formula: - An sit standum vel recedendum a decisis-, Sacra Congregatio responsum tulit: - In decisis - *in Omolucen. iurisdictionis die 2 Augusti 1755.*

21. Idcirco Episcopus post praedictam declarationem animadvertere potest in Regulares, si ante tempus significatum, aut die electionis ei non pronunciata, procedant ad Abbatissae electionem *in Tiburtina die 26 Aprilis 1727* §. *Pleraque.*

22. Siquidem proposito dubio: - An liceat Episcopo in vim praefatae Constitutionis punire Regulares, qui ad Abbatissae electionem procedunt ante tempus ipsi Episcopo significatum, aut die electionis eidem nullatenus pronunciata? S. Congregatio respondit: - Regulares ex eadem Constitutione teneri Episcopo significare diem electionis Abbatissae, eumque usque ad praefinitum tempus expectare, si antea ipse expresse declaraverit, se uti velle facultate sibi hac in parte attributa, Abbatissarumque electionibus per se vel per alium interesse, ac praesidere. Post eam vero declarationem licere Episcopo animadvertere in Regulares, qui, ante tempus significatum, aut die electionis eidem non pronunciata, ad Abbatissae electionem procedunt-(1).

23. Doctores tenent, declarationem fieri debere in Synodo, et quatenus facta non sit in Synodo, alio modo legitimo esse deducendam ad notitiam Regularium *in Tiburtina die 26 Aprilis 1727* §. *Pleraque* (2).

24. Unde electionem aliter factam esse quidem validam, addunt, sed, volente Episcopo, nullam esse *in Tiburtina die 26 Aprilis 1727* §. *Pleraque* (3).

25. Imo aliter facta, sine huiusmodi praesentia, dum Episcopus declaraverit, iuxta Bullam Gregorianam praesidere velle, nulla cen-

(1) Prostat in calce Constitutionis Gregorianae, quam S. Congregationis resolutionem expresse probavit Urbanus VIII.

(2) Siquidem Monacell. in Form. legal. tom. 3, pag. 187, et Benedict. XIV in Synod. Diaeces. lib. 3, cap. 12, n. 4, expresse docet, satius esse Episcopo semel in Synodo declarare animum suum, quod ipse scilicet semper velit Abbatissarum etiam exemptarum electionibus interesse, quam id praestare singulis vicibus, quibus electio facienda est.

(3) Monacell. in Formul. legal. tom. 3, pag. 187.

senda est, ita ut ad novam electionem procedi valeat *in Conversana iurisdictionis die 8 Maii 1751 ad II dubium.*

26. Propositis enim dubiis: - I. An in Monasterio Monialium Carmelitarum Putignani electio Abbatissae fieri valeat sine praesentia Episcopi Conversani sive eius Delegati? *Et quatenus Affirmative.*

II. An illa aliter facta, sine huiusmodi praesentia, dum Episcopus declaravit iuxta Bullam *Inscrutabili* praesidere velle, sit nulla, ita ut ad novam electionem procedi valeat? S. Congregatio respondit: - Ad primum, Negative. Ad secundum, Affirmative - *in Conversana iurisdictionis die 8 Maii 1751.*

27. Elapsa autem die praefinita, et nemine ex parte Episcopi comparente, licet Superiori regulari ad electionem procedere *in Wormatien. iurisdictionis die 17 Septembris 1746.*

28. Proposito enim dubio: - VII. An elapsa die praefinita et nemine ex parte Eminentissimi Ordinarii comparente, liceat reverendissimo Abbati Eberbacensi ad electionem procedere in casu etc.-, S. Congregatio respondit: - Ad septimum, Affirmative - *in Wormatien. iurisdictionis die 17 Septembris 1746.*

29. Insuper, ius denunciandi et determinandi diem electionis non quidem Episcopo, sed Superiori regulari competit *in Wormatien. iurisdictionis 17 Septembris 1746.*

30. Proposito enim dubio : - VI. An eidem Eminentissimo Ordinario ius competat denunciandi et determinandi diem electionis faciendae, seu potius reverendissimo Abbati Eberbacensi? S. Congregatio responsum tulit: - Ad sextum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam - *in Wormatien. iurisdictionis die 17 Septembris 1746.*

31. Praeterea, quamvis Episcopus per Constitutionem Gregorianam facultate polleat interessendi et praesidendi electionibus Abbatissarum per se vel per alium, ei tamen minime licet interesse et praesidere per plures Commissarios *in Wormatien. iurisdictionis die 17 Septembris 1746.*

32. Proposito enim dubio: - II. An posita facultate, per Constitutionem Gregorianam Episcopis concessa, interessendi et praesidendi electionibus Abbatissarum per se vel per alium, liceat Eminentissimo Ordinario Wormatiensi interesse et praesidere per plures Commissarios? S. Congregatio respondit: - Ad secundum, Negative - *in Wormatien. iurisdictionis die 17 Septembris 1746.*

33. Hinc potest quidem Episcopus secum ducere Ministros ad hunc actum necessarios, praesertim Vicarium et Secretarium *in Leodien. Visitationis die 22 Ianuarii 1763* §. *Validam* (1).

34. Nec non Cancellarium secum conducere potest Episcopus, si velit *in Leodien. Visitationis die 22 Ianuarii 1763* §. *Validam.*

35. At eidem Cancellario nullimode licet interesse ac assistere scrutiniis ac electionibus Abbatissarum *in Tiburtina die 26 Aprilis 1727 ad II dubium.*

36. Siquidem pospositis dubiis: - I. An in electionibus Abbatissarum in Monasteriis sub disciplina Regularium Minorum de Observantia possit Episcopus secum ducere Cancellarium. *Et quatenus Affirmative.* II. An liceat eidem Cancellario interesse ac assistere in scrutiniis ac electionibus Abbatissarum, quae fiunt in Monasteriis Monalium Ordinis Minorum de Observantia Tiburis. *Et quatenus negative.* III. An saltem dictus Cancellarius, durante scrutinio, permanere possit intra Ecclesiam in casu etc.-, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Negative. Ad tertium, nec Cancellarium, nec Fratres, exceptis Superiore et Scrutatoribus, permanere posse intra Ecclesiam - *in Tiburtina die 26 Aprilis 1727.*

37. Propterea neque Notarius Episcopalis una cum Episcopo, vel Vicario Generali interesse potest electionibus Abbatissarum *in Tiburtina die 26 Aprilis 1727* §. *Sola* (2).

38. Quapropter ad actum electionis conscribendum, neque Cancellarius, neque Notarius Curiae episcopalis admitti debent, sed tantummodo Secretarius Superioris regularis *in Wormatien. iurisdictionis die 17 Septembris 1746.*

39. Proposito enim dubio: - III. An ad actum electionis conscribendum admitti etiam debeat Notarius, vel Cancellarius Curiae episcopalis Wormatiensis, seu potius P. Secretarius Abbatis regularis tantum? S. Congregatio respondit: - Ad tertium, Negative quoad primam par-

(1) Sperell. in Decis. 161, n. 1, in fin.

(2) S. Congreg. in Neapolitana electionis Abbatissae, die 4 Maii 1675, lib. 29 decretorum pag. 65, ad I dubium.

tem, Affirmative quoad secundam - *in Wormatien. iurisdictionis die 17 Septembris 1746.*

40. Itaut neque Cancellarius Curiae episcopalis, neque alii Fratres, exceptis Superiore et Scrutatoribus, permanere possint intra Ecclesiam *in Tiburtina die 26 Aprilis 1727 ad III dubium* (1).

41. Electioni Abbatissae Hospitalis S. Iacobi Tungrensis assistere potest Decanus Collegiatae Ecclesiae B. M. V. Tungrensis, qui super Monasterio delegatam habet iurisdictionem in solidum cum Capitulo, nec non visitandi iure potitur *in Leodien. die 28 Septembris 1765.*

42. Propositis enim dubiis: - I. An Decano Collegiatae B. M. Virginis Tungrensi competat ius visitandi Conventum et Hospitale S. Iacobi dicti loci cum Canonicis sibi benevisis, seu potius visitatio diei 22 Iulii 1758 sit circumscribenda in casu etc.

II. An liceat eidem Decano assistere electioni Superiorissae cum duobus Canonicis, ab eo assumendis, ita ut electio diei 22 Decembris 1759 sustineatur in casu etc.-, S. Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam. Ad secundum, Affirmative, et amplius - *in Leodien. Visitationis die 28 Septembris 1765.*

43. Sacrum Concilium Tridentinum in cap. 6, sess. 25, de regular. praescripsit, ut in electionibus Abbatissarum per vota secreta procedatur *in Tiburtina die 26 Aprilis 1727* §. *Tiburtina.*

44. Unde, si electio fiat, sine praedicta qualitate votorum secretorum, nulla omnino censenda est, iuxta literam praedicti cap. 6 Concilii Tridentini *in Tiburtina die 26 Aprilis 1727* §. *Tiburtina* (2).

45. Immo Sacra Congregatio expresse declaravit, Abbatissam esse eligendam per vota secreta, alias electionem nullam esse *in Hieracen. anno 1573 lib. 1 decretorum pag. 73.*

46. Sanctissimus tamen, audita sententia Sacrae Congregationis, eo in casu electionem confirmavit *in Hieracen. anno 1573 lib. 1 decretorum pag. 73.*

47. Secretae vero electioni non officit, si eadem expleatur, per vota singularum Monialium, oretenus expressa coram Superiore *in Tiburtina die 26 Aprilis 1727* §. *Tiburtina* (3).

48. Et etiam coram duobus aut tribus aliis personis, adhibitis non tamquam simplicibus testibus, sed tamquam Scrutatoribus, obstrictis lege secreti *in Tiburtina die 27 Aprilis 1727* §. *Tiburtina* (4).

49. Verum electio Abbatissae S. Clarae et eius Ordinis debet fieri per vota secreta in scriptis, iuxta Constitutionem Sixti V *in Nul-*

(1) Summus Pontifex Pius VI per medium Card. de Zelada haec Abbatissae Monasterii Oppidi Aemiliani die 15 Decembris 1790 respondit: « Ad quaestionem autem quod attinet, quam dilucide tibi postulas enodari atque explicari, me item iussit, in hunc sane modum suo prorsus nomine his te verbis commonefacere. Si octava die proximi huiusce mensis et anni isthuc accesserit Officialis municipalis ad novam Abbatissam et Oeconomicam eligendam, ut fert illud Decretum, quod tu commemoras, tibi tuisque correligiosis id curae erit, ut, quantum fieri poterit, novitati huic prudenter modesteque obsistatis, eidem Officiali debita animi submissione significantes, id vestris regulis et constitutionibus adversari, quas in amplectendum Institutum vestrum iurastis Deo sancte religioseque servaturas.

Verum si fiat, ut, frustra nitentibus vobis, quod sane timendum est, vis aliqua adhibeatur, itaut ad novam huiusmodi electionem cogamini, tunc Sanctitas Sua, ne maiora mala subsequantur, facultatem tibi tuisque correligiosis impertitur ad huiusmodi novam electionem deveniendam, ita tamen, ut, si fieri id possit, tu ipsa in Abbatissam eligaris: qua in re facienda vult ipse, ut, hac necessitate durante, nec regulae nec constitutiones vestrae ullo vobis esse possint impedimento.

Hac ratione facile tibi erit in eo, in quo moraris, permanere loco, et illa solemnia vota religiose servare, quibus te Deo devovisti: nec opus erit, ut ad remotas Orbis partes, ad quas secedas, animum aut cogitationem convertas; id enim debet esse extremae tantum necessitatis remedium, ubi nempe vobis omnis prorsus sit adempta facultas manendi in ea vocatione, in qua vocatae estis, ubi benevolum nanciscamini receptorem, ubi denique ecclesiasticorum Praesidum approbatio et Apostolicae Sedis ad id accesserit venia, iis scilicet omnibus servatis cautelis, quas docte sapienterque explicavit Summus Pontifex in suis Literis in forma Brevis ad Episcopum Brunensem Vindebonae datis pridie idus Aprilis 1782.»

(2) S. Congreg. apud Sperell. in decis. 161 per totam et signanter n. 34.

(3) S. Congreg. apud Zerolam in prax. part. 1, verb. Abbatissa ad 6.

(4) Late, allegatis Resolutionibus S. Congregationis, prosequuntur Gallemart. in cap. 6, sess. 25, de regular.; Garz. de benef. part. 5, cap. 4, n. 190; Pellizar., in manual. regular. tom. 2, tract. 10, cap. 10, n. 99; Passerin. de election. cap. 17, n. 6 et 7; Monacell. in Formul. legal. tom. 3, pag. 188, n. 9 et 10.

lius die 15 Iulii 1645 lib. 17 decretorum pag. 491.

50. Non potest autem Episcopus, in electione Abbatissae Monialium exemptarum, exquirere voluntates eligentium *in Tiburtina die 26 Aprilis 1727* §. *Secundo* (1).

51. Neque potest exquirere seu recipere vota Monialium *in Tiburtina die 26 Aprilis 1727* §. *Tertio et* §. *Sola.*

52. Nam illa sunt exquirenda et recipienda a Superiore regulari, sciente tamen et audiente eodem Episcopo *in Tiburtina die 26 Aprilis 1727* §. *Tertio et* §. *Sola.*

53. Siquidem S. Congregatio declaravit, in electione Abbatissae Monasterii Monialium, Regularibus subiectarum, Episcopum non posse exquirere seu vota recipere vota Monialium, sed illa exquiri, et recipi debere a Superiore regulari, sciente tamen et audiente eodem Episcopo *in Urbanien. die 10 Septembris 1639 lib. 16 decretorum pag. 258.*

54. Non potest praeterea Episcopus adnotare suffragia *in Tiburtina die 26 Aprilis 1727* §. *Quarto.*

55. Id namque, neque ad ipsum, neque ad eius Vicarium generalem, neque ad eius Cancellarium, pertinet *in Tiburtina die 26 Aprilis 1727* §. *Quarto* (2).

56. Itaut haec receptio sive adnotatio reservata videatur Praelato regulari *in Tiburtina die 26 Aprilis 1727* §. *Quarto* (3).

57. Proposito vero dubio:- An Episcopus prohibere possit Regularibus etiam sub censuris, ne ante electionem Abbatissae seu Priorissae vota habere procurent -, S. Congregatio respondit :- Non esse adhibendas censuras - *in Perusina die 2 Aprilis 1650 ad IV dubium.*

58. Concilium Tridentinum in cap. 7 sess. 25 de regular. praescripsit, quod Episcopus sive alius Superior claustra Monasterii non ingrediatur, sed ante cancellorum fenestellam vota singularum audiat vel accipiat *in Tiburtina die 26 Aprilis 1727* §. *Tiburtina.*

59. Verum electio dicitur valide facta, etiamsi Superior regularis, contra conciliarem praescriptionem, ingressus fuerit Monasterium ad audienda Monialium vota *in dubio ad cap. 7 sess. 25 de regular. Posit. 137.*

60. Immo prohibitio ingressus intra claustra Monasterii, locum sibi non vindicat, quando magna concurreret necessitas, evitandi scilicet subornationem vocalium, aut alia adesset consimilis circumstantia *in Tiburtina die 26 Aprilis 1727* §. *Tiburtina* (4).

61. Post haec certum est, neque Episcopum, neque Superiorem regularem posse suffragium dare in hisce electionibus *in Tiburtina die 26 Aprilis 1727* §. *Quinto.*

62. Neque insuper Scrutatorem ferre posse suffragium *in Nolana die 11 Decembris 1621 lib. 12 decretorum pag. 84.*

63. Unde electio Abbatissae, in vim voti huiusmodi, scilicet Regularium vel Scrutatorum celebrata, nulla omnino censetur *in Nolana die 11 Decembris 1621 lib. 12 decretorum p. 84.*

Item *in Tiburtina die 26 Aprilis 1727* §. *Quinto* (5).

64. Praeterea confirmatio electionis non pertinet ad Episcopum *in Tiburtina die 26 Aprilis 1727* §. *ultimo.*

65. Proposito enim dubio: - V. An ipsi Eminentissimo Ordinario ius competat electas confirmandi? S. Congregatio respondit: - Ad quintum, Negative - *in Wormatien. iurisdictionis die 17 Septembris 1746* (6).

66. Nam Episcopis nullum fuit attributum ius confirmandi Abbatissas a Constitutione de exemptorum privilegiis *in dubio die 13 Maii 1623 lib. 12 decretorum pag. 30* (7).

67. Immo Sacra Congregatio expresse declaravit, non fuisse a Gregoriana constitutione attributum Episcopis ius confirmandi Abbatissas, quarum electioni praesidere possunt, si Monasteria ab Ordinarii iurisdictione exempta sint *in Pharaonen. iurisdictionis die 19 Septembris 1733* §. *Itaque* (8).

(1) S. Congreg. apud Lanthuscam in Theatro Regularium verb. Abbatissa.

(2) S. Congreg. Episcoporum et Regularium die 19 Iunii 1671, apud Mattheuccium in offic. cap. 1, n. 10.

(3) Pellizar. in manual. regul. tom. 2, tract. 10, cap. 10, n. 96.

(4) Gallemart. ad cap. 7, sess. 25, de regular.; et late prosequitur Card. Petra ad Constit. apostol. tom. 4, pag. 478.

(5) Quam refert etiam Castellin. de election. cap. 17, n. 28, et Tamburin. de iur. abbatiss. disp. 28, quaest. 6, n. 6.

(6) Id etiam edixerat S. Congreg. post Constitutionem Gregorianam in respons. ad 5.

(7) Id pariter edixit S. C. Episcoporum et Regularium die 15 Maii 1671, statuens non posse Episcopum interesse confirmationi Abbatissae, quae penes aliquos Regulares quotannis fieri solet.

(8) Sacra Congreg. in Hieracen. Visitationis 26 Ianuarii 1692, lib. 42 decretorum pag. 48.

68. Aceapropter indubium est, pertinere ad Superiorem regularem, tamquam ad Praelatum immediatum *in Tiburtina die 26 Aprilis 1727 §. ultimo* (1).

69. Non pertinet idcirco ad Episcopum vel eius Vicesgerenti Neolectam installare, eique possessionem dignitatis et officii Abbatialis tradere *in Wormatien. iurisdictionis die 17 Septembris 1746.*

70. Proposito enim dubio: - IV. An completa canonica electione, liceat eidem Eminentissimo Ordinario vel eius Vicesgerenti Neolectam installare, eique possessionem dignitatis et officii Abbatialis tradere? Sacra Congregatio responsum dedit: - Ad quartum, Negative - *in Wormatien. Iurisdictionis die 17 Septembris 1746.*

71. Ad hoc inde, ut valide eligi possit Abbatissa, non solum debet explevisse annum probationis, sed debet habere qualitates, requisitas a sacro Concilio Tridentino in cap. 7, sess. 25, de regular. *in Forosempronien. anno 1596 lib. 8 decretorum pag. 191.*

72. Idcirco Abbatissa non potest eligi, nisi compleverit annum quadragesimum suae aetatis *in Vigilien. die 12 Martii 1663 lib. 14 decretorum pag. 716.*

Item *in dubio Abbatissatus die 14 Septembris 1678 lib. 30 decretorum pag. 183.*

73. Quamobrem electionem Abbatissae, factam in personam Monialis non quadragenariae in Monasterio, in quo erant quadragenariae et idoneae, licet non tantum, quantum electa, nullam et invalidam declaravit sacra Congregatio *in Viterbien. die 13 Maii 1623 lib. 12 decretorum pag. 131.*

74. Ex gratia tamen electionem praedictam convalidare censuit *in Viterbien. die 13 Maii 1623 lib. 12 decretorum pag. 131.*

75. Nulla est etiam electio Monialis alterius Monasterii in Abbatissam, si in proprio adest Monialis quadragenaria, quaeque octo annis post professionem laudabiliter vixerit *in Elboren. ad cap. 7 sess. 25 de regular. Posit. 129 pag. 121.*

76. Eligenda etiam Abbatissa in Monasterio noviter erecto debet habere annos quinque professionis, iuxta praescriptum a sacro Concilio Tridentino in cap. 7 sess. 25 de regular. *in Carpenctoraten. die 14 Novembris 1643 Posit. 213, pag. 335 ad cap. 7 sess. 25 de regular.*

77. Locus tamen est dispensationi, facto verbo cum Sanctissimo, si non adsit Monasterium eiusdem Ordinis, a quo extrahi possit *in Carpenctoraten. die 14 Novembris 1643 Posit. 213 pag. 335 ad dictum cap. 7 sess. 25 de regular.*

78. Verum Abbatissa potest eligi Monialis non habens annos professionis praescriptos a sacro Concilio Tridentino in cap. 7 sess. 25 de regular., dummodo in illo Monasterio aliae Moniales non sint, habentes praedicta requisita, nec in eo loco adsit Monasterium eiusdem Ordinis, a quo extrahi possit *in dubio ad cap. 7 sess. 25 de regular. Limana Februarii lib. 4 decretorum pag. 3.*

79. Hinc munus Priorissae seu Abbatissae non in Moniales iuxta Antianitatis ordinem et sine ullo meritorum delectu conferri debet, sed Monialium suffragia in alias etiam non Antianas iuxta qualitates et merita libere dari valent *in Conversana iurisdictionis die 8 Maii 1751.*

80. Proposito enim dubio: - III. An Munus Priorissae in Moniales iuxta Antianitatis Ordinem, et sine ullo meritorum delectu ibi conferri debeat, sive potius Monialium suffragia in alias etiam non Antianas iuxta qualitates, et merita libere dari valeant? S. Congregatio respondit: - Ad tertium, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam - *in Conversana iurisdictionis die 8 Maii 1751.*

81. Abbatissae electio, in personam Monialis illegitimae, est nulla et invalida, ac indiget dispensatione Apostolica *in Reatina die 1 Februarii 1648 Posit. 213 pag. 341 ad cap. 7 sess. 25 de regular.*

82. Concilium Tridentinum in cap. 7 sess. 25 de regular., loquens de qualitatibus habendis ab eligenda in Abbatissam, non comprehendit electionem Abbatissae, Monasterio seu potius Collegio Canonicorum Regularium praeficiendae, de quibus in cap. Indemnitatibus §. ult. in 6 *in Dubio ad dictum cap. 7 sess. 25 de regular. Posit. 137.*

83. Habet tamen locum, quoad annos quinque professionis, requisitos in eligendas in Abbatissam, etiam in Monasteriis novae fundationis *in Carpenctoraten. die 14 Novembris 1643 ad cap. 7 sess. 25 de regular. Posit. 213 p. 335.*

(1) Mattheucc. in official. cap. 1, n. 11.

84. Abbatissa est benedicenda ab Episcopo, si intra annum ab electione benedictionem petat, et Abbatissa illius Monasterii sit solita benedici *in Cremonen. ad cap. 7 sess. 25 de regular. Posit. 137.*

85. Abbatissa ultra triennium continuare non potest *in Baren. die 29 Maii 1649 lib. 46 decretorum pag. 630.*

86. Electio Abbatissae, pro secundo triennio, solum in Italia vigore constitutionis Gregorii XIII incipien. *Eœposuit debitum* prohibetur *in Leodien. Visitationis die 22 Ianuarii 1763* §. *Validam.*

87. Sed extra Italiam incongrua etiam videtur et regulari disciplinae repugnans *in Leodien. Visitationis die 22 Ianuar. 1763* §. *Quocirca*(1).

88. Hinc Abbatissa, cuius Monasterium non est sub cura et regimine Fratrum de Observantia, nulla Constitutione Pontificia prohibetur extra Italiam, ut ultra triennium in officio duret *in Burgen. anno 1594 lib. 8 decretor. pag. 13.*

89. Abbatissa potest esse etiam perpetua, ubi esset consuetudo, quod perpetua eligeretur, et consuetudo esset immemorabilis *in dubio ad cap. 7, sess. 25 de regular. Posit. 137.*

90. Amplia, non obstantibus Constitutionibus Ordinis, et etiam sacro Concilio Tridentino in cap. 7, sess. 25 de regular. *in dubio ad cap. 7, sess. 25 de regular. Posit. 137.*

91. Abbatissa, remota ab officio ab Episcopo, debet substitui aliae, iuxta legem fundationis Monasterii *in Pacen. lib. 3 decretorum p. 19.*

92. Post mortem Abbatissae exemptae, non licet Ordinario claudere proprioque sigillo obsignare cubicula Abbatialia, atque de substantia Monasterii inventarium facere *in Wormatien. iurisdictionis die 17 Septembris 1746.*

Propositio enim dubio: - VIII. An post mortem Abbatissae, liceat reverendissimo Ordinario claudere proprioque sigillo Obsignare cubicula Abbatialia, atque de substantia Monasterii inventarium conficere in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Ad octavum, Negative - *in Wormatien. die 17 Septembris 1746.*

§. III.

ABBATISSA SEU PRIORISSA QUOAD POENAS ET CENSURAS.

1. Abbatissa seu Praefecta Monasterii suspensionis poena potest puniri, si ante mensem Episcopum certiorem non faciat de futura professione Novitiae *in Brundusina anno 1609 lib. 11 decretorum pag. 75.*

2. Limita, si reipsa sequatur professio, Episcopo non monito, secus vero, si Novitia professionem non emiserit *in Brundusina anno 1609 lib. 11 decretorum pag. 75.*

3. Immo etiam aliis poenis, si Monasterium sit Episcopo subiectum, secus vero, si Monasterium sit subiectum Regularibus *in Elboren. anno 1592 lib. 7 decretorum pag. 49 ad 7 dubium.*

4. Potest pariter prohiberi sub poenis etiam censurarum, ne admittat ad professionem Novitiam, quia prius ipse Episcopus suam voluntatem exploraverit *in Brugen. die 4 Decembris 1627 lib. 12 decretorum pag. 253.*

5. Amplia, etiamsi Monasterium sit Regularibus subiectum *in Brugen. die 4 Decembris 1627 lib. 12 decretorum pag. 253.*

Item *in Derthonen. die 28 Augusti 1649 lib. 18 decretorum pag. 698.*

ABORTUS.

1. Ut quis reus abortus constituatur, sedulo perpendendum, an idem abortus violentus fuerit, et an eiusdem auctor, fautor, vel consiliarius censeri possit *in Beneventana Irregularitatis die 18 Novembris 1769* §. *Tota.*

2. Inter causas abortus vero potissimum a Physicis recensetur timor, cum Mulieres timidae et meticulosae procliviores sint ad abortum *in Sancti Marci Irregularitatis die 8 Iunii 1771* §. *Inter.*

3. Ponderandum hinc est, an timor a quovis incussus, causare vel saltem properare potuerit abortum *in Sancti Marci Irregularitatis die 8 Iunii 1771* §. *Inter.*

4. Itaque, cum Rosaria Carino conquereretur, frugiferas quasdam herbarum plantas in

(1) Barbos. ad Concil. Trid. sess. 25, cap. 7, n. 1, de regular.; Card. De Luc. de regular. disc. 1, n. 142.

proprio horto avulsas fuisse ac conculcatas, et maxime doleret, quod tale damnum a Sacerdote Vincentio Morelli suisque Villicis fuisset illatum, Sacerdos, qui nonnullis antea diebus cum dicta Muliere verbis rixatus fuerat, quique prope aderat, et huiusmodi querelas audivit, illam conviciis et contumeliis cepit obiurgare. Mulier vero a maledictis minime cessavit, Vincentius furore succensus, accepta securi, Rosariam fugientem insequutus est, eamque deprehendit, et quamvis monitus, ne quid damni eidem inferret, eo quia utero gravis esset, nihilominus dexteram in modum percutientis levavit, sed ab ictu iniiciendo abstinuit.

5. Timore magno perculsa Mulier, statim trepidare et contremiscere cepit, nec multo post ita torminibus vexare se sensiit, ut sequenti die abortum ediderit, quem in tertio a conceptione mense tunc reperiri diiudicatum est. Res per Iosephum Tudda Rosariae Virum ad Curiam Episcopalem delata fuit, quae statim inquisivit contra Sacerdotem Vincentium, cui Palatium Episcopale loco carceris fuit assignatum. Praeter Obstetricem, duo etiam Medici et octo Testes foetum inspexere. Propositis hinc dubiis: - I. *An constet de irregularitate in casu etc.* Et quatenus Affirmative. II. *An sit locus dispensationi in casu etc.* -, S. Congregatio respondit: - *Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Dilata et scribatur Episcopo, iuxta instructionem* in Sancti Marci Irregularitatis die 8 Iunii 1771 (1).

6. At reproposito dubio: - *An sit locus dispensationi in casu etc.* -, S. Congregatio respondit: - *Negative* - in S. Marci Irregularitatis die 28 Septembris 1771.

7. Foetus tamen a libera Muliere procreatus, semper in dubio praesumitur mortuus ante nativitatem *in Hydruntina Irregularitatis die 11 Iunii 1774* §. *Qui Diaconi.*

8. Mulierculae enim, ne utero graves videantur, multa agere solent ad procurandum abortum *in Hydruntina Irregularitatis die 11 Iunii 1774* §. *Qui Diaconi* (2).

9. Hinc nemo Infanticidii reus declarari potest, nisi de Infantis vita certa habeatur scientia, et de violento interitu indubia resultet probatio *in Hydruntina Irregularitatis die 11 Iunii 1774* §. *Qui Diaconi* (3).

10. Praesertim, si nullus adsit testis, qui asserat, Infantem vivum aspexisse *in Hydruntina Irregularitatis die 11 Iunii 1774* §. *Qui.*

11. Quin obstet proiectio eiusdem Infantis in puteum *in Hydruntina Irregularitatis die 11 Iunii 1774* §. *Qui.*

12. Nam, nec certum indicium est, de sequuto homicidio, huiusmodi deiectio Infantis in puteum *in Hydruntina Irregularitatis die 11 Iunii 1774* §. *Qui* (4).

13. Immo et eadem signa vulgo *lividure* in corpore Infantis inventa, sunt signa aequivoca

(1) In instructione autem, iuxta mentem S. Congregationis exarata, quaesitum ab Episcopo fuit, qua de causa processus informativus in Curia Episcopali ceptus, suspensus, interceptusque remanserit, quin Sacerdos defensiones paraverit; nec, super qualitate criminis et poena, sententia prolata fuerit, sed solo trium Theologorum voto exquisito, Causa in eadem Episcopali Curia fuerit absoluta: illudque etiam requisitum extitit, an Orator verae resipiscentiae et constantis emendationis signa exhibuerit. His omnibus in nova sua relatione ita Episcopus respondit: - Refero, quod Fiscali informativo iam constructo, statim ac sponte ante citationis expeditionem personaliter comparuit antedictus Sacerdos Morelli, eidemque mandatum per palatium iniunctum fuit ac ipsiusdem examen receptum, et dein suo constituto compilato defensionibus formiter renunciavit, Fiscales testes pro recte ac rite repetitis habuit. Instetit postea, negotium a Theologis secundum conscientiam decidendum fore, illorumdemque qualecumque votum se exequi paratissimum praebens. Huiusmodi petitioni acquievi, ex eo, quia antedictus Morelli mihi sui ipsius correctionis occasionem praebuit, veram atque exemplarem sacerdotalem vitam ducens, tum et ob illiusdem paupertatem, ne expensis in iudicio prosequendo graveretur, ceu et ipsemet mihi exposuit hoc ultimum. Tres iam ex melioribus Theologis deputavi, ad quaestionem iure dirimendam, qui, toto processu sedulo perpenso ac mature discusso negotio, pronunciarunt, debere enunciatum Sacerdotem Morelli, ob conscientiae suae solatium absolutionis, dispensationisque gratiam a Sanctissimo Domino nostro quam citius obtinere. Cui Theologorum voto precibus suis ad Sanctissimum porrectis statim acquievit: Partis offensae et querelantis remissionem et exculpationem obtinuit ipsemet Morelli, quae in actis existit. Quibus stantibus, et ob suam bonam religiosamque vitam, tum ob ipsiusmet paupertatem ulterius non molestandum esse benigniter censui, ast porrectarum precum exitum expectandum fore.

In eodemque sensu etiam nunc perseverat, praesertim, quia *de die in diem verae poenitentiae, constantis emendationis, et non fucatae resipiscentiae indubia exhibuit laudatus Sacerdos signa, cum communi aedificatione.*

(2) Dolf. Allegat. 129, n. 23; Crivel. decis. 19, n. 15 et 16.

(3) Gloss. in leg. Proinde ff. ad leg. aquil. Gargiar. Consil. 11, n. 2, lib. 2.

(4) Dolf. Allegat. 130, n. 2.

mortis violentae, cum ea aliunde repeti possint; nempe, vel ex defatigatione parturientis, vel ex morte in utero secuta, vel ex lapsu Infantis in terram, dum nascitur *in Hydruntina Irregularitatis die 11 Iunii 1774* §. *Qui Diaconi* (1).

14. Potissimum excludi videtur abortus ex relatione Chirurgi, qui, foetu inspecto, nullisque violenti abortus repertis signis ac vestigiis, iudicium protulit, quod naturaliter contigerit *in Beneventana Irregularitatis die 18 Novembris 1769* §. *Nullam.*

15. Et Chirurgi relationi magis credendum, quam fallaci, insulsae, et inverosimili Obstetricis opinioni *in Beneventana Irregularitatis die 18 Novembris 1769* §. *Nullam* (2).

16. Leges civiles, gravissimis suppliciis, procurantes abortum damnandas, decreverunt *in Sancti Marci Irregularitatis die 8 Iunii 1771* §. *Iuxta* (3).

17. Quidquid vero praescripserunt antiqua Romanorum iura quoad abortus delictum, iuxta veterem Ecclesiae disciplinam, gravissimis poenis afficiebantur, qui abortui causam dedissent *in Beneventana Irregularitatis die 18 Novembris 1769* §. *Verum.*

Item *in Sancti Marci Irregularitatis die 8 Iunii 1771* §. *Iuxta.*

18. Synodus quippe Ancyrana, anno 314 celebrata, in canone 21 ad publicam per decennium poenitentiam agendam eos adegit *in Sancti Marci Irregularitatis die 8 Iunii 1771* §. *Iuxta.*

19. Et S. Basilius in epistola ad Amphilochium pari poena plectendos censuit delinquentes, pro quocumque abortu, sive foetus esset animatus, sive non *in Sancti Marci Irregularitatis die 8 Iunii 1771* §. *Iuxta.*

20. Postmodum autem recepta in iure canonico fuit distinctio, tradita a Tertulliano in cap. 37 de anima, et a divo Augustino in cap. Quod vero *in Beneventana Irregularitatis die 18 Novembris 1769* §. *Verum.*

21. Quam sane distinctionem probavit Innocentius III in cap. *Sicut ex literarum* 20 de homicid. *in Beneventana Irregularitatis die 18 Novembris 1769* §. *Verum.*

22. Ex quo canonum rigorem quodammodo temperare visus est praefatus Pontifex *in S. Marci Irregularitatis die 8 Iunii 1771* §. *Verum.*

23. Nam in praedicto Capite statuit, quod, si sequutus fuisset abortus foetus animati, tunc delinquens irregularis evaderet, et gravibus poenis afficeretur *in Sancti Marci Irregularitatis die 8 Iunii 1771* §. *Verum.*

24. Immo delinquens, tamquam homicida, puniri debet, et irregularis evadit *in Beneventana Irregularitatis die 18 Novembris 1769* §. *Verum* (4).

25. Hinc contra Infanticidas poena mortis statuta est *in Hydruntina Irregularitatis die 11 Iunii 1774* §. *Addit* (5).

26. Si autem foetus non fuisset animatus, tunc mitius ageretur *in Sancti Marci Irregularitatis die 3 Iunii 1771* §. *Verum.*

27. Et ita quidem, ut nec irregularitatem Clericus incurreret *in Beneventana Irregularitatis die 18 Novembris 1769* §. *Verum* (6).

28. Hanc tamen distinctionem penitus subinde abrogavit Sixtus V in sua Constitutione incipien. *Effrenatam,* 4 Kal. Novembris 1588 (7) *in Beneventana Irregularitatis die 18 Novembris 1769* §. *Hanc.*

Item *in Sancti Marci Irregularitatis die 8 Iunii 1771* §. *Verum.*

29. Nam in ea gravissimas inflixit poenas procurantibus abortum tam animati, quam inanimati, formati, vel informis *in Beneventana Irregularitatis die 18 Novembris 1769* §. *Hanc.*

30. Siquidem Clerici, omni privilegio clericali, officiis, dignitatibus, et beneficiis, ipso facto, privantur, ac in futurum inhabiles ad ea suscipienda redduntur *in Beneventana Irregularitatis die 18 Novembris 1769* §. *Hanc.*

31. Adeo ut illi, qui hoc delictum commiserint, non secus atque ii, qui sua voluntate

(1) Galen. in Hippocrat. aphor. 1; Mercurial. de Morb. puer; Crivel. dec. 19, n. 24.
(2) Guazzin. ad defens. Reor. defens. 4, cap. 12, n. 4.
(3) L. Si quis aliquid §. Abortionis ff. de poenis; et L. Si Mulierem, ad leg. cornel. de sicariis.
(4) Cap. Si aliquis 5, de homicid.; Can. Consuluisti in fin. 2, q. 5.
(5) Carpz. prax. crimin. part. 1, quaest. 9, n. 2; Raynald. Vot. crim. 133; Thesaur. dec. 13, n. 1.
(6) Cap. Sicut ex literarum 20, de homicid.; et Gloss. in cap. Si aliquis 5, de homicid.
(7) In Bullar. n. 134.

homicidium perpetraverint, iuxta Concilii Tridentini decreta, ad sacros ordines promoveri aut in susceptis ordinibus ministrare nullomodo possint *in Beneventana Irregularitatis die 18 Novembris 1769* §. *Hanc.*

32. Amplia, etiamsi crimen id nec ordine iudiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit *in Beneventana Irregularitatis die 18 Novembris 1769* §. *Hanc.*

33. Insuper, nec illis aliqua ecclesiastica beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferri liceat; sed omni ordine ac beneficio perpetuo careant *in Beneventana Irregularitatis die 18 Novembris 1769* §. *Hanc.*

34. Verum, rigidiorem hanc Sixti V Constitutionem, in aliquibus et praesertim circa foetum non animatum, moderatus fuit Gregorius XIV in sua Constitutione incipien. *Sedes apostolica,* pridie Kal. Ianuar. 1591 §. 3 *in Beneventana Irregularitatis die 18 Novembris 1769* §. *At.*

Item *in Sancti Marci Irregularitatis die 8 Iunii 1771* §. *Verum.*

35. Praefatus enim Pontifex poenas, contra procurantes abortum foetus inanimati, ad terminos iuris communis et sacrorum Canonum ac Concilii Tridentini dispositionem, reduxit *in Beneventana Irregularitatis die 18 Novembris 1769* §. *At.*

Item *in Sancti Marci Irregularitatis die 8 Iunii 1771* §. *Verum* (1).

36. Hinc, ut poena contra abortum procurantes irrogetur, etiam hodie perpendendum, an foetus esset animatus, vel non *in Sancti Marci Irregularitatis die 8 Iunii 1771* §. *Inter causas.*

37. Qua vero super re non una quidem est Philosophorum sententia, circa praecisum tempus, quo foetus animatus dicendus sit *in Beneventana Irregularitatis die 18 Novembris 1769* §. *Foetus.*

Item *in Sancti Marci Irregularitatis die 8 Iunii 1771* §. *Inter causas* (2).

38. Communior tamen et recepta opinio est, quae statuit, post quadraginta dies in Masculis, et in Feminis post dies octoginta, animam intrare in foetum conceptum *in Beneventana Irregularitatis die 13 Novembris 1769* §. *Foetus.*

Item *in Sancti Marci Irregularitatis die 8 Iunii 1771* §. *Inter causas* (3).

39. Quod si satis probata non sit violentia abortus, et auctor eiusdem cooperator vel consiliarius, videndum, an in qualibet probationum dubietate quis sit irregularis renunciandus *in Beneventana Irregularitatis die 18 Novembris 1769* §. *Perpendendum.*

40. Quando dubium est, an foetus esset animatus vel non, nonnulli existimarunt, procurantes abortum irregulares nequaquam censeri *in Sancti Marci Irregularitatis die 8 Iunii 1771* §. *Quando* (4).

41. At, licet in dubio, sive iuris, sive facti, quisque non sit irregularis censendus, diversimode tamen sentiendum est, quoad homicidium *in Beneventana Irregularitatis die 18 Novembris 1769* §. *Perpendendum.*

42. In Capite enim *Ad audientiam,* et Capite *Significasti, de homicid.* expresse sancitur, quod dubius non debeat in sacris ministrare, nec celebrare *in Beneventana Irregularitatis die 18 Novembris 1769* §. *Perpendendum.*

43. Nam in dubiis semitam debemus eligere tutiorem, et in hoc cessare est tutius, quam temere celebrare *in Beneventana Irregularitatis die 18 Novembris 1769* §. *Perpendendum.*

44. Docet tamen Gibalinius (5), id recte pro-

(1) Rapse Gregorius XIV in Constit. quae incipit: *Sedes apostolica* prid. Kal. Ian. 1591, in §. 3, haec statuit: – ibi: – Quo vero ad poenas procurantium abortum foetus inanimis, aut exhibentium Mulieribus, vel sumentium venena sterilitatis, aut quocumque modo auxilium, vel consilium eis dantium in praedicta Constitutione contentas, Constitutionem praefatam, ubi de his agit ad terminos iuris ac sacrorum canonum et Concilii Tridentini dispositionem, auctoritate Apostolica tenore praesentium, tam quoad praeterita, quam quoad futura, reducimus perinde ac; si eadem Constitutio in huiusmodi parte nunquam emanasset. – In Bullar. n. 20.

(2) Gregor. Lopez in leg. 8, tit. 8, part. 7, gloss. 2; Gothofred. ad leg. 3, §. fin. tit. de suis et legit. hered. Zacch. quaest. medic. legal. tit. 2, quaest. 9; Barbos de off. et potest. Episcop. allegat. 51, part. 3, cap. 9, n. 137.

(3) Farinacc. in Oper. crimin. quaest. 122, part. 1, n. 143; Martin. Azipilcuet. ad tit. 10, de homicid. consil. 46, n. 2; Carand. de part. cap. 1, §. 2, n. 35.

(4) Gonzalez in lib. 5. decret. Cap. *Significasti,* de homicid. n. 6; Barbos. de potestat. Episcop. allegat. 51 n. 141, et Alii.

(5) In cap. 4, Sect. 3, n. 17, de irregularitate.

cedere, quoties homicidium certum est, dubiumque solummodo oriatur de persona, quod illud commiserit, non tamen si de homicidio dubitetur, an illud commissum fuerit, cum hoc casu irregularitas minime incurratur *in Beneventana Irregularitatis die 18 Novembris 1769* §. *Perpendendum.*

45. Praeterea perpendendum, an quis infamiam contraxerit, vel ex publica voce et fama in loco vigente, quod quis auctor fuerit dicti abortus *in Beneventana Irregularitatis die 18 Novembris 1769* §. *Ponderandum.*

46. Vel ex sententia Curiae, contra ipsum lata, quarum causa irregularis diiudicari debeat *in Beneventana Irregularitatis die 18 Novembris 1769* §. *Ponderandum.*

47. Praesertim, si quis eamdem sententiam acceptaverit, et exequutus fuerit *in Beneventana Irregularitatis die 18 Novembris 1769* §. *Ponderandum.*

48. Enim vero, aliquando irregularis edictus fuit Sacerdos, qui, ob sequutum homicidium, condemnatus ex meris indiciis, fuerat contumax ad extraordinariam poenam quinquennalis exilii, quam vero is postmodum ope defensionum in totum revocari obtinuerat, et innocens fuerat declaratus *in Beneventana Irregularitatis die 18 Novembris 1769* §. *Sacra.*

49. Immo nec locum esse dispensationi respondit Sacra Congregatio *in Beneventana Irregularitatis die 18 Novembris 1769* §. *Sacra.*

50. Siquidem Sacra Congregatio *in una Asten. Irregularitatis die 3 Martii 1714,* in qua, ob secutum homicidium Clerici Paterii, condemnatus ex meris indiciis, fuerat Sacerdos Luzana contumax ad extraordinariam poenam quinquennalis exilii, quam postmodum ope defensionum in totum revocari obtinuerat, et innocens fuerat declaratus, propositis dubiis: I. *An constet de irregularitate in casu.* Et quatenus Affirmative. II. *An sit locus dispensationi in casu,* respondit: *Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Negative* in Beneventana Irregularitatis die 18 Novembris 1769 §. Sacra.

51. Hinc et facultas missam celebrandi denegata fuit, qui, ex meris indiciis ex dicto Correorum desumptis, de nefando crimine fuerat inquisitus, quamvis illud constanter negaverit, et ob suam paupertatem indefensus, damnatus fuerit poena extraordinaria ad triremes per septennium, quum, expleto tempore poenae, quin unquam remigaverit, preces dedisset pro facultate Missam celebrandi, quaesitum fuit: - An petitis sit annuendum nec ne? -, S. Congregatio respondit: - Negative - (1) *in Beneventana Irregularitatis die 28 Novembris 1769* §. *Item.*

52. Item, qui propter homicidium fuerat diffamatus, quamvis substinuisset torturam, et idcirco condemnatus tantum fuisset ad exilium, cum dubitatum subinde extiterit, an esset diffamatus et dici posset irregularis, Sacra Congregatio censuit, fuisse diffamatum et non esse dispensandum *in Beneventana Irregularitatis die 18 Novembris 1769* §. *Similiter* (2).

53. Qua de re, in casu praefatae Beneventanae, ubi satis probatum extitit, quod Sacerdos Raphael Paradiso abortum in puella Antonia Ioderico procuraverat, propositis dubiis: - I. An constet de irregularitate in casu. *Et quatenus Affirmative.* II. An sit concedenda dispensatio in casu etc.-, S. Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Negative - *in Beneventana Irregularitatis die 18 Novembris 1769* (3).

54. Quandoque tamen ex levibus tantum indiciis commissi delicti credidit Sacra Congregatio, nec irregularitatem fuisse incursam, nec dispensatione opus esse, nisi ad cautelam *in Beneventana Irregularitatis die 18 Novembris 1769* §. *Quandoque.*

55. Id siquidem edixit S. Congregatio in Vigilien. 23 Septembris 1673; in Mileten. Irregularitatis 10 Novembris 1674; in Tirasonen. Irregularitatis 3 Augusti 1675; in Ugentina Irregularitatis 27 Martii 1677; in Brugnaten. 11 Iulii 1693.

56. Praeterea, homo quidam nomine Leonardus Conoci die 9 Augusti 1766 invenit in

(1) In Lavellana seu Romana die 6 Iulii 1726.

(2) In Asculana Irregularitatis die 8 Iulii 1690.

(3) Id S. Congregatio sanxit; etiamsi Archiepiscopus haec exposuisset loc. cit. §. *Archiepiscopus* - ibi - Pro levi itaque inditiorum efficacia, nec non satisfactione iam Fisco praestita; cum aliunde abortus ex naturali causa evenire potuerit, quamvis istiusmodi diffamatio ex praefata illicita consuetudine ortum habuit, eum a petita dispensatione non indignum esse arbitror; eoque proclivius in hanc sententiam descendo, quo Raphael post sententiam factus poenitens, et in meliorem reversus frugem mihi hactenus videtur; adderem etiam egestatem, qua ipse premitur, maximam, si ea ad huiusmodi beneficium impetrandum opportuna dici posset.

puteo aqua fere pleno Infantem demortuam et laneis pannis involutam. Delata huius rei notitia ad Curiam laicalem Terrae Martani, statim ad cadaveris inspectionem deventum est. Rumor inde exarsit, quod Maria Zaccheo, utero gravis, ex prava consuetudine cum Diacono Ioanne Dominico Durante, Infantem peperisset, eamque in puteum ambo deiecissent. Hinc Mulier in carcerem detrusa fuit, Diaconus vero aufugit. Qua de re Vicarius generalis Hydruntinus in ipsum inquisivit. Subiecti primum fuerunt examini duo Medici et binae Obstetrices, quae Infantem inviserant, at cum quatuor supra decem Testibus, qui de inhonestate praefatae Mariae Zaccheo et Diaconi Durante generatim deposuerant, edicere non potuerunt, utrum infans mortua esset in actu partus, an manu alterius.

57. Quare Vicarius generalis suam edidit sententiam, qua die 23 Decembris 1761 ita pronunciavit: - Visis informatione capta contra Diaconum Ioannem Dominicum Durante Terrae Martani pro practica carnali inhoneste et publice per eum habita cum Maria Zaccheo, et infanticidium in foetum proiectum in cisternam, sistentem in Viridario Leonardi Conoci..., ceterisque actis omnibus bene visis matureque perpensis decrevit, dictum Diaconum Durante fore et esse condemnandum, prout condemnamus ad exulandum a Terra praefata locisque convicinis viginti milliaribus per annos quatuor, et ad non amplius conversandum cum praedicta Maria -. Sententiae acquievit Diaconus et per quindecim dies spiritualibus exercitiis vacavit Coenobio Capuccinorum Terrae Galeantonis, indeque sese recepit in Conventum Patrum Excalceatorum S. Petri de Alcantara Terrae Parabitae, ubi per plures menses vitam regulari instituto conformem duxit, ac deinde in Patriam reversus, assiduum in Ecclesiae servitio se praebuit, saepissime sacramenta frequentavit, et immutatae vitae non obscura praebuit argumenta.

58. Elapsis iam pluribus annis, cupiens ad presbiteratus ordinem promoveri, suum Ordinarium adivit: verum dubius Archiepiscopus de contracta a Diacono irregularitate suasit, ut Apostolicam Sedem pro declaratione adiret; eum interim dignum censuit, ut ab irregularitate forsan incursa, ad cautelam dispensatio concederetur, ad effectum obtinendi sacrum presbiteratus ordinem. Proposito hinc dubio: - An et quomodo sit locus dispensationi in casu etc.-, S. Congregatio respondit: - Consulendum esse Sanctissimo pro dispensatione ad cautelam - *in Hydruntina Irregularitatis die 30 Iulii 1774.*

ABSENTIA CAUSA STUDII.

1. Honorius III, in cap. *Super specula* de magistris statuit, Doctores in theologica facultate, dum in scholis docuerint, et Studentes in ipsa, integre per annos quinque percipiant de licentia Sedis apostolicae proventus praebendarum et beneficiorum suorum *in Potentina Admissionis ad participationem die 18 Novembris 1741* §. *Petitionem.*

Item *in Ostunen. Admissionis ad participationem die 18 Maii 1743* §. *Propugnat; in Urbanien. Exemptionis die 19 Septembris 1772* §. *Praestat; in Eugubina Punctaturarum die 15 Martii 1783* §. *Honorius; in Romana Iubilationis die 9 Februarii 1822* §. *Hinc quamvis.*

2. Idipsum confirmavit Innocentius IV in Cap. *Cum de diversis* de privilegiis in 6, ubi haec habentur: - Volumus et statuimus, ut Studentes in scholis ipsis penes Sedem eamdem, talibus privilegiis omnino, libertatibus, et immunitatibus gaudeant, quibus gaudent Studentes in scholis, ubi generale regitur studium, ac recipiant integre proventus suos, sicut illi - *in Eugubina Punctaturarum die 15 Martii 1783* §. *Honorius.*

3. Concilium Tridentinum, in cap. I, sess. 5, de reformatione, huiusmodi privilegia praeservavit, voluitque, quod Docentes ipsam sacram Scripturam, dum publice in scholis docuerint, et Scholares, qui in ipsis scholis student, privilegiis omnibus de perceptione fructuum praebendarum et beneficiorum suorum in absentia a iure communi concessis, plene gaudeant et fruantur *in Ostunen. Admissionis ad participationem die 18 Maii 1743* §. *Propugnat.*

Item *in Urbanien. Exemptionis die 19 Septembris 1772* §. *Cohaeret; in Eugubina Punctaturarum die 15 Martii 1783* §. *Honorius.*

4. Amplia, non obstante aliqua alia con-

suetudine vel statuto, cum denario fraudari non debeant in vinea Domini operantes *in Nullius Canusii Participationis die 25 Iunii 1763* §. *Praeterea.*

Item *in Eugubina Punctaturarum die 15 Martii 1783* §. *Honorius* (1).

5. Nam quisque suae Ecclesiae reapse inservire censetur, cum in publicis Athenaeis studiorum causa immoretur *in Ostunen. Admissionis ad participationem die 18 Maii 1743* §. *Qualiscumque* (2).

6. Hinc Sacra Congregatio censuit, abesse posse studiorum causa ad quinquennium capellaniam in Cathedrali obtinentem, de licentia sui Ordinarii *in Pientina anno 1596 lib. 8 decretorum pag. 176.*

7. Limita, substituto tamen alio, ab eodem Ordinario approbando, qui munera capellaniae expleat, et interim fructus recipiat *in Pientina anno 1596 lib. 8 decretorum pag. 176.*

8. Unde Canonicus, qui de licentia sui Ordinarii per quinquennium in publica Universitate extitit, lucratus est fructus sui Canonicatus, toto integro quinquennio, eosque a Capitulo perceptos restituendos esse mandavit *S. C. in Oritana anno 1595 lib. 8 decretorum pag. 124.*

Item *in Lusitana anno 1597 lib. 9 decretorum pag. 15.*

9. Propterea manifestum in iure est, quod Canonicis, de licentia Episcopi in aliqua Universitate generali sacrae Theologiae vel iuri Canonico operam dantibus, debeantur fructus suorum canonicatuum *in Segnien. die 28 Aprilis 1592 lib. 7 decretorum pag. 41.*

Item *in Leirien. 6 Augusti 1593 lib. 7 decretorum pag. 121; in Nullius anno 1593 lib. 7 decretorum; in Leirien. anno 1595 lib. 8 decretorum pag. 110.*

10. Siquidem S. Congregatio censuit: - Canonicos, de Episcopi licentia legentes ius Canonicum vel Sacram Theologiam, vel iisdem per quinquennium operam dantes in publica Universitate, dum propterea absunt, fructus suorum Canonicatuum utique percipere debere, non autem distributiones quotidianas: et si omnes reditus Cathedralium vel Collegiatarum Ecclesiarum distributionibus quotidianis constent, utique eas quoque lucrari debere, dimissa una ex tribus partibus, quae inservientibus accrescit - *in Nullius die 10 Februarii 1597 lib. 9 decretorum pag. 6.*

11. Amplia, etiamsi praebendas habeant in Cathedralibus eiusdem Civitatis, in qua publici Lectoris munere funguntur *in Colimbrien. die 18 Aprilis 1595 lib. 8 decretorum pag. 120.*

Item *in Nullius die 10 Februarii; in Lusitaniae Regni mensis Maii; in Tropien. mensis Novembris 1597 lib. 9 decretorum pag. 6, 15, 36.*

12. Enim vero S. Congregatio decrevit: - Docentem ius Canonicum in publica Universitate, privilegium de percipiendis in absentia suarum praebendarum fructibus gaudere et potiri, quamvis praebendam obtineat in Cathedrali eiusdem Civitatis, in qua publici Lectoris munere fungitur - *in Leirien. die 16 Martii 1595 lib. 8 decretorum pag. 110.*

13. Et idem subinde constituit, edicens: - Docentes ius Canonicum, in publica Universitate, privilegiis de percipiendis in absentia suarum praebendarum fructibus gaudere et potiri; quamvis praebendae, quas obtinent, sitae sint in Cathedrali eiusdem Civitatis, in qua publici Lectoris munere funguntur - *in Colimbrien. die 18 Aprilis 1595 lib. 8 decretorum pag. 120.*

14. Limita vero, dummodo Scholares non ultra triennium, immo quinquennium permaneant *in Segnien. die 28 Aprilis 1592 lib. 7 decretorum pag. 41.*

Item *in Leirien. 6 Augusti 1593 lib. 7 decretorum pag. 121; in Nullius anno 1593 lib. 7 decretorum; in Leirien. anno 1595 lib. 8 decretorum pag. 110.*

15. Et, dum studia aggrediuntur, vigintiquinque annorum aetatem non excedant *in Segnien. die 28 Aprilis 1592 lib. 7 decretorum pag. 41.*

Item *in Leirien. 6 Augusti 1593 lib. 7 decretorum pag. 121; in Nullius anno 1593 lib. 7 decretorum; in Leirien. anno 1595 lib. 8 decretorum pag. 110.*

16. Siquidem S. Congregatio censuit: - Licere Canonico causa studiorum abesse, et interim percipere fructus praebendae, amissis

(1) Cap. 5, de magistris.

(2) Arg. cap. Licet de praeben. cap. Super specula ult. de magistr. Cap. Tuae de cleric. non residen. Communiter docent Barbos. de offic. et potest. Episcop. allegat. 36, n. 18, et seqq. part. 3; Rebuff. de privil. scholar. privil. 31, n. 1, et seqq.; Iacob. Bencius, de privil. Iuriscons. privil. 15, n. 6, in fin.

tamen distributionibus quotidianis, quae inservientibus accrescunt; dum tamen non ultra quinquennium absit, et nunc, cum studia aggreditur, vigesimumquintum annum non attingat - *in Segnien. die 28 Aprilis 1592 lib. 7 decretorum pag. 41.*

17. Hinc S. Congregatio statuit: - Canonicis, de Episcopi licentia in aliqua generali Universitate in Sacra Theologia vel iure Canonico legentibus, ac aliis Canonicis, eisdem scientiis pariter de Episcopi licentia in huiusmodi Universitate operam dantibus, dummodo Scholares non ultra quinquennium permanserint, et vigesimumquintum annum non attingerint, deberi fructus suorum Canonicatuum, non autem distributiones quotidianas: et si omnes reditus Cathedralium vel Collegiatarum Ecclesiarum in distributionibus quotidianis consistant, ita ut loco fructuum praebendarum sint, utique eisdem, dimissa tertia parte fructuum, quae inter horis canonicis interessentes distribui debet, reliquas duas deberi - *in Leirien. die 6 Augusti 1793 lib. 7 decretorum pag. 121.*

18. Quin imo, ut Basilicarum et Collegiatarum Urbis frequentiori servitio divinique cultus splendori prospiceret S. M. Innocentius XII particularem Congregationem deputavit, quae, ad examen revocatis omnibus indultis, sive ratione munerum, sive studiorum causa concessis, pro exemptione a chorali servitio, *moderationes, reformationes,* ac etiam *revocationes,* quae opportunae visae fuissent, proponeret.

19. Re mature perpensa, quid censuerit S. illa Congregatio ex quinque S. R. E. Cardinalibus, et quatuor Praesulibus coacta, patet ex sequenti Decreto diei 2 Maii 1693 - Censuit, si Sanctissimo placuerit . . . Indulta causa studii pro lucrandis fructibus dumtaxat, nec aliter pro lucrandis distributionibus quotidianis esse concedenda, quam pro Ecclesiis, quarum reditus consistunt, vel in solis distributionibus quotidianis, vel in iisdem distributionibus, una cum aliquibus fructibus tenuis praebendae, dempta tamen tertia parte, quae inservientibus accrescat, nec pariter concedenda ultra triennium neque maioribus viginti quinque annis, quin imo huiusmodi aetate viginti quinque annorum expleta, eadem indulta, licet idem triennium adhuc completum non fuerit, expirare - *in Dubia Indultorum die 6 Maii 1820* (1).

20. Qua de re proposito dubio: - V. An et quomodo sit concedendum indultum Lectoribus in publicis Universitatibus -, S. Congregatio respondit: - Ad quintum, Affirmative pro diebus et horis, amissis distributionibus inter praesentes tantum - *in Dubia Indultorum die 6 Maii 1820.*

21. Itaque Canonicus magistralis, obtinens Parochialem, facit fructus suos residendo in Parochiali, amissis tantum distributionibus, si per idoneum substitutum lecturae annexae praebendae magistrali deserviat *in Elboren. ad Cap. 1, sess. 23 de reformatione, Posit. 41.*

22. Licet hinc absentes, causa studiorum, sive studuerint, sive docuerint, pro praesentibus habeantur et integros fructus suae praebendae lucrentur, distributiones tamen quotidianas amittunt *in Eugubina Punctaturarum die 15 Martii 1783* §. *Quamvis.*

23. Siquidem idem Honorius III in cap. *Licet* de praebendis, scribens Abbati et Priori S. Genovefae, ita loquitur: - Licet vobis dixerimus scripta nostra, ut magistro N. Eboracen. Archidiacono in sacra pagina cupienti studere proventus suos Ecclesiasticos faciatis integre ministrari, nolumus tamen, ut quotidianas distributiones, quae tantum residentibus in Ecclesiis, et iis, qui intersunt horis Canonicis exhibentur, ei tribui faciatis - *in Eugubina Punctaturarum die 15 Martii 1783* §. *Quamvis.*

24. Hinc non solum amittunt distributiones quotidianas, quae singulis diebus et horis inservientibus sunt assignatae, sed neque eas massae communis, quae statis temporibus dividuntur non aequaliter, sed habita ratione servitii, percipiunt *in Brundusina anno 1620 lib. 12 decretorum pag. 36.*

25. Ea idcirco in huiusmodi indultis servari solet regula, qua permittitur Canonicis, studiorum causa absentibus, percipere fructus dumtaxat praebendae *in Arianen. Distributionum die 18 Augusti 1731* §. *Capitulum.*

26. Vel si isti nulli sint, aut admodum tenues, duas solum partes distributionum, ter-

(1) Facta praedictae Resolutionis cum aliis Summo Pontifici relatione die 8 eiusdem mensis et anni, ita eas probavit: - Sanctitas Suas illas probavit, et a die prima Iunii proxime venturi mandavit inviolabiliter observari; indultis tamen, tam a se quam a Romanis Pontificibus praedecessoribus suis quomodolibet concessis et aliis contrariis quibuscumque non obstantibus, quibus pro observatione praemissorum amplissime derogavit. -

tia tamen amissa, quae inservientibus accrescit *in Arianen. Distributionum die 18 Augusti 1731* §. *Capitulum* (1).

27. Namque, si omnes fructus in distributionibus consistunt, eas lucrantur, dimissa tertia parte, quae inservientibus accrescat *in Melphien. Novembris 1589, lib. 6 decretorum pag. 60.*

Item *in Turritana Martii 1590 lib. 7 decretorum pag. 5; in Segnien. die 28 Aprilis 1592 lib. 7 decretorum pag. 41; in Leirien. 6 Augusti 1593 lib. 7 decretorum pag. 121; in Nullius anno 1593 lib. 7 decretorum pag. 128; in Leirien. 1595 lib. 8 decretorum pag. 110.*

28. Canonicus hinc absens, causa studii, supposita legitima licentia, lucratur distributiones quotidianas, si in eis consistunt omnes reditus Canonicatus, et distribuuntur aequaliter inter omnes Canonicos, nulla habita ratione servitii in fine anni *in Signina die 13 Ianuarii 1633 lib. 15 decretorum pag. 145.*

29. Nam accedit etiam supramemoratum decretum, quod iussu Innocentii XII promulgatum fuit in haec verba: - Indulta causa studii pro lucrandis fructibus dumtaxat, nec aliter pro lucrandis distributionibus quotidianis esse concedenda, quam pro Ecclesiis, quarum reditus consistunt, vel in solis distributionibus quotidianis, vel in iisdem distributionibus una cum aliquibus fructibus tenuis praebendae, dempta tamen tertia parte, quae interessentibus accrescat - *in Arianen. distributionum die 18 Augusti 1731* §. *Capitulum* (2).

30. Amplia, etiamsi indultum abessendi, his verbis exaratum, concessum fuerit: - Sanctissimus annuit petitis, et quatenus opus sit indulsit, posse Oratorem per aequipollens, ut petitur (3), studere et abesse causa studii, et deberi distributiones et fructus Canonicatus a die captae possessionis, quibuscumque in contrarium non obstantibus - *in Arianen. distributionum die 18 Augusti 1731* §. *Haec.*

31. Propositis enim dubiis: - I. An rescriptum, de quo agitur, sit servandum. *Et quatenus affirmative.* II. An et quae distributiones competant Canonico Iosepho de Philippis -, S. Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative, pro tempore praeterito tantum. Ad secundum, Competere duas ex tribus partibus, amissa tertia, et amplius - *in Arianen. distributionum die 18 Augusti 1731.*

32. S. Congregatio enim censuit (4): - Canonicos studiorum causa absentes eam tantum portionem amittere, quam residentes non percipiunt, nisi divinis interfuerint; aliam vero partem, quam residentes lucrantur, etsi Ecclesiae non inserviant, deberi absentibus causa studiorum, quia a Sacris Canonibus, pro residentibus habentur - *in Eugubina Punctaturarum die 15 Martii 1783* §. *Quamvis.*

33. Sustinet vero Card. Petra, quod Privilegiati causa studiorum, cum tantum ficte dicantur praesentes, non participant de quotidianis distributionibus, pro quibus percipiendis non ficta, sed vera praesentia requiritur *in Eugubina Punctaturarum die 15 Martii 1783* §. *Quamvis* (5).

34. Si tamen loco distributionum quotidianarum, ex capitulari statuto, subrogatae sint punctaturae, solvendae ab iis, qui choro non intersunt, tunc videndum, an ea, quae de distributionibus quotidianis statuta sunt, locum etiam habere debeant, quoad punctaturas *in Eugubina Punctaturarum die 15 Martii 1783* §. *Cum tamen.*

35. Verum punctaturae solvendae sunt, si Constitutionibus capitularibus ita cautum habeatur: - Poena solvenda, pro quolibet puncto, cum loco distributionum quotidianarum succedat, quae ad praescriptum sacri Concilii Tridentini tertiam saltem partem exaequare debent, imposterum erit medietas unius Iulii Romani, quae cuiquam ex collusione aut gratia nullatenus remitti aut condonari possit, sed dividatur proportionabiliter inter Archipresbi-

(1) Fagnan. in cap. Licet n. 37 et seqq. de praeben., ubi refert decreta S. Congregationis; Card. Petra in commentar. ad Constit. 9 Bonifacii VIII, n. 20 et seqq. tom. 3.

(2) Ita in Bullar. eiusdem Pontificis pag. 262.

(3) Siquidem Orator ille supplex petiit, ut quamvis non moraretur in publica studiorum Universitate, nec ius Canonicum, aut Theologiam moralem condisceret, nihilominus percipere posset fructus canonicatus tam certos quam incertos, non solum deinceps, sed etiam per tempus praeteritum.

(4) Nimirum in Maceraten. 10 Decembris 1616, Lib. 11 decretorum pag. 186.

(5) In comment. ad Constit. IX Bonifacii VIII, n. 18, et 19.

terum et omnes Canonicos etiam adiunctos, qui vere residentes choro inservierint, iuxta sacrorum canonum ordinationes - *in Nullius Farfen. distributionum quotidianarum die 22 Novembris 1738* §. *Verum.*

36. Praesertim, cum Canonicus usque ab initio sine Sedis Apostolicae vel Episcopi licentia abfuerit a loco residentiae, neque choro interfuerit, neque sacra peregerit *in Nepesina die 2 Decembris 1775* §. *Capitulum.*

37. Tunc enim ab initio quoque plecti debet mulctae poena, praescripta in Capitularibus Constitutionibus *in Nepesina die 2 Decembris 1775* §. *Capitulum.*

38. Propterea proposito dubio: I. An et a quo tempore debeantur punctaturae in casu etc., S. Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative a die captae possessionis, et amplius - *in Nepesina die 20 Ianuarii 1776.*

39. Et id procedit, quando etiam indultum absentiae ex causa studiorum a Sacra Congregatione obtentum fuerit, cum facultate omnes fructus percipiendi, amissis distributionibus quotidianis, et addita consueta clausula: - Quod si fructus omnes ipsis distributionibus constent, vel si reditus praebendae tertiam partem distributionum non attingant, duas ex tribus partibus distributionum vel praebendae ac distributionum insimul cumulatarum respective percipiat, amissa tertia, quae inservientibus accrescat - *in Nullius Farfen. distributionum quotidianarum die 22 Novembris 1738* §. *Postulanti.*

40. Nam eiusmodi indultum non suffragatur ad evadendam praedictam poenam, quippe quae cedere debet loco quotidianarum distributionum, quae quidem per indultum ipsum acquiri prohibentur *in Nullius Farfen. distributionum quotidianarum die 22 Novembris 1738* §. *Considerans.*

41. Siquidem ex statutaria lege, praemissa punctaturarum poena ita est loco quotidianarum distributionum, ut consentanee ad indultum praedictum absens, studiorum causa, enunciatae poenae subiacere teneatur *in Nullius Farfen. distributionum quotidianarum die 22 Novembris 1738* §. *Verum.*

Item *in Eugubina punctaturarum die 15 Martii 1783* §. *Cum tamen.*

42. Hinc poena solvenda est, ex tertia parte fructuum, ex statuto et indulto relinquenda *in Eugubina punctaturarum 15 Martii 1783* §. *Cum tamen.*

43. Propositis enim dubiis: - I. An indultum concessum Canonico Gineuri eidem suffragetur etiam ad effectum non solvendi punctaturas in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An et a quo tempore sint solvendae dictae punctaturae in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Ad primum, Negative pro tertia parte tantum fructuum sui Canonicatus, et amplius. Ad secundum, Affirmative a die non interessentiae choro et ad mentem; mens est, quod videatur particulariter de examine statuti Ecclesiae Collegiatae, transmissa per Episcopum ipsius particula, et decretis approbationis Episcopi - *in Eugubina punctaturarum die 5 Aprilis 1783.*

44. Summa proinde, per ipsum amittenda, Canonicis choro interessentibus debet accrescere *in Nullius Farfen. distributionum quotidianarum die 22 Novembris 1738* §. *Verum.*

Item *in Eugubina punctaturarum die 15 Martii 1783* §. *Cum tamen.*

45. Ex eo propterea, quod Iulius Manfredi Canonicus Ecclesiae S. Antonini Terrae Pharae indultum abessendi causa studiorum obtinuerat cum solita clausula, amissis distributionibus quotidianis, sed Ecclesiae statuto cautum erat, ut loco distributionum quotidianarum punctaturae a Canonicis absentibus persolverentur, propositis dubiis: - I. An Canonicus absens ex causa studiorum teneatur ad poenam punctaturarum indictam in statuto Ecclesiae contra non interessentes divinis Officiis. *Et quatenus Affirmative.* II. An eadem poena sit solvenda ex tertia parte fructuum, ex indulto relinquenda et repartienda interessentibus -, S. Congregatio die 20 Decembris 1738 in Nullius Farfen. distributionum quotidianarum respondit: - Ad primum et secundum, Affirmative - *in Eugubina punctaturarum die 15 Martii 1783* §. *Cum.*

46. Hinc onera, Canonicatui absentis adnexa, non ex tertia fructuum Canonicalium parte, quae ab eo non acquiritur, et inter Canonicos interessentes repartienda, sed ex reliquis duabus eorumdem fructuum partibus adimplenda esse videntur *in Nullius Farfen. distributionum quotidianarum die 22 Novembris 1738* §. *Verum.*

47. Proposito vero dubio: - III. An onera adnexa Canonicatui sint solvenda per Canonicum absentem ex fructibus Canonicalibus reliqua-

rum duarum partium, sive potius ex dicta tertia parte in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Ad tertium, Dilata, et scribatur Eminentissimo Abbati, pro meliori informatione, iuxta instructionem - *in Nullius Farfen. Distributionum quotidianarum die 20 Decembris 1738.*

48. Verum, Constitutionibus eiusmodi capitularibus exulantibus, absens studiorum causa non est sane ad punctaturarum solutionem condemnandum, quoties ipse fuit absens a residentia et chori servitio, obtento prius indulto a Sacra Congregatione *in Nullius Farfen. punctaturarum die 5 Augusti 1780* §. *Videtur* (1).

49. Si adsit praesertim consuetudo, qua Canonicus absens, causa studiorum, punctaturas non solvit *in Nullius Farfen. punctaturarum die 5 Augusti 1780.*

50. Proposito enim dubio: - I. An debeantur punctaturae in casu etc. -, S. Congregatio respondit: Ad primum, Negative; amissis tamen distributionibus quotidianis, ad formam indulti - *in Nullius Farfen. punctaturarum die 5 Augusti 1780.*

51. Dubitatum olim hinc etiam fuit, an exemptione a chori servitio gaudere posset, qui non in publica Universitate, sed in aliis Scholis, acquirendis scientiis, vacaret *in Urbanien. exemptionis die 19 Septembris 1772* §. *Cohaeret.*

52. Hinc disceptatum fuit, num necesse sit, ut Beneficiarius operam det literarum studiis in aliqua publica Universitate sive Academia, quae summi Pontificis vel supremi alterius Principis auctoritate erecta sit *in Melevitana Indulti die 28 Septembris 1743* §. *Iure ipso.*

53. Plures enim contendunt, Beneficiatos quoscumque non relaxari a canonica residentia causa studiorum, nisi ad celebres Scholas pergant, sacrasque literas discant, Theologiam nempe et ius Canonicum *in Nepesina die 2 Decembris 1775* §. *Contenditque* (2).

54. Nam tenent, neque sine rationis momento dici posse, quod suffragetur quoque studium in quocumque publico et celebri Gymnasio *in Melevitana Indulti die 28 Septembris 1743* §. *Iure ipso* (3).

55. Etenim in cap. Tuae de cleric. non residen. non aliud rescripsit Innocentius III postulatis Altissiodorensis Episcopi, quam indulto studiorum non frui Canonicos, - dum accepta licentia ad Villas et Castra se transferuntur, in quibus nullum est vel minus competens studiorum exercitium - *in Melevitana Indulti die 28 Septembris 1743* §. *Iure ipso.*

56. Quamvis vero communis sit adfirmantium sententia, haud facile tamen subscribendum censet Card. Petra (4) *in Melevitana Indulti die 28 Septembris 1743* §. *Iure ipso.*

57. Namque sacra Congregatio censuit, ei deberi duas ex tribus partibus distributionum, qui studiis sacrae Theologiae vacaverit in scholis PP. Societatis Iesu *in Melevitana indulti die 28 Septembris 1743* §. *In eam.*

Item *in Urbanien. Exemptionis die 19 Septembris 1772* §. *Cohaeret.*

58. Siquidem in Mediolanen. die 19 Novembris 1673 proposito dubio: - V An ipsi debeantur duae ex tribus partibus distributionum, quamvis non inservierit sub praetextu, quod studiis S. Theologiae vacaverit in Scholis PP. Societatis Iesu Mediolani -, Sacra Congregatio, auditis utriusque Partis Procuratoribus, et noviter deductis perpensis, respondit: - Ad quintum, praevio recessu a decisis, Affirmative - *in Melevitana indulti die 28 Septembris 1743* §. *In eam.*

59. Praeterea propositis dubiis: - I. An Canonico Theodoro suffragetur indultum, seu potius subiectus fuerit punctaturis a die, quo exivit a Seminario, ad instar aliorum Canonicorum absentium. *Et quatenus affirmative ad primam partem.* II. An obligatus fuerit, ac teneatur pro distributionibus quotidianis exsolvere consuetam taxam scutorum sexaginta, vel potius dumtaxat scuta viginti in casu etc. -,

(1) Fagnan. in cap. Cum ad hoc, de cleric. non residen. fere per tot.; Barbos. ad Concilium Tridentinum Sess. 5, cap. 1, n. 56, de reform.; Card. Petra in comment. ad Constit. X Bonifacii VIII, n. 7, et seqq. tom. 3; Scarfanton. ad Ceccoper. lib. 2, tit. 11, n. 30.

(2) Latissime hac de re agit Card. Petra in Comment. ad Constit. X Bonifacii VIII, n. 4, et seq.

(3) Ita opinati sunt Rebuff. in prax. dispens. lib. 3, n. 30, vers. 7; Sanctarell. variar. quaest. 3, n. 13; Monet. de distribution. part. 2, quaest. 10, n. 17.

(4) In commentar. ad Constit. X Bonifacii VIII, n. 6, tom. 3.

S. Congregatio respondit: - Dilata, ad mentem - *in Melevitana Indulti die 28 Septembris 1743.*

60. Advenit subinde Epistola Melitensis Episcopi, qua retulit, in Monasterio PP. Carmelitarum Burmulae esse *lo studio generale per gli Religiosi,* ibique doctos Viros docere, Carmelitas vero pietate et doctrina praestare: Canonicum Theodorum Grech bis qualibet die ad Monasterium accedere, et Philosophiae operam dare; accepisse demum a Patribus illius Monasterii, Theodorum ita versatum esse in philosophicis rebus, ut paratus quoque sit publice theses proponere, easque defendere. Idcirco repropositis praefatis dubiis, S. Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative quoad primam partem, Negative quoad secundam, et amplius. Ad secundum, Affirmative quoad primam partem, Negative quoad secundam, et amplius (1) - *in Melevitana Indulti die 27 Iunii 1744.*

61. Id S. Congregatio sanxit, etiamsi praefatus Canonicus Theodorus, quatuordecim annos natus, indultum abessendi causa studiorum a Supremo Pontifice cum perceptione fructuum, amissis vero distributionibus quotidianis, vel tertia parte, si omnes reditus ipsis distributionibus constarent, obtinuisset, addita clausula: - ita tamen, ut Orator ipse, dum moram traxerit in Seminario diebus festivis et vacationum inservire Ecclesiae et officiis personaliter teneatur -; atque postremis carnis privii diebus, utut mandato Episcopi vetaretur quisque per id tempus e Seminario egredi perque Civitatem vagari, ex Patris sui voluntate abscessisset, indeque profectus esset ad praedictum Burmulae locum, octo milliaribus ab Ecclesia Cathedrali dissitum, ubi etiam tunc commorabatur ex causa vacandi literarum studiis in Conventu Fratrum Discalceatorum *in Melevitana Indulti die 28 Septembris 1743* §. *Canonicus et* §. *Utens.*

62. Multo minus Clericus, absens causa studiorum, expungi ac deleri potest ex albo *in Potentina die 15 Februarii 1747.*

63. Iamvero mos est antiquus usu et statutis confirmatus in Collegiata receptitia Ecclesia S. Michaelis Potentiae, quo clerici recenter adscripti, subduntur servitio trium annorum in subdiaconali, totidem in diaconali, aliorumque trium in sacerdotali munere, habita ratione servitii huius in percipiendis emolumentis. Receptus fuit anno 1734 Michael Lauritus, qui, post servitium alicuius temporis, Potentia discessit, ut studiis opèram daret, rediitque tandem in Patriam Laurea doctorali honestatus et auctus Acerris. Reversus anno 1744 non accessit ad Ecclesiae servitium, monitus licet; quare Canonici more pertaesi et negligentia illius eum expunxerunt et deleverunt ex albo, communi consensu, ore tunc prolato, inde in scriptis ex intervallo redacto. Unus tunc aberat Canonicus Gherardus Tramutolus, Lauriti consanguineus, qui, eum aegre ferens expulsum, impugnavit Collegarum suorum repentinam sententiam, et provocavit ad Episcopum, qui gesta a Capitulo rescidit restituitque in pristinum Michaelem Lauritum. Propositis hinc dubiis: - An deletio Sacerdotis Michaelis Angeli Lauriti ex albo Capituli sustineatur in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An et a quo tempore debeatur participatio, cum insigniis aliisque honoribus consuetis in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Ad primum, Negative, et amplius. Ad secundum, Deberi a die interpellationis - *in Potentina die 15 Februarii 1747.*

64. Reproposito inde secundo dubio, ad Capituli instantiam, sub formula: - An sit standum vel recedendum a decisis in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Dilata - *in Potentina die 18 Martii 1748.*

65. Quin imo in casu, quo quis in Seminario deget ad formam Concilii Romani, etiam distributiones quotidianas percipere debet (2) *in Setina distributionum die 1 Decembris 1731.*

66. Propositis enim dubiis: - I. An Canonico Villalobos per sex menses, quibus iussu Episcopi, et ad praescriptum Concilii Romani permansit in Collegio Patrum Doctrinae Christianae, et in Seminario Signino, debeantur distri-

(1) Praebenda enim constabat summa scutorum 325, nec minor sexaginta scutis quantitas decerni solebat, pro quotidianis distributionibus.

(2) Siquidem Concilium Romanum in tit. 30, cap. 2 haec sanxit - ibi - Omnes ad sacros ordines promovendos per sex saltem menses continuos ante ordinationem in Seminario respective, vel Episcopiis apud Episcopos omnino sacro hoc etiam approbante Concilio, commorari debere decernimus; alias nunc pro tunc ab ordinibus suscipiendis reiectos esse sciant, nec cum eis, nisi prudenti Episcoporum arbitrio dispensandum -.

butiones. II. An ei competat etiam participatio punctaturarum, quae sunt in massa communi -, S. Congregatio respondit: - Distributiones quotidianas deberi - *in Setina distributionum die 1 Decembris 1731.*

67. Secus vero, si in seminario Clericus commoretur, ad se magis instruendum et edocendum, tam circa sacros Ritus, quam materias morales; tunc enim ei fructus, non autem distributiones quotidianae debentur *in Setina distributionum die 1 Decembris 1731* §. *Denique.*

68. Siquidem Ioseph Turchi, subdiaconus et beneficiatus Ecclesiae Collegiatae S. Urbani in Oppido Apiri, petiit indultum, ut quotidianas distributiones percipere posset, quum per sex menses mansurus esset in Seminario Episcopali ad normam memorati Concilii Romani, ut inde ad reliquos sacros ordines promoveretur. Die 18 Maii 1726 rescriptum fuit: *Ad mentem*, quae hunc in modum explicata fuit: - Episcopus referat, an secluso Concilio Romano, ipse putet, Oratorem indigere permanentia in Seminario per sex menses ex causa ignorantiae, vel ex aliqua culpa commissa, et in casu indigentiae novi studii, posset ei vacare extra Seminarium et in Terra Apiri. - Respondit Episcopus his verbis: - Puto, Oratorem indigere aliqua permanentia in Seminario huius Civitatis, non ex causa ignorantiae vel alicuius culpae, sed ad se magis instruendum et edocendum, tam circa Sacros Ritus, quam materias morales-. Die autem 6 Iulii eiusdem anni 1726 relatis per Summarium precibus, prodiit Decretum: - Oratorem pro tempore sex mensium, quibus praemissa de causa permanserit in Seminario, frui debere omnibus fructibus sui beneficii, amissis tamen distributionibus quotidianis - *in Setina Distributionum 1 Decembris 1731* §. *Denique* (1).

69. Immo, etiamsi in Ecclesia vigeat consuetudo non admittendi quemquam ad massae participationem, nisi spatio plurium annorum gratis inservierit, tempus in studiis impensum extra locum residentiae computandum esse videtur *in Matheranen. participationis die 9 Iulii 1735* §. *Alterum.*

70. Praesertim, si id mos Ecclesiae ferat *in Matheranen. participationis die 9 Iulii 1735* §. *Alterum.*

71. Nam eadem ad hunc effectum esse debet ratio de Ecclesiis receptitiis ac de Cathedralibus, vel Collegiatis, quorum Canonici pro inservientibus habentur, dum sacras Literas docent vel addiscunt *in Nullius Canusii Participationis die 25 Iunii 1763* §. *Praeterea.*

72. Quod procedit omnino, non obstante aliqua contraria consuetudine *in Nullius Canusii Participationis die 25 Iunii 1763* §. *Praeterea* (2).

73. Idcirco in Ecclesiis etiam receptitiis, tempus morae in Seminario, pro Sacris Literis addiscendis, computandum esse videtur in praestitutis annis servitii *in Nullius Canusii participationis die 25 Iunii 1763* §. *Praeterea*(3).

74. Illarumque participantes frui possunt indulto abessendi causa studii in *Nullius Canusii Participationis die 25 Iunii 1763* §. *Praeterea* (4).

75. Et ad hunc effectum sufficit licentia Ordinarii *in Nullius Canusii die 25 Iunii 1763* §. *Praeterea* (5).

76. Ceterum in servitii tempus haud supputari videtur longam absentiae moram ex causa studiorum, quia ista suffragetur quidem Canonicis aliisve Beneficiariis ad eum finem, ut integre percipiant fructus suarum praebendarum, quemadmodum rescripsit Honorius III in cap. *Super specula* de magistris, suoque Decreto confirmarunt Tridentini Patres in cap. I sess. 5 de reform., nullibi vero cautum sit, hanc eamdem absentiae causam prodesse vel Clericis aliis non beneficiariis, vel diversum ob finem nanciscendi iura et locum participantis Presbiteri *in Ostunen. Admissionis ad participationem die 18 Maii 1743* §. *Propugnat.*

77. Insuper, tempus in studiis impensum extra locum residentiae computandum non esse videtur in diminutionem servitii Ecclesiae praestandi, nisi afferatur privilegium Laureae Docto-

(1) Iamvero in themate causa praecipua erat, ut praefatus Iosephus se magis instrueret, non vero iussus Episcopi, ad normam Concilii Romani.

(2) Cap. fin. de magistr.; et innuit Concil. Trid. in cap. 1, in fin. sess. 5, de reform.

(3) S. Congreg. apud Garziam in cap. 5, n. 168, part. 11, de benef.

(4) S. Congreg. in Aquinaten. participationis 14 Iunii 1704, lib. 54 decretorum. pag. 204.

(5) Arg. ex Text. in Cap. Relatum 4, de cleric. non residen.; et in Cap. Cum ex eo, de elect. in 6; tradit Card. Petra ad Constit. 9 Bonifacii VIII, n. 13, et ad Constit. 10, n. 7 et 9, tom. 3.

ralis, servatis servandis, obtentum a publica Universitate *in Matheranen. Participationis die 9 Iulii 1735* §. *Hac freti.*

78. Cuius enim tantum doctoratum vel licentiaturas Sacra Congregatio, inhaerens menti Tridentinorum Patrum in cap. 18 sess. 23 et cap. 8 et 18 sess. 24, et Constitutioni S. Pii V 60 in Bullar. Roman. tom. 2, nec non Decreto alias edito die 22 Iulii 1673 pro muneribus Ecclesiasticis, attendendas esse declaravit, in suis Encyclicis Literis ad locorum Ordinarios datis sub diem 28 Septembris 1726 *in Matheranen. Participationis die 9 Iulii 1735* §. *Hac freti.*

79. Verum S. Congregatio propositis dubiis: - I. An asserta consuetudo Ecclesiae Metropolitanae Matheranensis, quod Clerici adscripti in ea teneantur inservire per annos quatuordecim, distributos iuxta Ordines, quos assequuntur, antequam admittantur ad participationem, sit servanda. *Et quatenus affirmative.* II. An favore Canonici Vincentii Duni sit computandum quinquennium, quo praetensam operam dedit studiis in civitate Neapolis et in Urbe, ubi lauream Doctoralem a Delegato Collegii Prothonotariorum Urbis obtinuit-, respondit: - Ad primum, Affirmative, praeterquamquod servitium praestandum ab absentibus causa infirmitatis, et quoad onus celebrandi Missas gratis in ultimo biennio. Ad secundum, Affirmative, dummodo reportet lauream Doctoralem, iuxta consuetudinem - *in Matheranen. Participationis die 24 Septembris 1735.*

80. Immo reproposita causa sub formula: - An et in quibus sit standum vel recedendum a decisis in casu etc. -, responsum dedit: - In decisis omnibus, dempta conditione reportandi novam lauream doctoralem - *in Matheranen. Participationis die 14 Decembris 1737.*

81. Certum vero est, tempus in studiis impensum non esse computandum, cum Statuta capitularia rite probata expresse repugnent *in Ostunen. Admissionis ad participationem die 18 Maii 1743* §. *Sed et illud.*

Item *in Nullius Canusii Participationis die 17 Decembris 1763* §. *Hinc.*

82. Nam, dum Constitutiones praescribunt servitium praestandum, iniuria contra eas contenditur *in Nullius Canusii die 17 Decembris 1763* §. *Hinc.*

83. Hinc nihil proficit absentia causa studiorum ex sanctione Tridentina iis, qui in maioribus ordinibus constituti sunt *in Nullius Canusii die 17 Decembris 1763* §. *Hinc.*

84. Maxime pro distributionibus et emolumentis, quae debentur ratione praesentiae ac servitii, quod actu ipso praestatur, alias plura venirent incommoda atque absurda *in Nullius Canusii die 17 decembris 1763* §. *Hinc.*

85. Quod contingere potest ex natura obventionum massae communis, quae non praebentur, nisi vere ac phisice praesentibus ac interessentibus *in Ostunen. Admissionis ad participationem die 18 Maii 1743* §. *Sed.*

86. Omnes enim certo tempore extra Patriam degerent, si ad eadem emolumenta habenda admitterentur, quibus potiri possunt ii, qui praesentes sunt atque in Ecclesia laborant, quae idcirco necessario servitio careret *in Nullius Canusii die 17 Decembris 1763* §. *Hinc.*

87. Idcirco, cum ex Constitutionibus capitularibus praescribatur servitium quoddam, exempli gratia triennalis famulatus, antequam ad participationem quis admittatur, tempus in studiis impensum computari nequit, sed integre personaliter explendum *in Ostunen. Admissionis ad participationem die 18 Maii 1743* §. *Sed.*

88. Item, si ex Statutis requiratur servitium Subdiaconatus, et Diaconatus *in Nullius Canusii die 17 Decembris 1763 ad I dubium.*

89. Quod procedit non modo, si id Statuta capitularia rite probata praescribant, verum etiam, si lex Synodalis statuit, ut omnes Diaconi, et Subdiaconi per seipsos, non autem per substitutos, excepta causa legitima, sua ecclesiastica munia obire et Sacerdoti celebranti ministerium praestare teneantur, nec ab iis excusentur, praetextu cuiuscumque praerogativae *in Ostunen. Admissionis ad participationem die 18 Maii 1743* §. *Sed.*

90. Hinc locum habet regula, nihil iuvare fictam praesentiam, qualem studiorum aliave legitima praesefert absentiae causa, quando verum ac personale Clerici ministerium requiritur *in Ostunen. Admissionis ad participationem die 18 Maii 1743* §. *Sed* (1).

91. Quamobrem post reditum in Ecclesiam, tenetur ad ea servitia, quae alii praestant, et

(1) Pluribus adductis S. Congregationis resolutionibus, probat Card. Petra in comment. ad Constit. X Bonifacii VIII n. 190 et seqq. tom. 3.

quae absens studiorum causa non praestitit *in Nullius Canusii die 17 Decembris 1763* §. *De secunda.*

92. Illudque sane agnovit Sacra Congregatio, dum rescripsit, admittendum quidem absentem studiorum causa post reditum ad participationem, sed ita tamen, ut teneatur praestare servitium in Officio Diaconi et Subdiaconi usque ad implementum servitii praescripti *in Nullius Canusii die 17 Decembris 1763* §. *De secunda.*

93. Siquidem propositis dubiis: - I. An assertus defectus servitii triennalis obstiterit et obstet pro admissione Dominici Alfarano ad participationem in casu etc. *Et quatenus Affirmative.* II. An et per quantum tempus teneatur prosequi servitium? *Et quatenus Negative.* III. An et a quo tempore eidem Dominico debeantur integra emolumenta participationis in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Dominicum Alfarano esse admittendum ad participationem a die praesentis resolutionis; ita tamen, ut teneatur praestare servitium in officium Diaconi et Subdiaconi usque ad complementum triennii - *in Ostunen. Admissionis ad participationem die 18 Maii 1743.*

94. Id pariter S. Congregatio subinde sanxit in casu, quo Statuta huiusmodi servitium praescribebant; proposito enim dubio: - I. An Ecclesiasticis Ordinandis, et in aliquo Seminario Ecclesiastico, aut in publica aliqua Universitate degentibus, bonificari debeat servitium Subdiaconatus et Diaconatus, perinde ac si essent praesentes, et inservirent Ecclesiae receptitiae S. Sabini -, S. Congregatio respondit: - Ad primum, Negative, et amplius - *in Nullius Canusii die 17 Decembris 1763.*

95. Hinc Ianuarius Cominelli, adscriptus sub annum 1734 servitio receptitiae Ecclesiae SS. Trinitatis Civitatis Potentiae, ex cuius Statuto ac veteri consuetudine nullus Presbiter ad integram participationem massae communis, nisi postquam per novennium eidem Ecclesiae inservierit, ac impetrata prius tam Episcopi quam Capitularium licentia, admittitur, quum Neapolim se contulisset anno 1735, ibique iuxta plures, quas ipse profert, attestationes, Theologiae morali et dogmaticae, nec non utrique addiscendo iuri dedisset operam, studio quoque Cantus Gregoriani incumbens, tandem anno 1739 obtinuit ab Archipresbitero et Capitularibus, in Sacrario dictae Ecclesiae congregatis, ad fructuum participationem, perinde ac si praesens fuissent, admitti.

96. Capitulares reapse, nemine discrepante, petitioni praefati Cominelli, ob causam studiorum atque servitium Episcopo praestitum, annuerunt. Verum, quia nonnulli ex Capitularibus postmodum obstiterunt, ne dicto Sacerdoti Cominelli fructus petiti traderentur, tum ex eo, quod enunciata Capituli resolutio nullitate laboret, veluti edita sub illos dies, quibus Capitularia comitia haberi non solent, tum quia frivolo inanique subnixa legatur titulo, nimirum servitio extra Diaecesim Episcopo praestito, tum demum quia ipsamet postulatae admissionis gratia evanuerit, ob reditum in Patriam a Sacerdote Cominelli, ultra praefinitum sibi tempus protractum, idem Sacerdos supremum adiit Consessum, demisse postulans, iuberi Capitulo, ut sibi portionis suae fructus tradentur.

97. Propositis vero dubiis: - I. An asserta admissio Sacerdotis Ianuarii Cominelli ad locum participationis vigore resolutionis Capitularis, factae de mense Augusto 1739 una cum subsecuta possessione capta sub diem 3 Februarii 1740 sustineatur. *Et quatenus affirmative.* II. An et a qua die et in qua summa debeantur fructus et distributiones in casu etc. -, S. Congregatio respondit: Ad primum, Negative. Ad secundum, Provisum in primo - *in Potentina Admissionis ad participationem die 2 Decembris 1741.*

98. Repropositis subinde dubiis sub formula: - An sit standum vel recedendum a decisis in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - In decisis, et amplius - *in Potentina Admissionis ad participationem die 5 Maii 1742.*

99. Propterea, ad formam Constitutionum, servitia explere iidem Ecclesiastici, post sacerdotium regressi ad Ecclesiam, ad effectum participandi, tenentur *in Nullius Canusii die 17 Decembris 1763.*

100. Proposito enim dubio: - II. An et quae servitia ad effectum participandi teneantur explere iidem Ecclesiastici, post sacerdotium regressi ad Ecclesiam Canusinam -, S. Congregatio respondit: - Ad secundum, Ad formam Constitutionum, et amplius - *in Nullius Canusii die 17 Decembris 1763.*

101. Licet vero supplere debeant vices Subdiaconi et Diaconi in ministerio altaris, ut

etiam tenentur reliqui Presbiteri participantes, non videntur tamen fraudandi esse integra participatione presbiterali, post annos carentiae consumptos in studiis literarum, ut censuit Sacra Congregatio in praefata Ostunen. admissionis ad participationem 18 Maii 1743 *in Nullius Canusii die 25 Iunii 1763* §. *Et quatenus.*

102. Hinc proposito dubio: - III. An Iosepho Senese, Michaeli Rossi, et Nicolao Morra bonificari debeat servitium post reditum ad eamdem Ecclesiam Canusinam -, S. Congregatio respondit: - Affirmative, a die praesentationis Decreti provisionalis, et amplius - *in Nullius Canusii die 17 Decembris 1763.*

103. Eoque magis in servitium Diaconatus et Subdiaconatus computandum esse videtur tempus effluxum post eorum reditum, si ipsi opportune institerint in Capitulo pro admissione ad servitium, licet eos illiberaliter Capitulares reiecerint *in Ostunen. Admissionis ad participationem die 18 Maii 1743* §. *Quod autem.*

Item *in Nullius Canusii die 25 Iunii 1763* §. *Et quatenus.*

104. A die propterea reiectionis perinde habendi esse videntur ac si inserviissent, etiam ad effectum lucrandi participationem, ut definivit Sacra Congregatio *in Nullius Canusii die 25 Iunii 1763* §. *Et quatenus.*

105. Propositis enim dubiis: - I. An Sacerdos Thomas Mancini sit admittendus ad consortium et participationem Ecclesiae Parochialis et Receptitiae sancti Bartholomaei Terrae Cassani in casu etc. *Et quatenus Affirmative.* II. An et a quo tempore eidem debeantur distributiones, aliaque emolumenta dictae Ecclesiae in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Deberi a die reiectionis - *in Nuscana Admissionis ad consortium die 17 Novembris 1753.*

106. Iniusta enim reiectio seu Cleri contradictio obventionum iacturam inferre nequit, quemadmodum nec obest iniustum quodvis impedimentum lucrandis, tum fructibus praebendarum, tum etiam quotidianis distributionibus *in Ostunen. Admissionis ad participationem die 18 Maii 1743* §. *Quod autem* (1).

107. Quamvis vero Canonicis titularibus non denegetur indultum ex causa studiorum, ad formam Cap. *Super specula* de magistris, attamen hoc idem indultum denegatur Coadiutoribus *in Romana Iubilationis die 9 Februarii 1822* §. *Hinc.*

108. Ne scilicet fraudetur mens Pontificis, qui, Coadiutoriam concedens, primario ac principaliter ad Ecclesiae servitium respexit *in Romana Iubilationis die 9 Februarii 1822* §. *Hinc.*

109. Semper enim in quaestionibus, hac de re excitatis, prae oculis habitum est, finem ac mentem Summi Pontificis in concedendo Coadiutore eam fuisse, ut suppleretur Ecclesiae servitium, quod Coadiutus ei amplius praestare non poterat *in Romana Iubilationis die 9 Februarii 1822* §. *Semper.*

110. Idcirco, quamvis amplissimis clausulis Coadiutori concedatur, ut sui Coadiuti personam repraesentet, iisdemque fruatur iuribus et privilegiis, haec ita tamen semper intelligenda sunt, dummodo Ecclesia suo servitio non fraudetur *in Romana Iubilationis die 9 Februarii 1822* §. *Semper.*

111. Unde hanc doctrinam pluries firmavit Sacra Congregatio *in Romana Iubilationis die 9 Februarii 1822* §. *Hinc.*

112. Enimvero facultas, ab ecclesiasticis sanctionibus circa id tributa in Cap. Tuae, de cleric. non residen.; in Cap. *Licet,* de praeben., collata est in Canonicos et Praebendarios *in Tarentina Indulti die 28 Martii 1733* §. *Peculiari.*

Item *in Romana Iubilationis die 9 Februarii 1822* §. *Hanc.*

113. Talis vero proprie dici non potest Coadiutor, qui, superstite Coadiuto, titulum non acquisivit, nec est vere Canonicus aut Praebendarius *in Tarentina Indulti die 28 Martii 1733* §. *Peculiari.*

Item *in Romana Iubilationis die 9 Februarii 1822* §. *Hanc.*

114. Quin immo, si Coadiutor istiusmodi indulto potiri posset, frustraretur finis Coadiutoriae *in Tarentina Indulti die 28 Martii 1733* §. *Peculiari.*

Item *in Romana Iubilationis die 9 Februarii 1822* §. *Hanc.*

115. Nam, haec ideo admittitur, ut servitium,

(1) Gonzal. ad regul. 8 cancell. §. 7, Proem. n. 106; Barbos. de Can. c. 24, n. 14; Monet. de distribution. part. 1, quaest. 6, n. 17.

quod praestare nequit Canonicus, reipsa obeat alter, in Coadiutorem datus, cui simul assignatur remuneratio, per ius certum succedendi deinde in ipsum Canonicatum *in Tarentina Indulti die 28 Martii 1733* §. *Peculiari.*

116. Concesso proinde indulto sequeretur, mercedem quidem servitii ab Ecclesia persolvi, neque tamen eam Ministri opera frui *in Tarentina indulti die 28 Martii 1733* §. *Peculiari.*

117. Itemque sequeretur, Coadiutorem assequi praemium successionis, sine merito et labore servitii *in Tarentina Indulti die 28 Martii 1733* §. *Peculiari.*

118. Amplia, etiamsi Coadiutor, qui indultum petat, consensum Coadiuti in promptu habeat, offerente etiam eodem Coadiuto seipsum interea divinis officiis interfuturum *in Tarentina Indulti die 28 Martii 1733* §. *Peculiari.*

119. Nam oblatio, a Canonico coadiuto facta, inserviendi per semetipsum, repugnat causae eiusdem Coadiutoriae, utpote concessae, quia ingravescens aetas minus aptum reddiderat Canonicum ad servitii onus subeundum per seipsum *in Tarentina Indulti die 28 Martii 1733* §. *Peculiari.*

120. Itaque Sacra Congregatio, *in Praten. indulti die 2 Martii 1697 lib. 47 decretorum pag. 82,* petitum indultum censuit negandum, rescripsitque: - *Oratorem uti posse iure suo* -; scilicet, quia, si Canonicus Coadiutus, ut aiebat, poterat, et volebat interim divinis adesse officiis, licebat Coadiutori sine indulto abesse *in Tarentina Indulti die 28 Martii 1733* §. *Peculiari.*

121. Decretum hoc firmavit regulam, quae semper deinceps servata fuit, reiiciendo preces Coadiutorum, postulantium indultum pro absentia, ob studiorum causam *in Tarentina Indulti die 28 Martii 1733* §. *Decretum.*

Item *in Romana Iubilationis die 9 Februarii 1822* §. *Hanc.*

122. Quamobrem, si detur Coadiutor Canonico vel Beneficiato, qui quovis ministerio sint occupati, ex quo nunquam praesentes haberentur in choro, non idcirco liberaretur Coadiutor a praestando servitio *in Romana Iubilationis die 9 Februarii 1822* §. *Semper* (1).

123. Hic enim, non obstante exemptione Coadiuti, vel ob ministerium, vel ob iubilationem, inservire tenetur; quia, in hoc servitio Ecclesiae praestando, natura et legitimus Coadiutoriae titulus assistit *in Romana Iubilationis die 9 Februarii 1822* §. *Semper* (2).

124. Unde Coadiutoribus nec etiam dari a Sacra Congregatione consuevit indultum, quod ratione alicuius muneris in Romana Curia concedi alioquin solet Canonicis, pro diebus et horis, quibus impediti ob huiusmodi officium fuerint *in Tarentina Indulti die 28 Martii 1733* §. *Quin immo.*

Item *in Dubia Indultorum die 6 Maii 1820* §. *Tandem.*

125. Amplia, etiamsi Canonicus Coadiutus, iam ante coadiutoriam, obtinuerat indultum iubilationis; ac proinde, si permittatur Coadiutori abesse, ut studiis det operam, non fraudari Ecclesia servitio videatur, quod alioquin sibi debitum esset a Coadiuto, cum hic iam fuisset exemptus ab eius praestandi onere *in Tarentina Indulti die 22 Martii 1733* §. *Sed.*

126. Nam, quamvis Coadiutoria concessa fuerit post indultum iubilationis, id habere videtur pro scopo, ut divino cultui prospiciatur subrogando alterum, qui Ecclesiae serviat in locum Canonici, qui, propter indultum iubilationis, servire non tenetur, et verisimiliter nec etiam potest *in Tarentina Indulti die 28 Martii 1733* §. *Sed.*

127. Quamobrem deduci inde fortasse posset, casum praesentem in ratione decidendi, parum aut nihil differre ab alio casu, in quo agatur de Coadiutore Canonici, non habentis indultum iubilationis, sed tamen ob senectutem non valentis per seipsum inservire Ecclesiae *in Tarentina Indulti die 28 Martii 1733* §. *Sed.*

128. Praesertim, si Coadiutor ideo coadiutoriam impetraverit, quia ab initio reticuit, Canonicum coadiutum potiri indulto iubilationis *in Tarentina Indulti die 28 Martii 1733* §. *Sed.*

129. Propterea hoc in casu, proposito dubio: - An petitum indultum pro absentia, ob studiorum causam, sit concedendum in casu etc. -, S. Congregatio responsum tulit: - Negative, et amplius, ad mentem - *in Tarentina Indulti die 28 Martii 1733* (3).

(1) S. Rituum Congreg. in Elboren. 15 Aprilis 1606, ad II dubium.

(2) Rot. in Tirasonen. coadiut. 8 Novembris 1599 coram. Penia, relat. post. Garaz., de benef. part. 4, cap. 5, num. 128.

(3) Benedictus XIV Instit. Can. 107, n. 72 haec habet, quoad hanc resolutionem - ibi - Haec tamen privilegia Coad-

130. Hinc S. Congregatio generaliter proposito dubio: - VII. An et quomodo sit concedendum indultum Coadiutoribus, sive ratione munerum, sive causa studiorum -, S. Congregatio respondit: - Ad septimum, Negative in omnibus - *in Dubia Indultorum die 6 Maii 1820.*

131. Post haec, praetereundum non est, iure ipso communi cautum esse, absentiam studiorum causa, ut legitimam excusationem Beneficiariis praebeat, si non summi Pontificis, Episcopi saltem licentia cohonestari debere *in Melevitana Indulti die 29 Septembris 1743* §. *Iure* (1).

132. Namque praedicta studiorum causa, tametsi rationabilis, urgens, et iusta, iuvare non potest Canonico absenti, nisi interveniat licentia Episcopi, cum indulto Sedis Apostolicae, eidem Episcopo exhibito *in Nepesina die 2 Decembris 1775* §. *Addit* (2).

133. Iam vero proposito generaliter dubio: - IX. An et quomodo sit providendum in futurum -, S. Congregatio responsum dedit: - Ad nonum, Ad D. Secretarium cum Sanctissimo, iuxta mentem: mens est, Indulta adhuc concessa esse confirmanda, sive reformanda, sive revocanda, ad formam praecedentium Resolutionum, et supplicandum Sanctissimo, ut in posterum non concedantur, nisi per sacram Congregationem Concilii sub poena nullitatis, utque ea indulta non valeant, nisi obtento Decreto exequutoriali Ordinarii, vel legitimi Superioris - *in Dubia Indultorum die 6 Maii 1820.*

134. Hinc Archipresbiter Cathedralis Feretranae accitus a proprio Episcopo in Seminario Dioecesano, ut Theologiam doceret; indultum absentiae postulavit. Capitulum instantiae repugnavit, propterea quod chori servitium ex hoc indulto detrimentum caperet. Nam Capitulum constabat ex quindecim inservientibus, nempe ex tribus Dignitatibus, Praeposito, Archipresbitero, et Archidiacono, qui diebus festis tantum servitium praestabat. Erant et duodecim Canonici, quorum alter iubilationis indulto fruebatur, alter infirmus lecto decumbebat. Quatuor Chorales ex Constitutionibus per turnum in hebdomada vacatione fruebantur. Quo fiebat, ut, ex quindecim Choralibus, octo tantum servitium praestarent. De his Poenitentiarius erat impeditus in confessionibus excipiendis, duo Parochi in cura animarum, duo tandem Camerarii plerumque choro deficiebant, negociis Capituli distracti, ita ut vix tres choro inservire possent. Quatuor praeterea erant Mansionarii, quorum unus vacabat, nec erat, qui optaret, attenta tenuitate stipendii; alter solis diebus festis choro intererat: duo reliqui inserviebant per alternas hebdomadas.

135. Episcopus in sua informatione affirmavit, Archipresbiterum Caliendi unicum esse in tota Dioecesi, qui dogmaticam Theologiam docere posset, cum Archidiaconus, qui aeque ad hoc munus esset idoneus, suam impendebat operam in erudiendis Alumnis in facultate Moralis et Rethorica. Ea is inde satis refellit, quae Canonici de detrimento servitii chori opponebant, concludens: - Ceterum, cum summopere mihi cordi esse debeat divinorum officiorum in hac Cathedrali celebratio, aeque ac Iuvenum in Theologicis disciplinis institutio; ideo mediam viam iniens, ut necessitati deserviam, Oratoris precibus indulgeri posse existimarem, pro solis tamen horis matutinis et pro iis diebus dumtaxat, quibus dogmaticae Theologiae lectio habeatur, quolibet alio anni tempore et exemptionis beneficio prorsus excluso. Item, sine praeiudicio quorumcumque, qui ad iubilationem proximum ius haberent, et ea lege insuper, ut iis in casibus, in quibus, ob peculiares circumstantias, Archipresbiteri praesentia necessaria foret, ipse a Vicario Capituli monitus choro interesse teneatur.

iutoribus denegantur, uti sapienter expendit S. Congregationis Secretarius in causa Tarentina indulti, cuius examen habitum fuit die 28 Martii 1733, nam prius exposuit sententiam doctissimi Viri, qui ipsius locum ante tenuerat, et qui Patres Congregationis monuit, cum indultum causa studiorum peteretur a Coadiutore huiusmodi, indultum a iure Pontificio Canonicis permitti, Coadiutorem vero inter Canonicos minime recenseri: si Coadiutores huius quoque privilegii participes fiant causam nullam superesse, cur instituantur Coadiutores, cum ob hanc solum rationem ipsi debeant eligi, ut nempe loco Canonici Coadiuti divinis officiis celebrandis intersint. Postquam haec Secretarius, uti dictum est sapienter expendit, statim commemorat, indultum causa studii, quod poscebatur, concessum minime fuisse, et quod Decretum hoc firmavit regulam, quae semper servata fuit, reiiciendi concessionem indulti, pro absentia ob studiorum causam -.

(1) Card. Petra in Commentar. ad Constit. 10 Bonifacii VIII, n. 7 et seqq. tom. 3.

(2) Fagnan. in Cap. Cum ad hoc, de Cleric. non residen. fere per tot; Scarfanton. ad Ceccoper. Lib. 2, tit. 11, n. 30.

136. Itaque proposito dubio: - An et quomodo Archipresbitero Caliendi sit concedendum indultum in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Affirmative, iuxta votum Episcopi, ad triennium tantum a die suscepti muneris, amissis distributionibus quotidianis inter praesentes tantum - *in Feretrana Indulti die 12 Iulii 1817.*

137. Saepe saepius S. Congregatio etiam prorogationes indulti abessendi, causa studiorum, concessit. Ceteris enim missis, in Collegiata Ecclesia Terrae Tophiae Nullius Farfensis provisus fuit Canonicatu Clericus Callixtus Ranfi ex dicta Terra. Is studiorum causa se contulit ad Seminarium S. Salvatoris Maioris eiusdem Abbatiae, praevio tamen abessendi indulto causa studiorum, ad biennium valituro, amissis distributionibus quotidianis, ab S. Congregatione obtento, quod sub die 29 Novembris 1777 fuit ad aliud biennium prorogatum. Proposito hinc dubio: - II. An sit locus prorogationi Indulti in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Ad secundum, Affirmative, ad aliud biennium, ad formam praecedentis Indulti - *in Nullius Farfen. Punctaturarum die 5 Augusti 1780.*

138. Prorogationes huiusmodi denegantur vero, si Capitulum et Episcopus rationabiliter, ob gravem imminutionem choralis servitii, adversentur *in Urbanien. Exemptionis die 19 Septembris 1772.*

139. Siquidem, Capitulum Cathedralis Ecclesiae Urbaniae quatuor constabat dignitatibus et novem Canonicis, quorum postremus recentioris institutionis in solemnioribus tantum anni festivitatibus choro inservire tenebatur, reliqui vero consueta interessentiae lege erant obstricti. Habebat praeterea sex Mansionarios, quorum unus festis solum diebus, alter quotidiano servitio adigebatur, alii autem exercitio curae animarum detinebantur. Patebat autem ex Episcopi relatione, quinque ex Canonicis Iubilationis indultum obtinuisse, alterum ex incurabili apoplessiae morbo in lecto decumbere, alium vero quadragenarium servitium brevi esse emensurum, ac denique Archipresbiterum, qui tertia dignitas est, facultatem abessendi studiorum causa a S. Congregatione reportasse.

140. Primiceriatum, quartam eiusdem Capituli dignitatem, de iurepatronatus Familiae Zucchi, assequus erat anno 1764. Clericus ex ea familia, Franciscus Zucchi, in ordine subdiaconatus inde constitutus. Is, eo tempore, quum annum aetatis suae decimum quintum vix complevisset, indultum exemptionis a choro, ut studiis incumberet, obtinuit ad triennium, quod postea ad biennium, deinde ad annum, ac demum ad alium annum fuerat prorogatum, quintam indulti prorogationem efflagitavit. Episcopus tamen licet indulti concessioni, nec non primis prorogationibus consenserit, dissentiit a postrema ulteriori, quae petebatur, prorogatione, eique socium in hac contradictione se addidit Capitulum.

141. Quare proposito dubio: - An sit concedendum indultum abessendi, causa studiorum in casu etc., - S. Congregatio respondit: - Negative - *in Urbanien. Exemptionis die 21 Novembris 1772.*

142. Ideireo quintam prorogationem denegavit S. Congregatio, etiamsi praefatus primicerius Zucchi asseruisset, aetatem nondum complevisse annorum vigintique, ac necessitate compelli incepta Theologiae studia prosequi atque explere: ac testimonium Episcopi Feretrani exhibuisset, in cuius Seminario morabatur, qui de optimis eius moribus, de exemplari conversatione, ac de progressu in studiis deponebat, ad eaque compensanda affirmabat, aliquot annos adhuc esse necessarios -, ut in S. facultate perfectus evaderet, prout ex eius ingenio et optima voluntate pollicebatur, ad Dei gloriam et Cathedralis Ecclesiae Urbaniae ornamentum et decus, quod difficilius assequi poterat, si in eius aetate adhuc tenera e Parentum eius oculis ac solerti vigilantia ab Civitate illa alio tunc obligaretur commigrare - *in Urbanien. Exemptionis die 19 Septembris 1772* §. *Ut hanc.*

143. Namque et tunc Urbaniae non unus vel alter, sed plures quidem erant, qui cura melius, quam in sua patria, tum in literis, tum in scientiis instruere valerent *in Urbanien. Exemptionis die 19 Septembris 1772* §. *Episcopus.*

144. Ex eo etiam, quod Episcopus, si opus fuerit, potest Iubilatos ad servitium Ecclesiae revocare *in Urbanien. Exemptionis die 19 Septembris 1772* §. *Quod autem.* (1)

(1) Gregorius IX sic respondit Patriarchae Antiocheno in Cap. Cum ad hoc, de Cleric. non residentibus - ibi - Sane nobis innotuit, quod Ecclesia Antiochena, multis ex Servitoribus eius absentibus, est fere destituta Ministris;

145 Siquidem proposito dubio: - An, non obstante indulto iubilationis, Iubilatus cogi possit ad inserviendum, si divinus cultus detrimentum patiatur -, S. Congregatio die 17 Decembris 1718 respondit: - Affirmative - *in Urbanien. Exemptionis die 19 Septembris 1772* §. *Quod autem.*

146. Unde id pro regula statuit Benedictus XIV (1), cum ait: - Hoc tamen iubilationum exempla tantisper imminuit, quod, licet Iubilatus huiusmodi neque choro interesse, neque in loco residere teneatur, potest nihilominus ad Ecclesiae servitium rursus ab Episcopo revocari, si propter illius absentiam divini cultus ratio detrimentum aliquod subire videatur - *in Urbanien. Exemptionis die 19 Septembris 1772* §. *Quod.*

147. Quin imo, nec indultum abessendi causa studiorum conceditur, si res sit de grammaticalibus institutionibus, quas Canonicus discere commode valet in loco Beneficii; ubi domum habet apertam, et doctissimi sunt Ludimagistri *in Nepesina die 2 Decembris 1775* §. *Contenditque.*

148. Tum enim debita interessentia Ecclesiam Canonicus defraudare non debet, si ea Canonicorum indiget servitio, sine quo, summa confusione, sacra peraguntur *in Nepesina die 2 Decembris 1775* §. *Contenditque.*

149. Praesertim, cum Capitulum iuratorum Testium depositione probaverit, praefatum Canonicum in Sacrario Ecclesiae pluries animi sui sensus pandidisse, quod sibi invisus erat canonicatus, et ad se nihil pertinebat, quod inter Canonicos Ecclesiae cooptatus fuisset, eiusque fratrem declaravisse, quod Canonicus frater eidem obtulerat sui Canonicatus renunciationem, quam ipse reiecerat, - *perchè non volea esser soggetto a questa seccatura* - *in Nepesina die 2 Decembris 1775* §. *Itemque.*

150. Propterea proposito dubio: - II. An quoad futurum sit concedendum indultum exemptionis in casu etc. -, S. Congregatio responsum dedit: - Ad secundum, Negative, et amplius - *in Nepesina die 20 Ianuarii 1776.*

151. Praeterea iam inde ab anno 1538 auctoritate intercedente S. M. Pauli III erecta competitur Academia sive Universitas Beacen. sub auspiciis Ven. Magistri Ioannis De Avila, quae, licet pinguibus fuisset instructa reditibus, nihilominus temporum iniuria imminutis proventibus, subinde a pristino decore non parum concidit, adeo ut vix reperirentur Magistri, qui tam exiguo stipendio cathedras moderari vellent. Restituendi ita causa eiusmodi Universitatem hinc expositae fuerunt supplices preces summo Pontifici, ad S. Congregationem remissae, quatenus benigne indulgere dignaretur, quod Rector, Lectores omnes, Doctores, Magistri, Licentiati, Baccalaurei, et Studentes, seu Seculares in memorata Academia pro tempore docentes, et respective addiscentes, licite percipere possent omnes fructus suorum beneficiorum ecclesiasticorum cum cura et sine cura in quibuslibet Ecclesiis, etiamsi canonicatus, et praebendae, dignitates, personatus, et officia, in Cathedralibus etiam Metropolitanis, post Pontificales maiores, aut in Collegiatis Ecclesiis, principales, sive conventuales fuerint, perinde ac si personaliter residerent et inservirent praefatis Ecclesiis, ad quarum residentiam et servitium per Ordinarios et Capitula cogi nequeant, idque privilegium expetiebatur, ad instar alterius ab Eugenio IV concessi Academiae Salmaticensi, cui Universitas illa aggregata asserebatur.

152. Remissis precibus pro consueta informatione Ordinario, Sede Episcopali vacante, idem ipse suas pariter adiecit, pro gratia impetranda, summis laudibus Universitatem illam extollens, tam circa Iuventutis educationem in bonis artibus, quam circa morum correctionem, qua plures Viri sanctitate et scientia conspicui prodierunt, sicque celebris ipsa Accademia in Lusitaniae Regno praedicaretur, notulam stipendiorum, quae Lectoribus tribuebantur auctoritate Secretarii confectam Relator transmisit, ut de eorum tenuitate legitime constaret.

153. Proposito vero dubio: - An et quomodo huiusmodi precibus sit indulgendum in casu etc.-, S. Congregatio die 17 Novembris 1714 distulit propositionem, dein responsum dedit: - Negative, et amplius - *in Giennen. seu Beacen. Indulti die 1 Decembris 1714.*

unde mandamus, quatenus non obstantibus Apostolicis indulgentiis et Praedecessorum tuorum licentia absentes Canonicos et Assistos revoces ad residendum in Ecclesia supradicta.

(1) De Synod. Diaec. lib. 13, Cap. 9, n. 15 in fin.

§. I.

ABSOLUTIO SEU CONDONATIO AB OMISSA SATISFACTIONE ONERUM AUT LEGATORUM IN GENERE

1. Ea est Sacrae Congregationis aequissima praxis et indulgentia, ut absolutionem et condonationem super praeteritis omissionibus onerum denegare non soleat *in Burgi S. Sepulchri Absolutionis et Reductionis seu commutationis legatorum et affrancationis die 28 Novembris 1857* §. *Quod attinet.*

2. Illud tamen prae oculis semper habendum, quod iustae et legitimae concurrant causae condonationis *in Burgi S. Sepulchri Absolutionis et Reductionis seu commutationis legatorum et affrancationis die 28 Novembris 1857* §. *Quod attinet.*

3. Tenuitas redituum viam sternit absolutioni a preteritis onerum omissionibus *in Nursina Onerum die 18 Augusti 1827* §. *Verumtamen.*

4. Immo redituum imminutio et bona fides, pro legitimis causae habitae fuerunt, ad huiusmodi absolutiones concedendas *in Triventina Reductionis Onerum et Absolutionis die 3 Aprilis 1841* §. *Hisce.*

5. Quum itaque hac rationabili causa, et sine fraude, quaedam legata Heredes non satisfecerint, digni videntur petita absolutione *in Nazzarien. Reductionis et Absolutionis die 14 Decembris 1822* §. *Ex his.*

6. Siquidem, cum dispositio Petri Guala, qui in favorem puellarum aut in alia pia opera arbitrio Heredum quamdam pecuniae summam reliquit, considerata Heredum paupertate, adimpleri non potuisset nec posset, S. Congregatio petitam absolutionem, quoad praeteritum indulsit *in Casalen. Commutationis voluntatis die 7 Decembris 1697.*

7. Propter summam indigentiam Archiconfraternitatis S. Hieronymi Charitatis Urbis scutorum 92201 debito gravatae contigit, ut effectus et reditus, a piis benefactoribus relicti, erogati olim fuerint et annuatim erogentur in aliis operibus, quam ab eisdem benefactoribus praescriptis. Hinc ex eo etiam, quod excessus et defectus rationes minime, ex temporum vetustate ac rerum involucro, purgari possent, S. Congregatio absolutionem ab Officialibus et Deputatis petitam, concessit *in Romana Operum Piorum die 7 Iulii 1708.*

8. Item S. Congregatio indulsit absolutionem et condonationem Gubernatoribus Mensae nummulariae ac domus Sanctissimae Annuntiationis Neapolis, qui post eiusdem mensae nummulariae ac domus decoctionem dotes praeteritas integre non distribuerant, ob urgentissimas necessitates et inopiam piae domus, cui opus fuit summam dotium erogare in quotidianis alimentis Expositorum et Infirmorum *in Neapolitana Reductionis onerum die 15 Iunii 1709 ad IV Dubium.*

9. Idcirco realis ac vera indigentia, rationabilis causa censetur, qua saepe saepius Sacra Congregatio condonationem indulsit *in Senen. die 15 Iulii 1820* §. *Verum.*

10. Hinc bona fides et inopia obligati est iusta causa, ad obtinendam absolutionem, quoad praeteritas omissiones *in Praenestina Fallentiarum die 29 Iunii 1837* §. *Quod.*

11. Praesertim, si gravis obligati paupertas habeatur *in Forolivien. Legatorum die 28 Novembris 1826* §. *Quamobrem.*

12. Nam saepe saepius Sacra Congregatio absolutionem etiam impertita est, ubi aliquam probabilem in Oratoribus deprehendit impotentiam supplendi *in Marsorum Missae Conventualis die 17 Martii 1827* §. *Decernant.*

13. Quod eo vel magis retinendum, si agatur de Patronis: nam saepe quidem numero Sacra Congregatio egenis Patronis opem ferre solet, condonatione fructuum et absolutione, ab anteactis omissionibus *in Forosempronien. Capellaniae die 26 Martii 1831* §. *Quod reliquum est.*

14. Hinc Sacra Congregatio, aliqua salutari poena imposita, absolutionem ab oneribus praeteritis non satisfactis indulsit, quoties nullus in omissione adfuit Oratorum dolus, ac si nonnisi cum gravi incommodo possent omissiones suppleri *in Calaritana Reductionis Missarum die 22 Februarii 1823* §. *Sane.*

Item *in Nursina Commutationis Voluntatis et Absolutionis die 27 Iunii 1829* §. *Ad absolutionem.*

15. Unde etiam a neglecto servitio chorali absolutionem indulsit aliquando, aliquo imposito pio opere *in Recanaten. Servitii Chori die 21 Novembris 1829 ad II dubium.*

16. Imo, si aliqua intercesserit causa, quae omissionibus occasionem dederit, praeter Oratorum culpam, quibus onus erat satisfactionis, absolutionem aliquando impertita est, quin aliquid poenae imposuerit *in Nursina Commutationis Voluntatis et Absolutionis die 27 Iunii 1829* §. *Ad absolutionem* (1).

17. Verum Sacra Congregatio praeteritorum onerum absolutionem solet illis dumtaxat indulgere, qui ad inopiam sunt redacti, bonaque fide legatorum satisfactionem omiserunt *in Mazzarien. Reductionis et Absolutionis die 14 Decembris 1822* §. *Ad absolutionem.*

18. Nam difficillime indulgere solet huiusmodi absolutionem ab oneribus non impletis illis, qui in male fide fuerant constituti *in Marsorum Missae Conventualis die 17 Martii 1827* §. *Decernat.*

19. Imo Sacra Congregatio, remota bona fide, absolutionem passim denegavit *in Cathacen. Absolutionis et Reductionis Missarum die 4 Iunii 1842* §. *Iam vero.*

§. II.

ABSOLUTIO SEU CONDONATIO AB OMISSA CELEBRATIONE VEL APPLICATIONE MISSAE IN GENERE.

1. Absolutio pro Missis, in praeteritum non celebratis, non raro conceditur, accedente bona fide *in Anconitana Missarum die 16 Martii 1782* §. *Haec quoad.*

2. Nam aequissima causa est bona fides, ad obtinendam absolutionem, quoad praeteritum *in Ianuen. Absolutionis et Reductionis die 18 Novembris 1837* §. *Verum.*

Item *in Caietana Missae Conventualis et Missae pro populo die 16 Decembris 1837* §. *His; in Neapolitana Beneficii die 2 Iunii 1838* §. *Post; in Neapolitana Capellaniae 28 Iunii 1838* §. *Postremo.*

3. Praesertim, quando nonnisi cum gravi incommodo omissiones suppleri possint *in Leodien. Reductionis Translationis et Absolutionis Missarum die 24 Maii 1823* §. *Administratores.*

Item *in Forolivien. Absolutionis et Reductionis die 16 Aprilis 1825* §. *Absolutionem.*

4. Siquidem pluries absolutionem, pro Missis in praeteritum non celebratis, ob impotentiam supplendi, concessit S. Congregatio *in Forolivien. Absolutionis et Reductionis die 16 Aprilis 1825* §. *Absolutionem* (2).

5. Hinc S. Congregatio, ab inadimpletis legatis Missarum, absolutionem concedere solet, si fraus excludatur, et concurrat rationabilis causa *in Asculana Reductionis die 22 Ianuarii 1820* §. *Quod.*

Item *in Civitatis Plebis Missae Conventualis die 24 Aprilis 1830* §. *Quod.*

6. Idcirco ab oneribus Missarum inadimpletis conceditur absolutio, ob paupertatem gravati *in Camerinen. Concordiae die 17 Decembris 1825* §. *Si.*

Item *in Bovien. die 13 Septembris 1834* §. *Profecto; in Neapolitana Beneficii die 2 Iunii 1838* §. *Post haec; in Neapolitana Capellaniae die 28 Iulii 1838* §. *Haec eadem; in Ruben. Reductionis et Absolutionis die 3 Februarii 1840; in Lucana Absolutionis et Reductionis die 6 Iunii 1840; in Irregularitatis die 22 Maii 1841* §. *Subiiciuntur; in Civitatis Castellanae Absolutionis et Reductionis die 22 Ianuarii 1842* §. *Iamvero; in Massen. Pii Legati die 23 Aprilis 1842* §. *Pauca; in Cathacen. Absolutionis et Reductionis die 4 Iunii 1842* §. *Nihilominus; in Aretina Reductionis et Condonationis die 9 Iulii 1842* §. *Veruntamen* (3).

7. Praesertim, si agatur de Patronis, ex

(1) S. Congregatio in Balneoregien. die 17 Iunii 1820 ad IV dubium.

(2) Ceu videre est in Spoletana Missae conventualis die 1 Martii 1729; in Feretrana die 17 Septembris 1808; in Mazzarien- Missae conventualis die 3 Iunii 1821.

(3) S. Congregatio in Ianuen. Capellaniae 31 Iulii 1819; in Callien. et Pergulana Absolutionis et Reductionis 20 Decembris 1823.

piis Fundatoribus descendentibus; nam tunc Sacra Congregatio, miserata saltem relativam paupertatem, veniam ob praeteritum inadimplementum eisdem concessit *in Cathacen. Absolutionis et Reductionis Missarum die 4 Iunii 1842* §. *Nihilominus* (1).

8. Tenuitas praebendarum, iusta pariter causa reputatur, ad obtinendam absolutionem, quoad omissionem onerum Missarum *in Nullius Trium-Fontium Reductionis Missarum die 17 Maii 1828* §. *Videant.*

Item *in Urbanien. Missae Conventualis die 19 Iulii 1828* §. *Videant; in S. Angeli Lombardorum Absolutionis et Reductionis die 2 Decembris 1843* §. *Duo.*

9. Immo absolutio, concurrente impotentia, Missarum etiam Conventualium, quae non fuerunt celebratae, concedi solet a S. Congregatione *in Mazzarien. Missae Conventualis die 2 Iunii 1821* §. *At quidquid.*

Item *in Corcyren. Missae Conventualis die 8 Maii 1824* §. *Quoad* (2).

10. Amplia, cum in Oratoribus aliqua probabilis impotentia supplendi deprehendatur *in Marsorum Missae Conventualis die 17 Martii 1827* §. *Decernant.*

11. Nam bona fides, aequissima pariter causa, ad obtinendam absolutionem Missarum Conventualium, censetur *in Clodien. Visitationis Sacrorum Liminum die 27 Aprilis 1839* §. *Hinc.*

Item *in Surrentina Missae Conventualis die 25 Ianuarii 1845* §. *Ad absolutionem.*

12. Itaque conceditur absolutio, pro oneribus Missarum non adimpletis, si fraus absit, et reditus imminuti sint *in Aesina Reductionis et Absolutionis die 21 Februarii 1824* §. *Quoad.*

13. Quando autem omissio Missarum malitiosa habetur, absolutionem quoad praeteritum denegare solet S. Congregatio *in Aretina Reductionis et Condonationis die 9 Iulii 1842* §. *Quoad.*

Item *in Cathacen. Absolutionis et Reductionis Missarum die 4 Iunii 1842* §. *Iam vero.*

14. Quin imo Sacra Congregatio, etiam quando locus est absolutioni, eamdem concedere non solet, nisi iniuncto, iuxta rerum circumstantias, aliquo Missarum numero *in Anconitana Missarum die 20 Aprilis 1782 ad II Dubium.*

Item *in Calaritana Reductionis Missarum die 22 Februarii 1823 ad IV Dubium; in Ariminen. Capellaniae die 12 Decembris 1829 ad III Dubium.*

15. Quod etiam observare solet, cum agatur de Missis Conventualibus omissis *in Vicen. Missae Conventualis die 2 Septembris 1744 ad I Dubium.*

Item *in Faventina Missae Conventualis die 3 Iunii 1780 ad IV Dubium; in Ferentina Missae Conventualis die 17 Decembris 1808 ad II Dubium; in Marsorum Missae Conventualis die 28 Aprilis 1827 ad II Dubium.*

16. Ceterum, attentis quandoque peculiaribus circumstantiis, etiam Missarum Conventualium absolutionem indulget, nullo iniuncto Missarum onere *in Faventina Missae Conventualis die 3 Iunii 1780 ad IV Dubium.*

§. III.

ABSOLUTIO A POENIS ECCLESIASTICIS SEU CENSURIS IN GENERE.

1. Censurarum absolutio indulgenda est, cum dolus, fraus, et contumaciae species depellatur *in Camerinen. die 16 Maii 1767* §. *Extraneam* (3).

2. Namque, nedum ad censuras eliminandas satis esse videtur, quod absit dolus et fraus, sed ab eis excusat quaelibet causa, licet tantum colorata et verosimilis *in Camerinen. die 16 Maii 1767* §. *Perperam* (4).

3. Exulante propterea incursu in censuras, extranea est quaestio de absolutione *in Camerinen. die 16 Maii 1767* §. *Extraneam.*

4. Propositis enim dubiis: I. An constet de incursu in censuras in casu. *Et quatenus af-*

(1) S. Congreg. in Romana oneris Missarum 11 Martii 1709; in Nullius S. Michaelis 20 Ianuarii 1776; in Ravennaten. Reductionis 20 Iulii 1804.

(2) Ut in Feretrana die 17 Decembris 1821 ad III dubium.

(3) Sperell. decis. 39, n. 30; Rot. in decis. 167, n. 6, part. 19 Recent.

(4) Pignatell. Consult. can. 44, n. 4, tom. 7; Rot. in decis. 167, n. 2, part. 19 Recent.

firmative. II. An sit locus absolutioni in casu -, S. Congregatio respondit: - Ad primum Negative, et amplius. Ad secundum, Provisum in antecedenti - *in Camerinen. die 17 Iunii 1767.*

5. Potest quis inde absolutionem a censuris mereri ob bonam fidem *in Nullius S. Iacobi de Spatha die 21 Aprilis 1792* §. *Simoniacus* (1).

6. Etiam cum de simonia res est *in Nullius S. Iacobi de Spatha die 21 Aprilis 1792* §. *Simoniacus.*

Item *in Ariminen. Mansionariae super nominatione die 15 Septembris 1838* §. *Ut autem* (2).

7. Siquidem ecclesiasticum beneficium, cum officio aeditui, ab anno 1732 possidebat Antonius Amaya in Parochiali Ecclesia Villae *Fuentes de Leon,* eiusque titulo sacros eodem anno acceperat ordines. Illud igitur libere resignavit coram Vicario Generali Prioratus S. Iacobi de Spatha favore Iosephi Sanchez Brioso; sed privatim cum eodem et Eusebio illius patre convenit, ut officii exercitium incumberet Resignatario, perciperet ipse fructus beneficii: idque, per aliquod tempus, exequutum fuit. Monitus tandem de simonia, Sanctissimo supplicavit, suo et illorum de Sanchez nomine, pro absolutione a censuris. Prior de Spatha in relatione ad S. Congregationem affirmavit, Oratorem et Eusebium Sanchez per iuramentum coram suo Commissario contestatos fuisse, ea se opinione contraxisse, *che non v' interveniva simonia; dacchè intervenendovi non vi condiscendevano in conto alcuno,* quum praecessisset *la consulta ed i pareri di persone intelligenti, dalle quali vennero assicurati, che essi non commettevano in ciò cosa illecita.*

8. Proposito hinc dubio: - I. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo, pro absolutione et condonatione fructuum in casu etc.-, S. Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative, distributa aliqua summa in Pauperum subsidium - *in Nullius S. Iacobi de Spatha die 21 Aprilis 1792.*

9. Si nulla imo intercesserit simoniae species, non est sane locus absolutioni; propositis enim dubiis: - I. An constet de simonia in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An sit consulendum Sanctissimo, pro absolutione a censuris in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Ad primum, Negative. Ad secundum, Provisum in primo - *in Sutrina Capellaniae die 18 Aprilis 1795.*

10. Ubi vero dubium aliquod insit de simonia seu incursu in censuras, S. Congregatio absolutionem ad cautelam passim indulsit *in Ariminen. Mansionariae super nominatione die 15 Septembris 1838.*

11. Enim vero insignis Collegiata S. Luciae Sabiniani, quae a Gallis Italam tenentibus regionem fuerat extincta, Leonis XII P. M. Clementia munificentiaque, rescripto diei 4 Februarii 1826, ad pristinum statum fuit revocata. Inter alias Mansionarias, quae ea in Ecclesia antiquitus fundatae erant, illa quoque recensebatur, quam, novissimis codicillaribus tabulis die 23 Octobris 1759 exaratis, Canonicus Dominicus Maria Corradinius institui mandaverat. Quapropter restitutae Collegiatae Canonici, iure a Corradinio facto utentes, pro Mansionarii electione die 19 Februarii 1829 convenere, maiorique suffragiorum numero nominatus fuit Sacerdos Philippus Falsaresi, qui paucis abhinc annis Sabiniani domum habebat; ortum vero duxerat Oppido vulgo Gatteo Caesenatensis Diaeceseos. Nunciata per Canonicos hac electione tribus Fratribus de Zampanellis, in quorum familiam praefati Canonici Corradini haereditas devenerat, alter ex illis Ioseph nomine responsum dedit, eligendum esse Sacerdotem Originarium nativum de Savignano, iuxta tabulas fundationis.

12. Deinde de annua praebenda argenteorum quindecim a Zampanellis pensitata actum est, cuius integrae solutionis se impares factos esse dictitabant. Hinc Ioseph, ut communi ac praesertim Fratris Alexandri paupertati prospiceret, sub die 20 Iunii eiusdem anni Canonicis literas misit, quibus, dum electioni Falsaresii amplius adversari se nolle profitebatur, *in vista delle circostanze, che mi sono state affacciate,* enixe eos obtestabatur, *onde si degnassero di usare un riguardo a questo infelice,* (nempe Alexandro) *per quella porzione che ad esso spetterebbe dell'onere fissato dall'Istitutore della Mansionaria.* In Comitiis habitis die 4 sequentis Augusti argenteorum quinque remissioni Canonici unanimi consensu annuere existimarunt, at pro quinquennio dumtaxat, decer

(1) Paris. de resignat. benef. lib. 3, quaest. 6, n. 55.
(2) Paris. de resignat. benef. lib. 3, quaest. 6, n. 55.

nentes interim tantumdem ex Capitulari Massa fore desumendum, ne statuta praebenda Mansionarius defraudaretur.

13. Episcopus hac de re disserens, ita concludere censuit: - Hisce omnibus persolutis, dum censeo, cuncta bona fide ab utraque parte peracta fuisse; nec ullam simoniae labem illapsam fuisse, opinionem meam, quae quidem infirmissima est, summae sapientiae EE. VV. subiicio -. Itaque propositis dubiis: - I. An constet de validitate, seu nullitate nominationis Philippi Falsaresi in casu etc. *Et quatenus affirmative ad secundam partem.* II. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro absolutione et sanatione in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Ad primum, Providebitur in secundo. Ad secundum, Affirmative in omnibus ad cautelam - *in Ariminen. Mansionariae super nominatione die 15 Septembris 1838.*

14. Item, pius et religiosus satis amplae Diaecesis Vicarius Generalis seu Provisor summum Pontificem per supplicem libellum adivit, eique exposuit, a quadriennio circiter, quo Generalis Vicarii in spiritualibus munere fungitur, consuevisse in matrimonialium dispensationum exequutione levia emolumenta recipere, nimirum: - pro subscriptione commissionis et sigillo, obulos octo; similem quantitatem ratione mandati de separando et sigilli, ratione vero sententiae definitivae iulios duos monetae Romanae -, quod in ea Diaecesi ab immemorabili erat in more positum. Imo, quot sunt in eo Regno Diaeceses, eamdem in omnibus consuetudinem immemorabilem servare, omnesque Vicarios Generales pro subscriptione et sigillo plus minusque accipere, non tamen munera, donationes, aut praemia. Eorumdem propterea ab exemplo et auctoritate Virorum pietate et doctrina illustrium adductum se fuisse, ut, quamquam intelligeret, in Literis dispensationum huiusmodi Executores vetari sub excommunicationis poena munus aut praemium exigere, atque etiam sponte oblatum recipere; nec lateret, ea desuper prohibitione, Doctores in varias abivisse sententias, attamen suorum Antecessorum praxim duxerit esse servandam.

15. At ad scrupula e medio tollenda, propositis dubiis: - I. An liceat Vicario Generali aliquid muneris, sive stipendii, etiam modicum accipere, pro subscriptione et sigillo, sive alia qualibet causa et titulo, in executione Literarum Apostolicarum dispensationis matrimonialis in casu. II. An, quibus, et quomodo sit locus restitutioni in casu etc.-, S. Congregatio respondit: - Ad primum, Negative. Ad secundum, Ad dominum Secretarium cum Sanctissimo, pro absolutione ad cautelam et condonatione - *in Dubia super Executione dispensationum Matrimonialium die 20 Ianuarii 1787.*

16. Demum, sequuta vacatione beneficii, integrae portionis nuncupati, in Ecclesia parochiali Villae *de la Puebla de Argauzon* Calaguritanae Diaecesis, indictoque, ut moris est, concursu, super illius provisione, ex quatuor concurrentibus, tres tantum approbari meruerunt, excluso *Raphaele de Tobalina:* Beneficiati autem dictae Ecclesiae, ad quos pertinet ius praesentandi unum ex approbatis, duos paribus suffragiis nominarunt, nempe *Clericum Vincentium de Susso* et *Formerium Ortiz;* sed Ordinarius praeseferre censuit *Vincentium de Susso,* maioribus meritis ornatum, illique collatum est beneficium, cum subsequuta possessionis apprehensione.

17. Provocavit a suae reprobationis sententia Raphael de Tobalina ad Tribunal Nunciaturae Apostolicae Hispaniarum, ubi fuit idoneus declaratus; unde oportuit, per Beneficiatos Vocales iterum procedi ad electionem, qui denuo aequis suffragiis nominarunt Vincentium de Susso, et praefatum Raphaelem de Tobalina; et Ordinarius rursus praeelegit Clericum de Susso, qui, nova obtenta collatione, iterum immissus fuit in possessionem enunciati beneficii.

18. Rumor tamen invaluit, nominationem Clerici de Susso, in secundo praesentationis actu, sequutam fuisse cum labe simoniae; quamobrem Episcopus opportune ea de re capi voluit informationes, et ex confessione ipsius Vincentii de Susso constitit, eius fratrem Marcum de Susso, arctissima amicitia, ex antiqua consuetudine, devinctum cum Ferdinando de Zummarraga, huic mutuam dedisse summam regal. 500 in pluribus vicibus, dum pendebat appellatio ad instantiam Raphaelis de Tobalina in Tribunali Nunciaturae, indeque famam simoniae ortam esse, quod scilicet Beneficiatus Emmanuel Zummarraga Ferdinandi filius votum suum dedisset Vincentio de Susso in secunda praesentatione, contemplatione huius mutui, quodque mutuum fecerit Marcus de Susso animo captandi suffragium dicti beneficii Zummarraga.

19. Proposito hinc dubio: - An sit locus absolutioni et dispensationi in casu etc., - S. Congregatio respondit: - Affirmative ad cautelam - *in Calaguritana Absolutionis et Dispensationis die 8 Martii 1760.*

20. Immo, S. Congregatio durioribus in casibus absolutionem et dispensationem indulsit. Ceteris enim missis, in precibus Sanctissimo humiliter porrectis, Io. Franciscus Gonzalez de Ulloa Auriensis Diaecesis exposuit, fuisse ad Capellaniam a legitimo Patrono nominatum, sed Contradictore supervento, qui eamdem sibi adiudicari urgebat, assentitum fuisse a Parentibus suis, quod sumptuosam litem morasque redimerent, interposita concordia, in qua Oratoris Pater, et pecuniae vim numeravit Contradictori, et quaedam eidem stabilia donavit, ut in sacri Patrimonii titulum sibi haberet. Hinc, prosequebatur, favorabilem obtinuisse sententiam, clericalem tonsuram et Capellaniae possessionem; ordines inde minores et subdiaconatum recepisse, eosque exercuisse. Cum vero ad diaconatum studuisset promoveri, monitus a Promotore fiscali, quod in censuras et irregularitatem ex admissa simonia incurrisset, curavit a S. Poenitentiariae Tribunali absolvi et habilitari in foro conscientiae. Re tamen vulgata in hominum lucem, intelligens Orator Apostolica absolutione et dispensatione indigere, pro utriusque gratia Sanctissimo deprecabatur.

21. Relationem suam Episcopus his verbis constringere censuit: - Quo itaque et Oratori consuli rite possit, et haerere nobis opus non sit, aut impetratam gratiam reiicere, nec exequi; illud a vobis AA. et EE. Patres expectamus, ut, Oratoris votis si annuatis, (id certe cupimus, gratissimumque nobis erit) gratia ipsi talis dispensetur, quae, etiamsi mala intervenerit Oratoris in praedictis fides, simoniacaeque item replicatae pactiones intercesserint, sive cum Patrono, vel cum Colligatoribus, aut aliis; et insuper tonsura Oratorem initiari postmodum, ordinibus minoribus, et subdiaconatu insigniri, utique contigerit, cum sibi conscius esset defectus tituli, censurarumque et poenarum incursarum, hisce omnibus non obstantibus, exequi a nobis seu delegato a Vobis Iudice possit. Hac ratione Oratoris conscientiae plenius consuletur, qui eo saltem hac gratia minime indignus iudicandus est, quod Capellaniam renunciaverit, et male obtentum beneficium dimiserit. Itaque proposito dubio: - An et quomodo sit consulendum Sanctissimo, pro absolutione et dispensatione in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Affirmative, restitutis fructibus, si quos perceperit - *in Aurien. die 9 Aprilis 1785.*

22. Aliquando vero absolutionem quidem S. Congregatio indulsit a censuris, sed imposita interim salutari poenitentia *in Maceraten. Iurispatronatus die 18 Iulii 1789.*

23. Requidem vera quatuor Borromaeus Accursi §. 10 eius testamenti instituit anno 1697 laicales Capellanias in Ecclesia Immaculatae Conceptionis Montis Milonis. Ius nominandi Capellanos Milonensibus quibusdam reliquit Familiis; Rectoris vero nominationem Familiae Pancotti. Delato Rectoratus patronatu a Familia Pancotti ad extraneas Familias Caccialupi sancti Severini et Raccamadori Civitatis Firmi, nominatus ab his fuit in Rectorem Sacerdos Antonius Assortati, qui alteram ex Capellaniis S. Blasii, in Canonicatus erectis, possidebat; et utrumque beneficium contra expressam Testatoris voluntatem aliquamdiu retinuit. Ex iteratis tamen S. Congregationis rescriptis dierum 9 Maii 1787 et 21 Iunii 1788 Rectoratum tandem dimittere debuit.

24. Primo monitus rescripto, aliter Familiae suae, si secundum accederet, per interpositam Dominici Assortati eius Fratris personam consuluit. Emit namque Dominicus mensis septembris 1787 pretio scutorum 560 activum Rectoratus patronatum; eique cesserunt Patroni illius fundum, ut cum bonorum universitate translatus videretur. Quaesitum immo ius deduxit ad actum, nominavitque Sacerdotem Iosephum Pandolfi, qui Rectoratus etiam possessionem nactus fuit. Sanctissimo hinc supplicarunt Caietanus Caccialupi et Canonicus Ioseph Raccamadori, pro reservato Beneplacito apostolico, et absolutione a censuris. Episcopus censuit, quod praedicta venditio, tum bona fide, tum sine alicuius, vel Capellaniae, vel Rectoratus detrimento, stipulata est, et valeat approbari (1). At S. Congregatio denegavit merito in casu Beneplacitum Apostolicum, et proposito

(1) Venditio praedicta his verbis facta erat: « Privandosi detti Signori Caccialupi, e Raccamadori del diritto e facolta di nominare il Cappellano, o sia Rettore di detta Chiesa della SS. Concezione per comodo di detto Signor Do-

dubio: - II. An sit consulendum Sanctissimo, pro absolutione in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Ad secundum, Affirmative, imposita salutari poenitentia, arbitrio Episcopi, et Assortatus consulat conscientiae suae - *in Maceraten. Iurispatronatus die 18 Iulii 1789.*

25. Attenta imo delinquentis pravitate, quandoque absolutionem a censuris tantum, imposita gravi poenitentia, indulsit S. Congregatio *in Licien. Irregularitatis die 26 Aprilis 1817.*

26. Iam vero furti crimine accusatus subdiaconus Leonardus Bianco ex Oppido Quintiani anno 1769, carceribus mancipatus, ibidem triennio mansit. Confecto processu, unicus Testis de visu affirmabat, Subdiaconum furti reum, et confirmabatur ex confessione Complicis. Subdiaconus vero, eiusque Pater, pacta pecunia, subornare Testem de visu, aliumque falsum inducere tentarunt. Nondum sententia condemnatoria prodierat, cum ex indultu, pro felici partu Reginae, Subdiaconus e vinculis solutus est, praevia tamen *exculpatione* emissa ab eo, qui furtum tulit, quam obtinuit, solutis Ducatis 180 pro expensis ab Accusatore factis. Carceribus liberatus, ab Episcopo dispensationem ab irregularitate, ob infamiam contracta, postulavit. Sed Episcopus negavit, posse dispensationem concedere, cum non de occulto crimine, sed ad forum deducto ageretur.

27. Quare Subdiaconus Bianco supplicavit summo Pontifici pro dispensatione, cui adversatus est Episcopus Sozi Caraffa, qui Sedem Liciensem tenebat. Conquievit tunc Subdiaconus, quoad Episcopus vixit, eoque defuncto, anno 1783 exhibuit indultum dispensationis, novem ante annos a summo Pontifice impetratum, ex Rescripto Secretariae Memorialium sub die 3 Iulii anni 1774. Egit itaque apud Vicarium Capitularem, interpositis officiis cuiusdam Canonici, qui tantum profecit, ut a Vicario Capitulari, licet repugnaret Capitulum, promoveretur ad SS. Diaconatus et Presbiteratus ordines.

28. Non ita tamen latuere doli Sacerdotis Bianco, ne rumor in vulgus exiret, et scandalum oriretur in Populo, qui talem Sacerdotem sacris operari videbat. Plures elapsi sunt anni, donec, vacante iterum Liciensi Sede, rei series ab Hortensio Passante complice falsitatis denunciata fuit Vicario Apostolico, qui, omnia rumore Vulgi confirmata comperiens, arcersivit Sacerdotem Bianco, qui ingenue fassus est, Rescriptum illud diei 3 Iulii 1774 falsitate laborare, sed affirmavit, se revera indultum impetrasse, at deperdito authografo, falsum exemplar exhibuisse. Quod cum Vicarius Apostolicus sibi suadere non posset, simulque ex confessione ipsius Bianco cognovisset, data ab eo fuisse munera Canonico illi, qui a Vicario Capitulari, ut promoveretur, impetravit; censuit, cum a divinis suspendere usque dum a S. Sede absolutionem et dispensationem impetrasset, et interim in religiosam domum compulit, ut poenitentiam ageret. Vicarius Apostolicus, dum de falsitate Rescripti nullum movit dubium, nullam ea in re proprie dictam intercessisse simoniam ex eo censuit, quod in ordinatione apud Vicarium Capitularem Canonicus probatae vitae et famae intercessisset, eique munera fortasse in intentione Ordinandi simoniace sunt data, non vero a praedicto Canonico ita accepta, sed ex gratitudine et laboris mercede.

29. Proposito hinc dubio: - An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione a censuris, et dispensatione ab irregularitate, et rehabilitatione in casu etc. -, S. Congregatio responsum dedit: - Affirmative, quoad absolutionem a censuris tantum, imposita gravi poenitentia; in reliquis, Negative - *in Licien. Irregularitatis die 26 Aprilis 1817.*

30. Absolutionem vero una cum rehabilitatione S. Congregatio, facto verbo cum Sanctissimo, concessit nonnullis Clericis, qui bona fide ordinati fuerunt cum Episcopi venia ab Abbatibus regularibus benedictis, sive habentibus Apostolicum privilegium, ac inde rite ab Episcopis propriis ad sacros Ordines fuerunt promoti, ac beneficia obtinuerunt *in Papien. die 25 Octobris 1594.*

31. Censuit S. Congregatio absolvendos esse a quibuscumque poenis, in quas inciderunt, facto verbo cum Sanctissimo, iam Ordinatos ab Abbatibus benedictis Regulares non subditos, etiamsi literae dimissoriales Superiorum eorum Regularium habuissent ad primam ton-

menico Assortati, che respettivamente acquista detto diritto e facoltà per sè, e suoi Eredi e Successori, lo stesso Signor Domenico promette, e si obbliga pagare e liberamente sborsare ai suddetti Signori Caccialupi e Raccamadori la somma e quantità di scudi 560. »

suram et minores ordines; quam resolutionem Sanctissimus adprobavit, et inde S. C. publicari decretum, et servari mandavit *in Catanien. die 15 Februarii 1642.*

32. S. Congregavit declaravit, Ordinatos indigere tantummodo absolutione et rehabilitatione a Sede Apostolica, si Abbas non benedictus habeat privilegium Apostolicum et ordines minores contulerit suis non Subditis *in Panormitana Collationis Ordinum die 16 Martii 1742 ad II dubium* (1).

33. Superiores Carthusiae S. Laurentii, prope oppidum Padulae Diaeceseos Caputaquensis sitae, suos Monachos dimiserunt ad Episcopum Policastrensem et Marsicensem, munitos literis dimissorialibus, in quibus Episcopum Caputaquensem, cuius ius erat facultatem impertiendi, sed dare illam renuebat, fuisse absentem vel ad pontificalia exercenda impeditum, iidem testanti sunt. S. Congregatio vero, quum illicite eos ordines suscepisse decreverit, absolvendos esse ex gratia mandavit *in Caputaquen. Ordinationis die 21 Februarii 1708 ad I dubium* (2).

34. Lucas Franciscus Rodriguez de la Barrera ex Oppido de Alcolea, quod iurisdictioni subest sacri equestri Ordinis Hierosolymitani, suffultus dimissorialibus literis Vicarii, a Commendatario ibidem deputati, primam tonsuram et minores ordines suscepit ab Abbate claustrali S. Antonii *del Tardon* Ordinis S. Basiliii. Cum vero domicilium postea transtulerit intra limites Archiepiscopatus Hispalensis, et apud Eminentissimum Archiepiscopum institisset, ut ad ordines promoveri posset, dubitatum tunc fuit de ordinum validitate, idcirco Lucas adeundam censuit Apostolicam Sedem pro obtinenda venia et rehabilitatione. Proposito hinc dubio: - An et quomodo sit consulendum Sanctissimo in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Consulendum esse Sanctissimo, pro absolutione et rehabilitatione ad ordines - *in Hispalen. die 12 Martii 1774.*

35. Cisterciensium Monasterium S. Mariae de Horto Venetiis regebat Abbas Hyacinthus Maria Bargatti. Primo absoluto, ad aliud mense Martii 1781 electus fuit regiminis quinquennium, confirmavitque Apostolicus Venetiarum Nuntius electionem die 11 Aprilis sequentis anni. Primam Abbas tonsuram minoresque ordines contulit die 9 Aprilis 1787 Iosepho Foralosso illius Converso, qui religiosum deinde habitum ex Apostolico dimisit indulto. S. Congregatio, valida collatione tonsurae et mino-

(1) Reliqua vide Abbas §. III.

(2) Card. Petra in Comm. ad Constit. III Bonifacii IX n. 7 et seqq. tom. 4 haec habet ad rem: - ibi - Cum igitur in dicta causa Caputaquen. ordinatio fuerit sequuta ab Episcopo Policastren. tempore, quo Episcopus Caputaquen. Diaecesanus non fecerit eo die ordinationem, sed habuerat quidem ante, et ex industria dimissio Carthusiensium a suis Superioribus usque tunc protracta fuerat. Quoad autem Ordinatos ab Episcopo Marsicensi considerabatur contra resolutionem, id fuisse tempore, quo ordinatio ab Episcopo Caputaquensi fiebat, sed id erat in angulo Diaecesis peramplae per quadraginta milliaria, et sic longe a Carthusia, nec constabat fuisse ordinationem generalem, praeviis publicis edictis, ut ad hunc casum requiri, ut Regulares ponantur in mala fide, dixerunt *Caton. lib.* 5, *controv.* 1, *cap.* 3, *n.* 74; *Passerin. de Stat. homin. q.* 189, *art.* 10, *inspect.* 10, *n.* 84 *in fin. tom.* 3; et licet considerari potuisset, quod in literis dimissorialibus Regularium nulla aderat mentio, quod Episcopus ordinationem non faceret, ut requiritur iuxta Clementinum decretum, et notat Passerin. *loc. cit. n.* 868; *Monacell. in form. t.* 2, *form.* 4, *n.* 18, et dixi *tom.* 1. *cit. loc. n.* 31, tamen huiusmodi accidentalis defectus non importaret ex se actum illicitum, quia substantialiter elicitur effectus decreti, ut Regulares ordinentur ab alio Episcopo, si Diaecesanus non habuerit ordinationes, prout non habuit, Passerin. *l. c. n.* 881, *vers.* 5, *Si in dimissoriis;* demum consideratione dignum fuit inspicere, quod non ex eo, quod fuerit actum contra decretum Clementinum, ordinatio reddita fuit illicita, sed tantum incurrisse Superiores poenas, contentas in praefato decreto Clementino, privationis vocis activae et passivae aliarumque, nec ulla adest poena suspensionis Ordinandorum; nam Episcopus fecerat ordinationem, et sufficit ea fecisse in Diaecesi, quasi in loco a Conventu longinquo: et rursus constitit, Superiores Carthusiae institisse apud Episcopum pro licentia dimittendi suos Subditos ordinandos ab alieno Episcopo, ac Episcopus renuit ex eo, quod vellet per se ipsum eos ordinare, unde non potuerat in contemptum alibi mittere sub motivo ignorantiae ordinationis, tametsi specialis, quia debet Episcopus Diaecesanus praeferri: unde eliciebatur, ex industria evitandi Episcopum proprium, affectasse ignorantiam ordinationum, et Episcopum habuisse promptum animum eos ordinandi, quotiescumque enim fit actus contra legem, illicitus dicitur, quia Decreta Apostolica obligant in foro conscientiae, *Fagnan. cap. Si quis, n.* 38 *et* 39, *de Regul.; et in his terminis Monacell. l. c. in Append. pag.* 295, *n.* 3 *et seqq.* Transgressores vero Regulares Superiores, S. Congregatio censuit, incurrisse in poenas Clementini decreti, quod videtur ipso facto poenam imponere, Monacell. cit. loc. n. 3 et seqq., licet aliqui teneant, quod utatur verbo *incurrant*, aliqui incurrent, Passerin. loc. cit. n. 810. Non tamen alias poenas suspensionis in ordinatos voluit S. Congregatio canonizare. -

rum ordinum declarata, proposito dubio: - II. An sit consulendum Sanctissimo, pro absolutione, rehabilitatione, et dispensatione ab irregularitate, quatenus ministraverit in casu etc. -, ex eo, quod praefatus Abbas bona fide praefatam tonsuram et minores ordines contulerit, respondit: - Ad secundum, Affirmative in omnibus - *in Congregationis Cisterciensis die 28 Novembris 1789.*

36. Quum Abbas Monasterii Sanctissimae Trinitatis Cavensis Ordinis S. Benedicti licite non potuisset conferre clericatum Philippo Polichettio, nato in Diaecesi Cavensi, inde domiciliato in Diaecesi Salernitana, absque debitis testimonialibus sive dimissorialibus, S. Congregatio, dictum Abbatem et Polichettium in poenas indictas ac inflictas in Bulla S. M. Innocentii XII incipien. *Speculatores* incidisse, sed absolutionem auctoritate Eminentissimi Protectoris esse concedendam, decrevit *in Salernitana Ordinationis die 12 Ianuarii 1709.*

37. Antonius Nicolaus Ligius ex Augustiniana familia, quum examen pro clericali tonsura et quatuor Ordinibus minoribus suscipiendis subierit, in generali ordinatione Tonsura fuit initiatus; deinde cum Minister nominatim singulos, qui ad Ostiariatum erant promovendi, evocasset, Antonius, se inter eos appellari non audiens, errasse Ministrum putavit, adeoque cum aliis ad Episcopum accessit, Ostiariatusque ordinem suscepit. Postea interrogatus hac super re Episcopus, ea se, inquit, mente fuisse, ut nonnisi primam Tonsuram illi conferret. Itaque propositis dubiis: - I. An Fr. Antonius Nicolaus Ligi valide susceperit ordinem Ostiariatus. II. An Ordinatio sit iteranda sub conditione. III. An et in quam poenam Fr. Antonius Nicolaus inciderit, ita ut indigeat absolutione vel dispensatione. *Et quatenus affirmative.* IV. An sit concedenda in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Negative. Ad tertium, Pro absolutione et dispensatione ad cautelam. Ad quartum, Provisum in superioribus. - *in Perusina Ordinationis die 19 Iulii 1732.*

38. Verum Ioseph Baldus Episcopum exoraverat, ut ei conferret Tonsuram, et duos minores Ordines, sed rescriptum obtinuerat pro Tonsura tantum, pro qua itidem sola examen subierat. At nihilominus in generali ordinatione post susceptam Tonsuram, cum ceteris Clericis se intrudens, licet minime vocatus, initiatus quoque fuit binis minoribus Ordinibus, sed deinde literas testimoniales obtinuit solum de suscepta clericali Tonsura. Interrogatus per literas S. Congregationis fuit Episcopus, an ipso functionis exercitio intentionem habuerit excludendi non examinatos ad ordines, vel peculialiter arcendi ab iis dictum Iosephum Baldum, et an praemiserit protestationem ullam vel comminationem excommunicationis, adversus furtive accedentes ad Ordines. Respondit Episcopus, se in actu Ordinationis semper habuisse intentionem saltem virtualem excludendi non examinatos pro Ordinibus, nec non consuevisse ante quamcumque ordinationem comminari poenam anathematis. Itaque propositis his tribus dubiis: -

I. An stante supradicta ordinatione, idem Clericus ullum canonicum impedimentum contraxerit, quod ab Episcopo dispensari non possit? *Et quatenus affirmative.*

II. An saltem eidem indulgenda sit relaxatio a S. Congregatione?

III. An supradicti ordines minores modo, quo supra suscepti, sint reiterandi in casu etc., - rescriptum fuit: - Quoad primum et secundum, Episcopo, ut, imposita Oratori aliqua salutari poenitentia, cum eo, pro suo arbitrio et conscientia, dispenset. Ad tertium, Affirmative sub conditione in casu, de quo agitur - (1) *in Perusina Ordinationis die 27 Iunii 1732* §. *In.*

39. Franciscus Fantaccinus in subdiaconatus et diaconatus ordine, ad titulum simplicis beneficii onere Missarum octo annuatim, et alterius hebdomadalis gravati, reditus scutorum vigintiquinque, ab Grossetano Episcopo fuit ordinatus. Quum S. Congregatio haud constare de canonica et licita ordinatione decreverit, absolutionem a censuris arbitrio Episcopi originis, quando constet de sufficienti Patrimonio, remisit *in Grossetana seu Messanen. Ordinationis die 2 Iunii 1712 ad II Dubium.*

40. Summus Pontifex Alexander III in Cap. *In quibusdam* de poenis, non eum dumtaxat, qui Rectorem aut Clericum alicuius Ecclesiae per se vel per alium interficit, aut mutilat, omnibus iuribus, et beneficiis, quae in

(1) Ut in Aprutina ordinum die 11 Ianuarii 1710, lib. 60 decretorum pag. 3.

Ecclesia obtinebat, ipso facto privavit: verum etiam sancivit, ne eadem iura et beneficia ad illius posteros pervenerint, eosque ad quartam usque generationem prohibuit ordines suscipere, et in Monasteriis, quorum ingressum liberum reliquit, dignitates, et praelaturas consequi, nisi cum eis fuerit misericorditer dispensatum *in Sulmonen. Dispensationis die 18 Decembris 1734* §. *Summus* (1).

41. Propterea propositis dubiis: - I. An quibus et ad quem effectum obstet homicidium in casu etc. II. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Recurrant in casibus particularibus - *in Sulmonen. Dispensationis die 15 Ianuarii 1735.*

42. Eo enim in casu quidam Io. Baptista Sanità, qui Sacerdotem Petrum Philippum germanum fratrem interfecerat, postulaverat, ut filii sui tam nati, quam nascituri ad ordines promoveri, et beneficia de iurepatronatus propriae Familiae, et alia quaecumque obtinere possent, utque Filiabus liber esset ingressus in Religionem *in Sulmonen. Dispensationis die 30 Iulii 1735* §. *Postulante.*

43. At inde Alphonsus Nicolaus, alter ex Filiis memorati Io. Baptistae, in aetate octo ferme annorum constitutus, exoptans prima tonsura initiari, ac obtinere beneficium de iurepatronatus descendentium ex familia Sanità, olim possessum a Philippo suo patruo, petiit ab S. Congregatione declarari, num, ut optata assequatur, Apostolica dispensatione indigeat, eamque, si necessaria diiudicetur, humillime imploravit. Quum vero ex documentis exhibitis constitit, homicidium contigisse anno 1728, sed Alphonsum praedictum editum fuisse in lucem die 2 Iulii 1727, S. Congregatio propositis dubiis: - An Alphonsus Nicolaus Sanità indigeat dispensatione pro suscipiendis ordinibus, nec non pro assequendo beneficio, de quo agitur. *Et quatenus affirmative.* II. An sit consulendum Sanctissimo pro dicta dispensatione in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Ad primum, Negative. Ad secundum, Provisum in primo - *in Sulmonen. Dispensationis die 30 Iulii 1735.*

44. Ceterum solet Sacra Poenitentiaria absolutionem a poenis inflictis ab Alexandro III in cap. *In quibusdam,* de poenis, concedere illi, qui Rectorem aut Clericum alicuius Ecclesiae per se vel per alium interfecit, aut mutilat *in Sulmonen. Dispensationis die 18 Decembris 1734* §. *Immo* (2).

45. Consimilibus Delinquentibus vero absolutionem impertiri solet S. Poenitentiaria, sub hac conditione: - Quod nequaquam absolutio prosit, quominus si ipse aliquod feudum seu iuspatronatus in Ecclesia, in qua dictus Sacerdos forsan intitulatus erat, obtinet, ipse eiusque heredes perpetuo illis sint privati, et ne minus vindictae, quam excessus prorogentur, ipse eiusque liberi propter hoc inhabiles censeantur, ad beneficia ecclesiastica in futurum obtinenda, nisi cum illis fuerit super hoc misericorditer dispensatum *in Sulmonen. Dispensationis die 18 Decembris 1734* §. *Immo.*

46. Hinc Dominicus filius Iosephi de Berardis, qui Sulpitium necarat, unum ex Sacerdotibus constituentibus Capitulum Ecclesiae receptitiae S. Mariae Novae Terrae Gioiae, in qua ipsemet Ioseph tria iura patronatus super tribus Capellaniis ibidem erectis habebat, die 16 Iulii 1695, praevio S. Congregationis suffragio, fuit ad unam ex praedictis Capellaniis a S. M. Innocentii XII rehabilitatus (3); subindeque, vacata per obitum eiusdem Dominici dicta Capellania, Aegidius ipsiusque Fratres natu minores filii Nicolai, nati ex Iosepho occisore humiliter postularunt, ut tam ipsi, quam eorum Successores in infinitum admitterentur, ad iuspatronatus activum et passivum, quod eis fuerat in praedictarum Capellaniarum fundatione reservatum. At S. Congregatio, relata primum instantia inter supplices libellos, die 7 Maii 1707 rescripsit: - Recurrant in casibus particularibus -; deindeque, proposita causa in folio diei 9 Iunii 1708, ad dubium: - An, et quomodo petitis sit annuendum in casu etc. -, responsum fuit: - Si Sanctissimo

(1) Id tradunt etiam Abb. in cap. In quibusdam, de poenis, n. 1 et 7; ibique Ioann. Andr. n. 1; Butr. n. 1; Boich. n. 4; Pirrhing. in Ius can. lib. 5, tit. 37, §. 6, n. 26 et seq.; Garz. de benef. p. 11, cap. 10, n. 57; Lotter. lib. 3, q. 30, n. 13 cum seq.; Thesaur. de poen. part. 2, verb. Homicidium, cap. 4.

(2) Constat ex formula, quam per extensum refert Leo in prax. Sacrae Poenitentiariae, part. 3, formul. absolut. et dispensat.; et testantur Navarr. cons. 28, de poenit. et remiss.; et Thesaur. de poenis eccles. part. 2. cap. 4, n. 5.

(3) Ceu in lib. 45 Decretorum pag. 424.

Domino Nostro placuerit, per sua Literas Apostolicas in forma Brevis Ordinario Marsicano committi posse, ut, veris existentibus narratis, Aegidium Oratorem ad Capellaniam vacantem tantum obtinendam, pro suo arbitrio et conscientia, gratis habilitet (1) *in Sulmonen. Dispensationis die 18 Decembris 1734* §. *In Marsicana.*

47. At, sub praefata iuris sanctione, non comprehenduntur filii ceterique Occisoris Posteri, qui ante patratum delictum sint nati *in Sulmonen. Dispensationis die 18 Decembris 1734* §. *At* (2).

48. Enimvero in causa, cui titulus: *Dubium dispensationis*, proponebatur casus, conceptus his verbis: - Quia Parochus cuiusdam loci interfuerat Matrimonio, contracto inter vilis conditionis Mulierem et Baronem, qui, licet nullum penitus ius in et super Ecclesia Parochiali haberet, attamen iurisdictionis exercitio, inter plures Condominos per turnum, diviso, nonnullis anni mensibus in dicto loco fruebatur; dicti Baronis filius, ex alia Uxore tunc praemortua susceptus, Parochum praefatum occidit de anno 1677. Huius homicidae hactenus viventis filius, ante patratum delictum natus, ad sacros ordines promoveri desiderat; quocirca preces obtulit S. Poenitentiariae, quibus ad S. Congregationem Concilii remissis, decernendum proponitur: - I. An praefatum homicidium obstet Oratori, quominus ordinari valeat. *Et quatenus affirmative.* II. An cum eo sit dispensandum -, S. vero Congregatio die 2 Augusti 1677 respondit : - Oratorem non indigere dispensatione - *In Sulmonen. Dispensationis die 18 Decembris 1734* §. *In.*

49. Itidemque solum illius Descendentes, per lineam masculinam, huic poenae subiecti sunt *in Sulmonen. Dispensationis die 18 Decembris 1734* §. *At.* (3).

50. Sacra Congregatio absolutionem et novam provisionem concedi posse respondit ei, qui praesentatus ad Parochialem a Patronis, ne alius praesentatus concurreret, promisit illi dictam Parochialem resignare, licet postea promissionem revocaverit *in Leodien. die 24 Augusti 1669 lib. 26 decretorum pag. 282.*

51. Absolutione autem non indigere Canonicos nominantes ad canonicatum, erigendum cum pacto, quod Nominatus teneretur ad ipsos relevandos ab expensis factis et faciendis, in lite pendente, contra obligatum, ad erigendum dictum Canonicatum, nec Nominatum acceptant cum tali pacto, respondit Sacra Congregatio *in Civitatis Plebis die 7 Iulii 1696 lib. 46 decretorum.*

52. Neque pariter absolutione neque rehabilitatione ad ordines indigere, neque nova provisione ad beneficia obtenta, natum ex Patre et Matre Turcis, sed in infantili aetate baptizatum, respondit S. Congregatio *in Melevitana die 13 Augusti 1718 lib. 68 decretorum.*

53. Namque, quoad absolutionem cum rehabilitatione ad ordines, inventa fuit in Archivio Sancti Officii epistola scripta Episcopo Melevitano de anno 1696, in qua fuit eidem data facultas conferendi praefato Oratori Ioanni Baptistae Simoni Vivier Ordines sacros, non excluso presbiteratu *in Melevitana die 13 Augusti 1718* §. *Quoad absolutionem.*

54. Quin imo extat quidem formula dispensationis (4) quoad beneficia, loquendo de illis, qui a Parentibus Mahometanis ortum habuerunt, e contra vero cum non agatur de nato a Parentibus Haereticis, nec quaestio sit de promovendo ad Episcopatum, sed versemur in terminis eius, qui, natus a Parentibus Turcis, sacerdotio iam est initiatus, nulla videtur esse necessaria dispensatio, quoad consequenda beneficia *in Melevitana die 13 Augusti 1718* §. *Quoad novam* (5).

55. Idcirco in casu praedicto, propositis dubiis: - I. An Orator indigeat absolutione, cum rehabilitatione ad Ordines.

II. An indigeat nova provisione beneficiorum. *Et quatenus affirmative.*

III. An eidem indulgenda sit absolutio, cum

(1) In Marsicana dispensationis, lib. 58 decretorum pag. 198.

(2) Ancharan. in cap. In quibusdam, de poenis, n. 6; ibique Io. Goff.

(3) Colligitur ex cap. Ubicumque 4, de poen. in 6, ut explicant Ioann. Andr. in cap. In quibusdam n. 6 et 7; ibique Butr. n. 13; Boich. n. 6 in fin.; Hostien. n. 11 et seqq.; Soccin. n. 34; Zabarell. n. 15: Thesaur. de poen. eccl. part. 2, cap. 4, verb. Homicidium, n. 4, vers. declara primo.

(4) Quae impressa reperitur apud Corrad. in prax. dispensat. lib. 3, cap. 7, n. 3.

(5) Ricciul de Neophit. cap. 4.

rehabilitatione ad ordines, et cum nova beneficiorum provisione -, S. Congregatio respondit: - Ad primum, Negative. Ad secundum, Negative. Ad tertium, Satis provisum in duobus praecedentibus dubiis - *in Melevitana die 13 Augusti 1718.*

56. Absolutus ab homicidio, cum fideiussione, *de se repraesentando etiam novis et non novis supervenientibus indiciis*, incurrit in infamiam ac subinde irregularitatem, impedientem assequutionem beneficiorum, donec impicta macula diluatur *in Viterbien. Concursus die 15 Aprilis 1741* §. *E diverso* (1).

57. Hinc sequuta per obitum Canonici Dominici Parochetti vacatione praebendae Poenitentiariae, in Cathedrali Ecclesia pridem sub titulo S. Luciae erectae, habitoque sub diem 10 Martii 1740 ad eam concursu, iuxta praescriptum Constitutionis S. M. Benedicti XIII, incipientis: *Pastoralis officii,* Episcopus Viterbiensis praeferendum iudicavit Marianum Porticelli, nedum octo Presbiteris, qui legitimam aetatem annorum quadraginta, a Tridentino (2) ad munus Canonici Poenitentiarii obeundum praescriptam, non attigerant, verum etiam Sigismundo Malatesta, eam aetatem longe excedenti, et maiora Examinatorum suffragia sortito.

58. Praefatus Sigismundus appellationem interponens, exhibuit documentum, quo constitit, praedictum Marianum Porticelli, veluti reum mortis acceleratae Clerico Paulo Bonazzi, qui sub diem 23 Novembris 1714 scelere obiit, carceribus mancipatum fuisse, neque ab iis dimissum, nisi praestita fideiussione, *de se repraesentando etiam novis et non novis supervenientibus indiciis,* quin imo sub annum 1717 in absolutione elargita Dominico Porticelli, dicti Mariani Patri, qui eiusdem homicidii particeps asserebatur, praeter Io. Baptistam Occisorem, Marianum antedictum exceptum legi.

59. Itaque non obstante Episcopi relatione, qua iudicium suum ab iniustitiae nota vindicare censuit, ex eo etiam, quod praefatus Sacerdos Marianus Porticelli aetatis annorum quatuor super quinquaginta circiter, iam Canonicus Collegiatae S. Angeli de Spatha et munus Confessarii duodecim ab annis exerceret, et ulterius ipse solum esset nobilis Viterbiensis, cum quo Sigismundus Malatesta, uti forensis, iuxta eius iudicium, concurrere non poterat, propositis dubiis: - I. An sustinenda sit provisio praebendae Poenitentiariae facta ab Ordinario. *Et quatenus negative.* II. An dicta praebenda Poenitentiaria sit conferenda Sigismundo Malatesta in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Negative. Ad secundum, Affirmative. - *in Viterbien. die 15 Aprilis 1741.*

60. Repropositis subinde dubiis, sub formula: - An sit standum vel recedendum a decisis in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - In Decisis, et amplius - *in Viterbien. die 10 Iunii 1741.*

61. Absolutiones ad cautelam a censuris, ab Ordinario relaxatis, nequit, non citata parte nec visis actibus, Iudex delegatus apostolicus concedere, praeterquam in casu absolutionis ad breve tempus, et tunc obligatione, de stando iuri, et parendo mandatis Ecclesiae. De hoc Episcopi et Metropolitani Regni Sardiniae S. C. consuluerunt *in Sardiniae Iurisdictionis die 15 Martii 1700 ad I dubium.*

62. Absolutus ab Episcopo, in vim cap. 6 Sess. XXIV de reform., a delicto coram duobus commisso, non est tutus in conscientia, quia huiusmodi delictum non dicitur occultum *in dub. die 24 Octobris 1578 Posit. 16 pag. 264 ad V dubium.*

63. Idem et responsum fuit de Absoluto, a delicto ad forum contentiosum deducto, quidquid inde sequatur *in dub. die 24 Octobris 1578 Posit. 16 pag. 264.*

64. Censuris a Canonico Antonio Sotgiu praetenso Delegato Apostolico, tum contra Secretarium Curiae Archiepiscopalis, tum contra ipsum Archiepiscopum latis, nullis ac temerariis per Sacram Congregationem declaratis, ac illis e contra per Archiepiscopum adversus illum et alios Canonicos Assistentes eidem inflictis, validis edictis; inde, praevia facultate a S. C. Archipresbitero indefinite commissa, Canonicus Sotgiu absolutus fuit. Alii Canonici sibi etiam suffragari illam facultatem et absolutionem putarunt, ita ut non esset locus absolutioni. At S. Congregatio locum esse novae absolutioni, servata forma Ecclesiae consueta,

(1) Cap. Inter dilectos 11, de excess. praelat.; cap. fin. de purgat. canonic.; Abbas in cap. 10, n. 3, de iureiuran.; Reinfest. in ius can. lib. 5, tit. 37, n. 60; Schmalzgrueb. eod. loc. n. 141.

(2) In Sess. 24, cap. 8 de reform.

et, quoad irregularitatem, suae conscientiae consulere, decrevit *in Turritana Censurarum die 18 Iulii 1705.*

65. Ob decreta Visitationis, a Vicario generali Melphiensi et Rapollensi affixa in valvis Abbatialis Ecclesiae S. Mariae de Perno, orta est contentio inter illum et Curiam Episcopalem Muranam, ac eo usque processerunt, ut sibi invicem censuras relaxaverint. Illas a Vicario Melphiensi latas in Vicarium Muranum esse validas S. Congregatio declaravit, et absolutionem earumdem arbitrio Metropolitani remisit *in Melphien. Iurisdictionis et Censurarum die 16 Iulii 1712 ad III dubium.*

66. Subdiaconus Ioseph Chella, per calumniam exposuit anno 1794 criminalem querelam adversus Sacerdotem Antonium Paita, ob tentatam in ipsum igneae balistulae explosionem; ac, pendente inquisitione, ascendit ad Diaconatum. Re tamen per Sarzanensem Curiam cognita, absolutus fuit Sacerdos, ex capite innocentiae, damnatusque Calumniator ad expensas et damna, et ab illo deinde reconventus criminali pariter actione calumniae. Rebus deinde cum querelante compositis, ac desistentia per eumdem facta, ab intentato contra Oratorem criminali iudicio, Fiscus ad ulteriora non processit, quia hoc temporis intervallo plura dedit Diaconus argumenta emendationis et poenitentiae. Quibus argumentis poenitentiae et constantis emendationis firmis manentibus, censuit Episcopus, benigne impertiendam praefato Diacono Chella gratiam absolutionis a quacumque censura incursa, nec non dispensatione ab irregularitate pariter incursa.

67. Itaque S. Congregatio, non obstante gravitate delicti, brevi ab eo commisso elapso tempore, et nondum sequuta Oratoris solutione a poena Cap. I, de calumniatoribus, ex eo scilicet, quod in casu concurrerent compositio Partis, silentium Fisci, argumenta emendationis et poenitentiae, favor Episcopi, et character Oratoris, qui ab Ecclesiastico recedere nequibat statu, proposito dubio: - An sit consulendum Sanctissimo, pro absolutione, rehabilitatione, et dispensatione in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Affirmative - *in Lunen. Sarzanen. die 9 Iulii 1796.*

68. Qui decimas subtrahunt, et in rem suam vertunt, aut impediunt, quominus Ecclesiis vel personis legitimis persolvantur, non indigent absolutione Sedis Apostolicae, cum non sint ipso iure excommunicati, sed excommunicandi ab Ordinariis locorum *in Ianuen. die 19 Ianuarii 1737* §. *Postulante.*

69. Enim vero S. Congregatio (1) declaravit: - Eos, qui decimas subtrahunt, et in rem suam vertunt, aut impediunt, quominus Ecclesiis vel personis, quibus legitime debentur, integre persolvantur, non esse ipso iure excommunicatos, sed excommunicandos, quemadmodum statuitur eiusdem Concilii decreto cap. 12 sess. 25 de Reform., eorumque absolutionem non esse Sedis Apostolicae reservatam, sed, plena restitutione sequuta, spectare ad Ordinarium, qui excommunicationis sententiam tulerit; ac proinde synodalem Constitutionem hac in parte nequaquam esse observandam, decretum vero cap. 11 sess. 22 ad hunc casum non pertinere - *in Ianuen. die 19 Ianuarii 1737* §. *Postulante.*

70. Propterea propositis dubiis: - I. An constet de assertis excessibus admissis a Caporalibus Villae Frassinelli suisque Adhaerentibus, tam in usurpatione primitiarum, quam in impedimento praestito earum exactioni, ac Ecclesiasticae iurisdictioni, nec non de praetensis violentiis patratis in Ecclesia, atque in aedibus Canonicalibus. *Et quatenus affirmative.* II. An iidem Caporales, aliique ipsis Adhaerentes incurrerint censuras Summo Pontifici reservatas. *Et quatenus affirmative.* III. An sustineatur decretum absolutorium a dictis censuris latum ab Ordinario in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Ad primum, secundum, et tertium, Constare de excessibus, sed non incurrisse censuras Summo Pontifici reservatas, et sustineri decretum absolutorium Ordinarii - *in Ianuen. die 9 Februarii 1737.*

71. Orta est controversia inter Episcopum Conversanum, et Monasterium ac Sanctimoniales Ordinis Carmelitici Oppidi Putignani. Cum enim Episcopus Monasterium illud visitare vellet restitere Moniales, restititque P. Commissarius et P. Procurator eiusdem Monasterii. Hinc re post varios casus delata ad cognitionem S. Congregationis, controversia omnis collecta fuit XXVI capitibus. Proposito vero

(1) In Ariminen. die 8 Iunii 1679, lib. 12 decretorum.

dubio: - XVI. An absolutio Monialium a censuris, pro violata clausura, aut pro Can. *Si quis suadente*, pertineat ad P. Commissarium Monasterii, sive potius ad Episcopum? -, S. Congregatio respondit: - Ad decimum sextum, Quoad primam partem spectare ad Episcopum in casibus non reservatis S. Sedi, quo vero ad secundam, Spectare ad Episcopum in percussionibus gravibus tantum *in Conversana die 8 Maii 1751.*

72. Censuit S. Congregatio, nonnullos Sacerdotes Terrae Castrinovi, visitationi personali, sub obtentu, quod Archiepiscopus ob peculiare fortasse odium contra ipsos conceptum, extra generalem Visitationem personaliter eos visitare vellet, adversantes, esse absolvendos a censuris, ab Archiepiscopo Lancianensi illatis, ex eo scilicet, quod praefatus Archiepiscopus dein Visitationem, per S. Congregationem imperatam, nemine reluctante, explevisset *in Lancianen. die 15 Ianuarii 1735.*

73. Propositis enim dubiis: - I. An censurae sustineantur in casu etc. II. An, post obtentam absolutionem ab excommunicatione per Sacerdotem Epiphanium de Martinis, rite et citra incursum in irregularitatem, potuerint celebrare in casu etc. III. An constet de attentatis commissis, in spretum Eminentissimi Pro-Auditoris Sanctissimi, itaut sit locus eorum purgationi, et respective circumscriptioni sententiae declaratoriae incursus in irregularitatem, per Archiepiscopum latae, contra eosdem Ecclesiasticos in casu etc. IV. An mulcta pecuniaria contra eosdem Ecclesiasticos lata die 7 mensis Decembris 1733 sustineatur in casu etc.-, S. Congregatio respondit: - Attenta paritione, esse absolvendos, nec non dispensandos ab irregularitate ad cautelam; et, quoad mulctam pecuniariam, non esse molestandos - *in Lancianen. die 15 Ianuarii 1735.*

74. S. Congregatio censuit, Canonicos Collegiatae Ecclesiae S. Mariae Civitatis Fodiae, qui partem suorum reditum, pro reparatione aedium plurium ex terraemotu concussarum, iuxta S. Congregationis praescripta impendere neglexerunt, absolvendos esse a censuris, et dispensandos ab irregularitate, imposita aliqua salutari poenitentia arbitrio Episcopi, dummodo quolibet anno deponerent ducatos biscentum, pro reintegratione communis aerarii usque ad summam mille sexcentum ducatorum, in refectionem praedictarum aedium impensam *in Troiana die 21 Aprilis 1742.*

75. Proposito enim dubio: - An sit annuendum precibus Capituli in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Praevia absolutione a censuris, et dispensatione ab irregularitate, imposita aliqua salutari poenitentia, arbitrio Episcopi, pro gratia iuxta petita, dummodo quolibet anno deponant ducatos biscentum pro reintegratione communis aerarii, et de sequuto deposito doceant coram Episcopo - *in Troiana die 21 Aprilis 1742.*

76. Declarata a S. Congregatione nullitate permutationis contractus, initi inter Conservatorium Oblatarum, sub invocatione Sacrae Familiae, et Ioachim Benedictum Pacifici, de licentia Card. Protectoris, proposito dubio: - II. An et quomodo sit locus reintegrationi et respectivae solutioni fructuum in casu etc. -, eadem S. Congregatio respondit: - Ad secundum, Esse locum reintegrationi; et, quoad restitutionem fructuum et refectionem melioramentorum, ad D. Secretarium pro liquidatione, iuxta mentem, nec non ad eumdem cum Sanctissimo pro absolutione - *in Terracinen. die 22 Ianuarii 1790.*

77. Quum S. Congregatio declaravisset, erogandos esse fructus capitalis superlucrati per Sodales S. Apolloniae Urbis, ex investimento promissarum dotium, reintegrato prius ex eodem capitali fundo legati cuiusdam Egidii, qui decrevit in duobus Locis MM., et deductis ex eius fructibus expensis Sodalitii, pro administratione bonorum, nec non celebrato quotannis anniversario, pro Fundatoribus et Benefactoribus, distributionem vero dictorum subsidiorum faciendam esse iuxta respectivas fundationes, ad quas pertinebant dotes investitae, pro rata scilicet fructuum capitalium, ad unumquodque legatum respective pertinentium, expresse edixit, consulendum esse Sanctissimo pro absolutione, ob factum per Sodales novum investimentum, absque licentia et in proprium creditum *in Romana Subsidiorum dotalium die 31 Maii 1794.*

78. Propositis enim dubiis: - I. An et quomodo sint erogandi fructus Locorum MM., de quibus agitur in casu etc. II. An, et quomodo ex iisdem fructibus sint conferenda subsidia dotalia in casu etc. III. An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione in casu etc. -, S. Con-

gregatio respondit: - Ad primum, Affirmative in alia subsidia dotalia, redintegrato tamen prius ex capitali fundo legati Egidii, et deductis ex fructibus expensis Sodalitii, pro administratione bonorum, nec non celebrato quotannis Anniversario, pro Fundatoribus et Benefactoribus. Ad secundum, Affirmative iuxta respectivas fundationes, pro rata fructuum capitalium, ad unumquodque legatum respective pertinentium. Ad tertium, Affirmative - *in Romana Subsidiorium Dotalium die 31 Maii 1794.*

79. Mortuo Matthaeo Episcopo Sorano, inventarium bonorum, in Palatio Episcopali existentium, Canonici confecerunt: et, ob quaestionem ab Herede ab intestato excitatam, ob bona patrimonialia, cum eo transactionem inierunt. At inde testamentum emersit, quo bona patrimonialia Episcopus Heredibus scriptis, cetera Successori in beneficium Cathedralis convertenda, reliquerat. Itaque Episcopus successor de nullitate transactionem redarguit, et delapsos fuisse Contrahentes in censuras, ob defectum beneplaciti Apostolici, censuit.

80. Propositis hinc dubiis: I. An sustineatur instrumentum, celebratum die 1 Octobris 1717 inter Canonicos Ecclesiae Cathedralis, et DD. de Gallianis. *Et quatenus negative.*

II. An Contrahentes incurrerint in censuras. *Et quatenus Affirmative.*

III. An et quomodo sint absolvendi in casu, et ad effectum etc. -, S. Congregatio respondit: - Ad primum, Negative. Ad secundum, Pro absolutione ad cautelam. Ad tertium, Provisum in praecedentibus, et amplius, et ad mentem - *in Sorana Nullitatis et Censurarum die 14 Martii 1722.*

81. Archiepiscopus Ecclesiae Tarentinae, dum anno 1739 suam perlustraret Diaecesim, comperiit, in Collegiata Ecclesia Oppidi Cryptalearum vetustissimam supra quamcumque hominum memoriam observari consuetudinem locandi ad vitam Portionariorum ipsius Ecclesiae bona immobilia, absque ullo Apostolicae Sedis beneplacito: dubitans vero, cum consuetudo eiusmodi refragaretur Apostolicis Constitutionibus, alienationem atque etiam locationem bonorum Ecclesiae ultra triennium interdicentibus, decrevit, ne a Capitulo istae locationes ultra fierent, atque ut de anteactis consuleretur Apostolica Sedes.

82. Itaque propositis dubiis: - I. An locationes seu concessiones bonorum, de quibus agitur, valide et licite fieri possint, absque beneplacito Apostolico, ad vitam Canonicorum et Portionariorum. *Et quatenus negative.*

II. An consulendum sit Sanctissimo, pro concessione Brevis seu Indulti locandi vel concedendi dicta bona, absque beneplacito Apostolico, et auctoritate reverendissimi Archiepiscopi in casu etc. *Et quatenus negative ad utrumque.*

III. An locus sit sanationi locationum seu concessionum iam factarum, absque Apostolico beneplacito in casu etc.

IV. An Canonici et Portionarii Collegiatae Ecclesiae Terrae Cryptalearum, ob locationes seu concessiones dictorum bonorum hactenus factas, absque Apostolico beneplacito, incurrerint poenas Extravag. *Ambitiosae,* de reb. Eccles. non alienandis. *Et quatenus affirmative.*

V. An et quomodo sint absolvendi a dictis poenis in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Praevia absolutione ad cautelam, pro gratia sanationis, quoad concessiones hactenus factas; quo vero ad concessiones imposterum faciendas, recurrant in casibus particularibus - *in Tarentina Beneplaciti Apostolici die 4 Maii 1743.*

83. Postquam Canonici Ecclesiae Collegiatae Civitatis Laviniae, quoddam praedium Ducibus de Caesarinis ad tempus, absque Sedis Apostolicae assensu, locassent; dubitarunt, num in censuras incidissent. S. Congregatio vero demandavit, ut praefati Canonici facerent ultimae locationis revocationem infra mensem, secus ut in censuras incurrisse declararentur, et, quoad praeteritas locationes, absolvi eos ad cautelam iussit *in Albanen. Beneplaciti die 17 Novembris 1703 ad II dubium.*

84. Qui nullam in contractu emphyteusis habuerunt partem, et fuerunt opinione, ut servata sint solemnia praescripta in cap. 1, de reb. Eccles. non alienan. in 6, et Extrav. *Ambitiosae,* eod. tit., absolutionem ad cautelam saltem merentur, quum ob bonam fidem vacent culpa *in Privernen. Emphyteusis die 16 Iunii 1787* §. *Absolutionem* (1).

85. Proposito enim dubio: - I. An sit consulendum Sanctissimo, pro absolutione et sanatione in casu etc. -, S. Congregatio respondit: -

(1) Fagnan. in cap. Super eo, de crimin. fal. n. 15.

Ad primum, Consulendum esse Sanctissimo, pro sanatione et absolutione ad cautelam - *in Privernen. Emphyteusis die 16 Iunii 1787.*

86. Absolutionem a censuris indulsit S. Congregatio Religiosis secularibus Collegiatae Ecclesiae S. Petri Oppidi Romaricomontis, ob alienationem peractam cuiusdam ratae partis Feudi, nuncupati de Roville, ad Capitularem mensam spectantis, licet reservatum fuerit Beneplacitum Apostolicum *in Nullius Provinciae Treveren. 12 Ianuarii 1704.*

87. Sacra Congregatio absolutionem ad cautelam concedendam esse respondit Diacono commendatario Prioratus Curati, qui, post adeptam Prioratus possessionem, et nondum Presbiter, panem et aquam in Missa parochiali benedixit, infantes baptizavit, et matrimonia celebravit *in Cornoten. Absolutionis die 2 Decembris 1679 lib. 30 decretorum pag. 496.*

88. Absolutio, in forma consueta, non est necessaria, quando Sacra Congregatio rescribit, cum clausula - Suspendantur censurae, vel suspensis censuris ad mentem, vel ad duos menses - *in Dubio Censurarum die 24 Iulii 1677 lib. 29 decretorum pag. 473.*

89. Per literas Secretariae Sacrae Congregationis absolutio a censuris concessa fuit Sacerdotibus eiectis ab Episcopo, cui commissa fuerat, non allegata ab eodem sufficienti ratione eiectionis *in Lavinen. Synodi die 10 Maii et die 22 Iunii 1692 lib. 42 decretorum.*

90. Absolutio, ad effectum ingrediendi et profitendi in religione facilius conceditur *in Tridentina die 13 Februarii 1637 lib. 15 decretorum pag. 662.*

Item *in Ianuen. die 7 Augusti 1638 lib. 16 decretorum pag. 76.*

91. Absolutio a censuris et reintegratio ad vocem activam et passivam fuit ex gratia concessa Superiori regulari, qui in visitatione non curaverat missarum onera adimpleri, ad formam Bullae Innocentianae *in Imolen. die 17 Decembris 1740.*

92. Siquidem Franciscus Reali, Religiosus Tertii Ordinis S. Francisci, Conventus S. Mariae Piratelli, in Suburbiis Fori Cornelii existentis, sub annum 1738 S. Congregationi exposuit, Fratrem Michaelem Angelum Belletti, eiusdem Conventus Priorem multiplici violatione peccasse, contra Bullam Innocentianam, super celebratione Missarum, editam: quippe qui nedum electionem Ministrorum, pro revidendis Missarum libris retinendisque clavibus duplicis capsulae, in qua manuales Missarum eleemosynae reponuntur, omiserit; verum etiam Missarum, tam perpetuarum, quam manualium celebrationem diu protraxerit, Fratrem vero Franciscum Iulianum laicum professum eiusdem Ordinis ausum fuisse plurium Missarum celebrationem proprio charactere in Tabella, et in libello Officiorum adnotare, et falso nomine Sacerdotum celebrantium describere, itidemque Fr. Magistrum Ioannem Thomam Boni, dicti Ordinis Ministrum Provincialem, licet ab ipso fratre Reali, aliisque Religiosis, de exposita criminum serie certiorem factum, nihil unquam egisse, quo Delinquentium emendationi consuleretur.

93. Quum autem EE. PP. causae huius cognitionem E. Cardinali Accorambono, tunc Episcopo Imolen. remiserint, eius Vicarius generalis, instructo absolutoque processu, definitiva sententia pronunciavit, memoratum Fratrem Boni, praeter alios, in eadem sententia nominatim expressos, in poenas a laudata Bulla Innocentiana statutas, incidisse; ex eo, quod a Fr. Reali aliisque Religiosis de commissis a Priore Belletti, et Fratre Iuliano excessibus, licet admonitus, in provinciali visitatione sub diem 27 Iulii 1737 peracta, eos corripere ac emendare neglexerit. Interposita dein appellatione ad S. Congregationem in eo praecipue institit, ut ob bonam fidem absolutio concederetur. Itaque proposito dubio: - An sit locus absolutioni et reintegrationi in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Affirmative, ex gratia - *in Imolen. die 17 Decembris 1740.*

94. Vir, qui puellam non modo consentientem, sed ipsam proponentem abripuit, ut, etiam invitis consanguineis, matrimonium inire posset, absolvendus est tantum ad cautelam a censuris, etiamsi edicta censurarum per Curiam Ecclesiasticam pluries affixa fuerint, stante contumacia praedicti Viri *in Ruben. Raptus et censurarum die 3 Martii 1714.*

95. Propositis enim dubiis: - I. An obstet praetensus raptus ad contrahendum Matrimonium in casu etc. II. An censurae sustineantur in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Ad primum, Non obstare. Ad secundum, Esse absolvendum ad cautelam - *in Ruben. Raptus et Censurarum die 3 Martii 1714.*

§. IV.

ABSOLUTIO AB EXCOMMUNICATIONE IN GENERE.

1. Ausum Clerici, contra Episcopum provocationis beneficium penes potestatem laicam experiri praesumentis, adeo execrantur Ecclesiae Canones atque Disciplina, ut quivis Clericus illum admiserit perculsus excommunicationis fulmine notetur, nec ullam sibi amplius spes reconciliationis affulgeat *in Placentina Restitutionis in Paraeciam die 24 Ianuarii 1846* §. *Secundo* (1).

2. Ceterum Archidiaconum Maiorem Ecclesiae Cathedralis, et Vicarios ab eodem, Sede vacante, constitutos, et in excommunicationis censura, ob recursus habitos ad laicos Iudices, detentos, absolvendos esse censuit S. Congregatio *in Gerunden. Deputationis Vicarii die 5 Septembris 1699 ad II dubium.*

Item *die 5 Iunii 1700.*

3. Nemo vero ab excommunicatione, ob Simoniam confidentialem incursa, nisi in mortis articulo constitutus, ab alio, quam a Romano Pontifice, absolutionis beneficium valet obtinere *in Nullius S. Iacobi de Spatha die 21 Aprilis 1792* §. *Simoniacus* (2).

4. Si vero simonia mentalis sit, sufficit per solam poenitentiam suo satisfacere Creatori *in Licien. Irregularitatis die 26 Aprilis 1817* §. *Tandem* (3).

5. Proposito dubio, ad quem Excommunicati ab Episcopis, pro absolutione saltem ad cautelam obtinenda, accedere debeant; et an Abbates, qui, ut praefertur, in locis sibi subiectis habent plenariam iurisdictionem quasi episcopalem, possint illos sic excommunicatos ab Episcopis, ex dictis locis subiectis, tamquam id de facto, potiusquam servata forma Sacrorum Canonum processerit, auctoritate ordinaria ipsorum Abbatum absolvere et relaxare? S. Congregatio respondit, ad primam partem, accedere debere ad Excommunicatorem, ad secundam, non posse. *In Cassinen. Februarii 1588 ad VI dubium.*

6. S. Congregatio concessit Ordinario facultatem absolvendi in forma privata quemdam Petrum Angelum Lucinam, Monachum Olivetanum, et Monasterii Montis Oliveti Neapolis Vicarium, in excommunicationem incidisse ob contumaciam declaratum; quippe qui, absque proprii Parochi licentia, extremae unctionis Sacramentum Viro, intra Monasterii septa inhabitanti, ministravit, *in Neapolitana Censurarum die 5 Iunii 1700.*

7. Clericus Horatius Saracenus, ad instantiam puellae Dominicae Grottolae, criminali iudicio ob praetensum stuprum cum eadem patratum, anno 1691 fuit excommunicatus, inde tamquam innocens ab impacto crimine fuit declaratus, et ad Sacros Ordines ascendit, nec non Canonicatum in Ecclesia Cathedrali est assequutus. Proposito hinc dubio: - An censurae latae subsistant. *Et quatenus affirmative.* An sit absolvendus? S. Congregatio respondit, Esse absolvendum et dispensandum ad cautelam - *in Iuvenacen. Censurarum et Irregularitatis die 23 Februarii 1709 ad III dubium.*

8. Quum inter Episcopum Vicensem et Fratrem Ioannem Franciscum Copons Priorem Monasterii S. Mariae de Rivipullo Ordinis S. Benedicti, Vicarium Capitularem et vacantis Abbatiae Rivipullensis Administratorem acre adeo exarsisset dissidium, super deputatione Oeconomi ad Parochialem Ecclesiam S. Elulaliae de Villadonia, ut Episcopus declararet, antedictum Priorem incurrisse censuras in Bulla *Coena Domini* cap. 16 et 17, et in Tridentino cap. 11, sess. 22 de reform. latas, adversus eos, qui ecclesiasticam iurisdictionem sibi usurpant, aut illius exercitium quoquo modo praesumunt impedire; contra vero idem Prior publicari fecerit in Ecclesia Rivipulli et affigi in locis publicis Cedulones, quibus Episcopus denunciatus fuit excommunicatus vitandus, bina in S. Congregatione, cui Sanctissimus negotii definitionem remiserat, proposita fuere dubia sub diem 3 Iulii 1734, nempe: - I. An et ad quem spectet in Parochiali Ecclesia S. Elulaliae de

(1) Ut Agatense Concilium can. 8, Antiochenum can. 12, Concil. Martini Papae cap. 3, quibus adsonant Gregor. Magnus lib. 4, epist. 34; D. Augustinus epist. 5 in Append.

(2) S. Pius V in Constit. incipien. *Intolerabilis* 85, §. Sed ne quisquam.

(3) Cap. Fin. de Simon.

Villadonia cum ei adnexa S. Stephani de la Riba Oeconomum pro exercitio curae deputare in casu etc. II. An et quae censurae sustineantur, et quomodo sit providendum in casu etc. -, quibus ad petitionem memorati Prioris eadem die non resolutis, prodiit Rescriptum; - Dilata, et proponatur omnino causa super negotio principali in prima Congregatione Novembris, suspensis hinc inde censuris -*in Vicen. seu Rivipullen. Iurisdictionis die 5 Iulii 1738* §. *Cum.*

9. Hinc post plures comperindinationes Sacra Congregatio praefatis dubiis respondit: - Ad primum, Spectare ad Episcopum. Ad secundum, Sustineri censuras latas ab Episcopo, latas vero per Priorem non sustineri, et quoad absolutionem, ad mentem - *in Vicen. seu Rivipullen. Iurisdictionis die 23 Augusti 1738.*

10. Absolutio ad cautelam ab excommunicatione, in casibus contentis in Bulla *Coenae,* est prohibita tam in foro exteriori, quam interiori *in Dubio ad cap. 6 sess. 24 de Reform. Posit. 16.*

11. Quoad forum tantum internum, etiam secluso scandalo et satisfacta parte, non autem quoad forum externum, suffragatur absolutio, obtenta a publicis Excommunicatis, in vim Bullae cruciatae *in Cusentina die 30 Iulii et die 27 Augusti 1672 lib. 27 decretorum pag. 452 et 476.*

Item *in Vicen. Visitationis sacrorum Liminum die 15 Aprilis 1690 ad V dubium lib. 40 decretorum.*

12. Absolutio eorum, qui decimas subtrahunt aut impediunt, quominus Ecclesiis vel Personis, quibus iure debentur, integre persolvantur, non est Apostolicae Sedi reservata, sed ab Ordinario, facta restitutione, potest concedi *in Ianuen. die 19 Ianuarii 1737* §. *Postulante* (1).

13. Nam, qui decimas subtrahunt, et in rem suam vertunt, aut impediunt, quominus Ecclesiis vel Personis, quibus legitime debentur, integre persolvantur, non sunt *ipso iure* excommunicati, sed excommunicandi, quemadmodum statuitur eiusdem Concilii Tridentini decreto in cap. 12 sess. 25 de reformat. *in Ianuen. die 19 Ianuarii 1737* §. *Postulante.*

14. Hinc absolutio spectat ad Ordinarium, qui excommunicationis sententiam tulerit, proindeque synodalis Constitutio hac in parte nequaquam est observanda *in Ianuen. die 19 Ianuarii 1737* §. *Postulante.*

15. Atque Decretum Concilii Tridentini in cap. 11 sess. 22 ad hunc casum non pertinet *in Ianuen. die 19 Ianuarii 1787* §. *Postulante.*

16. Absolutio vero ab excommunicatione, ob violatam immunitatem ecclesiasticam, iuxta terminos Constitutionis Gregorii XIV incipien. *Cum alias nonnulli,* est Sedi Apostolicae reservata *in Dubio die 27 Maii 1623 lib. 12 decretorum pag. 137 a tergo.*

17. Siquidem proposito dubio: - An absolutio a censuris, ob violatam immunitatem ecclesiasticam, iuxta terminos Constitutionis S. M. Gregorii XIV, quae incipit: *Cum alias nonnulli,* sit Sedi Apostolicae reservata? S. Congregatio respondit: - Esse reservatam - *in Dubio die 27 Maii 1623 lib. 12 decretorum pag. 137 a tergo.*

18. Item absolutio ab excommunicatione, ob violatam clausuram Monialium ad malum finem, est reservata Summo Pontifici *in Sabinen. die 3 Iulii 1632 lib. 14 decretorum pag. 637.*

19. Enim vero propositis dubiis: - I. An Violantes clausuram Monialium non tamen praetextu licentiarum incidant in excommunicationem soli Summo Pontifici reservatam? II. An admittentes huiusmodi Violantes in clausuram sint excommunicationi obnoxii? III. An Decretis Conciliaribus et Constitutionibus Apostolicis clausuram praecipientibus obstet contraria consuetudo etiam post Concilium introducta? IV. An in consecratione Monialium possint Moniales egredi, aut Episcopus ingredi clausuram in actu consecrationis? V. An in occasione huiusmodi consecrationis possint Magistri caeremoniarum, Consanguinei seu Consanguineae ipsarum consecrandarum saltem permissione Episcopi Clausuram impune ingredi? S. Congregatio respondit: - Ad primum, Esse reservatam Summo Pontifici. Ad secundum, Superiores admittentes huiusmodi Violatores in clausuram esse excommunicationi obnoxios. Ad tertium, Decretis Conciliaribus et Consti-

(1) S. Congreg. in Ariminen. die 8 Iunii 1619, lib. 12 decret. pag. 12, quod confirmavit in praedicta Ianuen. die 9 Februarii 1737, ad II et III dubium.

tutionibus Apostolicis, clausuram praecipientibus, nullam consuetudinem obstare. Ad quartum, In consecratione Monialium servandum esse Pontificale Romanum. Ad quintum, Ingressum in Monasterii clausuram neque Magistro caeremoniarum neque Consanguineis ipsarum Monialium esse permissum - *in Sabinen. die 3 Iulii 1632 lib. 14 decretorum pag. 637.*

20. Absolutio ad cautelam, et quatenus opus esset dispensatio super irregularitate, concessa fuit asserto excommunicato, et cum praefata excommunicatione sibi, ut asseruit, ignota, ascenso ad sacros ordines, et de Canonicatu proviso, ac pacifice per plures annos possesso *in Iuvenacen. Censurarum et Irregularitatis die 23 Februarii 1709 lib. 59 decretorum.*

21. Ad cautelam pariter absolutio et respective dispensatio ab irregularitate concessa fuit Sacerdoti inquisito, de violenta manuum iniectione, probata in processu ab Ordinario confecto, et negata in informatione exquisita, et data ab altero Episcopo de mandato Sacrae Congregationis *in Civitatis Ducalis Censurarum et Irregularitatis die 12 Decembris 1711 lib. 61 decretorum.*

22. Absolutio concessa in utroque foro a Praelato avenionen., vigore suorum privilegiorum, sacerdoti inquisito in Curia episcopali de alapa impacta Clerico, dum erat sacris vestibus indutus, et de successiva celebratione Missae cum scandalo populi non obstat, quin Episcopus possit procedere, prout de iure, contra inquisitum *in Cavallicen. Iurisdictionis die 8 Augusti 1699 lib. 49 decretorum.*

23. Die 13 Ianuarii 1725 Franciscus Maria Sigue Canonicus Turritanus tanta violentia et impetu irruit in Sacerdotem Ioannem Andream Sacaioni Officialem rationarium Cathedralis Ecclesiae, ut eum in humum proiecerit, idemque aliquo temporis spatio sanguinem ex ore expuens veluti exanimis permanserit.

24. Contigit hoc in publico atrio Ecclesiae, et coram pluribus personis, expositaque a Sacerdote Ioanne Andrea querela, Vicarius Capitularis una cum duobus adiunctis, sibi a Capitulo assignatis, devenit ad examen Testium. Processu et causa, ob exceptiones ab Adiunctis excitatas, ad S. Congregationem remissis, praelaudata S. Congregatio facta relatione huiusmodi inter summaria precum die 22 Septembris 1725 respondit: - Quod Vicarius, quatenus opus esset, auctoritate etiam eiusdem S. Congregationis, declararet Canonicum Franciscum Mariam Sigue excommunicatum et ab omnibus evitandum, nec non irregularem, et ad mentem, quae fuit, ut scriberetur Vicario, quod quatenus instaret pro absolutione, eum absolveret ab excommunicatione, satisfactis Parte et Fisco - *in Turritana die 30 Martii 1726* §. *Die.*

25. Cumque praedictus Canonicus ad Urbem accesserit, et insteterit pro descriptione Causae in folio, proposito dubio: - An sit standum vel recedendum a decisis die 22 Septembris 1725 -, S. Congregatio respondit: - Incurrisse in censuram et esse irregularem, et detur facultas Vicario Capitulari absolvendi et dispensandi, attenta remissione Partis, et ad mentem - *in Turritana die 30 Martii 1726.*

26. Franciscus Conradus Romezshome, Canonicus Collegiatae Ecclesiae Aquensis, querelam exposuit coram Reverendissimo Nuntio Coloniae, quod die 17 Novembris 1725 dum ipse post vesperas in Capellam destinatam ad effectum se exuendi vestibus choralibus ingrederetur, Willelmus Moers Senior Canonicus eiusdem Ecclesiae adhuc indutus eisdem vestibus choralibus violentas manus in eum ingerit: hinc instetit, quod iste declararetur in poenas praescriptas in notissimo Canone, *Si quis suadente Diabolo, Caus. 17, quaest. 4.;* et ad probandam hanc violentam manus iniectionem exhibuit extraiudicialem depositionem duorum Testium, nempe alterius Canonici Francisci Delagrange et Claudii Francisci de Verneville, deponentium, se vidisse, quod Canonicus Moers dicto die querelantem aggressus fuerit, manibusque in pectus percusserit, et nisi ipse Canonicus Delagrange se interposuisset, adhuc baculo manibus elevato eumdem percussisset.

27. Canonicus Moers vero respondit, quod ille requisitus amicabiliter ab ipso, ut solveret debitum eius Sorori, quae penes Capitulum insteterat pro appositione sequestri super fructibus praebendae, Canonicus Romezshome turbato animo et iniuriosis verbis se approximavit exponenti, qui nesciens, qualis esset eius animus, sinistram manum in pectus iniecit, pro eo repellendo: sed Canonicus Romezshome aggrediens ipsum, eumdemque pugnis in facie et capite percutiens, in terram proiecit.

28. Examinatis subinde Testibus in vim De-

creti Nuntiaturae, qui fere eadem deposuerunt in Tribunali Nuntiaturae, prodiit Sententia absolutoria Canonici Moers ab instituta actione una cum condemnatione Canonici Romezshome Actoris ad omnes expensas. Isto etiam monito, ut consuleret conscientiae suae super incursu in censuras, et iniuncto Capitulo, ut pro dictis scandalis ad debitam correctionem procederet.

29. Ab hac sententia recursum habuit Canonicus Romezshome ad Sacram Congregationem. Hinc propositis dubiis: - I. An Canonicus Moers incurrerit in poenas Canonicas, *Si quis suadente Diabolo* etc. *Et quatenus negative.* II. An sit locus executioni sententiae R. P. D. Nuntii Coloniae in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Ad primum, Negative. Ad secundum, Affirmative - *in Leodien. seu Nullius Censurarum die 16 Decembris 1730.*

30. Vicarius generalis excommunicavit cum Testibus iuratis Sacerdotem Iacobum Faraglia, qui in Curia Episcopali a Clerico Ioanne Iosepho Germano in eum manus iniecisse fuerat accusatus. Iacobus vero nunquam illum attrectasse testatus est, afferens Testes, qui tantum alternas iniurias audierant. Hinc S. Congregatio absolutionem ad cautelam impertivit *in Civitatis Ducalis Censurarum et Irregularitatis die 12 Decembris 1711 ad III dubium.*

31. Cum dimissi a schola vespertina die 23 Decembris anni 1781 luderent solutis animis Pueri in Coemeterio Paraeciae Vallis Zerii, rixa, ut saepe solet, enata est inter Clericum Marcum Boleri annorum quatuordecim, et Iosephum Guilielmi Loci Sueri annorum tredecim: consertisque statim manibus, Clericus Iosephum prostravit, eique superfuit. Sed ubi Adversarii vim is denique evasit, breviorem cultrum, quo Scholares utuntur, distrinxit, Clericumque iterum aggredientem in coxa vulneravit. Cumque ab ictu cruralis arteria intercisa sive lacerata admodum fuerit, ex nimia cruoris profusione, quam, nemine artis remedia praestante, vulneratus passus est, modicas post horas occubuit.

32. Exoptans subinde praefatus Ioseph ad Clericalem militiam institui humiles porrexit preces, ut ab incursa irregularitate dispensationem consequeretur. Itaque proposito dubio: - An et quomodo sit locus dispensationi in casu etc. -, S. Congregatio, ex eo etiam, quod Episcopus attentis Iosephi bonis moribus dignum gratia existimaverit, respondit: - Constito de satisfactione Fisci (1), Affirmative, pro gratia absolutionis et dispensationis, facto verbo cum Sanctissimo - *in Brugnaten. Irregularitatis die 6 Maii 1786.*

33. Post biduum a defuncto Alexandro Horaim obiit die 18 Octobris 1788 Constantia Volodkoviez eius Uxor, elegitque sibi Sepulturam in Ecclesia PP. Carmelitarum Discalceatorum Conventus Olkoviensis, quorum Tertiariae habitum gestaverat. Statim Theresia ipsius mater eiusque vir Franciscus Uniechovscki contendere ceperunt tamquam executores testamentarii de sepeliendo cadavere Alexandri Horaim cum altero Uxoris in Ecclesia PP. Carmelitarum: sed eis restitit Parochus Olkoviensis, ac spreto Episcopali praecepto de non sepeliendis, sub poena excommunicationis, cadaveribus in sua Ecclesia absque interpellatione Theresiae, ea de facto sepelivit. In Contradictorio tamen iudicio cadaverum exhumationem prohibuit Episcopus Vilnensis, declaravitque Parochum ab incursis poenis immunem, praestito tamen per eum iuramento, quod violentiam ad sepelienda cadavera passus fuerit a fratribus Alexandri Horaim. Proposito hinc dubio: - II. An Parochus Olkoviensis inciderit in poenam ab Episcopo comminatam, ita ut consulere debeat conscientiae suae in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Ad secundum, Consulendum Sanctissimo pro absolutione - *in Vilnen. Sepulturae die 15 Decembris 1792.*

34. Sacra Congregatio quandoque absolutionem et dispensationem ab irregularitate ad cautelam indulsit, etiamsi nullitatem excommunicationis iniuste inflictae declaravisset *in Capuana seu Calven. Iurisdictionis die 7 Septembris 1737.*

35. Iam vero Episcopus Calvensis ad petitionem Innocentii Cestrone Parochi loci, nuncupati *Ciambrisco,* conquerentis, Cadaver Crescentii Leone in loco *Arvalone,* intra limites suae Paraeciae et Calvensis Diaecesis repentina morte correpti, subdole ac violenter ad Parochialem Ecclesiam S. Germani in Pago *del Pizzone* positam et iurisdictioni Archiepiscopi Capuani subiectam a Iosepho Lanna eiusdem

(1) Siquidem in casu, laicalis, non vero ecclesiastica Curia processerat, quin illa ullam poenam in praefatum Iosephum decrevisset: atque Orator per eadem acta pacem libere obtinuerat ab ipso interempti Clerici Parente.

*

Ecclesiae Rectore una cum Presbytero Francisco Pane delatum fuisse, sub diem 9 Aprilis 1736 praefatos Parochum D. Iosephum Lanna et D. Franciscum Pane ob praetensam iurisdictionis violationem excommunicavit et excommunicatos declaravit, ac proinde expediri mandavit Cedulones in forma, iuxta disposita in Cap. Dilecto, de Sent. Excomm. in 6 *in Capuana seu Calven. Iurisdictionis die 7 Septembris 1737* §. *Episcopus.*

36. At, neglectis Cedulonibus in exequutionem huiusmodi decreti postmodum affixis, tam dictus Ioseph Lanna, quam Franciscus Pane et Missam celebrare et Sacramenta ministrare perrexerunt, solumque sub mensem Iunii eiusdem anni 1736 supplicem Archiepiscopo Capuano exhibuere libellum, quo exponentes, se nulliter et indebite excommunicationis censura fuisse irretitos ab Episcopo Calvensi, falso existimante, Pagum *l'Arvalone*, ubi dictus Crescentius Leone decessit, ad Parochialem *di Ciambrisco* pertinere, quum tamen Archiepiscopi Capuani iurisdictioni Pagum illum obnoxium asserant, die 27 Iunii dicti anni 1736 obtinuerunt ab eodem Archiepiscopo declarationem nullitatis excommunicationis. Quin imo Archiepiscopus ille addidit: - Ac mitius agentes contra praefatum Episcopum aliosque etc. notorie laesorem ac laesores nostrae Iurisdictionis, reservamus in vim Constitutionum Apostolicarum eumdem, sive eosdem declarari excommunicatos, donec et quousque super his habitum fuerit Oraculum, per Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium - *in Capuana seu Calven. Iurisdictionis die 7 Septembris 1737* §. *At.*

37. Interposito ab Episcopo Calvensi recursu ad praelaudatam S. Congregationem Episcoporum et Regularium, atque ab illa remissa causa ad sacram Congregationem Concilii; haec, propositis dubiis: - I. An et de cuius Iurisdictione constet in loco *dell' Arvalone*. II. An Censurae sustineantur. III. An decretum seu sententia Archiepiscopi sustineatur. *Et quatenus negative.* IV. An Parochus *del Pizzone*, et Sacerdos Pane incurrerint in irregularitatem, sive aliqua poena sint puniendi in casu etc. -, responsum dedit: - Ad primum, Dilata, et coadiuventur probationes, addito dubio: *Ad quem ex Parochis spectet tumulatio Cadaveris.* Ad secundum, Non substineri. Ad tertium, Negative, ex capite nullitatis. Ad quartum, Pro absolutione et dispensatione ad cautelam - *in Capuana seu Calven. Iurisdictionis die 7 Septembris 1737.*

38. Exorta controversia inter Parochos et Regulares Civitatis Mediolanensis, super solutione quartae funeralis, die 9 Septembris 1730 ac die 2 Iunii 1731 disceptata ac resoluta fuerunt ab S. Congregatione septem dubia, quae subinde ad instantiam Parochorum Summus Pontifex, illatis etiam censuris in Contradictores, confirmavit *in Mediolanen. Censurarum die 20 Novembris 1734* §. *Exorta.*

39. Hinc ad normam praedictae resolutionis, Pontificia auctoritate confirmatae, Georgius Bertanus et Carolus Hieronymus Sinistrarius Parochi Portionarii Ecclesiae S. Carpophori, cui iure Parochiali suberat Comes Franciscus Pecchius, ratione Quartae funeralis, petierunt a Patre Priore aliisque Patribus Conventus Ordinis Carmelitarum medietatem emolumentorum, quae ipsis obvenerant die, qua praedicti Comitis Francisci Pecchii cadaver in eorum Ecclesiam sepultum fuit. Itaque coram Vicario Archiepiscopali in civilibus citati fuerunt praedicti Patres Carmelitae ad dicendam causam, quare in vim confirmationis Apostolicae declarari non deberent excommunicati et interdicti ab ingressu Ecclesiae, ob non solutam controversam cerae medietatem. At Patres, semel atque iterum repetita protestatione, quod parati erant solvere petitam cerae medietatem, dummodo sibi traderetur altera medietas emolumentorum, quae Parochi perceperant occasione similis Officii eadem die celebrati in Parochiali Ecclesia S. Carpophori, ac una simul in suspectum allegato praedicto Vicario Civili, opposuerunt de vitio nullitatis omnium peragendorum, si Vicarius ad ulteriora procederet. Ille vero ad ulteriora procedens P. Iosephum Neccum in Priorem Conventus Carmelitarum electum nec non P. Angelum Alegrantiam censuris innodatos declaravit, ac postmodum Cedulones affigi praecepit *in Mediolanen. Censurarum die 20 Novembris 1734* §. *Coram.*

40. Appellatione tamen interposita, S. Congregatio die 7 Februarii 1734 rescripsit: - Eminentissimo Archiepiscopo, pro informatione et voto, suspensis censuris ad duos menses -, ac dein censurarum suspensione ad alios duos menses indulta, postremo rescriptum fuit, pro transmissione actorum, suspensis interim

censuris ad alios quatuor menses, facto deposito summae controversae, sine praeiudicio ambarum Partium *in Mediolanen. Censurarum die 20 Novembris 1734* §. *Ab his.*

41. Praeterea, delatis una cum relatione Vicarii generalis Eminentissimi Archiepiscopi omnibus actis, S. Congregatio, proposito dubio: - An censurae sustineantur in casu etc. -, respondit: - Consignato deposito, esse absolvendos ad cautelam - *in Mediolanen. Censurarum die 4 Decembris 1734.*

42. Demum reproposito dubio sub formula: - An sit standum vel recedendum a decisis in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - In decisis, et amplius, et ad mentem - *in Mediolanen. Censurarum die 23 Aprilis 1735.*

43. Imo S. Congregatio pro temporum morum rerumque circumstantiis absolutionem indulsit, cum reincidentia *in Reatina Censurarum die 27 Ianuarii 1827.*

44. Siquidem S. Congregatio, postquam declaraverit Sacerdotem Antonium Palmieri, qui malis artibus a beneficiorum Patronis, Rectoribus, et Conductoribus ecclesiastica bona sine Apostolicae Sedis beneplacito emerat, in excommunicationem et suspensionem incidisse, censuit, per Rescriptum diei 15 Septembris 1824 pro nunc satis provisum absolutioni a censuris, illa tamen conditione, ut firma remanente reincidentia, et expletis causis coram Episcopo, super restitutione bonorum ecclesiasticorum, recurrat Orator commendatus ab Episcopo, et tunc ad D. Secretarium cum Sanctissimo *in Reatina Censurarum die 27 Ianuarii 1827.*

45. Propositis enim dubiis:-V. An Orator inciderit in excommunicationem et suspensionem in casu etc. *Et quatenus affirmative.* VI. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Ad quintum, Affirmative, sed pro nunc satis provisum per Rescriptum diei 15 Septembris 1824 - Ad sextum, Provisum pro nunc, ut supra, firma remanente reincidentia, et expletis causis coram Episcopo, recurrat Orator commendatus ab Episcopo, et tunc ad D. Secretarium cum Sanctissimo - *in Reatina Censurarum die 27 Ianuarii 1827.*

46. Item Georgius Giura et Clara Musacchio Oppidi Maschiti cum essent in quarto consanguinitatis gradu coniuncti, ut valide matrimonium contraherent, dispensationem a Summo Pontifice, directam Ordinario Melphiensi, uti viciniori, cum vacaret Sedes Venusina, impetrarunt; obtentoque Decreto, pro exequutione dispensationis, matrimonium coram Parocho et Testibus, praeviis etiam denunciationibus, die 20 Augusti 1714 contraxerunt. Vicarius Capitularis Venusinus praetendens matrimonium nullum, tum quia exequutio dispensationis spectaret ad Episcopum Lavellen viciniorem, inhibuit Sponsis, ne sub poena excommunicationis cohabitarent, atque emanato ad eius instantiam ab S. Congregatione die 22 Septembris 1714 rescripto: - Vicarius Venusinus conficiat processum contra Contrahentes et Parochum, ac iniungat Sponsis, ne insimul conversent -, et probata per Testes contraventione enunciato praecepto, dictum Georgium Giura et Claram Musacchio excommunicavit, qui, praevia paritione, plures et reiteratas obtinuerunt absolutiones, cum reincidentia.

47. Propositis inde dubiis: - I. An matrimonium sit validum in casu etc. II. An Oratores absolvendi sint a censuris in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Ad primum et secundum, Negative, et amplius - *in Venusina Matrimonii die 3 Octobris 1716.*

48. Ioannes Baptista de Aro recursum habuit ad S. Congregationem exponendo, se per vim et metum adactum fuisse ad contrahendum Matrimonium de praesenti cum Catharina Moncado, se ulterius fuisse a Curia Episcopali excommunicatum, ex quo cum illa cohabitare renuebat, datisque de more literis ad Ordinarium, fuit ab ipso responsum, Catharinam stuprum passam fuisse a Ioanne Baptista, hunc fuisse carceribus mancipatum, et in carceribus de stupro commisso confessionem emisisse, et ulterius voluntatem patefecisse de Catharina in Uxorem ducenda, et cum ea tandem Matrimonium in facie Ecclesiae contraxisse, et excommunicationis sententiam passum fuisse, ex quo cum ea cohabitare renuebat.

49. Propositis hinc dubiis: - I. An matrimonium sit validum in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An Clericus Ioannes Baptista de Aro sit absolvendus a Censuris a Curia Episcopali inflictis in casu etc: -, S. Congregatio respondit: - Dilata, et praefigatur novus terminus Catharinae ad sua iura deducenda, et interim Ioannes Baptista curet coadiuvare pro-

bationes super negativa stupri, et absolvatur cum reincidentia, ad tres menses - *in Caietana die 23 Maii 1722.*

50. Reproposita subinde causa, S. Congregatio responsum dedit: - Dilata, et examinentur Testes formiter, citato Patre Catharinae, eodemque negligente prosequi iura Filiae, dentur a Fiscali Curia interrogatoria ex officio. Ad secundum, Suspendantur censurae, per tres menses - *in Caietana die 21 Novembris 1722.*

51. Demum repropositis dubiis, S. Congregatio respondit: - Dilata - *in Caietana die 2 Octobris 1723.*

52. Soror Maria Magdalena professionem emisit in Monasterio S. Clarae Civitatis Neocastri die 11 Aprilis 1711. Cumque, elapso quinquennio, iudicium nullitatis Professionis instituere voluerit, expeditae fuerunt consuetae Literae Ordinario Neocastren., pro compilatione processus, auditis interesse habentibus.

53. In processu autem, per dictum Ordinarium compilato et transmisso, nedum continentur responsiones sororis Mariae Magdalenae positionibus sibi datis a Procuratore sui Monasterii, in quibus constanter asseruit, a se fuisse emissam Professionem, propter metum a Matre et Patre incussum; sed, quod notatu dignum est, in eodem continebantur processu attestationes et examina Patris et Matris, qui minas enarrabant a seipsis filiae intentatas, ut Professionem faceret. Corroborabantur haec ex dictis aliorum Testium, qui retulerunt, se fuisse praesentes, tunc cum Mater metum Puellae iniecit, ut regulari observantiae et Professioni nomen daret. Alii deposuerunt de praepotentia Patris, et Universitas Neocastri testata est de publica voce et fama in eo, quod attinebat ad Professionem emissam per vim et metum.

54. Proposito hinc dubio: - An sit locus restitutioni in integrum in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Dilata, et coadiuventur probationes, et interim Episcopus procedat ad formam Concilii (1) contra Parentes - *in Neocastren. Restitutionis in integrum die 7 Maii 1718.*

55. Reproposita subinde causa die 24 Februarii 1720, nec ulla fuit capta resolutio, sed rescriptum fuit: - Ad mentem -, et mens fuit, quod - Moderno Episcopo Neocastrensi scriberetur pro secreta informatione -; licet enim in hac causa bini fuerint confecti processus, nullus tamen a loci Episcopo confectus est. Primus enim a Vicario Capitulari, et alter ab Episcopo Cathacensi tamquam delegato fuit compilatus in *Neocastren. Restitutionis in integrum die 7 Decembris 1720* §. *Proposita.*

56. Demum reproposito dubio: - An sit locus restitutioni in integrum in casu etc. - Sacra Congregatio respondit: - Negative, et, quoad absolutionem a Censuris, ad D. Secretarium cum Sanctissimo - *in Neocastren. Restitutionis in integrum die 7 Decembris 1720.*

57. Absoluti a censuris a Regularibus in vim privilegiorum Apostolicorum, etiam satisfacta parte, non intelliguntur absoluti, quoad forum exterius et contentiosum, et cogi possunt ab Ordinario ad se gerendum pro Excommunicatis *in Dubia mensis Novembris 1624 ad XIII dubium.*

58. Absolutus tamen Regularis a Praelato regulari ab excommunicatione incursa, ob levem clerici percussionem, est taliter in utroque foro absolutus, ut non debeat praestare iuramentum standi praeceptis Ecclesiae, nec absolvi secundum Sacros Canones et formam in Pontificali romano praescriptam *in Dubia percussionis clerici die 11 Iulii 1682 lib. 32 decretorum pag. 360 et 397 ad V et VI dubium.*

59. Amplia, etiamsi fuerit absolutus decreto et praesentibus duobus tantum Testibus *in Dubia percussionis clerici die 11 Iulii 1682 lib. 32 decretorum pag. 360 et 397 ad V et VI dubium.*

60. Enim vero - Titius Religiosus Ordinis non exempti Sacerdos cum Sempronio etiam Sacerdote prius clara die verbis collidit, dein Titius vespere Sempronium in tenebris expectat, eum invadit, et impactis iteratis sat vehementibus alapis in faciem taliter caedit, ut copiosissimus sanguis ex naribus efflueret, et vestigium ac notam aliquot diebus a toto Conventu visam in facie retineret, idque duobus Sacerdotibus praesentibus, et ulteriorem vio-

(1) Nimirum in cap. 18, sess. XXV, de Regularibus et Monialibus. Unde S. Congregatio in Fanen. mense Ianuarii 1586 declaravit, verba illa in cap. praedicto: - Quique consilium, auxilium, vel favorem dederint -, non ita accipienda, ut inhibitum sit, ne quis consilium det Virgini ad ingrediendum Monasterium vel profitendum, sed excommunicantur dantes consilium et auxilium ad hoc, ut Virgo cogatur ingredi vel profiteri, atque ita prohibita coactione etiam consilium ad eam tendens merito sub eadem poena prohibitum intelligatur -.

lentiam cohibentibus. Aberat casu Monasterii Abbas in longinqua profectus, et aderat alterius Monasterii Abbas prioris quidam Ordinarius Visitator, sed pro illo unice tantum, ut hospes, qui altero mane in secreto Titium, praesentibus duobus aliis, qui actui interfuerant absolvit. Unde quaeritur:

I. An Titius sit habendus pro notorio percussore Clerici?

II. An talis percussio sit levis, an censenda gravis et enormis?

III. An ab illa Abbas sine speciali privilegio absolvere possit, vel sit casus Sedi Apostolicae reservatus?

IV. An alterius Monasterii Abbas, sine praescitu et consensu proprii Abbatis suorum Monasteriorum ordinarii, saltem Percussorem absolvere potuerit?

V. An per datam absolutionem fuerit Titius in Foro fori ab excommunicatione absolutus?

VI. An non prius debuerit et debeat ad Ecclesiam praestare iuramentum standi praeceptis Ecclesiae, et absolvi secundum Sacros Canones et formam in Pontificali Romano praescriptam?

VII. An Religiosorum non exemptorum Praelati possint in Capitulo annali condere aliquod statutum ss. Canonibus contrarium, ut, exempli gratia, Religiosus notorius Clerici percussor possit absolvi absque praestito a sacris Canonibus iuramento, et non observata forma ab Ecclesia praescripta, idque sine consensu Sedis Apostolicae? S. Congregatio respondit: - Ad primum, Negative. Ad secundum, Esse levem. Ad tertium, Posse. Ad quartum, Affirmative. Ad quintum, Itidem affirmative. Ad sextum et septimum, Negative - *in Dubia percussionis die 11 Iulii 1682 et die 8 Augusti eiusdem anni 1682 lib. 32 decretorum pag. 362 et pag. 397, 398.*

§. V.

ABSOLUTIO AB INTERDICTO IN GENERE.

1. Sacra Congregatio saepe respondit, posse Episcopum in casu permissae Visitationis, exequutionem suorum decretorum praecipere, sub poena censurarum *in Calaguritana Visitationis 18 Iunii 1701 ad VII dubium lib. 51 decretorum pag. 306 et 338.*

Item *in Nullius seu Calaguritana Visitationis die 24 et 17 Maii 1705 lib. 55 decretorum pag. 25 et 275; in Aprutina Visitationis die 18 Iunii 1705 lib. 55 decretorum pag. 263.*

2. Quo enim in casu nullus requiritur ordo, praeter nudum praeceptum adimplendi, sub poena censurarum, ipso facto incurrenda *in Derthonen. Visitationis die 12 Ianuarii 1760* §. *Demum* (1).

3. Nullaque desideratur causa, praeter nudam contraventionem praecepto, cuius respectu posse ecclesiastico Interdicto subiici Ecclesiam exemptam, quae administratur a Contraventoribus subditis Episcopo, tenent Cardinalis De Luca (2) et Monacelli (3) *in Derthonen. Visitationis die 12 Ianuarii 1760* §. *Demum.*

4. Hinc posito iure Visitationis, interdictum ferre potest contra Oppositores *in Derthonen. Visitationis die 12 Maii 1759* §. *Episcopus.*

5. Enim vero Episcopus Derthonensis volens visitare in Oppido Vigueriae Hospitale S. Rochi, ac Montem Frumentarium, et Sodalitium Sanctissimi Nominis Iesu, in Oratorio S. Rochi erectum, post eorum unionem factam Monasterio S. Mariae Pietatis Ordinis Praedicatorum, resistentiam passus est, ex parte Dominicanorum ratione unionis, et ex parte Sodalium, quia Sodalitium erectum fuerat in Ecclesia Regulari et exempta *in Derthonen. Visitationis die 12 Maii 1759* §. *In Oppido.*

6. Episcopus itaque S. Congregationem consuluit, et die 24 Martii anno 1604 praefata S. Congregatio rescripsit: - Saepius respondisse, posse Episcopum visitare Confraternitates secularium, in Ecclesiis Regularium, quantumvis exemptorum, existentes *in Derthonen. Visitationis die 12 Maii 1759* §. *Episcopus.*

7. Hinc Episcopus Oratorium interdicto subiecit; de interdicto questi sunt Patres et Sodales: sed S. Congregatio die 6 Septembris eo-

(1) Thesaur. de poen. eccles. part. 2, verb. censura, vers. declara 2.
(2) In disc. 100, n. 18 in supplem. de iurisdict.
(3) In form. legal. form. 6, n. 12.

dem anno 1604 Episcopi factum probavit *in Derthonen. Visitationis die 12 Maii 1759 §. Episcopus.*

8. Animo igitur fracti, et Patres et Sodales paruerunt. Alias quoque visitationes habuit Episcopus anno 1610 et 1612, pluraque in his tulit decreta. Ad ingenium tamen redierunt Sodales et Patres anno 1614, et in Tribunali A. C., non citato neque audito Promotore Fiscali, clancullariam obtinuerunt sententiam exemptionis a iurisdictione Episcopi. Diu inde intermissae fuerunt visitationes; sed cum anno 1662 Episcopus eam indixisset, restiterunt Sodales obiicientes sententiam A. C. Res itaque delata fuit ad S. Congregationem, et binis propositis dubiis, quorum primo quaerebatur: - An ad Ordinarium spectet ius visitandi Confraternitatem in casu. *Et quatenus affirmative,* secundo - An renuentibus Confratribus possit eos cogere censuris atque aliis iuris remediis -, S. Congregatio die 7 Decembris eodem anno 1662 respondit: - Affirmative ad utrumque - *in Derthonen. Visitationis die 12 Maii 1759 §. Episcopus.*

9. Sodales tamen obtemperare recusarunt, et quia Episcopus interdictum inflixerat, adiverunt S. Congregationem Episcoporum et Regularium, a qua interdicti suspensionem impetrarunt; sed S. Congregatio Concilii, ad quam confugit Episcopus, iussit, ut, quibuscumque non obstantibus, ad visitationem procederet *in Derthonen. Visitationis die 12 Maii 1759 §. Episcopus.*

10. Ne id quidem Patres deterruit, qui extra iudicium omnem operam collocarunt, ne visitatio haberetur *in Derthonen. Visitationis die 12 Maii 1759 §. Ne id.*

Itaque hac de re querelas detulit Episcopus ad Vincentium Ursinum S. R. E. Cardinalem, et S. Congregationis Praefectum, qui inde Summus Pontifex renunciatus fuit, atque ad doctissimum Passerinium Procuratorem Generalem Ordinis Dominicani, a quibus datae fuerunt literae Patribus S. Mariae Pietatis, ut omnino parerent. Superatis igitur omnibus difficultatibus, Episcopus plenissimam habuit visitationem Ecclesiae, Hospitalis, Sodalitii, et Montis Frumentarii, pluribus latis decretis *in Derthonen. Visitationis die 12 Maii 1759 §. Ne id.*

11. Si vero ius visitationis non competat, nec interdictum, ob eam latum, sustineri potest *in Derthonen. Visitationis die 12 Ianuarii 1760 §. Ad rem.*

12. Prostat quippe resolutio S. Congregationis edita *in Salutiarum Iuris Visitandi*, in qua cum ageretur de Ecclesia Regularium a Claustro separata, et in decursu centum annorum pluries visitata ab Episcopo, qui postremo illam supposuit interdicto, ob resistentiam ultimae visitationi factam a Regularibus, in Congregatione habita die 17 Iulii 1756 duo proposita fuerunt dubia: - I. An competat Episcopo ius visitandi Ecclesiam, seu Capellam S. Antonii de Padua Carmagnolae in casu etc. II. An sustineatur interdictum -, et in sequenti Congregatione habita die 7 Augusti eiusdem anni responsum fuit: - Negative ad utrumque - *in Derthonen. Visitationis die 12 Ianuarii 1760 §. Ad rem.*

13. Declarata vero nullitate interdicti, nec absolutio necessaria censetur *in Derthonen. Visitationis die 26 Ianuarii 1760.*

14. Siquidem Episcopus Derthonensis, cum necesse novisset visitationem habere, ut lites omnes fugeret, satius duxit eam indicere, iure delegato. Restiterunt primo supramemorati Patres S. Mariae Pietatis: re inde omni comperta, laeti lubentesque visitationem voluerunt *in Derthonen. Visitationis die 12 Maii 1759 §. Ne id.*

15. Ex visitatione agnitum fuit, Sodales Peregrinorum hospitationem animo deseruisse, domum Peregrinis excipiendis destinatam pro salium et palearum conservatione locari, Montem frumentarium fere omnem dissipatum fuisse, neque exigi administrationis rationem, sacrorum onera non impleri, Peregrinarum denique Mulierum Congregationem Peregrinis substitutam fuisse *in Derthonen. Visitationis die 12 Maii 1759 §. Ne id.*

16. His malis ut opem ferret Episcopus providentissima tulit decreta, praefixitque Sodalibus ad ea implenda anni terminum, quo transacto, iisque non adimpletis, Oratorium illico esset interdictum. Neve horum decretorum ignorantiam praetexere possent Sodales, denunciata publice et Patribus et Sodalitio fuerunt *in Derthonen. Visitationis die 12 Maii 1759 §. Ne id.*

17. Decretorum exequutionem neglexerunt Sodales, et Oratorium ipso iure in interdictio-

nem incidit, laicos Iudices adierunt Sodales, sed nihil impetrarunt. Postremo itum est ad Curiam Metropolitanam Mediolanensem, quae, spreta oppositione Promotoris Fiscalis Derthonensis, literas inhibitoriales concessit, et suam esse huiusmodi rei notionem declaravit, absolvitque Oratorium ab interdictione ad tres menses cum reincidentia *in Derthonen. Visitationis die 12 Maii 1759* §. *Decretorum.*

18. Appellavit Promotor Derthonensis, et, appellatione pendente, Sodales decretum Curiae Metropolitanae exequi voluerunt. Re autem delata ad Tribunal Signaturae, causae universae notio Eminentissimis Patribus data fuit *in Derthonen. Visitationis die 12 Maii 1759* §. *Decretorum.*

19. Propositis hinc dubiis: - I. An Episcopus Derthonensis possit tamquam delegatus Apostolicus visitare Hospitale sancti Rochi Oppidi Vigueriae Diaecesis Derthonensis, ac etiam Montem Frumentorum, et Sodalitium sub invocatione Sanctissimi Nominis Iesu in eodem Oratorio erectum, ac etiam Capellam S. Annae, et integram Ecclesiam, seu potius visitatio facta anno 1754 sit circumscribenda in casu.

II. An Patres S. Mariae Pietatis, per consensum ab ipsis praestitum dictae visitationi et praesertim interdicto lato contra dictam Ecclesiam, male se gesserint, et qua poena sint puniendi in casu.

XXIII. An constet de validitate interdicti Oratorii S. Rochi in casu. *Et quatenus affirmative.*

XXIV. An Confratres ceciderint in censuras, ob assertum spretum dicti interdicti in casu.

XXV. An sit dictum Oratorium absolvendum in casu -, S. Congregatio respondit: - Dilata, cum absolutione ab interdicto usque ad exitum causae, et ad D. Secretarium pro remissoria ad effectum compulsandi iura - *in Derthonen. Visitationis die 30 Iunii 1759.*

20. Rebus ita stantibus, conatus est vindicare Episcopus validitatem interdicti, lati contra Oratorium Sancti Rochi, allegando dispositionem Tridentinam (1) ac resolutionem in eadem causa alias ab S. Congregatione editam die 6 Septembris 1604, et Epistolam scriptam die 17 Septembris 1672. Spretum vero interdicti inexcusabilem contendit, non obstante appellatione interposita ad Curiam Metropolitanam, et reportata ab ea absolutione cum reincidentia, tum attenta pendentia litis in S. Congregatione, tum attento defectu potestatis in Curia Metropolitana recipiendi appellationes in causis, in quibus Episcopi procedunt iure delegato, vigore facultatum eisdem a Tridentina Synodo indultarum, ut referendo etiam Resolutionem S. Congregationis firmat Fagnani (2), ac praescriptum fuit in Concilio Romano (3), relative ad Decreta S. Congregationis Episcoporum et Regularium (4) *in Derthonen. Visitationis die 24 Novembris 1759* §. *Quo.*

21. Sed pro parte Confratrum relata sunt, quae exposita fuerunt, circa exemptionem Oratorii. Et Resolutiones S. Congregationis editae annis 1604 et 1672 videbantur quidem insinuare etiam processum ad censuras contra resistentes Visitationi Episcopi, sed non approbare peculiarem censuram interdicti, cui suppositum erat Oratorium *in Derthonen. Visitationis die 24 Novembris 1759* §. *Sed.*

22. Confratres insuper interdicti nullitatem allegarunt, ex defectu iurisdictionis non minus, quam ex defectu ordinis et causae *in Derthonen. Visitationis die 12 Ianuarii 1760* §. *Demum.*

23. Repropositis interim dubiis supradictis, S. Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam, et amplius. Ad secundum, Negative, et amplius. Ad vigesimum tertium, Negative. Ad vigesimum quartum, Negative. Ad vigesimum quintum, Provisum in vigesimo tertio - *in Derthonen. Visitationis die 26 Ianuarii 1760.*

24. Quando enim deficiat iurisdictio et ordo ac praesertim legitima causa, S. Congregatio nunquam sustinet interdictum. Propositis idcirco dubiis: - X. An in casu, de quo agitur, Episcopus Novariensis habuerit iurisdictionem in supradictos Fratres Reformatos praetensos delinquentes extra claustra seu turbantes iura Parochorum.

XI. An interdictum, de quo agitur, sustineatur in casu etc. -, S. Congregatio respon-

(1) In cap. 8, sess. 25 de reform.
(2) In cap. Ad audientiam, n. 47, de Eccles. aedif.
(3) In tit. 14, cap. 1.
(4) Impressa in Append. 13, §. 7 post idem Concilium.

dit: - Ad decimum et undecimum, Negative - *in Novarien. Funerum et Iurisdictionis die 15 Martii 1704 lib. 54 decretorum pag. 93.*

25. Dum autem validum S. Congregatio renunciavit interdictum, passim absolutionem seu relaxationem indulsit. Quum siquidem praelaudata S. Congregatio interdictum, appositum in Oratorio Societatis Mortis et Orationis Casalis Maioris a Curia Episcopali, validum iudicasset, quia Sodales, ne Praepositus S. Leonardi, intra cuius limites situm est Oratorium, festum solemni more celebraret, lumina extinxerant, ac Altare nudaverant, locum esse relaxationi interdicti censuit *in Cremonen. die 23 Ianuarii 1706 ad II dubium.*

26. Immo, quum in visitatione Oratorii, in praedio *della Bagnarola* existentis, sese opposuisset Monachus Benedictinus Victorius Cellerarius, Episcopus interdictum relaxavit. At S. Congregatio absolvi censuit; et praecepit, ut Episcopus se abstineret a censuris *in Caesenaten. Iurisdictionis die 23 Septembris 1690 ad IV dubium.*

27. Quandoque vero ad eumdem Episcopum remisit S. Congregatio Oratores, pro absolutione obtinenda. Enim vero, quum Episcopus Bobiensis prohibuisset, apposita poena interdicti, structuram novi aedificii turris sacrae, quam Sodales et Priores Oratorii S. Iacobi, siti citra Pontem Oppidi Borzonaschae, aedificaverant, illi ad S. Congregationem recursum habuerunt, et S. Congregatio praecepit, ut adirent eumdem Episcopum, pro absolutione *in Ianuen. seu Bobien. Iurisdictionis die 24 Septembris 1707 ad II dubium.*

28. Reproposita dein causa, S. Congregatio respondit, coadiuvari probationes, iuxta Instructionem Eminentissimi Praefecti *in Ianuen. seu Bobien. Iurisdictionis die 5 Iulii 1710.*

29. Praeterea propositis dubiis, ad quem Interdicti ab Episcopo pro absolutione, saltem ad cautelam obtinenda, accedere debeant; et an Abbates, qui, ut praefertur, in locis sibi subiectis, habent plenariam iurisdictionem quasi Episcopalem, possint illos sic interdictos, ac loca interdicta tamquam id de facto potius, quam servata forma Sacrorum Canonum processerit, auctoritate ordinaria ipsorum Abbatum absolvere et relaxare? S. Congregatio respondit, Ad primum, Accedere debere ad eum, qui interdictum relaxavit; ad secundum, Non posse *in Cassinen. Februarii 1588.*

§. VI.

ABSOLUTIO A SUSPENSIONE IN GENERE.

1. Aliqui tenent Doctores, iniustas etiam censuras ligare, quoad Ecclesiam militantem *in Montis Alti Suspensionis et Irregularitatis die 13 Septembris 1800* §. *Secunda.*

Item *in Nucerina Residentiae et Suspensionis die 5 Septembris 1818* §. *Quaeritur* (1).

2. Contra alii tenent, non ligare, scilicet ob earumdem nullitatem *in Montis Alti Suspensionis et Irregularitatis die 13 Septembris 1800* §. *Secunda.*

3. Quapropter, cum ex violatione manifeste iniustae suspensionis non incurratur irregularitas, hinc nulla requiritur dispensatio seu absolutio *in Montis Alti Suspensionis et Irregularitatis die 13 Septembris 1800* §. *Secunda.*

4. Sacra enim Congregatio in ea est sententia, non incidi in irregularitatem, ex violatione manifeste iniustae Suspensionis *in Nucerina Residentiae et Suspensionis die 5 Septembris 1818* §. *Quaeritur.*

5. Propositis quippe dubiis: - VI. An sustineatur suspensio dicti Chelii et Simii in casu etc. VII. An constet de eorum incursu in irregularitatem in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Ad sextum et septimum, Negative - *in Piscien. die 24 Martii 1753.*

6. Item propositis dubiis: - I. An suspensio a divinis die 21 Decembris 1799 comminata Canonico Paschali Massi sustineatur in casu etc. II. An idem Massi inciderit in irregularitatem, ita ut sit consulendum Sanctissimo, pro dispensatione in casu etc. -, S. Congregatio responsum tulit: - Ad primum et secundum, Negative - *in Montis Alti Suspensionis et Irregularitatis die 13 Septembris 1800.*

7. Quin imo non desunt nonnulli et magni quidem nominis sacrae Theologiae et sacrorum

(1) Fagnan. in cap. Per tuas, de sentent. excomm. n. 11.

Canonum Doctores (1), qui existimant, irregularitatem non contrahi, ex violatione suspensionis, quoties haec mere poenalis agnoscatur *in Lucionen. Suspensionis et Irregularitatis die 8 Aprilis 1848* §. *Quibus.*

8. Ea vero est plurimorum sententia universaliter admissa, ut, absque ulla distinctione, irregularitas incurratur, ob spretam suspensionem, sive haec proprie censura sit, sive poena *in Lucionen. Suspensionis et Irregularitatis die 8 Aprilis 1848* §. *Quibus* (2).

9. Suspensio enim, quae est mera poena, privat sacro ministerio, sicut privat suspensio, quae est proprie censura; nec minus indecens videtur, ut suspensus in poenam delicti, divinis se ingerat, quam qui, ob contumaciam, est censura suspensionis obstrictus *in Lucionen. Suspensionis et Irregularitatis die 8 Aprilis 1848* §. *Quibus.*

10. Praesertim, si suspensio huiusmodi lata fuerit ex informata conscientia, ac tempus introducendae appellationis seu recursus peremptus extet *in Lucionen. Suspensionis et Irregularitatis die 8 Aprilis 1848* §. *Deprehenditur et* §. *Neque.*

11. Hoc enim in casu propositis dubiis: - IV. An Parochus ob violatam suspensionem contraxerit irregularitatem. *Et quatenus Affirmative.* - V. An et ad quem spectet dispensatio a contracta irregularitate -, S. Congregatio respondit: - Ad quartum, Affirmative. Ad quintum, Affirmative ad S. Sedem - *in Lucionen. Suspensionis et Irregularitatis die 8 Aprilis 1848.*

12. Nequit itaque Metropolitanus, adversus Curiam Suffraganeam, a qua appellatum fuerit, ob suspensionem *ex informata conscientia* latam, literas inhibitoriales expedire, ac Appellantium absolutionem cum reincidentia, non ipso Episcopo Suffraganeo, cui fieri debet (3), sed alii committere *in Capritana die 16 Decembris 1730* §. *Episcopus.*

13. Proposito enim dubio: - III. An licuerit Curiae Metropolitanae Amalphis concedere inhibitionem, vigore appellationis ab eadem suspensione, contra Curiam Capritanam suffraganeam, et absolutionem cum reincidentia committere Parocho Arcuccio in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Ad tertium, Negative - *in Capritana die 16 Decembris 1730.*

14. Hinc Episcopus Suffraganeus, ut proprio honori ac iurisdictioni provideat, potest iubere carcerari non modo Suspensum, sed etiam, qui eumdem ex commissione Metropolitani absolvat, quin carceratio per Curiam suffraganeam attentata renunciari possit *in Capritana die 16 Decembris 1730.*

15. Siquidem proposito dubio: - IV. An carceratio eorumdem Sacerdotum, demandata per Curiam Capritanam Suffraganeam, fuerit attentata -, S. Congregatio respondit: - Ad quartum, Negative - *in Capritana die 16 Decembris 1730.*

16. Idcirco non licet Curiae Metropolitanae praedictos excarcerare, ita ut huiusmodi excarceratio attentata censenda est *in Capritana die 16 Decembris 1730.*

17. Immo purgari debet *in Capritana die 16 Decembris 1730.*

18. Namque proposito dubio: - V. An licuerit eidem Curiae Metropolitanae Amalphis eosdem Sacerdotes excarcerare, vel potius illorum excarceratio fuerit attentata, et quomodo sit purganda in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Ad quintum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam; et Vicarius Generalis Amalphitanus accedat ad Urbem - *in Capritana die 16 Decembris 1730.*

19. Quamobrem absolutio suspensionis arbitrio Episcopi committitur a sacra Congregatione *in Capritana die 16 Decembris 1730.*

20. Proposito enim dubio: - II. An et quomodo sint absolvendi in casu etc. -, S. Congregatio responsum tulit: - Ad secundum, Arbitrio Episcopi - *in Capritana die 16 Decembris 1730.*

21. Quin imo, non obstante absolutione, per Metropolitanum ex eo concessa, quod Suffraganeus suspensionem ex causis sibi notis inflixerit, pendente eadem appellatione penes praefatum Metropolitanum, S. Congregatio, valida suspensione huiusmodi declarata, Suspensum

(1) Quos inter id sentit Navarrus in Cons. 27, n. 1, de tempor. Ordin., quem refert Pignatell. in Cons. 158, n. 5, tom. 10.

(2) Arg. ex cap. 1, de Senten. et Reiud. in 6, ex cap. 1, de sentent. excomm. ibid., ut tradunt Gibalin. de irregular. p. 1, cap. 5, consect. 1, n. 6; Suarez. de Censur. disp. 26, sect. 2, Alser. eod. tract. part. 2, disp. 6, de suspens. cap. 2. §. Item et seqq., Bonacin. eod. tract. disp. 3, quaest. 6, punct. 5, prop. 3, n. 6.

(3) Benedict. XIII in addition. ad 12 et 13. Decr. Clemen. VIII, impress. post Concilium Romanum Constit. XIII.

*

et iam Irregularem, ob praefatae censurae violationem, non esse absolvendum ac dispensandum edixit, nisi prius de paritione doceret *in Augustana die 12 Februarii 1735.*

22. Iam vero, pluribus acceptis querelis, de inhonesta vita Sacerdotis Ioannis Wolfangi Baumharter, Ordinarius Augustanus eum prius, uti asserebatur, paterne monuit, ut a suspecta cum Mulieribus consuetudine abstineret; deinde vero intelligens, monita nihil profecisse, ad occurrendum scandalis, quae in dies oriebantur, praecepit Iosepho Keller, Decano Parochorum Civitatis Donaverthae, ut super delictis caute inquireret, suamque Episcopalem Curiam instructam redderet.

23. Singulis rite peractis, ex undecim Testium depositionibus aliisque documentis, Ordinarius Augustanus Ioannis crimina satis probari putavit; adeoque die 21 aprilis 1729 sententiam protulit, in qua ex causis sibi notis condemnavit Ioannem ad permutandum intra quatuordecim dies simplex beneficium Primissariatus, quod in Civitate Donaverthae obtinebat, cum altero simplici beneficio in Liechtenau existente, et postmodum, non obstante appellatione, quam Ioannes a dicta sententia seu decreto interposuerat ad Curiam Metropolitanam Maguntinam, eum a divinis suspendit. Verum, quia praefata Curia Metropolitana, suspensionis tantum revocata sententia, utpote lata post interiectam appellationem, decretum edidit, quo, cassatis appellationibus, causam remisit ad Ordinarium Augustanum; idcirco Ioannes, neglecta suspensione praedicta, a celebranda Missa nunquam abstinuit.

24. Propositis vero dubiis: - I. An sustineatur iudicatum Curiae Episcopalis Augustanae in casu etc.

II. An suspensio a divinis et respective incursu in irregularitatem sustineatur in casu etc. *Et quatenus affirmative.*

III. An sit locus absolutioni et dispensationi in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Ad primum et secundum, Affirmative. Ad tertium, Doceat de paritione, et postea supplicet - *in Augustana die 12 Februarii 1735.*

25. Quando enim agitur de suspensionibus, latis ex informata conscientia, appellatio seu recursus ad S. Sedem interponi debet, ad quam absolutio seu dispensatio pertinet *in Lucionen. Suspensionis et Appellationis die 8 Apr. 1848.*

26. Enim vero, propositis dubiis: -

I. An suspensio lata ex informata conscientia sustineatur in casu etc.

II. An ab huiusmodi suspensionis decreto detur appellatio ad Metropolitanum, seu potius sit tantum locus recursui ad S. Sedem in casu etc. *Et quatenus affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

III. An constet de legitimo iudicato Metropolitani Burdigalensis in casu etc.

IV. An Parochus, ob violatam suspensionem, contraxerit irregularitatem in casu etc. *Et quatenus affirmative.*

V. An et ad quem spectet dispensatio a contracta irregularitate in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative, ad formam Cap. I, sess. 14 Concilii Tridentini, de reformatione. Ad secundum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam. Ad tertium, Provisum in praecedenti. Ad quartum, Affirmative. Ad quintum, Affirmative ad S. Sedem - *in Lucionen. Suspensionis et Appellationis die 8 Aprilis 1848.*

27. Iudex delegatus vero nequit censuras ecclesiasticas, in Appellantem ab Ordinario prolatas, relaxare aut nullas declarare, non auditis partibus, nec cognita causa *in Sardiniae Iurisdictionis die 15 Maii 1700.*

28. Proposito enim dubio: - IV. An Iudex delegatus Apostolicus censuras ecclesiasticas, in Appellantem prolatas, valeat relaxare, aut nullas declarare, non auditis partibus, nec cognita causa -, S. Congregatio respondit: - Ad quartum, Negative - *in Sardiniae Iurisdictionis die 15 Maii 1700 lib. 50 decretorum.*

29. Amplia, neque valet absolutiones ad cautelam concedere, non citata parte, nec visis actis, nec praestita cautione ab Appellante, de stando iuri, et parendo mandatis Ecclesiae, praeterquam in casu absolutionis, ad breve tempus, et tunc cum obligatione, de stando iuri, et parendo mandatis Ecclesiae *in Sardiniae Iurisdictionis die 15 Maii 1700 lib. 50 decretorum.*

30. Proposito quippe dubio: - V. An valeat absolutiones ad cautelam concedere, non citata parte, nec visis actis, nec praestita cautione ab Appellante, de stando Iuri, et parendo mandatis Ecclesiae -, S. Congregatio respondit: - Ad quintum, Negative, praeterquam in casu absolutionis ad breve tempus, et tunc cum obligatione, de stando Iuri, et parendo manda-

tis Ecclesiae - *in Sardiniae Iurisdictionis die 15 Maii 1700 lib. 50 decretorum.*

31. Secus vero dicendum, si ad tramites iuris procedatur *in Aquileien. Suspensionis a divinis die 12 Martii 1746.*

32. Siquidem Plebana Ecclesia Tarcenti, quae in Aquileiensi Diaecesi erat, tres habebat subiectos Vicos Segnacci, Collis Alti, et Villae Frigidae, ad quos cum difficilis sit, hyemali praesertim tempore, accessus; nec sacramenta ecclesiastica Vicanis ministrari a Plebano commode possent, anno 1446 Decreto lato a Curia Patriarchali Aquileiensi, data illis fuit facultas eligendi Capellanum, qui munere Parochi fungeretur, cum onere tamen eidem praestandi congruam mercedem, ex voluntariis decimis et contributionibus. In hac quasi possessione eligendi et praesentandi Parochum Vicani illi fuerunt ad annum usque 1734, quo defuncto Georgeo Cossettino, unanimes elegerunt Sacerdotem Andream Gatti, quem Curia Aquileiensis binis epistolis confirmavit.

33. Anno nondum elapso, Plebanus Tarcenti Parochum illum ab eodem adprobatum in ius vocavit, instans, ne instituetur electus, sed simpliciter probaretur, et confirmaretur, sub nuda et sola appellatione Capellani succursalis, interdicto ei penitus titulo et nuncupatione Parochi, quae ei non conveniret. Ubi id Vicani resciverunt, continuo in Curia Aquileiensi ad iudicium venerunt, et postularunt, custodiri longissimam possessionem, in qua erant, Parochum eligendi, sed reiecta fuit petitio isthaec possessoria, reservato tantum iure, in petitorio iudicio. Vicani igitur adito Tribunali Venetae Nunciaturae, vocatoque ad illud Promotore Fiscali Curiae Aquileiensis, manutentionem in quasi possessione Parochum eligendi iterum postularunt, et uti rogabant, sententiam obtinuerunt. Contra vero ab Aquileiensi Curia lata sententia favore Plebani.

34. Interim Patriarcha Aquileiensis sacram Visitationem egit in Plebania Tarcenti, binaque tulit decreta, quorum primo interdixit Ecclesiam Sanctissimae Trinitatis, quae spectabat ad Homines de Lirutis Villae Frigidae, altero suspendit a divinis Andream Gatti, uti intrusum, et iniuste habitantem domum Parochialem, et percipientem fructus beneficii, sine legitima et canonica institutione: sed Vicani potestatem fecerant eidem Andreae Gatti, ut, non obstante suspensione a divinis, domum habitaret, et fructus atque emolumenta, quae adsignaverant, perciperet; quod eorum iura essent omnia, non Ecclesiae aut beneficii. Ipse sacerdos Gatti confugit ad Tribunal Venetae Nunciaturae, et, re diligenter perspecta, lata fuit sententia, qua revocabatur decretum Patriarchae, contra Andream Gatti. Appellavit ab hac sententia Procurator Fiscalis Curiae Aquileiensis die 14 Iunii 1737, et anno ab hac appellatione pene elapso, Andreas Gatti libellum obtulit Nuncio Apostolico, quo petebat, ut a suspensione absolveretur ad cautelam, quod obtinuit die 12 Iulii 1738.

35. Post haec Patriarcha Aquileiensis epistolam dedit ad Amplissimos Patres, qua graviter querebatur, utque illa dirimi controversia posset, rogatus fuit Cl. Me. Cardinalis Belluga, ut animi sui sententiam aperiret. Respondit ille, secundum Patriarcham; censuitque, iustam fuisse sententiam latam a Curia Aquileiensi, nullam illam Nunciaturae. At, quia Promotor Fiscalis Nunciaturae monstrabat, in iure et in facto non substineri responsum Cardinalis Bellugae, rogatus iterum fuit praefatus Belluga, qui in eadem sententia perstitit. Data igitur fuit ab Amplissimis Patribus epistola die 22 Augusti 1739 ad Patriarcham Aquileiensem, qua mandavit, ut Andream Gatti iterum a divinis suspenderet, si domum habitaret et fructus perciperet, altera vero epistola ad Nuncium Apostolicum data fuit, qua mandabatur, ut, si forte Sacerdos Gatti a nova suspensione ad Tribunal Nunciaturae iterum appellaret, eum non audiret, sed ad Patriarcham remitteret.

36. His epistolis Promotor Fiscalis Nunciaturae, laesa fuisse reputans iura Tribunalis, et ipsius S. Sedis Apostolicae, laesa fuisse iura Vicanorum, laesa demum fuisse iura Andreae Gatti, causam retractari postulavit, et, subscripto dubio, *in Folium* referri, ut res diligenter expenderetur. Itaque singulis rationum momentis hinc inde sedulo expensis, proposito dubio: - An absolutio per reverendissimum Venetiarum Nuncium concessa Sacerdoti Andreae Gatti a suspensione a divinis, contra eum promulgata per reverendissimum Patriarcham Aquileiae, substineatur in casu etc.-, S. Congregatio respondit: - Absolutionem concessam die 12 Iulii 1738 substineri - *in Aquileien. Suspensionis a divinis die 12 Martii 1746.*

37. Et reproposito subinde dubio, sub formula: - An sit standum vel recedendum a decisis -, S. Congregatio respondit: - In decisis, et amplius - *in Aquileien. Suspensionis a divinis die 6 Augusti 1746* (1).

38. Propositis praeterea dubiis: - I. An Clerici Neapolitanae Diaecesis, Sede Episcopali vacante, fuerint licite ordinati vigore Brevium, extra tempora nuncupatorum, ab aliis Episcopis ac solis literis testimonialibus Vicarii Capitularis Neapolitani, absque dimissorialibus vicinioris Episcopi? *Et quatenus negative.*

II. An Ordinatores et Ordinati inciderint in poenas, a S. Concilio praescriptas? -, S. Congregatio respondit: - Ad primum, Negative. Ad secundum, Affirmative - *in Neapolitana Ordinationis die 15 Decembris 1685 lib. 35 decretorum pag. 527.*

39. Resolutionem hanc nedum Sanctissimus approbavit, sed ultro mandavit, per Secretariam Status, iniungi Nuncio Apostolico, ut illam omnino exequi curaret. Is de facto in exequutionem mandavit, praefatam resolutionem, ac retulit, quod Vicarius Capitularis praedictos Clericos se absolvere potuisset. Quocirca Eminentissimis Patribus proposita fuerunt dubia: - I. An Vicarius Capitularis potuerit absolvere a suspensione praefatos Clericos, ut supra illicite ordinatos. *Et quatenus negative.*

II. An Clerici, qui, post huiusmodi absolutionem obtentam, exercuerunt ordines, illicite susceptos, inciderint in irregularitatem?-, S. Congregatio Eminentissimorum Patrum respondit:- Ad primum, Affirmative, et ceteros suspensos eadem de causa posse absolvi, in honorem festivitatum - *in Neapolitana Ordinationis die 15 Decembris 1685 lib. 35 decretorum pag. 528.*

40. Sed, quia Episcopus Acerrarum, Vicinioren Ordinarium se asserens, audiri obtinuit adversus huiusmodi resolutionem valde exemplarem, utpote editam super articulo, quem nunquam antea contingit ex professo disputari, ideo S. Congregatione mandante, consulti fuerunt pro veritate tres Praelati huius Curiae Canonistae.

41. Interea innotuit peculiare Breve, quo Sanctissimus, post obitum S. M. Cardinalis Caraccioli, deputavit Nuncium Apostolicum in Administratorem Ecclesiae Neapolitanae, et praecipue Vicarium Capitularem subiectum esse voluit, non secus ac Vicarius Generalis Archiepiscopo viventi subiectus est.

42. Hinc Eminentissimi Patres, expensis dictis Canonistarum Consultationibus, et Breve per manus circumferendum, haud gravabuntur iterum respondere praedictis dubiis. At S. Congregatio Eminentissimorum Patrum respondit: - Ad primum, Praevio recessu a decisis, Negative. Ad secundum, Dispensandos esse ad cautelam - *in Neapolitana Ordinationis die 27 Aprilis 1686 lib. 36 decretorum pag. 150.*

43. Cum autem quaestio haec ad trutinam revocata fuerit, et utraque pars acerrime informaret, repropositis dubiis, sub formula: - An sit standum in primo vel secundo loco decisis? -, S. Congregatio respondit: - Ad primum, In casu, de quo agitur, standum esse in ultimo loco decisis. Ad secundum, Dispensandos esse ad mentem. Mens est, ut respectu illorum, qui ordines illicite susceptos nondum exercuerunt, modernus Emus Archiepiscopus vel eius Vicarius Generalis suspensionem relaxet. Quo vero ad alios, qui ordines ut supra illicite susceptos exercuerunt, sive ante sive post relaxationem suspensionis a Vicario Capitulari obtentam, committatur eidem Emo Archiepiscopo vel eius Vicario Generali, per Literas Apostolicas in forma Brevis, ut, imposita eisdem poenitentia salutari, pro suo arbitrio et conscientia cum eis super irregularitate dispenset - *in Neapolitana Ordinationis die 7 Decembris 1686 lib. 36 decretorum pag. 560* (2).

44. Itaque suspensionem, quam contrahunt Promoti ad ordines cum falsis dimissoriis, Sedi

(1) Causa haec rursum anno 1852 acriter efferbuit: sed Archiepiscopus Utinensis anno 1857 favore Villicorum et Parochi Segnacci, Collis Alti, et Villae Frigidae, contra vero Plebanum Tarcenti sententiam tulit, qui primum eam acceptare visus est, at inde appellationem ad S. Congregationem interposuit, et anno 1860 amicam sibi sententiam obtinuit. Praefati Villici vero cum proprio Parocho, recursu seu appellatione interposita, duos Procuratores ad causam in eximia praesertim persona Iosephi Lirutti, qui me defensorem elegit, constituerunt. Unde post acerrimam Contradictorum oppugnationem, nedum sententia praedicta revocata fuit, sed iura dictorum Villicorum et Parochi firmata fuerunt cum clausula - *Amplius* etc.

(2) Animadvertendum vero est, quod in eodem lib. 36 Decretorum pag. 577 a tergo sub eadem die 7 Decembris et anno 1686 praescriptum habetur, ut « super irregularitate contracta gratis dispenset, et ad eorumdem ordinum exercitium rehabilitet. »

apostolicae reservatam esse plures Doctores sustinent *in Visen. Dispensationis ab irregularitate die 11 Septembris 1784* §. *Cum autem* (1).

45. Alii vero tenent, absolutionem suspensionis indictae contra Ordinatos, sine dimissoriis proprii Episcopi, reservatam non esse Sedi Apostolicae in Can. *Lugdunensis*, Caus. 9 quaest. 2 *in Mindonen. seu Oveten. Ordinationis die 4 Iunii 1763* §. *Verum.*

46. Minusque a Sacro Concilio Tridentino in cap. 8, sess. 23, de reformat. *in Mindonen. seu Oveten. Ordinationis die 4 Iunii 1763* §. *Verum.*

47. Neque ab Innocentio XII in Constitutione incipien. *Speculatores* 44 §. 15 in suo Bullario, ubi eadem suspensionis poena indicitur duratura - quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire - *in Mindonen. seu Oveten. Ordinationis die 4 Iunii 1763* §. *Verum.*

48. Quibus enim verbis indicari Ordinarii facultatem absolvendi tradit Rigantius (2) *in Mindonen. seu Oveten. Ordinationis die 4 Iunii 1763* §. *Verum.*

49. Et propterea eadem facultas, Sede vacante, competere Vicario Capitulari defendit idem Rigantius (3) *in Mindonen. seu Oveten. Ordinationis die 4 Iunii 1763* §. *Verum.*

50. Atque praefatam Rigantii doctrinam recenter firmavit S. Congregatio. Quandoquidem Emmanuel Caietanus Perez Laurez, sine Dimissoriis vel Testimonialibus sui Episcopi Mindoniensis, in cuius Diaecesi natus erat et morabatur, anno 1760 initiatus fuit in prima tonsura, minoribus ordinibus, et subdiaconatu, ad titulum Capellaniae noviter erectae in Diaecesis Ovetensi, cum huius Antistitis Dimissoriis simulans se oriundum esse ex eius Diaecesi. Quare denunciatus in Curia Episcopali Mindonensi, nomine tam huius furtivae ordinationis, quam alterationis et mutationis quarumdam clausarum et foliorum in Instrumento fundationis dictae Capellaniae, post aliquot carcerationis menses, fuit per sententiam definitivam Vicarii Capitularis, Sede vacante, declaratus suspensus ab exercitio susceptorum ordinum, et inhabilis ad reliquos assequendos, nonnullisque poenis mulctatus, quibus tandem expletis, absolutus fuit ab eodem Vicario Capitulari ad cautelam a quacumque censura, suspensione, irregularitate, vel alia poena incursa ratione delicti, cuius nomine fuerat accusatus, et quod in praedicta sententia definitiva continebatur. Quum autem Episcopus Mindoniensis, vigore huiusmodi absolutionis, illum ad reliquos ordines promovere noluisset, sine absolutione et dispensatione Sedis Apostolicae, proposita fuerunt dubia: - I. An absolutio ab exercitio ordinum, per Vicarium Capitularem Mindoniensem impertita Subdiacono Emmanueli Caietano Perez, substineatur? *Et quatenus negative.* II. An concedenda sit absolutio, seu dispensatio in casu etc. -, quibus S. Congregatio responsum dedit: - Ad primum, Affirmative, et amplius. Ad secundum, Concedendam esse dispensationem ad cautelam (4) - *in Mindonien. seu Oveten. Ordinationis die 25 Iunii 1763.*

51. Concilium Tridentinum in sess. 23, cap. 14, de reformatione decrevit, quod - Cum promotis per saltum, si non ministraverint, Episcopus ex legitima causa possit dispensare - *in Visen. Dispensationis ab irregularitate die 11 Septembris 1784* §. *Concilium.*

52. Fagnanus hinc sustinet (5), per hoc Concilii Decretum sublatam fuisse quaestionem, quae olim inter Doctores vigebat, num scilicet promoti per saltum essent ipso iure suspensi, nam advertit, quod cum Concilium permiserit, ut Episcopi possint dispensare, si in ordine su-

(1) Barbos. de offic. et potest. Episcop. part. 2. Allegat. 8, n. 6; Card. Petra in Comment. ad Constit. 7 Pii II, Sect. unic. n. 29; Ferrar. in Biblioth. verb. Ordo ordinare art. 4, n. 25. Idque asserunt innixi Constitutioni Urbani VIII 11 Decembris 1624 incipienti: *Secretis*, quae Constitutio refertur a Barbos. loc. cit.

(2) Ad regul. 24 cancell. §. 4, n. 48 et seqq.

(3) Ad regul. 24 cancell. §. 4, n. 61 ad 111; ubi allegat Resolutiones Sacrae Congregationis in Neapolitana ordinationis 15 Decembris 1683, 27 Aprilis et 7 Decembris 1686, quae concordant cum Regestris Secretariae lib. 35 Decretorum pag. 527 et lib. 36 decretorum pag. 150 et 539.

(4) Siquidem quoad irregularitatem, quae S. Sedi reservata est, anceps in casu erat, num in eam revera inciderit praefatus Perèz, cum non constaret de exercitio ordinum susceptorum; neque constaret, quod, si ministrasset, Vicarius Capitularis cum eo dispensaverit super irregularitate occulte contracta, sed iam ad forum contensiosum deducta.

(5) In cap. *Tuae* literae, de Cleric. per salt. promot. n. 21 ad 23.

scepto non ministraverint, consequens est, quod sic promotus, ipso iure suspensus esse debebat ab exercitio ordinum, et si ordines exerceat irregularitatem incurrat *in Visen. Dispensationis ab irregularitate die 11 Septembris 1784* §. *Concilium.*

53. Addit tamen (1), quod adhuc remanet dubium, an Episcopus, non obstante Concilii dispositione, dispensare valeat cum eo, qui non ministraverit, si scienter fuerit per saltum promotus *in Visen. Dispensationis ab irregularitate die 11 Septembris 1787* §. *Concilium.*

54. Fatetur, quod nonnulli Doctores affirmativam tuentur sententiam *in Visen. Dispensationis ab irregularitate die 11 Septembris 1784* §. *Concilium.*

55. Contrariam vero sententiam magis tutam esse testatur *in Visen. Dispensationis ab irregularitate die 11 Septembris 1784* §. *Concilium.*

56. Nam Sacri Canones de ignoranter promotis per saltum tantum loquuntur *in Visen. Dispensationis ab irregularitate die 11 Septembris 1784* §. *Concilium.*

57. Et licet Concilium Tridentinum non distinguat inter Clericum ignoranter, vel scienter promotum, nihilominus ait, quod Decretum Concilii cum ea distinctione intelligendum est *in Visen. Dispensationis ab irregularitate die 11 Septembris 1784* §. *Concilium.*

58. Etenim lex nova, disponens in re antiqua, recipit omnes interpretationes et limitationes, quas res ipsa in antiquis legibus admittebat *in Visen. Dispensationis ab irregularitate die 11 Septembris 1784* §. *Concilium.*

59. Amplia, id procedit etiam, si lex nova generaliter loquatur *in Visen. dispensationis ab irregularitate die 11 Septembris 1784* §. *Concilium.*

60. Immo S. Congregatio dispensationem absolute denegat, si gravis promoti malitia emerserit. Iam vero Iulius Emmanuel de Valle-Labo de Torre, cum esset in minoribus ordinibus constitutus, seculari militiae nomen dedit, et in bello cum Idolatris dimicavit. Inde vero, resumpto clericali habitu, ementitis sui Ordinarii literis dimissorialibus, absque Patrimonii titulo, ac omissa ordinatione Subdiaconatus et Diaconatus, Presbiteratum suscepit, et pluries Missam celebravit. Tandem inquisitus a Curia Ecclesiastica, crimina confessus est: quare ad solutionem mulctae, et ad poenam relegationis per quatuor annos damnatus fuit. Poenam relegationis in Egittaniensi Diaecesi explevit, mulctam vero ob paupertatem integre persolvere non potuit, eique illius pars remissa fuit: hinc supplex oravit pro dispensatione ab irregularitate, ut in sacro Presbiteratus ordine ministrare posset. Proposito vero dubio: - An sit locus dispensationi in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Negative - *in Visen. Dispensationis ab irregularitate die 27 Novembris 1784.*

61. Illud insuper advertendum, quod ubi agitur de suspensione simul et irregularitate, licet solvi ab Episcopo posset suspensio, mos tamen invaluit, ut de utraque Sacra Congregatio cognoscat *in Cephaluden. Suspensionis et Irregularitatis die 24 Martii 1787* §. *His* (2).

62. Hinc Acolytus Rosarius Castiglia, quum ratione originis et domicilii esset Cephaludensi Episcopo subiectus, nolletque hic eum sacris Ordinibus insignire, quia claudus paullulum erat, testimoniales literas sui Ordinarii effinxit, et mediis iisdem Dimissorias extorsit a Messanensi Antistite, in cuius Diaecesi beneficium obtinuerat, ac labente anno 1784 ad omnes sacros Ordines ascendit. Subreptae hinc ordinationis memor sacram adiit Poenitentiariam; sed aequo monitus Rescripto: - Orator componat res suas cum proprio Ordinario -, ad suum venit Episcopum, qui octiduum ei spiritualem recessum cum Clericis Seminarii indixit. Re autem vulgata, mancipatus fuit carceribus, quorum in locum iterum atque iterum Episcopus proprium palatium, ob adversam illius valetudinem, substituit. Post publicas tandem spirituales exercitationes, novamque vinculorum afflictionem, mandavit Episcopus, ut - stante supplicatione porrecta excarceretur, ita ut remaneat perpetuo suspensus, et quatenus inciderit in irregularitatem, permaneat in ea, et non possit absolvi, nisi auctoritate et gratia summi Pontificis - *in Cephaluden. Suspensionis et Irregularitatis die 24 Martii 1787* §. *Acolytus.*

63. Frustra in re externi Fori ad sacram Poenitentiariam rediit praefatus Castiglia, im-

(1) Loc. cit. n. 24 et 25.

(2) Teste etiam Honorant. in Prax. Tribunalis Eminentissimi Vicarii, cap. 6. not. 3 pag. 79.

ploravitque postremo irregularitatis et suspensionis absolutionem ab S. Congregatione Concilii. At interim duo adhuc dubia ipsius Episcopi diluenda erant, an beneficium scilicet, cuius ratione Dimissorias obtinuit Orator, tale esset, quale Apostolicae Constitutiones requirunt, et an illius claudicatio irregularitatem induceret. Singulis hinc rite expensis, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo, pro absolutione et respectiva dispensatione in casu etc. –, S. Congregatio responsum dedit: – Affirmative, ad cautelam – *in Cephaluden. Suspensionis et Irregularitatis die 21 Aprilis 1787.*

64. Praeterea a Matre coactus metuque amittendae eius hereditatis suscepit Andreas Borg Subdiaconatum. In ipso tamen ordinationis actu alieno ab ea fuit animo, suamque contrariam voluntatem alteri pandidit Ordinando. De sua postridie sententia Confessarium interpellavit, eaque pro validitate ordinis accepta, ultro deinde ad Diaconatum et Presbiteratum ascendit, ac per decennium in utroque ordine ministravit. Re tandem vulgata, eum Melitensis Episcopus a divinis suspendit, donec Sacrae Congregationis Oraculum acciperet. Sacra Congregatio vero, demandato, quod esset locus Ordinationi Subdiaconatus, sub conditione et secreto faciendae, proposito dubio: – II. An sit consulendum Sanctissimo, pro absolutione, rehabilitatione, et dispensatione ab irregularitate in casu etc. –, respondit: – Ad secundum, Affirmative – *in Melevitana Subdiaconatus die 16 Iunii 1792.*

65. In Guardien. Barbatus Cuoco, qui Presbiteratus ordinem susceperat, cum falsis Literis dimissorialibus sui Ordinarii, et post Ordinationem numquam Missam celebraverat, nondum lata contra ipsum sententia definitiva a Curia Ecclesiastica, supplex adiit S. M. Clementem XIV pro absolutione a suspensione, asserens, quod iam a die commissi delicti novem anni effluxerint. Die 2 Iulii anni 1770, ex audientia Sanctissimi, sequens prodiit rescriptum: – Sanctissimus, audita relatione Episcopi Guardien., commisit Eminentissimo domino Cardinali Columna, Sanctitatis suae in Urbe Vicario, ut, imposita Oratori aliqua salutari poenitentia, eumdem pro suo arbitrio a censuris praemissa de causa incursis absolvat, ipsumque ad obeunda munia ecclesiastica, et ad sanctum Missae Sacrificium peragendum in Urbe, et intra limites Status Ecclesiastici dumtaxat indulgeat – (1) *in S. Severinae Irregularitatis die 10 Ianuarii 1784* §. *Poenam.*

66. Eoque deinde supplicante, pro facultate celebrandi in quocumque Loco et Diaecesi, die 29 Iulii anni 1771 petitam facultatem obtinuit, sub expressa tamen conditione, quod a Sacro peragendo in Civitate et Diaecesi Guardiensi se abstineret *in S. Severinae Irregularitatis die 10 Ianuarii 1784* §. *Poenam* (2).

67. Conquestus est deinde apud S. Sedem Sacerdos Franciscus Apa Oppidi Arcis Bernardae, quod in Curia Archiepiscopali S. Severinae fuerit inquisitus; quia, ementitis dimissorialibus Literis sui Ordinarii et absque legitima Patrimonii constitutione, sacros Ordines a Caiacensi Episcopo ante tempus a Sacro Concilio praescriptum susceperit: preces, quibus Orator inquisitionis insubsistentiam exposuit, ablegatae fuerunt Sacrae Congregationi, iisque relatis, prima vice in Congregatione diei 7 Septembris 1773 fuerunt reiectae *in S. Severinae Irregularitatis die 24 Aprilis 1784* §. *Conquestus.*

68. Elapso decennio novas preces praefatus Apa dedit, quibus postulavit, ut innoxius ab irregularitate renuntiaretur, vel saltem dispensatio tribueretur, ut posset Missam in Urbe celebrare. Duo propterea proposita fuerunt dubia in Congregatione diei 24 Ianuarii 1784 – I. An constet de irregularitate. *Et quatenus Affirmative.* II. An sit consulendum Sanctissimo, pro dispensatione in casu etc. –, eaque die responsum fuit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Negative, et ad mentem. – Mens autem fuit, ut scriberetur Archiepiscopo, eique commendaretur Sacerdos Orator ad hoc, ut et ipse, post longum tempus, peractamque in Urbe vitam Ecclesiarum servitio addictam, probatosque mores, dispensationi assentiretur *in S. Severinae Irregularitatis die 24 Aprilis 1784* §. *Conquestus.*

69. Archiepiscopus vero integerrimo Eminentissimorum Patrum iudicio se totaliter remisit ac subsmisit: unde reproposito dubio, sub formula: – An sit standum, vel recedendum a

(1) Ut in Lib. 120 Decretorum pag. 71.
(2) Ut in Lib. 121 Decretorum pag. 147.

decisis, quoad primum et secundum dubium in casu etc. -, S. Congregatio responsum tulit: - Constito de sufficienti Patrimonii, iuxta taxam Urbis, coram Eminentissimo Urbis Vicario, consulendum Sanctissimo, pro gratia dispensationis, ex gratia speciali - *in S. Severinae Irregularitatis die 8 Maii 1784.*

70. Sacerdos Iosephus Fattore exposuit, quod Hyacinthus Miconi Francus primam clericalem tonsuram illicite recepisset ab Episcopo Marsorum, ex eo praesertim, quod S. Congregationi Episcoporum et Regularium, quae Vicario Apostolico Aquilano facultatem dedit concedendi literas dimissoriales pro Hyacinthi ordinatione, non innotuit ius, quod idem Iosephus habebat ad beneficium in hypothesi, in qua Hyacinthus non esset clericali militiae adscriptus, nec non collatio primae tonsurae facta fuit, praevia tantum unica denunciatione, quando ad tramites Constitutionum Synodalium tres denunciationes fieri debebant, atque facultas concedendi Literas dimissoriales fuerat a S. Congregatione Episcoporum et Regularium directa Vicario Apostolico Aquilano. Attamen Literae expeditae fuerunt ab Archidiacono Antonelli Pro-Vicario, ex quo Vicarius Apostolicus aberat, et erat in Civitate Aprutina, distante per viginti quatuor milliaria a Civitate Aquilana. Proposito hinc dubio: - An Hyacinthus sit licite tonsuratus in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Negative, et, praevia relaxatione suspensionis, esse capacem Beneficii - *in Aquilana die 7 Septembris 1720.*

71. Curia Episcopalis Aquensis die 30 Ianuarii 1719 pronuntiavit, Hyppolitum Macchiolo, Praepositum Ecclesiae parochialis loci Uvadae, suspensum ab officio per quatuor menses, sub obtentu, quod absque ordine et licentia eiusdem Curiae unam publicationem fecisset de Patrimonio constituto a Nicolao Molphino Bartholomaeo proprio filio, in cuius publicationis sequelam fuit ille ordinatus ad sacrum Subdiaconatus ordinem ab Emo Archiepiscopo Ianuensi, in praeiudicium iurisdictionis Episcopi Aquensis.

72. Eadem quoque Curia Episcopalis Aquensis die 25 Martii 1721 declaravit, eumdem Hyppolitum incurrisse suspensionem a divinis, ex quo, non obstante praeceptorum intimatione, sub qua vocatus fuerat, ut ad Curiam accederet, accedere recusavit. Vocatus enim fuerat, ut rationem redderet de processu ab ipsa Curia fabricato contra ipsum, et contra Molphinum, quem transmittere debebat ad Vicarium Generalem Ianuensem, ut hic eum ad S. Congregationem faceret deferri, quemque Praepositus multo tempore apud se retinuerat.

73. Denique eadem Curia die 12 Maii 1721 eumdem Praepositum declaravit incursum in irregularitatem, quia die 15 Aprilis Missam celebravit in Ecclesia parochiali, licet die 29 Martii antecedentis declaratum fuisset, quod incurrerat suspensionem a divinis. Adversus haec Praepositus, pluribus in medium prolatis causis, quibus propriam agendi rationem rectam fuisse contendit, nullam etiam ex eo suspensionem esse, quod non fuerat personaliter citatus, et non rite causa probata. Propositis hinc dubiis: - I. An sententia lata a Vicario Generali Aquensi contra Praepositum Macchiolum Rectorem Ecclesiae parochialis loci Uvadae sustineatur in casu etc.

II. An suspensio a divinis, et irregularitas, in quas declaratus fuit incursus idem Praepositus, sustineatur in casu etc. *Et quatenus negative ad utrumque dubium.*

III. An Curia ecclesiastica Aquensis teneatur ad refectionem damnorum, expensarum, et interesse praefato Praeposito in casu etc.-, S. Congregatio respondit: - Dilata, et expectetur novus Episcopus, concessa interim relaxatione suspensionis, et dispensatione ab irregularitate ad cautelam, usque ad exitum Causae - *in Aquen. die 4 Decembris 1723.*

74. Ad coriariam exercendam artem se anno 1752 a Fabriano patria sua cum Uxore innuptaque filia Camerinum contulit Thomas Gentilucci, et, defuncta Uxore, secundam Camertem duxit, ex qua Iosephum suscepit, quem Gentiluccius inde obtulit Archiepiscopo Camerinensi, ut prima tonsura initiaretur, quam ei praefatus Archiepiscopus conferre renuit. Hinc adiit praedictus Ioseph cum Patre Episcopum Fabrianensem, atque, emissa per utrumque iurata declaratione, nunquam se per diuturnam moram in Camerinensi Civitate voluntatem habuisse constituendi in ea domicilium, sed animo semper retinuisse illud patriae suae Fabriani, nedum ab eo Episcopo initiatus fuit clericali tonsura, sed obtinuit etiam Ostiariatum, pro festo tamen die 5 Februarii 1789, et absque testimonialibus Camerinensis Archiepi-

scopi. Ad iustam deinde perventus aetatem, reliquos cupivit minores sacrosque ordines; sed de legitima dubitans collatione tonsurae et ostiariatus Eminentissimorum Patrum in id postulavit definitionem, et quatenus censeretur illegitima, petiit etiam absolutionem a suspensione et dispensationem ab irregularitate ob eos administratos ordines. Itaque propositis dubiis: - I. An fuerit licita ordinatio Oratoris in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An sit consulendum Sanctissimo, pro absolutione et dispensatione in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Ad primum, Negative. Ad secundum, Affirmative - *in Fabrianen. et Camerinen. Ordinationis die 19 Augusti 1797.*

75. Ioannes Andreas et Franciscus Antonius Fratres Masci Graeco ritu baptizati, in Italo-Graecorum Oppido S. Georgii Diaecesis Rossanensis, vigore Literarum dimissorialium sui Ordinarii, fuerunt ritu Latino ad primam Clericalem tonsuram, et successive ad quatuor minores ordines promoti a Latino Episcopo Bisianensi, sine ulla tamen Sedis Apostolicae licentia: pluriesque in susceptis ordinibus ministrarunt. Suspensionem propterea et irregularitatem ab eis incursam fuisse reputans quidam Basilius Chinigò; ea praesertim ratione, quod Antecessoris Archiepiscopi Rossanensis, licentiam transeundi de Graeco ad Latinum ritum obtinuerint praefati Clerici solum post susceptos ordines, illos detulit hodierno Archiepiscopo; atque ostendere nisus est, Archipresbiteri loci testimonio, nullam utilitatem, quin imo perturbationes et lites, illius Oppidi Ecclesiae Graecum ritum profitenti, omnino fore allaturos latine promotos. Quare moniti ab Archiepiscopo, iidem Clerici obligationem emiserunt, se gerendi pro suspensis et irregularibus, donec absolutionem et respective dispensationem impetrassent a S.Sede *in Rossanen. die 19 Maii 1763* §. *Ioannes.*

76. Hinc Archiepiscopus, fretus Constitutione Benedicti XIV, edita pro ritibus Italorum Graecorum, quae incipit: *Etsi Pastoralis* (1), Oratores in suspensionem et irregularitatem incurrisse contendit; adeoque illi absolutione et dispensatione indigere videbantur *in Rossanen. die 14 Maii 1763* §. *Ad Absolutionem.*

77. Expensa vero sedulo praefata Constitutione XIV, necessaria non esse videtur praefata absolutio ac dispensatio, cum praedicti Clerici in casu nullam incurrerint suspensionem ac irregularitatem *in Rossanen. die 14 Maii 1763.*

78. Siquidem propositis dubiis: - I. An Clerici Ioannes Andreas et Franciscus Antonius Italo-Graeci, baptizati ritu Graeco, sed ad primam tonsuram nec non quatuor minores ordines cum Literis dimissorialibus Ordinarii, sine tamen dispensatione Apostolica, ritu latino promoti, absolvendi sint ab incursa suspensione, ac dispensandi super irregularitate. *Et quatenus Affirmative.*

II. An iidem Clerici licite ad reliquos maiores ordines eodem ritu promoveri possint, sive potius redire debeant ad ritum Graecum?

III. An consulendum sit Sanctissimo, pro Apostolica dispensatione, ut uno vel altero ritu ad eosdem maiores ordines promoveantur in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Dilata, et scribatur Archiepiscopo, iuxta mentem - *in Rossanen. die 4 Iunii 1763.*

79. Literae itaque ad Archiepiscopum datae sunt, ut referret num ii, dum ordines susceperunt, - declaraverint animum suum seu voluntatem habuerint transeundi ad latinum ritum, seu potius remanendi in suo graeco ritu, et quid ea de re exprimatur in dimissoriis illorum favore concessis, tum pro tonsura praedicta, tum pro reliquis minoribus ordinibus, ac insuper cui Ecclesiae adscripti fuerint, vigore S. Concilii Tridentini, et quo titulo fuerint ordinati, quove ritu in susceptis ordinibus ministraverint - *in Rossanen. die 17 Decembris 1763* §. *Duo.*

80. Retulit Archiepiscopus I, - se pro explorato habere, Clericos ipsos in actu petitionis susceptionisque memoratae tonsurae et reliquorum minorum ordinum, aliam profecto voluntatem non habuisse, nisi transeundi ad latinum ritum -: idque patere ex ipso primo libello Fratrum et ex eorum vita postmodum acta.

II. Nihil in dimissoriis ab Antecessore - illorum favore concessis, tum pro tonsura praedicta, tum pro reliquis minoribus ordinibus, expressum fuisse de transitu eorumdem a ritu Graeco ad Latinum, cum datae fuerint dimissoriae typis editae, quibus uti consuevit pro ordinationibus Latinorum Diaecesanorum. -

III. Adscriptos fuisse servitio Archipresbi-

(1) 34 tom. 1.

teralis Ecclesiae Oppidi S. Georgei, ubi non Graeco solum vivitur-, quod in prima relatione non dixerat. Addidit, in eadem Ecclesia altare distinctum pro Latinis esse, ibi sacrum Ciborium cum azimis de mandato S. Congregationis de Propaganda Fide asservari; adesse Presbiterum latinum oppidanum, qui Latinis ministrat.

IV. Ordinatos fuisse titulo patrimonii, ob utilitatem Ecclesiae. - Atque revera utiles ac necessarios Ecclesiae eidem, in qua unus tantum Presbiter latinus sexagenarius erat, ac nemo apparebat ex Oppidanis, qui hoc ritu promoveri cuperet.

V. Ritu latino ministrasse, et licet ministraverint etiam Archipresbitero S. Georgei ritu Graeco celebranti, id tamen ex commissione potius, quam ex officio gessisse profitentur, in defectum scilicet aliorum ritus Graeci. -

81. Laudavit Iuvenes de optima spe, de doctrina, de modestia, atque uti ecclesiastico spiritu praeditos. Adiecit denique, quod quacumque sua de praeteritis ratihabitione tunc opus esset, ipse omnia rata haberet *in Rossanen. die 17 Decembris 1763.*

82. Repropositis hinc dubiis praedictis, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Non ndigere. Ad secundum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam. Ad tertium, Provisum in primo - *in Rossanen. die 14 Ianuarii 1764.*

83. Quum, Abbates aliis, quam Regularibus sibi subditis, dimissorias concedentes, esse ab officio et beneficio per annum ipso iure suspensos, Sacra Congregatio declaravisset, literas Nuntio mandavit, ut ad absolvendos eos, qui, vel cum praedictorum Abbatum, vel et cum falsis dimissoriis, ordinati sunt, minime facilem se praeberet *in Tarraconen. 1590 ad V dubium.*

84. In una eademque ordinatione Episcopus Bovensis duos postremos minores ordines et subdiaconatum Mario Turco, Sancto Angelico, et Dominico Chisofullio, Clericis subditis Archimandritae Messanensis, ordinarii Sambuci Nullius Diaecesis, et, dimissorialibus ad omnes ordines munitis, nec non Apostolico indulto super interstitiis, et super ordinum susceptione, extra tempora a iure statuta, contulit. Ordinati ab exercitio ordinum sese abstinuerunt. Episcopus autem errore deceptus, quod id sibi licuisset, eo instante, quaesitum fuit: An et quomodo sit danda absolutio? At Sacra Congregatio respondit: Dilata, et ad mentem (1) *in Boven. Ordinationis die 12 Februarii 1707.*

85. Reproposito subinde praefato dubio, S. Congregatio respondit: - Quoad Ordinatos dandam esse absolutionem, praevia poenitentia salutari, arbitrio Episcopi vicinioris, et quoad Ordinantem, ad mentem (2) - *in Boven. Ordinationis die 7 Maii 1707.*

86. Franciscus Iosephus Zuniga, post acceptos a Gadicensi Antistite, cui ratione tam originis quam domicilii subditus erat, primam tonsuram et quatuor ordines minores, ad Hispalis Civitatem se contulit, ibique cum petiisset sub annum 1725 a Curia Serenissimi Magni Prioris Hierosolymitani in Regnis Castellae et Legionis literas dimissorias pro sacris suscipiendis Ordinibus, eas post processus confectionem ex eo etiam obtinuit, quod ab anno 1713 habuisset ab Episcopo Gadicensi literas testimoniales de suis genere, vita, et moribus, subindeque aliis etiam munitus extitisset literis Testimonialibus ab Archiepiscopo Hispalensi, perhibentibus contractum ab ipso atque per undecim annos in ea Diaecesi retentum iugiter domicilium, quin ullius canonici impedimenti vinculo fuerit irretitus, atque beneficium in parochiali Ecclesia Commendae de Acre possedisset. Hinc ab Episcopo Auxiliario Titulari de Metuan sacris fuit Ordinibus initiatus. At, quum postea in Diaecesim Gadicensem rediisset, Curia Episcopalis exercitium sacrorum Ordinum illi interdixit, veluti susceptorum contra normam a S. M. Innocentii XII praescriptam in celebri Constitutione incipien. *Speculatores,* confirmatam per alteram Constitutionem S. M. Innocentii XIII, pro Hispanis

(1) Nimirum, ut doceretur de facultatibus praetensis Archimandritae Sambuci, ut in eadem Causa, sub diem 9 Aprilis 1707.

(2) Scilicet S. Congregatio acriter Episcopum redarguit, monens ulterius, quod licet graviori poena esset plectendus, quia plus deliquit in huiusmodi collatione scienter, attamen pro eximia S. Congregationis benignitate omnis poena eidem pro illa vice remissa fuit, dummodo in posterum a similibus perpetrandis omnino se abstineret, ut in lib. 24 Decretorum, sub diem 7 Maii 1707.

Regnis editam, quae incipit: *Apostolici Ministerii.*

87. Propositis hinc dubiis: - An Sacerdos Ioseph Franciscus Zuniga potuerit a quocumque Antistite licite ordinari cum dimissoriis Magni Prioris Religionis Hierosolymitanae Regni Castellae seu Commendatoris de Acre aut alterius Superioris Ordinarii dictae Commendae, vel potius illicite, ita ut incurrerit suspensionem. *Et quatenus Affirmative, quoad secundam partem.* II. An sit locus dispensationi ad cautelam, seu an et quomodo sit providendum in casu etc.-, S. Congregatio respondit: - Sacerdotem Zuniga fuisse illicite ordinatum et incurrisse suspensionem, ob non servatam formam Bullae *Speculatores,* ac proinde indigere absolutione, et ad Episcopum Gadicensem, pro facultate absolvendi eius arbitrio - *in Gadicen. seu Hispalen. Ordinationis die 20 Ianuarii 1742.*

88. At inde repropositis dubiis, sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis -, S.Congregatio respondit: - Pro absolutione, ad cautelam - *in Gadicen. seu Hispalen. Ordinationis die 13 Iulii 1743.*

89. Quum Sacra Congregatio suspensum ipso iure declaraverit Clericum Iosephum Fuentes de Lebrixa, subditum Archiepiscopi Hispalensis, eo quod promotus fuerat ad Sacros Ordines sine literis commendatitiis dicti Archiepiscopi ab Episcopo Samensi, cuius obsequiis addictus erat, et ad titulum insufficientis beneficii, illum quoad absolutionem ad dictum Archiepiscopum recurrere quoque sancivit *in Hispalen. Irregularitatis die 6 Februarii 1700.*

90. Pater Clerici Petri Guidi anno 1712 emancipatus et patria potestate solutus Turricellam Patriam suam, quae intra fines est Feretranae Diaecesis, deseruit, uxorem duxit, substantiam laresque suos fixit in Castro seu Podio Hybernorum in Diaecesi Ariminensi, aedes ampliavit restituitque, locationes, conductiones, emptionesque contraxit, onera realia et personalia pensitavit, et in Albo Decurionum Podii descriptus fuit. Contra vero Turricellam Patriam ne a longe quidem post discessum salutavit, et redeundi animum ita deposuit, ut electionem ad munus Decurionatus Turricellae ratam non habuerit, sed omnino respuerit, et demum inter Cives Ariminenses fuerit adlectus.

91. Inter liberos, quos suscepit, praedictus Petrus fuit, natus in Castro sive Podio Hybernorum, qui, postquam ex Ephaebis egressus est, Turricellam translatus fuit, ubi per biennium studiis operam dedit, et tonsuram minoresque ordines hac occasione ab Episcopo Feretrano suscepit. Ubi vero ad Sacros Ordines ascendere voluit, inconsulto susceptos minores reputavit ab Episcopo illo, et Ariminensem adiit, qui Feretranum certiorem fecit de Clerici huius desiderio. Feretranus sibi iurisdictionem asserebat, ut res infecta fuerit; tandem defuncto Episcopo Ariminensi, novus suffectus non sibi tantum vindicabat iurisdictionem in Clericum Guidi, sed suspensum et irregularem iudicavit, quod illegitime a Feretrano Episcopo tonsura et minoribus Ordinibus fuisset auctus atque honestatus. Proposito hinc dubio: - An et ad quem spectet Ordinatio Petri Guidi in casu etc.-, S. Congregatio respondit: - Praevia absolutione ad cautelam, et praestito iuramento ad formam Bullae (1), ordinationem spectare ad Episcopum Ariminensem - *in Ariminen. seu Feretrana Ordinationis die 14 Ianuarii 1747.*

92. Franciscus Amatus a Vicario Generali suspensus ab ordinum exercitio fuit ex eo declaratus, quod omnes Sacros Ordines titulo beneficii simplicis, congruam sufficientem ad tramites Diaecesanae consuetudinis non habentis, quum annui reditus scutorum sexdecim essent, susceperat. Hinc Sacra Congregatio absolutionem, postquam is taxam Ariminensem vel per beneficium vel per patrimonium supplevit, indulsit *in Ariminen. Ordinationis die 10 Ianuarii 1705 ad II dubium.*

93. Preces ad Sacram Congregationem remissae fuèrunt, quibus Frater Sylvester de Tursio, Diaecesanus Anglonensis Capuccinus professus, et in Ordine Diaconali constitutus, exponens, sese ad Subdiaconatus ordinem iam

(1) Nimirum Innocentianae, quae incipit: *Speculatores*, ubi haec ad rem sanciuntur: - ibi - Subditus autem ratione domicilii, ad effectum suscipiendi Ordines, is dumtaxat censeatur, qui licet alibi natus fuerit, illud tamen adeo stabiliter constituerit in aliquo loco, ut vel per decennium saltem in eo habitando, vel maiorem rerum ac bonorum suorum partem cum instructis aedibus in locum huiusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit, et nihilominus ulterius in utroque casu, se vere et realiter animum huiusmodi habere, iureiurando affirmet -.

antea inauguratum ante legitimam aetatem fuisse, et non suscepto prius Confirmationis Sacramento, a quacumque censura absolvi ac dispensari exoravit. Sacra Congregatio, quum Orator Parentibus careret, cumque requisitis cognitionibus id exploratum haud habere valeret, Episcopo commisit, ut Oratorem sub conditione confirmaret, et a suspensione absolveret, atque quoad irregularitatem ad cautelam dispensaret *in Ordinis Capuccinorum seu Anglonen. Dispensationis die 15 Decembris 1710.*

94. Proposito dubio: An suspensio ab exercitio Ordinum, indicta Apostatis et Eiectis, ex dispositione Bullae Urbani VIII (1), per quam sublata fuit Ordinariis illam relaxandi et moderandi, possit aliquo modo remitti saltem pro foro interiori conscientiae, vigore cuiusvis Constitutionis Apostolicae et posterioris, in qua non sit expresse derogatum dictae Constitutioni Urbani VIII Pontificis Maximi, S. Congregatio negativum dedit responsum *in Toletana die 4 Iunii 1672 ad VII dubium.*

95. Sententia lata die 4 Septembris anno 1750 eiectus fuit uti incorregibilis ab Ordine Minorum S. Francisci de Paula sacerdos Ioannes Pellegrini, natus Podenzanae in Diaecesi Sarzanensi. Postulavit inde ab Episcopo, ut constitutionem Patrimonii sacri, quam ad congrue sustendandam vitam obtinuerat ab aliena pietate, approbaret; quod factum fuit ab Episcopo, qui ei prohibuit, ne sacra faceret, non impetrata prius dispensatione ab irregularitate seu suspensione, quam incurrere Eiectos neminem latet ex decreto S. Congregationis (2) *in Lunen. Sarzanen. Dispensationis die 31 Iulii 1751 §. Sententia.*

96. Postulavit itaque praedictus Ioannes ab S. Congregatione, ut dispensationi huiusmodi indulgeret, quod infamia illa facti, quae oritur ex eiectione, purgetur emendatione morum, et ideo dispensationi locus sit, cum nulla alia obsit causa *in Lunen. Sarzanen. Dispensationis die 31 Iulii 1751 §. Sententia* (3).

97. Proposito vero dubio: - An sit consulendum Sanctissimo, pro dispensatione in casu etc. -, S. Congregatio, etsi votum Episcopi in promptu esset, quo is factum constitutionis Patrimonii sacri verum renunciabat, et praefati Ioannis emendationem sperabat, responsum tulit: - Negative - *in Lunen. Sarzanen. Dispensationis die 8 Iulii 1752.*

98. Immo, reproposito dubio, sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - In decisis, et amplius - *in Lunen. Sarzanen. Dispensationis die 8 Iulii 1752.*

99. Quum Ioseph Lyons Glandevensis Diaecesis, Frater laicus professus in Congregatione Doctrinae Christianae in Gallia, dimisso habitu, ipsam Congregationem deseruerit, ac, nulla obtenta venia Praepositi Generalis sive Provincialis, omnes ordines sacros susceperit ab Episcopo Glandevensi, ac celebraverit; postea morigerus ad Congregationem rediit, et absolutionem a suspensione postulavit. Eam Sacra Congregatio ad cautelam indulsit *in Glan-*

(1) Prostat. in Bullar. Romano tom. 5, part. 5, pag. 248. Siquidem eiectionem Monachorum incorrigibilium Ordinis Cisterciensis, quam fieri praecepit Alexander P. M. in cap. *Relatum*, tit. ne Cler. vel Monach. secul. etc., et postea Honorius III in cap. *Ea, quae*, de stat. Monach., Urbanus VIII extendit ad Regulares incorrigibiles ceterorum omnium Regularium Ordinum, ut constat ex Decreto S. Congregationis Concilii contra Apostatas et Eiectos, eius iussu edito die 21 Septembris 1624, relato in Constit. loc. cit., ubi quoad poenam in §. 10 legitur: - Item, ut Eiecti, extra Religionem degentes, sint perpetuo suspensi ab exercitio Ordinum, sublata Ordinariis locorum facultate dictam supsensionem relaxandi aut moderandi -. Thaesaurus autem in tit. de poenis eccles. Verb. Religiosi, cap. 12, pag. 357 de Religiosis legitime eiectis, ob eorum culpam scilicet incorregibilitatem, ita loquitur: - ibi - Religiosus eiectus, irregularis saepe efficitur, non praecise propter actum eiectionis, sed ratione infamiae iuris ex delicto, ratione cuius eiectus est, et ita Sanch. in dec. lib. 6, cap. 9, num. 59; et in Op. lib. 7, cap. 1, dub. 24. Potest autem super ea irregularitate et infamia dispensari, vel a Papa, vel saltem ab Episcopo, si crimen non sit gravius adulterio, poenitentia, vel illius parte peracta, iuxta cap. *At si Clerici.* §. de Adult. de iudiciis, et ibi Canonistae: sed et ante eiectionem potuisset dispensari a suo Praelato, iuxta cap. At si Clerici, et ita Sanch. in Op. loc. cit., et Alii apud Dianam, *resolut.* 116. Sed hodie ex Decreto supracitato S. Congregationis §. 10. Eiecti a Religione, extra Religionem degentes, sunt perpetuo suspensi ab exercitio ordinum, sublata Ordinariis locorum facultate dictam suspensionem relaxandi vel moderandi, et sic dispensatio Papae reservatur -.

(2) Extat penes Fagnan. in cap. Ne Religiosi, n. 71, de Regular.

(3) Sanchez Cons. moral. lib. 7, cap. 1, dub. 24, n. 2 et 3, de Regul. tom. 1, tract. 8, de Eiectis a claustr. quaest. 44; Navarr. in Summ. Bullar. part. 2, comment. 64, n. 17; Pignatell. Consult. 85, n. 13 et seqq. tom. 1; Pascucc. ad eumdem tom. 2, in compend. de Regul. pag. 183.

deven. seu Parisien. Dispensationis die 7 Iulii 1714.

100. Guillielmus Melfort, qui obtinuit Archipresbiteratum in Collegiata Ecclesiae S. Eustachii, debebat ex causa dicti beneficii ad sacros ordines ascendere, sed nonnullis indigebat dispensationibus. Siquidem praefatus Guillielmus origine Scotus Londini natus est anno 1686 ex Genitoribus conspicuae et nobilissimae familiae, sed haeresis labe infectis, qui tamen haeresim abiurarunt, et Catholicam Religionem subinde amplexi sunt, dum ipse erat in aetate annorum duorum, et postquam ab Administro Ecclesiae Anglicanae Baptismum receperat.

101. Tempore, quo gloriosae memoriae Iacobus secundus Angliae Rex fuit expulsus, ipse cum suis Genitoribus Gallias, et deinde Flandriam petiit, et in Universitate Duacensi suorum studiorum cursum explevit, et ab Episcopo Attrebatensi Confirmationis Sacramentum suscepit; et post haec, cum Gallias reversus fuisset, fuit ab Episcopo Niverniensi ad primam tonsuram, et ad quatuor ordines minores promotus. Duobus abhinc annis Romam venit, et a Summo Pontifice dictum Archipresbiteratum sancti Eustachii obtinuit. Propositis hinc dubiis: - IV. An Orator remanserit suspensus a susceptorum ordinum exequutione, ex quo eos recepit, sine dimissoriis proprii Episcopi. *Et quatenus affirmative.* V. An haec suspensionis poena de medio tollenda sit per Apostolicam dispensationem, non obstante, quod sui Ordinarii consensus deficiat -, Sacra Congregatio respondit: - Ad quartum et quintum, Affirmative - *in Romana die 21 Maii 1718.*

102. Ioseph Reynaud, Frater laicus secularis Congregationis Doctrinae Christianae in Gallia, dimisso post sexdecim annos habitu, illicite ad sacros Ordines, cum literis dimissorialibus sui Episcopi Carpenctoratensis callide obtentis, fuit promotus. Procurator Generalis eiusdem Congregationis ad hoc, ut praefatus Ioseph, reassumpto Religionis habitu, ad suam rediret Congregationem, ibique ad suum statum laicalem redigeretur, institit coram Sacra Congregatione. Et S. Congregatio reapse decrevit, non esse dispensandum, tam in exercitio ordinum susceptorum, quam in remanendo extra dictam Congregationem, addendo etiam, quod dictus Frater Ioseph ad praefatam Congregationem rediret *in Carpenctoraten. Voti Perseverantiae et Ordinum die 22 Februbrii 1710 ad III dubium.*

103. Mandatis S. Congregationis paruit Orator, immo humiliora exercuit suae Congregationis munera, inde ad Religionem Benedictinam transivit, et in ea professus est. Hinc eo instante S. Congregatio absolutionem a suspensione, arbitrio Episcopi, praevio diligenti examine super scientia et idoneitate, impertivit; et Orator omnino servet vitam claustralem, sub obedientia Regulari *die 5 Septembris 1716.*

104. Episcopus Caputaquensis in Visitatione suae Diaecesis visitavit etiam iure delegato Ecclesiam Parochialem Centulae exemptam, et post peractam Visitationem realem, vocavit ad examen Dominicum Gabrielem, Parochum seu Oeconomum dictae Ecclesiae, istoque accedere renuente ac etiam latitante, de mandato Episcopi citatus fuit per affixionem ad valvas Ecclesiae, quatenus sub poena suspensionis ab officio intra triduum exhiberet literas patentales suae Oeconomiae ac se submitteret formali examini. Non comparuit Parochus infra triduum sibi praefixum, et Episcopus post incusatas tres contumacias, illum declaravit suspensum ab exercitio Curae, et ad hunc effectum expediri mandavit Cedulones in forma, sub poena excommunicationis latae sententiae, ipso facto incurrendae, prout inde expediti et affixi fuerunt ad valvas praedictae Ecclesiae Parochialis.

105. Comparuit Parochus, exhibuitque literas patentales, protestans, non tenèri se submittere dicto examini; adeoque appellans ad S. Sedem continuavit in exercitio Curae. At S. Congregatio, admissa praefata appellatione in devolutivo, propositis dein dubiis: - I. An suspensio sustineatur? *Et quatenus affirmative.*

II. An Dominicus Antonius Gabrieli incurrerit irregularitatem? *Et quatenus affirmative.*

III. An sit locus absolutioni et dispensationi? - S. Congregatio respondit: - Ad primum et secundum, Affirmative. Quo vero ad tertium, Pro gratia Episcopo in forma Commissoria, constito tamen sibi de omnimoda paritione, et peractis exercitiis spiritualibus, per quindecim dies in loco, ab eodem Episcopo designando, et amplius - *in Caputaquen. die 2 Aprilis 1729.*

106. Conceditur absolutio ad cautelam, cum Episcopus ad examen Sacerdotes, sub poena suspensionis, absque sufficienti causa, vocare censuerit *in Isclana Nullitatis Edicti et Suspensionis die 29 Maii 1745.*

107. Iam vero, postquam novus Isclanus Episcopus localem Visitationem per omnem Diaecesim expleverat, alteram post tertium mensem personalem Visitationem Sacerdotibus et Confessariis indixit, ut eorum mores et scientiam cognosceret, et de sacris ritibus inquireret. Ut venit ad Oppidum Forigii, Edictum proposuit die 19 Octobris 1744, quo monebantur Sacerdotes omnes et Confessarii, ut post tertiam diem ad Episcopum una sese conferrent. Aegre tulit Oppidi Clerus, non de caeremoniis, moribusque diiudicari, sed de eorum studiis, atque doctrina periculum fieri velle ab Episcopo. Est enim in illo Oppido, in quo Clerus numerosus est, Sodalitium Clericorum et Sacerdotum, in quo plurima pietatis simul et doctrinae opera exercentur, statuta die cuiusque hebdomadae, qua Sodales coeunt et congregantur, atque ea praesertim Theologiae pars excolitur, quae ad mores pertinet, et qualibet veneris die a singulis Sodalibus in orbem praedicationes in foro Oppidi habentur. Cum autem in locali Visitatione ipse Episcopus praesens fuerit, dum Sodales congregati de illis rebus disserent, quae ad eorum Institutum pertinebant, plurimum ille gavisus est, laudavitque plurimum etiam publice Sodalium doctrinam, et latini sermonis, quo res illas tractabant, elegantiam.

108. Displicuit igitur Sacerdotibus Edictum, sed nulla prorsus ratione Episcopum a sententia dimovere valuerunt, cum ille poenam suspensionis a divinis Reluctantibus indixerit. Propositis vero dubiis: – I. An Edictum, ab Episcopo promulgatum die 19 Octobris 1744 in S. Visitatione super examine Sacerdotum omnium Terrae Forigii, quoad scientiam substineatur in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An substineatur suspensio a celebratione Missarum inflicta contra nonnullos Sacerdotes dicti Cleri Terrae Forigii in casu etc. *Et quatenus negative.* III. An Episcopus teneatur ad refectionem damnorum per dictos Sacerdotes passorum ex causa dictae suspensionis in casu etc. IV. An et quibus poenis mulctari debeant Sacerdotes, qui prosequutioni sacrae Visitationis praetensum impedimentum praebuerunt in casu etc. –, S. Congregatio respondit: – Praevia absolutione a censuris ad cautelam, scribatur Episcopo, iuxta instructionem *in Isclana Nullitatis Edicti et Suspensionis die 29 Maii 1745.*

109. Completa Camerariatus munere Capituli Civitatis Castellanae, Canonici Antonius Samirimma et Iacobus Ludovicus Paradisus Syndicos pro rationum redditione a Capitulo obtinuerant. Sed Episcopus publico edicto rationes reddendas esse Revisoribus, deputandis sub poena suspensionis a divinis praecepit. Canonici vero cum Syndicis rationes consolidarunt. Hinc suspensi declarati fuerunt. Itaque Sacra Congregatio, impertita eis absolutione ab Episcopo, satis fuisse provisum censuit *in Civitatis Castellanae Suspensionis a Divinis die 19 Iunii 1706.*

110. Episcopus Civitatis Castellanae in tertia visitatione decrevit, ne Capitularibus traderet Camerarius ratas massae communis, nisi solutis prius punctaturis, sub poena solvendi de proprio et in subsidium suspensionis a divinis, utque singuli Canonici extracapitulares deponerent in eamdem punctaturarum causam scutum unum, sub poena suspensionis, quousque decretum non adimplerent. Paruerunt Capitulares, et Extracapitulares: hi vero deinde supplicarunt S. Congregationi, falso etiam Capitularium nomine, pro revocatione Decreti Visitationis: sed rescripto pro informatione diei 14 Decembris addita fuit Clausula – Firma interim exequutione eiusdem –. Hoc tamen non obstante resumpserunt Oratores mense Ianuarii sequentis anni e manibus Camerarii depositum. Quamvis autem mense Martio 1794 iactarentur Canonici de non explendo deposito, eodem tamen Camerario teste, depositum expleverunt labente Iunio. At, sive quia praefati Canonici depositum, ut antea fecerant, resumpsissent; sive quia illud finxissent, die 21 sequentis Iulii declaravit Episcopus, Canonicos citatos incursos fore et esse in poenam suspensionis a divinis ac in poenam irregularitatis, ob sacros etiam ministratos ordines. Negarunt tamen illi in suspensionem, deindeque in irregularitatem se incidisse, eo quod reipsa paruerunt decreto, ob factum in tempore primum depositum anni 1793, licet illud ob diligens servitium Chori resumpserint; et ob

expletum secundum in fine primi semestris anni 1794 ad formam Decreti, per mensem scilicet ante Declaratoriam. Propositis hinc dubiis: III. An sustineatur suspensio a divinis, et in eam ac irregularitatem inciderint praedicti Canonici in casu etc. *Et quatenus affirmative ad secundam partem.* IV. An sit consulendum Sanctissimo, pro dispensatione ab irregularitate in casu etc. –, S. Congregatio respondit: – Ad tertium Affirmative ad primam partem; in reliquis etiam quoad quartum dubium, Consulendum Sanctissimo, pro absolutione et dispensatione ad cauthelam, et amplius – *in Civitatis Castellanae Punctaturarum die 16 Maii 1795.*

111. Anna Maria Sarmiento ecclesiasticam fundavit Capellaniam, cuius primum nominavit Capellanum Sacerdotem Bernardum Vedoja. Placuit inde Annae Mariae pinguiorem facere eamdem Capellaniam. Mutavit praeterea sententiam eamdem, et revocata, quam fecerat, fundatione, aliam fundavit Capellaniam, cui integrum censum centum millia Regalium assignavit. Novae huius Capellaniae primum nominavit Capellanum Franciscum a sancta Clara Diez, et post eius obitum filios ac descendentes ab Emmanuele de Villalba cognato Capellani Francisci, et, quia assignato Capellaniae integro censu, nihil supererat, unde viveret, convenit clam cum Emmanuele, ut ipsa fructus integros eiusdem census perciperet, conventionem ignorante Francisco Capellano, qui, postquam titulo huius Capellaniae ad sacros Ordines promotus fuit, audivit quidem reservatos fuisse hos fructus Annae Mariae, sed non quaesivit, an hoc in ipso fundationis instrumento esset, an alio modo; immo habitavit cum Anna Maria, ad eamdem sedit mensam, et mutuis reditibus sese invicem aluerunt.

112. Propositis itaque dubiis: – I. An constet de conventione simoniaca, et respective de subsistentia suspensionis Francisci, tam a celebratione Missae, quam a perceptione fructuum Capellaniae, de qua agitur? *et quatenus affirmative.* II. An sit consulendum Sanctissimo, pro absolutione et dispensatione ipsius Francisci ad omnia praemissa in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Consulendum Sanctissimo, pro absolutione et dispensatione, ad cautelam. *in Vallisoletana Capellaniae die 26 Aprilis 1749.*

113. Populus et Universitas Oppidi Tudiani, in Spoletana Dioecesi existentis, mortuo Plebano et Rectore Ecclesiarum Sanctae Mariae *delle Cascine* et Sancti Bartholomaei, elegit Sacerdotem Philippum Battaleam, qui accessit inde ad concursum, sed non fuit probatus. Ob renunciationem vero Sacerdotis Caroli Carletti, qui probatus fuerat, alio indicto concursu, approbationem ac respective possessionem obtinuit Franciscus Floruccius. At praefatus plebanus Floruccius curam animarum exercere non potuit in Ecclesia Sancti Bartholomaei, impeditus a Rectore Battalea, qui fores Ecclesiae clausit, et sese defendit Monitorio Tribunalis A. C. Contra Floruccius plebanus usus est praecepto Episcopi Spoletani, quo vetabat, ne Rector Battalea molestaret eum super libero exercitio iurium parochialium, sub poena suspensionis a divinis, ipso facto incurrendae. Aliud quoque praeceptum ab Episcopo datum fuit, quo vetabatur Rectori Battalea, ne auderet Parochum Florucci molestare, super libero usu pacificaque possessione domus contiguae Ecclesiae praedictae S. Bartholomaei, sub poenis etc.

114. Utrumque hoc praeceptum personaliter exequi non potuit, latitante cauto Rectore Battalea: moderatum interim fuit ab A. C. Monitorium, et Episcopus, cum Rector Battalea nec praeceptis paruisset, nec a sacris abstinuisset, eum intra triduum in ius vocavit ad docendum, se paruisse praeceptis, et dicendam causam, quare non deberet declarari incursus in poenas comminatas in dictis praeceptis: ne haec quidem citatio personaliter exequi potuit, latitante Battalea, occlusis foribus Domus Parochialis, ideoque affixa fuit foribus Ecclesiae Sancti Bartholomaei. Post alia enormia perpetrata, rediit is tandem ab Hetruria, quo confugerat, et preces obtulit Eminentissimis Patribus, quibus petebat absolutionem a censuris, et audito, ut fieri solet, Episcopo, rescriptum fuit: – Orator pareat, et deinde supplicet – *in Spoletana Censurarum et Irregularitatis die 31 Iulii 1751 §. Iterum.*

115. Non paruit ille, sed novas obtulit preces, quibus iis respondebat, quae ab Episcopo dicta fuerant in epistolis. Iterum igitur audito Episcopo, rescripsit Sacrum Tribunal: – Pro gratia absolutionis, arbitrio Episcopi; et in reliquis ad Iudices suos – *in Spoletana Cen-*

surarum et Irregularitatis die 31 Iulii 1751 §. *Iterum.*

116. Gratia uti noluit Battalea, ratus sibi deberi absolutionem ex debito iustitiae; graviora interim molitus, contra auctoritatem et dignitatem Episcopi, Eminentissimi Abbatis Commendatarii, et sacrae Congregationis, propositae bono Populorum regimini, ita ut contra eum agi debuerit criminali iudicio. Demum sese iterum ad S. Congregationem convertit, nullas esse censuras contendens. Propositis vero dubiis: - An poenae comminatae in praeceptis expeditis sub diebus 22 Iunii et 14 Iulii 1750 a Curia Episcopali Spoleti substineantur in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An sit locus absolutioni in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative, et amplius. Ad secundum, Pareat Episcopo, et, refectis expensis, arbitrio Episcopi, et amplius - *in Spoletana Censurarum et Irregularitatis die 31 Iulii 1751.*

117. Non videtur vero ulla indigere absolutione a censuris, qui, antequam compleretur conditio, ad Apostolicam Sedem provocaverit *in Derthonen. Constitutionum Capitularium die 12 Septembris 1829* §. *Denique.*

118. Nam censurae, quae sub conditione inflinguntur, non antea suum sortiuntur effectum, quam extiterit conditio *in Derthonen. Constitutionum Capitularium die 12 Septembris 1829* §. *Denique* (1).

119. Hinc ex provocatione ad Sedem Apostolicam fit, ut tempora interim non labantur, et sententia suspensionis, lata sub conditione, remaneat suspensa *in Derthonen. Constitutionum Capitularium die 12 Septembris 1829* §. *Denique* (2).

120. Verum, quando fertur praeceptum aliquid faciendi, et contra transgressores suspensionis poena ipso facto contrahenda statuitur, nulla praerequiritur monitio, ut inobedientes praecepti violatione, comminata poena, statim irretiti evadant *in Savonen. die 14 Septembris 1782* §. *Verum.*

Item *in Derthonen. Constitutionum Capitularium die 12 Septembris 1829* §. *Postremo* (3).

121. Amplia, id locum habet, tam si praeceptum sit particulare, et alicui determinatae Personae directum, quam sit universale, et universam Communitatem et locum comprehendat *in Savonen. die 14 Septembris 1782* §. *Verum.*

122. Siquidem in Vercellen. Irregularitatis, cum Vicarius Capitularis praecepisset Sacerdoti Io: Antonio Buroccho, in Episcopali Curia inquisito, ut restitueret literas patentales concessas pro Confessionibus audiendis, ne huiusmodi facultate in posterum uti valeret, cum tamen ille renuerit, et, praesentibus Testibus, fuerit suspensus, dubitatum fuit, an esset irregularis, quia celebravit, et proposito dubio: - An Burocchus inciderit in irregularitatem -, die 18 Augusti 1703 prodiit responsum: - Affirmative - *in Savonen. die 14 Septembris 1782* §. *Vercellen.* (4).

123. Defectui Testium vero suppleri potest per ipsam Suspensi fassionem *in Savonen. die 14 Septembris 1782.*

124. Iam vero Sacerdos Dominicus Blomer in precibus prima vice porrectis Sacrae Congregationi ingenue fassus est, Episcopum Savonensem sibi iniunxisse, ne, sub poena suspensionis a divinis ipso facto incurrendae, a Civitate Savonae discederet, nisi reddita prius ratione adimplementi Onerum Missarum suae Capellaniae, et praeceptum adimplere minime curasse, cum post reditum ad Oppidum Vulturis pluries Missam celebraverit, et poenitentiae Sacramentum ministraverit, hinc videndum, an isto casu suppletum hoc modo fuerit defectui Testium, qui adhibiti non fuerunt, dum dicto Sacerdoti praeceptum fuit intimatum. Itaque propositis dubiis: - I. An sustineatur suspensio in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An sit locus absolutioni, et dispensationi in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative, et amplius. Ad secundum, Affirmative, arbitrio Episcopi, dummodo prius satisfaciat oneribus Missarum

(1) Salmant. cap. 1, n. 68; S. Ligor. Theol. moral. lib. 7, n. 63, de censur.

(2) Cap. Praeterea 40, de appellat.; Ferrar. in biblioth. Verb. Appellatio art. 5, n. 16; Reiffenst. lib. 2 decret. tit. 28, n. 212 et seqq. ac lib. 5, tit. 39, n. 36.

(3) Thesaur. de poenis, part. 2, cap. 1; Suarez de censur. disp. 3, sect. 8, n. 5.

(4) Ut in lib. 53 Decretorum pag. 375.

non celebratarum, et amplius - *in Savonen. die 14 Septembris 1782.*

125. Decreta autem Episcoporum, quae divinum cultum respiciunt, suspensivam respuunt appellationem, etiamsi extra visitationem ferantur *in Colonien. die 14 Februarii 1767* §. *Immo.*

Item *in Derthonen. Constitutionum Capitularium die 12 Septembris 1829* §. *Postremo* (1).

126. Hinc non obstante appellatione, si quis decreto Episcopi non paruerit, necessaria censetur absolutio *in Derthonen. Constitutionum Capitularium die 12 Septembris 1829.*

127. Enimvero, Episcopus Derthonensis animadvertit, Canonicos Ecclesiae Cathedralis adversus sacrorum Canonum sanctionem ac statutarias anni 1823 leges post completorium antevertere recitationem matutini cum laudibus diei sequentis, pastorali zelo incensus eos monuit, ne in posterum quid simile patrarent. Cum autem Canonici privilegia et consuetudinem obtenderent, Antistes die 7 Septembris 1827 unius mensis terminum indixit, ut assertum ius evincerent, aut Apostolicam veniam impetrarent; quo elapso, si Matutinum antevertere pergerent, scirent suspensionis poenam se ipso facto contracturos. Ab hoc Episcopi decreto, mensis termino nondum effluxo, Canonici provocarunt ad Metropolitanum, et quatenus opus foret ad S. Sedem. Interim contra proprii Antistitis iussum recitationem Matutini antevertere Canonici praedicti non destiterunt. Propositis vero dubiis: - VII. An Canonici post Vesperas recitando Matutinum sequentis diei, contra Episcopi decretum inciderint in suspensionem in casu etc. *Et quatenus affirmative.* VIII. An sit consulendum Sanctissimo, pro absolutione a suspensione et dispensatione ab irregularitate in casu etc.-, Sacra Congregatio respondit: - Ad septimum et octavum, Affirmative, impertita tamen Episcopo facultate absolvendi Canonicos a suspensione et dispensandi, super irregularitate, et amplius, quoad omnia - *in Derthonen. Constitutionum Capitularium die 12 Septembris 1829.*

128. Sacra Congregatio quandoque rescripsit, ut Parochus recurreret, postquam dederit signa emendationis *in Lucionen. Suspensionis et Appellationis die 8 Aprilis 1848.*

129. Proposito enim dubio: - IV. An et quomodo sit indulgendum precibus eiusdem Parochi in casu -, S. Congregatio respondit: - Ad sextum, Dilata; et Parochus recurrat, postquam dederit signa emendationis - *in Lucionen. Suspensionis et Appellationis die 8 Aprilis 1848.*

130. Sane absolutio a suspensione non conceditur, nisi emendatis causis *in Alexandrina suspensionis die 11 Ianuarii 1772* §. *Infert* (2).

131. Nam, si abest vitae emendatio, non conceditur praesertim reintegratio ad Paroeciam, et rehabilitatio ad celebrationem Missae *in Perusina Suspensionis die 30 Aprilis 1803* §. *Pergit.*

132. Amplia, etiamsi quis indulto Apostolico ad titulum Paraeciae ruralis et ad nutum amovibilis ordines susceperit *in Perusina Suspensionis die 30 Aprilis 1803.*

133. Praesertim, si poenitentiam saltem per triennium continuatam non egerit *in Perusina Suspensionis die 30 Aprilis 1803* § *Pergit.*

134. Quod necessum esse tradunt Doctores (3), ad infamiam delicto contractam tollendam *in Perusina Suspensionis die 30 Aprilis 1803* §. *Pergit.*

135. Proposito idcirco dubio: - An et quomodo sit locus reintegrationi ad Paroeciam, et rehabilitationi ad celebrationem Missae in casu etc.-, S. Congregatio respondit: - Ad primum, Negative in omnibus - *in Perusina Suspensionis die 30 Aprilis 1803.*

136. Quin imo reproposito dubio, sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. -, S. Congregatio responsum tulit: - In Decisis, et ad mentem: mens est, quod per Curiam Episcopalem procedatur criminaliter super omnibus ex integro - *in Perusina Suspensionis die 20 Augusti 1803.*

137. Ad obliterandam autem delicti memoriam sufficere triennium cum emendatione vitae tenent Abbas et Antonellius (4) *in Camerinen. Dispensationis et Rehabilitationis die 1 Martii 1817* §. *Ne vero.*

(1) Benedict. XIV in Constit. incipien. *Ad militantis,* 30 martii 1742, §. 6.
(2) Cap. Nullus, de for. competen.; cap. Ex parte in Christo, de verb. signif.
(3) Pirrhing. de temp. ord. n. 19; Wiestner. tit. de poenis, n. 64; Schmalzgrueb. in Ius Eccles. part. 4, §. 4, tit. 37, n. 174.
(4) Abbas in cap. 21, de accus.; Antonell. de Regim. Eccles. lib. 1, cap. 6, n. 17.

*

138. Praesertim, si eius rehabilitatio ad parochialia munera nullum afferat scandalum, sed potius pia Populi vota compleantur, ex testimonio Ordinarii *in Camerinen. Dispensationis et Rehabilitationis die 1 Martii 1817* §. *Ne vero.*

139. Et eo vel magis, si etiam paupertas Oratoris habeatur *in Camerinen. Dispensationis et Rehabilitationis die 1 Martii 1817* §. *Ne vero.*

140. Ceterum Sacra Congregatio, etiamsi praedicta concurrerent, aliquando rehabilitationem ad ordinem tantum, non vero ad Paraeciam indulsit *in Camerinen. Dispensationis et Rehabilitationis die 1 Martii 1817.*

141. Proposito enim dubio: An sit consulendum Sanctissimo, pro plenaria rehabilitatione ad Ordinem, et ad Paroeciam in casu etc., - S. Congregatio responsum dedit: - Affirmative, quoad ordinem tantum - *in Camerinen. Dispensationis et Rehabilitationis die 1 Martii 1817.*

142. Aliquando vero, nec ad celebrationem Missarum rehabilitationem, iuxta varias rerum circumstantias ac delicti speciem, indulgere voluit *in Placentina Irregularitatis die 30 Iulii 1796.*

143. Proposito enim dubio: - An et quomodo sit consulendum Sanctissimo, pro dispensatione ab irregularitate in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Negative - *in Placentina Irregularitatis die 30 Iulii 1796.*

144. Demum quandoque rescriptum edidit: - Pro nunc non expedire, firmo tamen favore Parochi iure percipiendi reditus Paraeciae, demptis congrua pro Oeconomo, aliisque necessariis expensis - *in Placentina Restitutionis in Paraeciam die 5 Decembris 1846.*

145. Paupertas Oratoris iusta censetur causa, qua absolvi potest a suspensione incursa *in Cephaluden. Suspensionis et Irregularitatis die 24 Martii 1787* §. *Hae autem.*

146. Praesertim, si ad longum tempus abstinuit ab exercitio sacrum ordinum *in Cephaluden. Suspensionis et Irregularitatis die 24 Martii 1787* §. *Hae autem* (1).

147. Nam Clerici potissimum pauperes sunt alendi beneficiis ecclesiasticis, quae dicuntur patrimonium Christi *in Cephaluden. Suspensionis et Irregularitatis die 24 Martii 1787* §. *Heae autem.*

148. Silentium rursus Fisci, ac diuturna carceris poena, plurimi in solvenda suspensione facienda videtur *in Cephaluden. Suspensionis et Irregularitatis die 24 Martii 1787* §. *Hae autem* (2).

149. Ac propitium denique Episcopi testimonium, enixaque eius vota admodum conferunt, ut Sacra Congregatio etiam ab irregularitate incursa dispenset *in Cephaluden. Suspensionis et Irregularitatis die 24 Martii 1787* §. *Hae autem.*

150. Siquidem incusatus prae ceteris fuit labente anno 1749 apud Abbatialem Montis Virginis Curiam homicidii Sacerdos Florentinus Silvestri, et sequenti anno in contumacia excommunicatus. Sponte anno 1766 se constituit, conditoque defensivo processu, literationem obtinuit, cum clausula - novis supervenientibus indiciis - et suspensione a divinis, usquedum Apostolicam absolutionem consequeretur. Semel in id ab S. Congregatione reiectas asseruit eius preces, iterumque dein in gravi sexaginta quinque annorum aetate constitutus absolutionem postulavit ab irregularitate. Ordinarius retulit ex ore Testium, tamdiu se Oratorem de consilio Abbatialis Cancellarii constituere distulisse, ut Iudicis laici sententiam de altero ex Correis audiret, quae absolutoria ex capite innocentiae fuit *in Nullius Montis Virginis Irregularitatis die 16 Februarii 1788* §. *Incusatus.*

151. Attento itaque diuturno viginti et ultra annorum spatio ab edita sententia et triginta novem a patrato homicidio, piaque Oratoris vita, de qua testabatur Ordinarius, ob quam infamia facti deleta censebatur, nec non voto ipsius Ordinarii, qui etiam asseruit, quod attenta - *la qualità del detto D. Fiorentino di essere stato un buon Sacerdote, e mai inquisito di mancanza alcuna, non era credibile e verisimile, che avesse potuto dare in simile eccesso* - proposito dubio: - An sit consulendum Sanctissimo, pro absolutione in casu etc. -, S. Congregatio responsum tulit -: Affirmative - *in Nullius Montis Virginis Irregularitatis die 5 Aprilis 1788.*

152. Insuper ad terrendum Dominicum An-

(1) Conrad. in prax. dispensat. Apostol. lib. 4, cap. 10, n. 11.

(2) Ferrar. in biblioth. Can. verb. Irregularitas, art. 3, Verb. Poenitentia et Verb. Dispensatio.

tonium *di Biase,* cum quo praecedentium dierum redintegraverat rixam, pugionem mense Augusto 1776 strinxit Ioseph Pepe. Fugam ille arripuit; sed ferro e manibus Fratris avulso, fugientem insectatus fuit Franciscus Paulus Pepe, eique, suo etiam spectante Patruo, lethale inflixit vulnus, ex quo post quartum diem occubuit. Decreta idcirco Homicidae fuerunt vincula; Iosepho et Patruo habilitatio per Palatium. Ob Regium vero natum Infantem absoluti sunt, ex indulto Serenissimi Regis Neapolis novissimi, et a decessore Abbate, et Ordinario Sanctissimae Trinitatis Cavae promotus fuit Ioseph ad tonsuram minoresque ordines et subdiaconatum. Dubitans tandem de illius irregularitate, Eminentissimis Patribus supplicavit successor Abbas pro dispensatione, ut ad reliquos eum Ordines promoveret; prodiitque die 10 Ianuarii 1784 Rescriptum - Exhibeatur obtendum indultum, et attestatio de vita et moribus, et de satisfactione Partis et Fisci - *in Nullius Caven. Irregularitatis die 24 Novembris 1792* §. *Ad terrendum.*

158. Transmissis inde iuribus, constare ait Abbas - *dell'esemplare vita e costumi di detto Suddiacono* -, ex testimoniis scilicet Decessoris et moderni Parochi, ac Repraesentantium Oppidi, nuncupati *dell' Abbate*, de quo erat Subdiaconus. Testatus est etiam *della necessità della Chiesa di Castello dell'Abbate di avere de' Sacerdoti delli quali penuria*, nec non de compositione Partis et Fisci, ex Regio Indulto, ac remissione Matris et Sororum Occisi, gratiamque cum Subdiacono imploravit. Proposito vero dubio: - An et quomodo sit consulendum Sanctissimo, pro absolutione, rehabilitatione, et dispensatione in casu etc.-, S. Congregatio respondit: - Expectet - *in Nullius Caven. Irregularitatis die 24 Novembris 1792.*

154. Iterum praedictus Subdiaconus Ioseph Pepe Eminentissimorum Patrum clementiam subinde imploravit, eique impense favit Ordinarius. Reproposito hinc dubio: - An et quomodo sit consulendum Sanctissimo, pro absolutione, rehabilitatione, et dispensatione in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Affirmative. - *in Nullius Caven. Irregularitatis die 7 Septembris 1793.*

155. Absolutione non egere videtur, qui, licet alias ministrans in ordinibus male susceptis, nondum impetrata dispensatione, novum impedimentum notamque irregularitatis contrahat, cum dolus malitia et contemptus extet, hisce omnino vacuus, nimirum non dolo, sed per errorem promotus fuit, neque per contemptum, sed bona fide et ex inculpabili ignorantia ministravit *in Florentina Ordinum die 5 Decembris 1744* §. *Pronunciandum.*

156. Eoque amplius, si Clericus ita promotus, statim preces obtulisset Episcopo, ut omissos ordines ei conferret, nec per eum stetisset, quominus illos susciperet, quae res dolum et contemptum excludit *in Florentina Ordinum die 5 Decembris 1744* §. *Pronunciandum.*

157. Nullum vero dubium subest, quod eis saltem absolutio ad cautelam indulgeri debeat *in Florentina Ordinum die 5 Decembris 1744* §. *Demum.*

158. Enim vero, cum die 20 Septembris 1738 sacrarum Ordinationum tempus recurreret, inter eos, qui promoveri debebant, Clericus erat Ioseph Caietanus Ghinetti, qui ad priores duos, quos vocamus minores Ordines, Ostiariorum scilicet et Lectorum erat promovendus: sed Ministri Archiepiscopalis negligentia non inter eos, qui duobus illis Ordinibus initiandi erant, sed inter eos, quibus alii duo Exorcistorum et Acolythorum ordines consequendi erant, accitus fuit; atque ita ad hos posteriores Ghinetti assumptus est. Agnovit ille, inverso ordine praeposteroque cursu et per saltum processisse, libellumque obtulit Archiepiscopo, ut primis, quos praetermiserat, ordinibus honestaretur, responsumque est a Cancellario, ad scandalum vitandum, non esse publice eos ordines consequendos; iret, eaque ageret, quae agenda erant, antequam ordines suscipere posset: cum tempus esset, curaturum, ut moneretur, quo veniret ad eos accipiendos. Egit Ghinetti omnia, uti iussum fuerat; at sive oblivione, sive qua alia de causa ignoratur, nunciatus nunquam fuit ipse iterum, in iis, quos suscepit, ordinibus ministravit.

159. Proposito hinc dubio: - An Clericus Ghinetti sit dispensandum ad ordines Ostiariatus et Lectoratus, ac egeat absolutione et quomodo concedenda in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Esse absolvendum et respective dispensandum ad cautelam, tum ad Ordines omissos, tum ad alios minores Ordines, arbitrio Archiepiscopi - *in Florentina Ordinum die 5 Decembris 1744.*

§. VII.

ABSOLUTIO A IURAMENTO IN GENERE.

1. Iuramentum homini praestitum dissolvi potest, ob laesionem valde enormem, a Iurante passam *in Murana Relaxationis Iuramenti die 30 Martii 1844* §. *Subinde* (1).

2. Cum enim tunc temere iuratum censeatur, merito Iuramentum relaxari vel irritari potest *in Murana Relaxationis Iuramenti die 30 Martii 1844* §. *Subinde* (2).

3. Immo Iuramentum servari non debet, quando vergit in deteriorem exitum *in Murana Relaxationis Iuramenti die 30 Martii 1844* §. *Subinde* (3).

4. Iuramentum praesertim promissorium, quod ita semper concipitur: quatenus res in eodem statu permaneant *in Murana Relaxationis Iuramenti die 30 Martii 1844* §. *Praeterea* (4).

5. Nimirum, si res in eadem causa maneant *in Murana Relaxationis Iuramenti die 30 Martii 1844* §. *Praeterea* (5).

6. Non immerito enim argui potest, quod qua causa iuramenti lex fuit sancita, eadem ex adverso adveniente, dissolvi debeat *in Murana Relaxationis Iuramenti die 30 Martii 1844* §. *Praeterea.*

7. Iamvero Iuramentum promissorium assumit ac retinet naturam et conditionem promissionis, cui adiicitur *in Murana Relaxationis Iuramenti die 30 Martii 1844* §. *Verum* (6).

8. Quin obstaret Iuramentum de non petenda absolutione, vel impetrata non uti *in Murana Relaxationis Iuramenti die 30 Martii 1844* §. *His positis.*

9. Nam Auctores passim evincunt, quod absolutio possit peti, etiamsi iuratum sit, eam non petere; quia tale iuramentum illicitum est *in Murana Relaxationis Iuramenti die 30 Martii 1844* §. *His positis* (7).

10. Amplia, in casu etiam, quo iuramentum impositum sit in Synodo Diaecesana et fuerit inducta praescriptiva consuetudo, cum omnis consuetudo, ut valeat, debeat esse rationabilis et non contra utilitatem Ecclesiae *in Murana Relaxationis Iuramenti die 30 Martii 1844* §. *His positis.*

11. Siquidem res erat de Cathedralis Muranae Portionariis, qui massa communi una cum Canonicis pollentes, in eiusdem Massae negociis peragendis, iure suffragii, tum activi, tum passivi primitus potiebantur. Quod tamen ius Manfredius Episcopus Muranus anno 1728, coacta Synodo Diaecesana, illis ademit (8). Itaque subsequentes Portionarii ea lege adstricti, triplici iureiurando, ut aiunt, vovent I. *Di non aver voce attiva e passiva in Capitolazione.* II. *Di non chiedere l' assoluzione e l' abilitazione.* III. *Di non servirsene dopo averla impetrata.* Verum moderni Portionarii rati, quod praestito Iuramento non sine suarum rerum iactura stare queant, supplicem proinde ad Sacram Congregationem conscripsere libellum, ut praedicti Iuramenti vinculis soluti, votum tum activum, tum passivum circa res tantum oeconomicas in Capitulo recuperarent.

12. Episcopus super preces ablegatas retulit, quod nuperrima Synodo 1841 per se habita ad

(1) Can. Auctoritatem, caus. 15, quaest. 6; cap. Verum 15, de iureiuran.; Sanchez lib. 5 in decalog. cap. 26; Suarez lib. 2 de iuram. cap. 21, n. 6; Pirrhing. lib. 2 decret. tit. 24, n. 115.

(2) Schmalzgrueb. de iureiur. c. 105; Rodrig. in summ. part. 1, c. 27, n. 5.

(3) Cap. Quinta vallis, de iureiuran. Del Bene cap. 2 de oblig. iuram. promiss. dub. 10, n. 14.

(4) L. Cum qui, §. 1, de solut.

(5) Ferrar. in biblioth. canon. verb. Iuramentum.

(6) Doctores in L. ult. Cod. de non num. pec.

(7) Leuren. in for. benef. sect. 1, cap. 4, §. 10, de resignat. quaest. 702.

(8) Is quippe haec statuit, ut loc. cit. - ibi - I Porzionarii capitolari non avranno più voce attiva e passiva sotto pena di nullità dell' atto. Onde quando si ammette qualche Porzionario giurerà in mano dell'Arcidiacono l'osservanza di questi capitolari statuti, e di non pretendere voce nè attiva nè passiva, benchè debba portare il peso dell' economato. Anzi ancorchè non giurasse di non pretendere le voci, pure, in virtù di questo statuto ne resti escluso sotto pena di nullità di ogni atto, in cui qualche Porzionario si ammettesse. Con ciò si tolgono tanti disordini, che non senza scandalo sono accaduti in varie occasioni note a tutti -.

ius vocis activae ac passivae, quoad administrationis negocia, praevia Iuramenti absolutione a S. Sede obtinenda, Portionarios iam redintegravit. Suamque aperiens sententiam, ursit, ut voti compotes Portionarii fierent (1). Proposito hinc dubio: - An et quomodo sit consulendum Sanctissimo, pro relaxatione Iuramenti in casu -, S. Congregatio respondit: - Affirmative, iuxta votum Episcopi - *in Murana Relaxationis Iuramenti die 27 Augusti 1844.*

13. Nam eo ipso, quo Portionarii Capitularibus suffragiis non uti Iuramento vovent, tacita suboriri videtur cunditio, quod Canonici, queis privative ius illud adsciscitur, recte eam gerant administrationem, neve quid damni Portionariorum reditibus inferrent; ideoque huc pertrahi potest illa substantialis conditio, quam Doctores subintelligi volunt in Iuramentis promissoriis, videlicet: - Si altera pars fidem servet - *in Murana Relaxationis Iuramenti die 30 Martii 1844* §. *Verum.*

14. Quamvis enim nil Portionariis Canonici pollicerentur, de natura tamen rei veniebat, ut, qui rerum communium administrationem, quam mixtam vocant, suspiciunt, ex quasi contractu cavere debeant, ne facto suo damnum interesse habentibus inferant *in Murana Relaxationis Iuramenti die 30 Martii 1844* §. *Verum.*

15. Idcirco S. Congregatio recte succurrere Portionariis censuit, dum Massae communis administratio a Canonicis pessumdata conclamabatur *in Murana Relaxationis Iuramenti die 30 Martii 1844* §. *Verum.*

16. Namque nemo adstringitur ad adimplementum, quod iuravit, si ab altera parte non impletur id, cuius respectu praebuit iuramentum *in Murana Relaxationis Iuramenti die 30 Martii 1844* §. *Verum* (2).

17. Hinc, si quis iuraverit non solum de observandis statutis, sed insuper de non petenda absolutione a iuramento, nefas quidem est eamdem petere absolutionem *in Gerunden. Iubilationis die 15 Februarii 1772* §. *Sustinet.*

18. At limita, nisi constet vel iuramentum dolo et fraude fuisse extortum, vel iniquitatis vinculum continere, vel redire in perniciem aeterne salutis *in Gerunden. Iubilationis die 15 Februarii 1772* §. *Subsinet.*

Item *in Murana Relaxationis Iuramenti die 30 Martii 1844* §. *Obstaret* (3).

19. Nec imo indiget absolutione, cum Iuramentum praecise versetur circa statuta, de quorum intelligentia disputatur *in Gerunden. Iubilationis die 15 Februarii 1772* §. *Post haec.*

20. Enim vero in Cathedrali Ecclesia Gerundensi continuum ac laudabile servitium praestit per annos quadraginta quinque Archidiaconus maior, et Canonicus Isidorus de Orteu, qui iam septuagenarius preces obtulit Sacrae Congregationi, pro obtinendo Iubilationis indulto. Verum, sicuti in eadem Cathedrali Ecclesia quoddam aderat statutum, cuius observantiam in actu capiendae possessionis unusquisque iurare tenebatur, quo cavebatur, ne a Sede Apostolica vel a Legatis eiusdem privilegia impetrarentur percipiendi in absentia fructus Canonicatuum et Praebendarum, rursus ne quis eis impetratis uterentur, denique ne a Iuramenti vinculo impetraretur absolutio: hinc idem Archidiaconus in suis precibus absolutionem quoque ad cautelam postulavit a iuramento, quatenus petito indulto obstaret *in Gerunden. Iubilationis die 15 Februarii 1772* §. *Cathedrali.*

21. Quandoquidem obstare nequeunt, pro obtinenda iubilatione, iuxta praxim S. Congregationis perantiqua Capituli Gerundensis statuta annorum 1536 (4) et 1587 (5), quae prohibent,

(1) Has reddens nimirum rationes loc. cit. - ibi - Perchè in realtà alcuni prenominati fra i signori Dignità e Canonici sostengono liti capricciose, da cui grave dispendio ne risulta con dispiacere anche di molti Canonici, i quali per non inquietarsi con tre o quattro dominanti condiscendono ai loro capricci, ed alle volte in materia di economia malamente si conducono contro il buon senso: acciò dunque altri Votanti si aggiungano, i quali potessero nelle occasioni impedire qualche danno del corpo intiero, sieno li Porzionarii disciolti da' giuramenti presi, per le sole materie economiche ed interessi, e non già in altro -.

(2) Gloss. in cap. 3, de iur.

(3) Cap. Cum contingat 28, de iureiur. cap. 2, de pactis in 6; Gonzalez ibid. n. 15.

(4) Siquidem die 24 Februarii 1536 proponi primum cepit ab aliquibus Capitularibus in Capitulo congregati, ut fieret - Statutum in hac Ecclesia, ut deinde perpetuo omnes Canonici in eorum novo ingressu inter statuta dictae Ecclesiae iurarent, quod nunquam impetrarent privilegium a Sede Apostolica de recipiendo fructus in absentia, vel si impetrassent, illo non uterentur -.

(5) Sequenti autem anno 1587 in Capitulari Congregatione diei 7 Iunii ita fuit decretum: - Item fuit factum statu-

quominus efflagitetur Indultum percipiendi in casu absentiae Canonicatuum et Praebendarum fructus, vel eo obtento uti non permittunt *in Gerunden. Iubilationis die 15 Februarii 1772* §. *Nec.*

22. Haec enim statuta stricti iuris esse videntur, et stricte quoque intelligi debere, passivamque interpretationem recipere a iure et consuetudine, Apostolicae Sedis auctoritate firmata *in Gerunden. Iubilationis die 15 Februarii 1772* §. *Nec* (1).

23. Quare merito sustinetur, eadem statuta intelligenda esse de Indultis, absque iusta causa non obtinendis, non autem de iis, quae ex legitima et communiter recepta causa solent concedi, cuiusmodi est indultum iubilationis, quod competit, tum ob senectutem, tum ob longum personale servitium Ecclesiae praestitum *in Gerunden. Iubilationis die 15 Februarii 1772* §. *Nec.*

24. Ex eo praesertim, quod interpretatio haec, tum statutorum verbis, tum subsequutae observantiae, consona sit *in Gerunden. Iubilationis die 15 Februarii 1772* §. *Interpretationem.*

25. Ac verbis quidem, quia ea referri debent ad indulta, quae absque ulla legitima ratione a novo aliquo Canonico, etiam ante adeptam possessionem, obtineri potuissent *in Gerunden. Iubilationis die 15 Februarii 1772* §. *Interpretationem.*

26. Observantiae vero, quia non obstantibus statutis admissae saepius fuerunt Coadiutoriae ex causa senectutis, nec non indulta abessendi causa studiorum, atque etiam inducta fuit vacatio trium mensium quolibet anno, absque ulla distributionum iactura *in Gerunden. Iubilationis die 15 Februarii 1772* §. *Interpretationem.*

27. Immo in promptu erant exempla Canonicorum, qui ob Capituli negocia absque eo, quod quidquam de fructibus amitterent, ac propter lites ad Urbem venerunt, et indultum abessendi a S. Congregatione reportarunt *in Gerunden. Iubilationis die 15 Februarii 1772* §. *Addit.*

28. Quin interim mirum esset, si praecisum Iubilationis exemplum non inveniretur, quia Coadiutoriae tempus praevenerunt obtinendi iubilationem *in Gerunden. Iubilationis die 15 Februarii 1772* §. *Addit.*

29. Propterea nullum Cathedralis Ecclesiae statuta praebere videntur obstaculum indulto iubilationis, prout nec ceteris quibusque indultis, ex iusta et rationabili causa concedendis *in Gerunden. Iubilationis die 15 Februarii 1772* §. *Addit.*

30. Propositis hinc dubiis: - I. An obstent statuta Ecclesiae Gerundensis annorum 1536 et 1537, et respective illorum iuramentum ad effectum obtinendi Iubilationem, ita ut sit consulendum Sanctissimo, pro absolutione ad cautelam in casu etc. II. An sit concedendum Indultum Iubilationis in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Ad primum, Negative, et non indigere. Ad secundum, Affirmative - *in Gerunden. Iubilationis die 15 Februarii 1772.*

31. In acerrima adhuc Capituli contradictione, repropositis dein dubiis, sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - In decisis, et amplius - *in Gerunden. Iubilationis die 9 Maii 1772.*

32. Iusta enim ac legitima subsistente causa, Iuramentum non obstat, quominus etiam a loco residentiae quis abesse valeat, cum perceptione fructuum, etsi statuta iureiurando firmata continuam indicent residentiam *in Novarien. Distributionum et Fructuum die 1 Martii 1777.*

33. Iamvero in Oppido Gaudiani Diaecesis Novariensis aderat Collegiata Ecclesia S. Iuliani: in ea erant statuta, quae mandant, continuam esse residentiam Praepositi. De Praepositura praefatae Collegiatae Ecclesiae anno 1761 provisus fuit Sacerdos Laurentius Perali, qui, so-

tum perpetuum, quod quicumque de cetero ingrediens de novo ad Capitulum iuret cum aliis statutis, quae consueverunt iurari, quod ipse non impetrabit privilegium de fructibus in absentia recipiendis, et si illud iam impetraverit, illo non utetur, nec impetrabit absolutionem iuramenti -. Hinc in libro Caeremoniali descripta fuit formula iuramenti, quod Canonici omnes, in actu capiendae canonicatus possessionis, emittere debent. Erat autem eiusmodi: - De non impetrandis privilegiis a Sede Apostolica seu Legatis eiusdem de fructibus canonicatuum et praebendarum eiusdem in absentia percipiendis, et de non utendo impetratis, ac de non petendo absolutionem ipsius iuramenti -.

(1) Rot. in Decis. 167, n. 34, part. 1; Decis. 178, n. 1, part. 5, tom. 1; Decis. 318, n. 18, part. 6; Decis. 156, n. 18, part. 18, tom. 1 Recent.

lemni interposito iuramento, se voluit obstrictum, ad observantiam statutorum et consuetudinem Ecclesiae, et qui simul cum Canonicis iuxta perantiquam illius consuetudinem promisit primum Omnipotenti Deo, subindeque Canonicis servare residentiam et interessentiam, pro qua unusquisque Canonicus vicissim pro altero fideiussit. Post decennium ab hac iurata praestita promissione, Praepositus de ea fere oblitus, insalutato Capitulo, et unice reportata ab Episcopo venia, ad sex menses duratura, ab Oppido Gaudiani discessit Romamque petiit, praetextu interessendi propositioni propriae causae in sacro Rotae Tribunali faciendae, contra suum Capitulum pro quadam per eum excogitata praeeminentia, super qua iam semel succubuerat in Curia Metropolitana Mediolanensi de anno 1772.

34. Ad Urbem pervento Praeposito, et adhuc Apostolica vacante Sede facultatem abessendi praefata de causa cum iure percipiendi fructus et distributiones ceu praesens, et Episcopo Capituloque inauditis, ad quatuor menses obtinuit, commissa tamen, veris existentibus narratis, executione Indulti Episcopo Novariensi, quod prorogatum fuit ad alios quatuor menses, cum simillima commissione Episcopo directa prorogationis indultum exequendi.

35. Capitulum, indulta penitus ignorans, devenit iuxta solitum sub die 23 Iunii 1775 ad partitionem distributionum, relicta in communi Massa portione Praepositi absentis, illiusque presbiteralis Praebendae fructus sub sequestro posuit, quia Praepositus a Capitulo discedens neminem impleturum onera suae Praebendae reliquerat. Pro iis autem assequendis duo Praepositus egit; obtinuit enim expeditionem Monitorii contra Capitulum in Episcopali Curia Novariensi, petiitque coram S. Congregatione ulteriorem Indulti prorogationem, et, se opponente Capitulo, rescriptum fuit sub die 15 Novembris anni 1775, quod utraque Pars uteretur iure suo in plena Congregatione.

36. Canonici itaque ex tribus rationum momentis contenderunt, minime suffragari posse Praeposito indulta S. Congregationis, ut in eius absentia controversas lucraretur distributiones. Primum quippe, ob subreptionis vitium, cum Praepositum reticuisset in supplici libello Ecclesiae Gaudianae statutum, quod non resi entibus per integrum annum poenam infligit privationis omnium fructuum, excepta praebenda. Itemque reticuit iuramentum ab eo praestitum, in adipiscenda Praepositurae possessione, de annuali residentia fideliter observanda, ac inde iuxta veterem consuetudinem renovatum, nec non reticuit statutariam sanctionem, incicentem Praeposito continuam residentiam, concurrente potissimum iuramenti vinculo, a quo Praepositus erat dispensandus (1).

37. Propositis hinc dubiis: - I. An Indulta sustineantur, ita ut Praeposito Laurentio Peralio absenti debeantur distributiones et fructus suae praebendae in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An eidem Praeposito debeantur fructus praebendae in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Ad primum, Iterum proponatur. Ad secundum, Affirmative - *in Novarien. Distributionum et Fructuum die 1 Martii 1777.*

38. Reproposito dein primo dubio et secundo, sub formula: - An sit standum vel recedendum a decisis in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Dilata, et scribatur Episcopo, iuxta mentem - *in Novarien. Distributionum et Fructuum die 5 Iulii 1777.*

39. Quando vero statuta condita fuerunt, ad tollendos chori servitii abusus, sustinentur; nec iuramentum ad ea observanda praestitum relaxatur *in Scepusien. Servitii chori die 30 Iulii 1796.*

40. Requidemvera, ad radices Montis Carpati, qui scepusiensem Pannoniae provinciam a polona dividit Galicia, posita est Ecclesia S. Martini, Collegiata olim sub iurisdictione strigoniensis Archiepiscopi, dein Cathedralis sub proprio Scepusiensi Episcopo, quem supremus Pontifex Pius VI instituit anno 1776, eaque cum domibus canonicalibus decem aliisque tribus muro circumseptis Episcopalem constituunt Civitatem, licet Episcopus in Castra resideret Scaunik. Dimidio in ea Civitate hiemabat anno, et rigidus ex nivibus aer fit rigidissimus ex ventis, qui a mari flant glaciali. Constabat olim Capitulum Canonicis quatuordecim, inde decem. Vigente Collegiata, quaedam de servitio chori et Missa conventuali proposuit Capitulo clar. mem. Cardinalis Pazmani Strigonien-

(1) Gloss. in cap. Cum non deceat, sub Verb. *Effectus*, de elect. in 6; Pignatell. Consult. 19, n. 15 et seq.; Rot. in Decis. 5, coram Duran.

sis Archiepiscopus et Primas Pannoniae in sacra Visitatione anni 1629, eique Capitulares omnes plura responderunt.

41. Hinc antiquae istae Capituli responsiones, quae Pazmaniana appellabantur statuta, observatae fuerunt iuxta scepusiensem Episcopum ad annum circiter 1773 vel 1774. Sequentibus vero decem annis remissior fuit chori disciplina; ac triennio tandem Sedis Episcopalis vacantis tota disciplina in eo per consuetudinem seu potius abusum introduci ceptum constitit, ut solus officians hebdomadarius Canonicus adstiterit choro, per unum aut duos Capellanos, cum quatuor laicis Choralistis, decantari solito.

42. De hac disciplina questus fuit anno 1782 apud Sacram Congregationem tunc decessor Episcopus Szalbek occasione Visitationis Sacrorum Liminum, sed eam morte praeventus restituere non potuit. Aeque vero solicitus de illa fuit modernus Episcopus, eique occasione pariter Visitationis Sacrorum Liminum Sacra Congregatio rescripsit die 20 Decembris 1793, quod - Divini Officii ratio ita per Canonicos habenda est, ut, nisi per Apostolicum indultum aliter inductum sit, etiam feriatis diebus choro intersint. - Constitutiones igitur ex facultate condendi sibi tributa edidit, quibus chori servitium praestari deberet.

43. Quum itaque Canonici iureiurando in accipienda canonicatuum possessione prae ceteris observare promiserunt: - Iura Ecclesiae, consuetudines, et statuta scripta et non scripta -; sive probentur statuta moderni Episcopi, sive Pazmaniana, relaxandum non esset iuramentum super illorum observantia *in Scepusien. Servitii Chori die 30 Iulii 1796* §. *A resolutionibus.*

44. Notandum hinc quidem rogarunt Canonici, Iuramentum, ab ipsis praestitum, proprias respicere consuetudines, ex intelligentia Pazmani inductas, non item posteriora moderni Episcopi statuta, cum iuratoria obligatio, quoad praeterita tantum, non quoad futura devinciat *in Scepusien. Servitii Chori die 30 Iulii 1796* §. *A resolutionibus* (1).

45. At Sacra Congregatio, moderatis in parte statutis, propositis dubiis: - I. An et quomodo sint approbanda nova statuta Episcopi Scepusiensis in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An et quomodo sit praestandum servitium chori et celebranda cum applicatione Missa conventualis in casu etc. III. An Canonici Scepusienses residere teneantur in casu etc. IV. An sit consulendum Sanctissimo, pro dispensatione a iuramento in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative, iuxta modum explicandum in secundo. Ad secundum, Affirmative, iuxta modum; nempe, ut, ultra dies solemniores ab Episcopo designatos, Canonici omnes interesse debeant choro toto tempore Adventus et Quadragesimae, quodque Canonici singulis anni diebus psallere debeant per seipsos. Missas vero conventuales, etiam principalem nuncupatam, celebrandas esse qualibet anni die a Canonico, et cum cantu usque ad finem Missae; substituto alio Canonico in locum Turnarii, qui ob male affectam valetudinem celebrare non valeat cum cantu Missam votivam. Nec licere Canonicis Missas privatas celebrare tempore Missae conventualis, nisi ordine successivo, ac praescribendo a Praefecto chori. Et quoad singularum Missarum conventualium applicationem servetur Constitutio S. M. Benedicti XIV. incipien. *Cum oblatas* §. 22. Ad tertium, Affirmative. Ad quartum, Negative. Et, quoad omnia, amplius - *in Scepusien. Servitii Chori die 30 Iulii 1796.*

46. Ambigendum vero est, an Absolutio a Iuramento, nec citata nec audita donataria, per donantem ab Episcopo reportata, tanti roboris et efficaciae esse valeat, ut Donanti liberum sit revocare donationem iuramento vallatam, in praeiudicium Donatariae *in Verulana die 11 Ianuarii 1777* §. *Ambigendum.*

47. Quando praesertim ei ius iam inde fuerat super bonis donatis perfecte quaesitum *in Verulana die 11 Ianuarii 1777* §. *Ambigendum* (2).

48. Ceterum Ioseph Cappella et Praxedes Celletti Coniuges, ex Terra Montis S. Ioannis Verulanae Diaecesis, anno 1758 renunciantes, interposito iuramento, beneficio Legum (3), in-

(1) Sumpto nimirum argumento ex Text. in L. 7, Cod. de Leg. et in cap. 2 et 12, de Constit.

(2) Quod tuetur Rota in Ripana devolutionum 11 Iunii 1756, §. 11 coram Canilliac; in Romana seu Ferrarien. census dicta die et anno §. 15 coram Stadion.

(3) Nimirum L. 1 et 2 ff. de Donat. inter Vir. et Uxor.; L. Cum quis decedens, §. Titio, ff. de Legat. 3, quae improbant donationes, constante matrimonio factas, nisi morte Viri vel Uxoris confirmentur, ex traditis per Rotam in Romana seu Fanen. Dotis super cautelam Angeli 10 Decembris 1756 §. 4 coram Olivatio.

ter se reciprocam et irrevocabilem omnium bonorum donationem inter vivos celebrarunt. Consideratus in ea fuit casus, quo Ioseph Uxori suae praedecessisset, fuitque hoc in casu volitum, quod si Praxedes Uxor ad secunda minime transisset vota, vel ad ea transiens filios non suscepisset, tunc ex bonis donatis, quae tamen superessent tempore obitus Praxedis, una vel plures erigerentur Capellaniae ad libitum eiusdem Praxedis, nisi Ioseph ante eius obitum de erigendis Capellaniis, deque facienda nominatione Capellanorum aliter declarasset.

49. Praeobiit Ioseph Cappella Vir cum testamento, in quo, praevia absolutione a iuramento praestito in antedicta donatione ab Episcopo reportata, eam revocavit, mandavitque, ut post obitum Praxedis suae Uxoris, quam heredem usufructuariam reliquerat, utcumque ad secundas convolavisset nuptias, quatuor erigerentur Capellaniae cum onere Missae quotidianae turnatim inter Capellanos partiendo, atque idem Ioseph ad unam ex dictis Capellaniis nominavit Clericum Carolum filium Bernardi Lombardi, cui eiusque familiae ius praesentandi Capellanum perpetuo reliquit, nec non contulit nominationem aliorum trium Capellanorum in Ioannem Baptistam Mobilj eiusque Successores, de primogenito in primogenitum in infinitum.

50. Praxedes in secundum accepit Virum Andreas Trenta, ex quo coniugio nullus adnatus est filius. Ad quamlibet autem avertendam quaestionem super exequutione Testamenti Iosephi, stante praeambula universali donatione, quam idem egerat inter vivos favore eiusdem Praxedis, satius ipsa putavit preces porrigere summo Pontifici, in eis exponens, ipsam dimittere ius omne, quod virtute praenarratae donationis sibi competebat super hereditate Iosephi sui primi Viri, ut eius exequatur Testamentum, utque erigantur Capellaniae ab ipso praescriptae, quas imo de propriis pecuniis augere cupiebat in aliis scutis centum, dummodo tamen post suum obitum etiam Andreas Trenta Vir eius secundus, donec vixerit, eodem frueretur usufructu praefatae hereditatis in Capellanias erogandae, non retardata interim collatione unius Capellaniae favore Caroli Lombardi a Testatore nominati, petiitque propterea suspensionem nominationis aliorum trium Capellanorum, durante vita dicti Andreae.

51. Episcopus praefatis precibus annuit, eique pariter consensum suum praestitit Ioannes Baptista Mobilj unicus Patronus. Interea decessit Praxedes: hinc Andreas preces renovavit. Proposito vero dubio: - An et quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Dilata, et scribatur Episcopo, pro ulteriori informatione, super annuo fructu bonorum hereditariorum Iosephi Cappella, et super aetate Oratoris - *in Verulana die 11 Ianuarii 1777.*

52. Propterea innotuit, sortem plurium Censuum hereditariorum dicti Cappella ascendere ad scuta 787: 50, illorumque reditus esse annuorum scutorum 51: 71, quibus additis annuis scutis 38, ex fructibus bonorum stabilium, reditus ascendere ad annua scuta 89: 71. Rursus ex fide baptismatis Andream Trenta esse in aetate annorum quinquaginta constitutum, adeoque preces renovavit. Sed Angela Celletti Mater defunctae Praedis Uxoris in primis nuptiis Iosephi Cappella contendit, reiiciendam esse petitionem Andreae, ne indulgentia S. Congregationis praeiudicii sit eius iuribus contra dictum Andream promotis coram A. C. Cioja, super nullitate donationis, quam egit filia Praxedes, praetermissa Matre, favore Andreae Trenta secundi eius Viri, vel saltem super assecutione legitimae super illius dote, ex bonis Iosephi Cappella eius primi Viri detrahenda. Itaque reproposito dubio: - An et quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Negative - *in Verulana die 14 Februarii 1778.*

53. Iuspatronatus cuiusdam beneficii, erecti in Ecclesia Parochiali Sanctissimae Mariae Assumptae Oppidi Platinae, ad Archipresbiterum et Collegium Notariorum Cremonae spectabat. Eo vacante, Archipresbiter Bartholomaeum Landinum praesentavit. Collegium praefatum commisit Decano Francisco Arrisio facultatem duos eligendi Viros. Hi irrevocabiles Procuratores, ut praesentarent Iosephum Arrisium, praevio iuramento de non revocanda electione, elegerunt. Unus ex his dictum Arrisium praesentavit: at electi a Collegio nominarunt Landinum una cum Archipresbitero, qui supplicarunt statim pro absolutione a iuramento, de non revocanda electione a Procuratoribus facta, ut pro rescissione instrumenti nominationis et praesentationis ex praetensa laesione agere possent.

Sacra Congregatio rescripsit: - Episcopo in forma commissoria, ad effectum agendi tantum - *in Cremonen. Beneficii die 6 Iulii 1716.*

Item *die 3 Octobris 1716.*

54. Consulendum vero esse Sanctissimo, pro dispensatione a promissione a Patre Augustino a S. Thoma Aquinate Clerico Regulari Scholarum Piarum facta, in actu emittendae Professionis religiosae, de non procurando sive acceptando Praelaturas sive Dignitates intra vel extra Religionem, censuit S. Congregatio. Fuerat enim a Carolo II Hispaniarum Rege ad Episcopatum Motulae nominatus *in Motulen. die 14 Augusti 1700 ad II dubium.*

55. Inter alia statuta, de voto S. Congregationis, post accuratam revisionem Eminentissimi Cardinalis S. Clementis, a Sede Apostolica approbata, observanda a Presbiteris secularibus Congregationis B. V. de Necessitatibus nuncupatae, erectae in loco de Tumina huius Diaecesis, illud extat in Cap. 7 §. 5, ut Presbiteri aggregandi eidem Congregationi, peracto anno novitiatus, praestare debeant iuramentum, ad sancta Dei Evangelia, in manibus Directoris, perpetuo perseverandi in dicta Congregatione, nulla tamen existente praecisa formula in eisdem statutis Iuramenti praedicti. Ac ipsi Presbiteri pro rectiori observantia dicti Iuramenti humiliter supplicarunt Summum Pontificem, precibus ad S. Congregationem remissis, quatenus dignaretur relaxationem et dispensationem ab huiusmodi Iuramento, ab ingressuris in postremo praestando, S. Sedi Apostolicae reservare, iuxta formulam Iuramenti, quem dicebant esse in usu inter ipsos in actu aggregationis et noviter in Summario. Proposito vero dubio: - An absolutio et dispensatio a Iuramento perpetuae Perseverantiae, in dicta Congregatione praestari solito, reservanda sit Sedi Apostolicae in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Negative, et amplius - *in Elboren. Iuramenti Perseverantiae die 14 Novembris 1711.*

ACADEMIA.

1. Primaevis Gymnasiis, quae in Cathedralibus olim et Collegiatis vigebant, ac florentissima erant Clericorum vitaeque communis Collegia, publicae successerunt Academiae *in Faventina Commutationis Voluntatis et Applicationis die 18 Augusti 1792* §. *Primaevis.*

2. Quas quippe Clerici seculo VIII ceperunt colere *in Faventina Commutationis Voluntatis et Applicationis die 18 Augusti 1792.* §. *Primaevis.*

3. Impetratis interim amplissimis privilegiis ab Honorio III in cap. *Super specula* 5 de magistris, et Innocentio IV in Cap. *Cum de diversis* de privileg. in 6 *in Faventina Commutationis Voluntatis et Applicationis die 18 Augusti 1792* §. *Primaevis.*

4. Quae quidem privilegia a Sacro Concilio Tridentino in Cap. I, Sess. 5, de reform. servata fuerunt *in Faventina Commutationis Voluntatis et Applicationis die 18 Augusti 1792* §. *Primaevis* (1).

5. Verum, ne scientia tantummodo, sed et optimis moribus et disciplinis Iuventus informaretur, erecta fuerunt in ipsis Academiis specialia Collegia, ad quae cum quodam delectu admitterentur Iuvenes, et sub speciali Magistrorum cura bonis moribus imbuendi committerentur *in Fanen. Collegii Studiorum die 8 Augusti 1767* §. *Verum.*

6. Idcirco Collegia huiusmodi, Superiorum auctoritate constituta, licitis legitimisque Societatibus adnumerantur *in Fanen. Collegii Studiorum die 8 Augusti 1767* §. *Verum* (2).

7. Non enim privato arbitrio erigi valent *in Fanen. Collegii Studiorum die 8 Augusti 1767* §. *Verum* (3).

8. Leges ergo pro eorum regimine condi possunt, ac statuta praescribi *in Fanen. Collegii Studiorum die 8 Augusti 1767* §. *Verum* (4).

9. Hinc facta est Fundatoribus potestas ordinandi, quae ipsis placuerint *in Fanen. Col-*

(1) Ut ait Thomassin. de vet. et nov. Eccles. disciplin. tom. 2, part. 2, lib. 1, cap. 101, n. 1 et seqq.; et lib. 3, cap. 71, n. 3 et seqq.

(2) Leg. 3, de Colleg. et Corpor. illicit.

(3) L. 3, de Colleg. et Corp. illicit.

(4) Communiter tradunt Doctores in Leg. Omnes populi, ff. de iustit. et iur.

legii Studiorum die 8 Augusti 1767 §. *Verum* (1).

10. Aequum enim visum fuit, ut ipsis, res suas in bonum publicum conferentibus, arbitrium esset leges, quas voluerint, adiiciendi *in Fanen. Collegii Studiorum die 8 Augusti 1767* §. *Verum.*

11. Quae, si honestae fuerint, bonisque moribus non adversantes, adamussim servandae, sarctaeque tuendae videntur *in Fanen. Collegii Studiorum die 8 Augusti 1767* §. *Verum.*

12. Iuvenes idcirco manuteneri debent in huiusmodi Academiis, nec commutanda idcirco videtur Fundatorum voluntas *in Faventina Commutationis Voluntatis et Applicationis die 18 Augusti 1792* §. *Primaevis.*

13. Nam, quae ad certum usum largitione sunt destinatae fidelium, ad illum debent, non ad alium, salva quidem Sedis Apostolicae auctoritate, converti *in Faventina Commutationis Voluntatis et Applicationis die 18 Augusti 1792* §. *Primaevis* (2).

14. At, si facile adimpleri nequit Fundatorum voluntas, meliori quippe quo possit modo in exequutionem mandatur praedicta voluntas, si in locum insignis Academiae Seminarium diaecesanum subrogetur, in quo et mores et scientiae vigent *in Faventina Commutationis Voluntatis et Applicationis die 18 Augusti 1792* §. *Facile.*

15. Immo, nec vera propterea esset illius commutatio, sed aequa potius et rationabilis declaratio *in Faventina Commutationis Voluntatis et Applicationis die 18 Augusti 1792* §. *Facile.*

16. Maxime, quia aptiora sunt Seminaria institutioni Clericorum, eaque sacrum Concilium Tridentinum Academiis suffecit *in Faventina Commutationis Voluntatis et Applicationis die 18 Augusti 1792* §. *Facile* (3).

17. Quapropter non obstat voluntas Fundatoris, qua in Studenti requiritur, ut saltem in ordine Subdiaconatus initiatus reperiatur *in Faventina Commutationis Voluntatis et Applicationis die 18 Augusti 1792* §. *Facile.*

18. Nam ex Concilio Lateranensi V sub Leone X Sess. 9, de reform. Cur. recipiendi a pueris sunt Clerici in Seminario, seu in aetate annorum duodecim, ut declaravit Concilium Tridentinum in Cap. 18, Sess. 23, de reform. *in Faventina Commutationis Voluntatis et Applicationis die 18 Augusti 1792* §. *Facile.*

19. Adolescentium enim aetas, nisi recte instituatur, prona est ad mundi voluptates sequendas *in Faventina Commutationis Voluntatis et Applicationis die 18 Augusti 1792* §. *Facile.*

20. Propterea facile commutatur, seu melius declaratur voluntas Fundatoris, dum prae Academia Seminarium pro Clerici institutione eligatur *in Faventina Commutationis Voluntatis et Applicationis die 18 Augusti 1792* §. *Facile.*

21. Siquidem Ioannes Andreas Callegari, Brictinoriensis olim Episcopus, donavit anno 1612 Capitulo Collegiatae Ecclesiae Brixichellae scuta mille iuliorum octo, seu scuta 722: 27: 4 monetae romanae, in bonis stabilibus, vel censibus investienda; iussitque, ut ex annuis fructibus *si debba tenere perpetuamente uno Scolare di Brisighella, o Valle d'Amone nello studio pubblico di qualche famosa Città, come Bologna, Padova, Perugia, Ferrara, Roma etc. per quattro anni solamente per cadauno Scolare, il quale faccia professione di vita ecclesiastica, e vada effettivamente in abito clericale, e sia almeno ordinato al sagro Ordine del Suddiaconato.* Progressu temporis commixtum fuit capitale donatum cum bonis sacrarii Ecclesiae, integreque adimpleverunt Canonici ad annum 1732 Donatoris legem. Habita capitalis proportione, annua tunc erant scuta 36, pro manutentione Studentis. Quum hanc igitur summam imparem temporibus illis novissent Canonici praescriptae manutentioni in celebri aliqua Academia, Sacrae Congregationi idcirco supplicarunt, ut, pio altero Oppidi Loco ad societatem admisso, unam acquirere valerent stationem inter Alumnos, quos providentissimus Princeps Pius VI in Faventino instituit Seminario, non per solutionem pretii, quod scutorum esset 1500, sed per annuam praestationem scutorum 20: 88 pro ipsorum rata; et pro applicatione Sacrarii scutorum 7: 20, quae ex scutis superessent triginta sex. Affixis per Faventinum Episcopum edictis, nullus omnino Oratorum instantiae contradixit. Valde Antistes

(1) L. In tradit. ff. de pact.

(2) Clem. V in Clement. *Quia contingit*, de religios. domib.

(3) Fagnan. in Cap. Super specula, n. 1, de magistris.

ipse in prima informatione Praeceptores commendavit Seminarii, quorum fama etiam a remotis regionibus Convictores advocabat.

22. Annua Sodales suffragii Brixichellae, ex superantibus Sodalitii scutis 68: 55, decreverunt scuta triginta pro altera praestationis rata; et iuxta secundam Episcopi informationem conveniebant cum Canonicis circa alteram nominationem Alumni, sed discrepabant quoad Patriam Iuvenis primamque nominationem. Episcopus vero ad componendam dissensionem illam de Patria Alumni, hunc modum proposuit: - Qua enim vice, inquit, ad Confratres spectaret, ceteris servatis conditionibus, eum eligerent, qui et patrem et patriam Brixichellensem haberet. Canonici vero vicissim suis respective electionibus Brixichellensem et de Valle Amonia ortum nominarent. -

23. Proposito hinc dubio: - An et quomodo sit consulendum Sanctissimo, pro commutatione voluntatis et applicatione in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative in omnibus, iuxta votum Episcopi, et pro prima vice rem esse committendam sorti - *in Faventina Commutationis Voluntatis die 15 Septembris 1792.*

§. I.

ACTA QUOAD CIRCUMSCRIPTIONEM

1. Ea est circumscriptionis virtus, ut actum reducat ad non actum *in Montis Alti Canonicatus die 25 Aprilis 1789* §. *Comitiis* (1).

2. Hinc, si peculiari inhibitione interdicta sit nominatio, eadem circumscribenda est, et attentata purganda saltem, per viam nullitatis *in Romana Subsidii Dotalis die 16 Decembris 1769* §. *Ad alterum* (2).

3. Non est vero circumscribenda nominatio, nulloque modo de attentatis redargui potest, si quis non ex proprio placito, sed ex dispositione Testatricis nominaverit *in Romana Subsidii Dotalis die 16 Decembris 1769* §. *Ad II.*

4. Nam, qui iure suo utitur, nemini facit iniuriam *in Romana Subsidii Dotalis die 16 Decembris 1769* §. *Ad II.*

5. Siquidem in Testamento, quod condidit anno 1768 Francisca Ventura, Romae nata, sed originaria Castri Rivi Frigidi Tiburtinae Diaecesis, instituit ex asse heredem Ven. Ecclesiam SS. XII Apostolorum Urbis, cum onere distribuendi singulis annis in die festo S. Francisci subsidium dotale scutorum sexaginta. In codicillis vero, paulo post exaratis, dotale subsidium auxit ad summam usque scutorum septuaginta, et ius nominandi Puellas alternatim reliquit Parochis SS. Apostolorum, et S. Mariae in Aquiro, a quo prima vice nominationem expleri mandavit.

6. Maria Bernardini de Castro Rivi Frigidi, ubi primum Testamentariam Franciscae Ventura dispositionem rescivit, institit apud Parochum S. Mariae in Aquiro, ut ad dotale subsidium praeeligeretur: quod ipsum iudicialiter etiam eidem denuntiari curavit. Cum tamen nec amicabiles requisitiones, nec acta iudicialia prodesse cognoverit, supplex adiit Sanctissimum, ut causae cognitionem S. Congregationi remittere dignaretur. Interim vero Parochus S. Mariae in Aquiro, ad formam Testamentariae dispositionis, ad nominationem Puellae advenit, favore Dominicae Antoniae Ventura. Ea re commota Maria Bernardini, nominationis circumscriptionem efflagitavit, ac de attentatis conquesta est. S. Congregatio vero, valida nominatione praedicta declarata, proposito dubio: - II. An et de quibus attentatis constet in casu etc. -, responsum tulit: - Ad secundum, Negative, et amplius - *in Romana Subsidii Dotalis die 16 Decembris 1769.*

7. Quin imo, supposita validitate nominationis seu electionis, acta contra gesta circumscribuntur *in Carinolen. Vicarii Capitularis die 22 Novembris 1714 lib. 64 Decretorum.*

8. Hinc Acta a Vicario Generali Curiae Archiepiscopalis facta, circa electionem Vicarii Capitularis, in Ecclesia Cathedrali Suffraganea vacante, circumscripta fuerunt, supposita validitate electionis dicti Vicarii Capitularis, facta a Capitulo eiusdem Cathedralis *in Carinolen. Vicarii Capitularis die 22 Novembris 1714 Lib. 64 Decretorum.*

9. Enimvero ad vacantem Ecclesiam Cari-

(1) Cap. Non solum in fin. de appellat. in 6; Rot. in decis. 8, n. 3, de benef. coram Falconerio.

(2) Cap. Non solum in fin. de appellat. in 6; Lancellott. de attent. part. 2, cap. 20; Rot. in decis. 430, n. 8, part. 18, Recent.

nolensem facta fuit electio Vicarii Capitularis, praevio scrutinio a Capitulo Ecclesiae Cathedralis. Ex duobus, nimirum Francisco Antonio Sasso Primicerio et Marco de Laurentio Decano, primus ex maioritate suffragiorum fuit praeelectus. At secundus de nullitate electionem redarguit: inde Curia Metropolitana Capuana, electione deleta Capitulari, praedictum Marcum deputavit. Sacra Congregatio vero circumscripsit omnia gesta per praefatam Curiam, infringendo suam electionem *in Carinolen. Vicarii Capitularis die 22 Septembris 1714 ad I dubium.*

Item *die 30 Martii 1715.*

10. Praeterea circumscriptio sententiae et omnium actorum Curiae decernenda, si nulla Mulieris citatio transmissa fuerit, antequam impedimentum ab ipsa propositum inefficax renuntiaretur *in Tranen. Sponsalium die 29 Ianuarii 1859* §. *Defensor.*

11. Nam, si omnia generatim iudicia ab in ius vocatione inchoanda sunt (1), eo fortius id locum sibi vindicare debet, ubi de causis sponsalium res sit *in Tranen. Sponsalium die 29 Ianuarii 1859* §. *Defensor.*

12. Praesertim, si adiunctam etiam stupri et prolis susceptae quaestionem habeant *in Tranen. Sponsalium die 29 Ianuarii 1859* §. *Defensor.*

13. Quippe quo casu, et de contractus perfectione, et de criminali insuper facto, iudicandum est *in Tranen. Sponsalium die 29 Ianuarii 1859* §. *Defensor.*

14. Porro in praxi receptissimum est, ut, cum de obiecto alicui impedimento *nihil transeat* agatur, is, in quem eiusmodi impedimentum propositum fuerit, alteram partem vadari debeat, ut eiusdem *nihil transeat* laceratio decernatur *in Tranen. Sponsalium die 29 Ianuarii 1859* §. *Defensor* (2).

15. Hinc acta omnia coram Curia gesta, tamquam nullitatis labe infecta, circumscribenda sunt, cum eius Curiae Vicarius ad monitoria processerit, quin antea Mulier citata fuisset *in Tranen. Sponsalium die 29 Ianuarii 1859* §. *Defensor.*

16. Certum siquidem in iure est, ubicumque solemnis ipsius Partis citatio requiratur, huius vicem, simplicem Iudicis monitionem supplere non posse *in Tranen. Sponsalium die 29 Ianuarii 1859* §. *Defensor* (3).

17. Nam citationis defectus, alter ex iis tribus vitiis est, quae prorsus insanabilia habentur *in Tranen. Sponsalium die 29 Ianuarii 1859* §. *Defensor* (4).

18. Idcirco acta omnia delenda etiam, si Iudex ad litem in absentem Mulierem definiendam devenerit, quin trina monitio et peremptorii termini constitutio, sub comminatione incusandae contumaciae, praecessissent *in Tranen. Sponsalium die 29 Ianuarii 1859* §. *Delenda* (5).

19. Praesertim, si Mulier dum sese iudicio sistendo monita sit, aegrotaret *in Tranen. Sponsalium die 29 Ianuarii 1859* §. *Delenda.*

20. Notum autem est, valetudinis excusationem ab Iudicibus probari oportere *in Tranen. Sponsalium die 29 Ianuarii 1859* §. *Delenda* (6).

21. Maxime, cum de causis ecclesiasticis agatur, in quibus speciali canonum sanctione praescriptum est, ne peremptorius terminus nimis maturetur *in Tranen. Sponsalium die 29 Ianuarii 1859* §. *Delenda* (7).

22. Insuper sententia ea de causa circumscribenda esse videtur, cum oeconomice in re maximi momenti lata fuerit *in Tranen. Sponsalium die 29 Ianuarii 1859* §. *Denique.*

23. Nunquam enim auditum est, ut causae matrimoniales, tamquam summariae habendae sint, utque proinde in iis procedi debeant, de plano, simpliciter, sine strepitu, et figura iudicii *in Tranen. Sponsalium die 29 Ianuarii 1859* §. *Denique.*

24. Cum contra, in iisdem causis plures etiam, quam in aliis controversiis, servandae sint formae iure praescriptae, ex quo dubitari nequit, quin ipsae qua ordinariae traducantur *in Tra-*

(1) Text. §. Omnium, Instit. de poen. tem. litig.
(2) Ridolphin. prax. iud. lib. 1, cap. 13, n. 45 et seqq.
(3) Scaccia de iudic. lib. 1, cap. 8, n. 8.
(4) §. 780, Cod. Gregor.; Peregrin. in Prax. Vicarior. part. 3, Sect. 2, n. 53.
(5) Pirhing. tot. tit. de dol. et contum. tom. 2.
(6) L. Quaesitum, ff. de re iudic., quam exornat Peregrin. in Prax. Vicarior. part. 2, Sect. 1, subsect. 2, n. 10.
(7) Cap. Dilecti, de dilat.; Pirhing. eod. tit. 1.

nen. Sponsalium die 29 Ianuarii 1859 §. *Denique.*

25. Ubi praesertim eaedem causae, quaestionem etiam de stupri crimine, unde proles enata sit, adnexam habeant *in Tranen. Sponsalium die 29 Ianuarii 1859* §. *Denique.*

26. Ceterum vel in causis summariis iudiciarius ritus observandus est, ubi sententia finale ius redditura, vel alterutri litigantium irreparabile praeiudicium illatura sit, prout, Clementinis Constitutionibus recte explicatis, statuit S. Rotae Tribunal (1) *in Tranen. Sponsalium die 29 Ianuarii 1859* §. *Denique.*

27. Eo vero magis Curiae acta delenda esse videntur, cum altera Pars apud eamdem Curiam postulavisset, ut iuris ordine servato procederetur *in Tranen. Sponsalium die 29 Ianuarii 1859* §. *Denique.*

28. Itaque anno 1855 die 22 Octobris Ioanna Soldano, ex Oppido Corati, impedimentum apud Archiepiscopalem Tranensem Curiam apposuit, quominus cuidam Iacobo De Luca fides de statu libero traderetur, asserens, hunc ad matrimonium cum ipsa ineundum sese devinxisse, atque innuens etiam, ab eodem Iacobo pudicitiae florem ereptum sibi fuisse. Lite sed tamen hinc inchoata, cum nunquam ipsa, utut pluries a Iudice monita, sua iura deduxisset, die 16 Iunii 1857, absente item eadem Ioanna, Curiae Pro-Vicarius sententia declaravit: Ioannam Soldano carentem omni iure ad ulterius opponendum, super statu libero Iacobi -.

29. Provocavit hinc Ioanna ad S. Congregationem, eiusdem sententiae infirmationem, ex capite tum nullitatis, tum iniustitiae, postulans. Quamvis Viri Defensor interim causae definitionem differri postulavisset, donec testimonia, quae, ab Soldano apud Tranensem Curiam non exhibita, tunc primum in medium proferebantur, ipsi vero Iacob, qui procul aberat, innotescere et contrariis probationibus refelli valerent, et quamvis animadvertere curasset, sponsalium quaestionem inutiliter ab Muliere excitari; cum ipsa in libello, quem apud Archiepiscopalem Curiam exhibuit, non modo obligationem nubendi ab Viro non vindicaverit, sed insuper sese aliis nuptiis paratam aperte praebuerit, nihilominus proposito dubio. - An sententia Curiae Archiepiscopalis diei 16 Iunii 1857 sit confirmanda, vel infirmanda in casu etc. - S. Congregatio respondit: - Ad Curiam Archiepiscopalem Tranensem, quae ex integro procedat, servatis servandis - *in Tranen. Sponsalium die 29 Ianuarii 1859.*

30. Quando enim ad tramites iuris non procedatur, nedum acta Curiae, quae primum tulit sententiam, sed etiam acta Curiae, ad quam appellatio interposita fuerit, circumscribuntur, *in Ugentina seu Hydruntina die 15 Aprilis 1741.*

31. Iamvero, contractui permutationis bonorum *delle Confraterie,* spectantium ad Capellam et Confraternitatem SS. Sacramenti, erectam in Ecclesia Cathedrali Ugentina, cum aliis bonis *delle Scarde,* possessis a Benedicto Rovito Cantore et prima Dignitate Cathedralis Ugentinae, Episcopus, veluti a Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium delegatus, sub annum 1724 Apostolicam tribuit auctoritatem, - ita tamen, quod in casu evictionis vel molestiarum, tam in petitorio, quam in possessorio, omni futuro tempore semper reservetur regressus, favore Capellae, ad praedicta bona permutata. - Triennio autem vix transacto, quum enunciata bona *delle Scarde* ex permutatione ad Capellam seu Confraternitatem antedictam evicta fuissent, idem Benedictus Rovita, qui hoc tempore administrationem dictae Capellae in eum finem a Capitulo electus gerebat, quaedam oliveta sub vocabulo *le Greche,* in locum bonorum, quae fuerant evicta, praevio tantum assensu Donati Faussae, eiusdem Capellae Procuratoris, substituit.

32. Ratus autem Vicarius Generalis, legem in approbatione permutationis adiectam, circa regressum ad priora bona *delle Confraterie,* favore ipsius Capellae reservatum in casu evictionis, inde fuisse a memorato Rovito subdole violatam, die 28 Iulii 1738 iussit eum citari, ut intra tres terminos, pro trina canonica monitione praefinitos, personaliter in Curia Episcopali compareret, ad dicendam causam, ob quam declarandus non foret obstrictus excommunicatione maiori, aliisque poenis, a Sacro Concilio Tridentino (2) nec non Extrav. *Ambitiosae* (3) inflictis, adversus eos, qui ecclesia-

(1) Apud Cardinalem Albicium de Inconstantia in iudiciis, post Tractat. decis, 9, n. 24.

(2) In cap. 11, Sess. 22, de Reform.

(3) Relata in tit. de reb. Eccles. non alienan.

stica bona minus legitime riteque distrahunt. Idem vero Rovitius ab eiusmodi citatione seu praecepto statim appellationem interiecit ad Archiepiscopum Hydruntinum, qui die 5 insequentis augusti mandavit dictae Episcopali Curiae, ut acta transmitteret, et interim sub poena attentatorum in causa supersederet, donec, visis actis, aliter ipsi Archiepiscopo decernendum videretur.

33. At posthabitis appellatione et Archiepiscopi praecepto, Vicarius Generalis Episcopi Ugentini iussit, dari Rovito literas, quas Apostolos refutatorios vocant, eumque praeterea sub diem octo eiusdem mensis Augusti excitari ad opponendum et audiendam sententiam, qua insequenti die nedum illam declaravit excommunicatione innodatum, aliisque praedictis poenis subiectum, verum etiam ab omnibus vitandum per Cedulones publicis locis affixos denunciavit, decernens insuper bona stabilia *delle Confraterie* una cum fructibus a die evictae possessionis *delle Scarde,* usque ad praesentem diem perceptis, ad Confraternitatem Sanctissimi Sacramenti libere et integre reverti, illa vero *delle Greche,* a Rovito subrogata, una cum fructibus, cui de iure, restitui debere.

34. Sententiae huius notitia ad Archiepiscopum Hydruntinum delata, statim is Episcopalem Curiam Ugentinam canonica monitione requisivit monuitque ad dicendam causam, cur attentata declarari non deberent omnia per ipsam post memoratam inhibitionem gesta, praecepitque Lazaro Santori Cancellario aliisque Officialibus eiusdem Curiae, ut infra triduum pro tribus canonicae monitionis terminis praefinitum acta transmitteret, sub poena librarum mille cerae albae, ac in subsidium excommunicationis; reiectaque subinde appellatione, quam ab hoc Decreto ad S. Sedem interposuerant iidem Promotor Fisci et Cancellarius, mandavit, poenas contra Cancellarium, ob neglectam transmissionem actorum, indictas exequi, nec non lacerari edicta excommunicationis, contra saepe dictum Cantorem Rovitum publicata: sed Promotor Fisci, aliique plures tum Clerici tum Laici per vim etiam armis adhibitam obstiterunt, ne Edicta excommunicationis affixa lacerarentur.

35. Post haec Metropolitanus, ob impedimentum demandatae lacerationi Edicti praestitum, Archidiaconum Macri Pro-Vicarium Generalem Curiae Ugentinae Fisci Promotorem, pluresque alios veluti perturbatae suae iurisdictionis reos excommunicationi subiecit. Cedulones vero adversus Cantorem Rovitum, ab Episcopali Curia pridem affixos, pro laceratis haberi decrevit, noluitque postea ipsum Archidiaconum Macri aliosque violentiae participes eidem pro absolutione supplicantes a censuris dissolvere, nisi prius removerentur tam Edictum excommunicationis, quam alterum super asserto incursu in irregularitatem contra Rovitum promulgata, itidemque nisi prius ab eodem Archidiacono fieret explicita promissio transmittendi ad Curiam Metropolitanam infra quindecim dies omnia et singula acta, contra eumdem Rovitum compilata.

36. Verum, Decreto isti non acquiescens Promotor Curiae Ugentinae, preces exhibuit Sacrae Congregationi, ut rem definire dignaretur. At S. Congregatio, propositis dubiis: - I. An gesta per Curiam Metropolitanam Hydruntinam sustineantur in casu etc. II. An censurae latae per Curiam Episcopalem Ugentinam contra Cantorem Rovito sustineantur in casu etc. III. An et de quibus attentatis constet, et quomodo sint purganda in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Circumscriptis omnibus gestis per utramque Curiam, Ordinarius Ugentinus procedat ex integro, prout de iure - *in Ugentina seu Hydruntina die 15 Aprilis 1741.*

37. Quum e contra Ordinarius processerit ad tramites iuris et iurisdictione potiretur, non est locus circumscriptioni actorum *in Posnanien. die 19 Ianuarii 1754.*

38. Proposito enim dubio: - I. An constet de facultate Reverendissimi Episcopi Posnaniensis se intromittendi in cognitionem litis, introductae contra Commendatorem a Capitulo Cathedralis Posnaniensis et Parocho sancti Ioannis, ita ut illius acta sint circumscribenda in casu etc.-, Sacra Congregatio respondit: -Ad primum, Non esse locum circumscriptioni actorum - *in Posnanien. die 19 Ianuarii 1754.*

39. Item, quum Vicarius Apostolicus occasione visitationis Ecclesiae Collegiatae B. M. in Caelum Assumptae Sulmonis in Latio Procurationem integram petierit, et Capitulum ei deberi dimidiam putaret, recursum hoc interposuit ad Sacram Congregationem, expostulans etiam circumscriptionem actorum. Sed S. Congregatio, non excessiva exactione Procurationis iudicata, edictum et decreta, etsi mo-

deranda, non esse circumscribenda decidit *in Terracinen. et Setina die 18 Maii 1796.*

40. Propositis namque dubiis: - I. An constet de excessiva exactione Procurationis in casu etc. *Et quatenus affirmative.*

II. An Vicarius Apostolicus inciderit in poenas in casu etc. *Et quatenus affirmative.*

III. An edictum et decreta sint circumscribenda in casu etc. *Et quatenus negative.*

IV. An sustineatur, vel potius sit reformandum Decretum, quoad exhibitionem librorum dati et accepti in casu etc.

V. An sustineatur Decretum super exemptione Convisitatorum a punctaturis in casu etc.

VI. An sustineatur, seu potius sint reformanda decretum et edictum respective quoad omissiones in implendis oneribus Missarum in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, secundum et tertium, Negative. Ad quartum, Affirmative, iuxta modum; nempe apud Syndicatores Synodales existentes in loco, et deleta poena suspensionis, subrogata tamen mulcta pecuniaria, arbitrio Ordinarii. Ad quintum, Negative. Ad sextum, Affirmative, iuxta modum; nempe deleta poena suspensionis, et, quoad omnia, amplius - *in Terracinen. et Setina die 18 Iunii 1796.*

§. II.

ACTA QUOAD TRANSPORTATIONEM

1. Acta visitationis, facta ab Abbate, habente ius visitandi, non sunt tradenda Episcopo *in Saernitana anno 1596 lib. 8 decretorum pag. 168.*

2. Verum, quum Canonicus Poenitentiarius Ecclesiae Cathedralis, exequutor Literarum Apostolicarum deputatus, absque iurisdictione contra Episcopum, pro praetensa a Canonico Thesaurario privativa clavium custodiendarum Reliquiarum dictae Ecclesiae traditione processerit, S. Congregatio demandavit, ut acta originalia dicto Episcopo consignarentur *in Melevitana Attentatorum die 28 Iunii 1703 ad III dubium.*

3. Atque actorum exemplar est dandum ab Episcopo Parti postulanti, appellatione interposita *in Nullius anno 1595 lib. 8 decretorum p. 140.*

4. Exemplar actorum, in casu appellationis a decretis Episcopi in visitatione peractis, est tradendum, servata forma praescripta in Cap. 3, sess. 13; et Cap. 20, Sess. 24, de ref. *die 27 Maii 1591 Lib. 7 decretorum pag. 12.*

5. De modo vero transferendi acta concursus ad Iudicem appellationis, cautum est in Constitutione Benedicti XIV incipien. *Cum illud - in Verulana Archidiaconatus die 20 Ianuarii 1770* §. *Sacra.*

6. In ea quippe sancitum est, ut mittantur vel acta ipsa originalia concursus, clausa et obsignata *in Verulana Archidiaconatus die 20 Ianuarii 1770* §. *Sacra.*

7. Vel certe unum aliquod authenticum eorum exemplum, a Cancellario concursus, atque altero Notario collatum, et auscultatum coram Vicario vel alio in ecclesiastica dignitate constituto, quem eligat Ordinarius, ad quem etiam Notarii Cancellario adiungendi electio pertinebit, nec non ab Examinatoribus synodalibus, qui concursui interfuerunt, subscriptum *in Verulana Archidiaconatus die 20 Ianuarii 1770* §. *Sacra.*

§. III.

ACTA QUOAD VALIDITATEM VEL NULLITATEM

1. Acta suspecta videntur, tum ex repugnantia Partis in producendis originalibus, tum etiam ex insolita methodo exhibendi responsiones ad nonnulla quaesita, in examine proposita *in Verulana Archidiaconatus die 20 Ianuarii 1770* §. *Et primo.*

2. Notorium imo in iure est, acta, quae non sunt integra, non probare *in Pisana Iurium die 29 Iulii 1851* §. *Haec cum* (1).

3. Veritas enim ex integro contextu desumitur, non ex una tantum parte, quae quandoque pugnare videtur menti illius, qui actum

(1) Card. De Luc. disc. 19, n. 4, de heredit.

edidit *in Pisana Iurium die 26 Iulii 1851* §. *Haec cum.*

4. Si quis vero aliorum iura pertentare atque abripere non poterat, irrita habenda sunt omnia gesta ac legitime iteranda *in Colonien. die 9 Augusti 1766* §. *Ad XVI* (1).

5. Item omnia intemperanter, inconsulto, ac praecipitanter gesta, illico irritanda ac rescindenda sunt *in Colonien. die 9 Augusti 1776* §. *Ad XXI.*

6. Praesertim non expectato iudicio Sedis Apostolicae, ad quod appellatum fuerat, imo contra expressa mandata *in Colonien. die 9 Augusti 1766* §. *Ad XXI.*

7. Damna praeterea et expensae sarciendae *in Colonien. die9 Augusti 1766* §. *Ad XXI* (2).

8. Acta ad invicem facta a duobus Episcopis, quibus unus circumscripsit acta alterius, praetendentibus utrisque iurisdictionem habere in Oratorio Confraternitatis, valida fuerunt declarata illa Episcopi, favore cuius constitit de vera iurisdictione in praedictum Oratorium *in Ianuen. seu Bobien. Iurisdictionis die 24 Septembris 1707 lib. 57 decretorum.*

9. Et idem edictum fuit, quoad actus iurisdictionales, exercitos a duobus Episcopis in Oppido ab utroque praetenso propriae iurisdictionis, scilicet validi declarati fuerunt actus illius Episcopi, quem constitit vere habere iurisdictionem in dictum Oppidum *in Cusentina seu Bisinianen. die 28 Martii et die 28 Novembris 1711 lib. 61 decretorum.*

10. Acta gesta in Curia Archiepiscopali, contra duos Monachos percussores Sacerdotis secularis, fuerunt valida declarata, excepto quodam monitorio et citatione contra ipsos expeditis *in Mediolanen. Censurarum die 2 Decembris 1719.*

11. Proposito enim dubio: - I. An acta hactenus facta per Curiam Archiepiscopalem Mediolanensem, contra Rev. Patrem Antonium Petragrossa, et Fr. Alexandrum Monachos, sustineantur in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative, excepto Monitorio, expedito die 14 Februarii 1718, nec non excepta citatione, expedita die secunda Iunii eiusdem anni - *in Mediolanen. Censurarum die 2 Decembris 1719.*

12. Acta per Iudicem ordinarium, etsi talis iure non sit, suam obtinent firmitatem, si communis error habeatur *in Caesaraugustana Matrimonii die 10 Martii 1770* §. *Clarissima.*

13. Compertissima quippe est Iuris Civilis dispositio de iis, quae per communem errorem fiunt; statutum (3) enim legimus: - Si servus quamdiu latuit, dignitate Praetoria functus sit, quid dicemus? An quae dixit, quae decrevit, nullius fore momenti? An fore propter utilitatem eorum, qui apud eum egerunt, vel lege, vel quo alio iure? et verum puto, nihil eorum reprobari; hoc enim humanius est - *in Caesaraugustana Matrimonii die 10 Martii 1770* §. *Clarissima.*

14. Unde Glossa in verbo *Reprobari* haec addit: - Nota hic, quod circa factum error communis facit ius - *in Caesaraugustana Matrimonii die 10 Martii 1770* §. *Clarissima.*

15. Haec autem, quae de Ordinario tantum dicta a nonnullis intelliguntur, etiam de Delegato intelligenda esse monet Gratianus (4) *in Caesaraugustana Matrimonii die 10 Martii 1770* §. *Clarissima.*

16. Hinc, si servus, dum putaretur liber, ex delegatione sententiam dixit, quamvis postea in servitutem depulsus sit, sententia ab eo dicta reiiudicatae firmitatem habet *in Caesaraugustana Matrimonii die 10 Martii 1770* §. *Clarissima.*

17. Idem quoque locum habet in rebus spiritualibus *in Caesaraugustana Matrimonii die 10 Martii 1770* §. *Idem.*

18. Limita, quando tamen iure divino non repugnent *in Caesaraugustana Matrimonii die 10 Martii 1770* §. *Idem* (5).

19. Hinc communis invaluit Canonistarum opinio, firmum esse quidquid publici officii auctoritate gestum fuerit a Praelato, sive Ordinario, sive Delegato, qui communi opinione

(1) Surd. Consil. 391, n. 1; Rot. in decis. 111, n. 7, part. 7 Recent.; in Ravennaten. Transactionis 20 Iunii 1757, §. 12, coram Frangipane.

(2) Rot. in decis. 42, n. 1, in miscellan. coram Falconerio; in Gerunden. manutentionis super servitutibus et actibus obsequii quoad nova attentata 7 Februarii 1732, §. 7, coram Card. Molino.

(3) In L. Barbarius 3, ff. de offic. praetor.

(4) In Can. Informis, §. Verumtamen, Caus. 3, quaest. 7.

(5) Fagnan. in cap. Super eo, n. 5 de crim. fals.

auctoritatem habere existimabatur *in Caesaraugustana Matrimonii die 10 Martii 1770* §. *Idem*.

20. Immo complures Canonistae censuerunt, quod gesta per Iudicem putativum, titulo colorato destitutum, suam obtineant firmitatem, quamdiu communis error non detegatur et excutiatur *in Caesaraugustana Matrimonii die 10 Martii 1770* §. *Hanc*.

21. Nihilominus probabilior aliis visa est opinio, quae titulum saltem coloratum requirit, quemadmodum deducitur ex Textu Can. *Informis*, C. 3, quaest. 7 *in Caesaraugustana Matrimonii die 10 Martii 1770* §. *Hanc* (1).

22. Ad matrimonium praesertim quod spectat, validum erit illud renunciandum, cui Parochus putativus adstiterit, scilicet Sacerdos, qui communi errore verus Parochus haberetur, etsi talis revera non esset *in Caesaraugustana Matrimonii die 10 Martii 1770* §. *Idem* (2).

23. Nam, ad effectum validitatis Matrimonii, aeque dicitur proprius Contrahentium Parochus, qui revera talis sit, quam qui ex communi opinione etiam erronea pro Parocho reputatur *in Caesaraugustana Matrimonii die 10 Martii 1770* §. *Et ad primum* (3).

24. Cum in isto casu lex ipsa ad gravia incommoda evitanda defectum suppleat potestatis *in Caesaraugustana Matrimonii die 10 Martii 1770* §. *Et ad primum* (4).

25. Amplia, etiamsi Parochus putativus titulo colorato careret *in Caesaraugustana Matrimonii die 10 Martii 1770* §. *Et ad primum* (5).

26. Et quamvis esset intrusus *in Caesaraugustana Matrimonii die 10 Martii 1770* §. *Et ad primum* (6).

27. Nec ambigendum, quin tempore contracti matrimonii quis habitus ab omnibus fuerit Parochus, cum id iureiurando deposuerint triginta et ultra Testes Parochiani, ex omni coetu atque ordine decerpti, qui plenissimam constituunt communis opinionis probationem *in Caesaraugustana Matrimonii die 10 Martii 1770* §. *Nec* (7).

28. Praesertim, si communis haec apud Parochianos opinio rationabili causae innixa fuisset, quia scilicet ille omnia peragebat, quae a vero Parocho fieri consueverunt, nedum ante, sed etiam post Ecclesiae vacationem *in Caesaraugustana Matrimonii die 10 Martii 1770* §. *Addit et* §. *Advertit*.

29. Quin destrui posset communis haec opinio a sex Testibus, cum huiusmodi Testes posthabendi esse videntur aliis numero pluribus, ex quibus communis opinio coalescere debet *in Caesaraugustana Matrimonii die 10 Martii 1770* §. *Hanc*.

30. Quando praesertim Testes dictum non coarctent ad tempus matrimonii, vel ante illius celebrationem, sed loquantur de tempore posterieri, et aliqui ex illis non habitent intra limites Parochiae, nec de Parochianorum opinione perhibeant testimonium, sed relationem habeant ad ea, quae aliqui Ecclesiae Beneficiati existimaverunt *in Caesaraugustana Matrimonii die 10 Martii 1770* §. *Hanc*.

31. Immo, etiamsi electio alterius in Regentem seu Parochum tempore vacationis nota esset, non propterea exclusa remanet publica et communis opinio, quae semper verificatur, quoties maior pars aliquid existimando conveniat *in Caesaraugustana Matrimonii die 10 Martii 1770* §. *Sed etiam* (8).

32. Quod ipsum procedit, etsi non solum ille, qui tamquam Parochum se gerit, sed etiam Contrahentes scirent, eum revera Parochum non esse, dummodo tamen veluti Parochus communi opinione haberetur in *Caesaraugustana*

(1) De quo Fagnan. in cap. Super eo, n. 8, de crimin. fals.

(2) Barbos. in cap. 21, n. 51, part. 2, de offic. et potest. Paroch. testatur, id Sacram Congregationem probavisse die 12 Martii 1592.

(3) Gonzalez in Lib. 4 Decret. tit. 3, cap. 3, n. 8; Fagnan. in cap. Super eo, n. 7, de crim. fals.; Barbos. in Concil. Trid. Sess. 24, cap. 1, de Reform.

(4) Sanchez in Disp. 22, n. 5, lib. 3, de Matrim.; Reinfest. lib. 4 Decret. tit. 3, §. 2, n. 75.

(5) Sylvius in resol. verb. par. 1, verb. Matrimonium, n. 11; Schmalzgr. in lib. 4 Decret. tit. 11, §. 3, n. 181.

(6) Pontius in lib. 5, cap. 20, n. 2 et 9, de Matrim.; Pignatell. tom. 6, Consult. 3, n. 14.

(7) Rot. coram Coccin. Decis. 1582, coram Priolo Decis. 206, n. 8, et in Recent. Decis. 214, n. 16, part. 10.

(8) Cap. Inquisitionis 21, de accusat. Cap. Literis, et Cap. Tertio loco, de praesumpt.; Leuren. in Ius Can. lib. 2, tit. 20 quaest. 610; Reinffest. ibid. §. 12, n. 395.

Matrimonii die 10 Martii 1770 §. *Sed etiam* (1).

33. Et eo vel magis, cum ipse Electus et Archiepiscopus consensum praestiterint, ut is tempore vacationis Sacramenta administraret, ac imo Electus delegationem ei dederit, etsi de ea non recordari affirmaret, sed Testes ab illius ore id audierunt *in Caesaraugustana Matrimonii die 10 Martii 1770* §. *Demum.*

34. Hisce quippe circumstantiis concurrentibus, statuerat nobilis Vir Antonius Patino ex Marchionibus de Castellar Matrimonium inire cum nobili Puella Nicolasia Blasio. Praevidens autem, Consanguineos et eius praesertim Genitorem, qui summa in Civitate Caesaraugustana auctoritate pollebat, gravia imposituros esse impedimenta, expediens duxit, consentiente Puella, illud contrahere absque denunciationibus; sed istarum dispensatione constanter negata, tum a Vicario generali, tum ab Archiepiscopo. Hinc per Epistolam evocato die 16 Ianuarii 1765 in Nicolasiae domum, sitam sub Parochia S. Laurentii, Sacerdote Matthia Guillen, qui post obitum Parochi illius Ecclesiae veluti Regens ac Vice-Parochus tunc habebatur, eoque in interiores mansiones introducto, matrimonium coram ipso et duobus Testibus per verba de praesenti contraxit. Proposito hinc dubio: - An constet de validitate Matrimonii in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Affirmative - *in Caesaraugustana Matrimonii die 10 Martii 1770.*

35. Quando vero acta Iudicis ordinarii sunt gesta, contra alterius iurisdictionem vel iuris dispositionem, nulla ac irrita declarantur *in Suessana Residentiae et Censurarum die 15 Martii 1738.*

36. Enimvero, acta per Vicarium Generalem in causa exequutionis Legati Mutii Blasii, contra Iudicem Conservatorem Patrum Conventualium Civitatis Laudae heredum legantis, et per eumdem Iudicem Conservatorem gesta, nulla ac irrita declaravit, Sacra Congregatio. Nam dictus Vicarius, non observata declaratoria iurisdictionis ac privilegiorum indicatione et facultatum Conservatoris, illum, ut ab indebito processu desisteret, praemonuit; eumdemque renuentem et protestantem de actorum nullitate, prius suspensum, deinde, absque personali citatione, excommunicatum declaravit; contra vero Conservator, Vicarium, inhibitoria et praecepta aspernantem, excommunicavit *in Lauden. Censurarum die 5 Iunii et die 4 Septembris 1700.*

37. Nulla ac irrita pariter Sacra Congregatio declaravit gesta ac censuras per Donatum Picardellum, sicuti privilegiorum Religionis Hierosolymitanae Conservatorem, latas contra Martinum de Arco, aliosque Confraternitatis in Ecclesia S. Ioannis Baptistae, extra moenia Civitatis Foggiae existentis, Officiales; nam S. Congregatio Ecclesiam illam Episcopi iurisdictioni vindicaverat *in Troiana Iurisdictionis die 24 Augusti 1709 ad IX dubium.*

38. Item, acta gesta et censuras a Curia Episcopali latas, sustineri non posse statuit Sacra Congregatio, quum quaestio esset de iurisdictione, contra Carminum de Sanctis aliosque Officiales, qui rationem administrationis Sodalitii Episcopo reddere renuebant *in Troiana Iurisdictionis die 24 Augusti 1709 ad X dubium.*

39. Edictum vero Episcopi, die 20 Februarii 1708 desuper editum, abrogandum ac circumscribendum non esse censuit, sed reformandum iuxta modum, arbitrio Cardinalis Praefecti *in Troiana Iurisdictionis die 34 Augusti 1709 ad XI dubium.*

40. Sustinentur idcirco acta Ordinarii, intra limites iustitiae, cum iurisdictione polleat, etiamsi recursus seu appellatio sit interposita ad alium, qui eam de iure recipere poterat *in Ianuen. seu Bobien. Iurisdictionis die 24 Septembris 1707.*

41. Acta quippe quomodolibet adversus Sodales et Priores Oratorii S. Iacobi, siti citra Pontem Oppidi Borzonaschae, facta per Episcopum Bobiensem, qui prohibuit, apposita poena interdicti, structuram novi aedificii, Turris sacrae, quam aedificare illi volebant, et causa fuit, ut recursum habuerint ad Archiepiscopum Ianuae, putantes Oratorium in eius iurisdictione, quae ad Episcopum Bobiensem pertinebat, esse situm, valida censuit Sacra Congregatio, praescribens simul, ut censurati adirent eumdem Episcopum, pro absolutione *in Ianuen. seu Bobien. Iurisdictionis die 24 Septembris 1707 ad II dubium.*

(1) Reinfest. lib. 4 Decret. tit. 3, §. 2, n. 79; Sanchez de Matrim. lib. 3, Disp. 22, n. 42; Viva tom. 5 oper. quaest. 4, art. 5, §. 12.

42. Causa inde reproposita, Sacra Congregatio respondit: - Dilata, et coadiuventur probationes, iuxta instructionem Eminentissimi Praefecti - *in Ianuen. seu Bobien. die 5 Iulii 1710.*

43. Quin imo nulla ac irrita declarantur acta gesta per Ordinarium, ad quem de iure appellatio interponi poterat, si eam is admisit in suspensivum, dum in devolutivum tantum recipere debebat *in Suessana Residentiae et Censurarum die 15 Martii 1738.*

44. Siquidem Vicarius Generalis Suessanus cum accepisset, Ianuarium Oliverium Parochialis Ecclesiae in Casali Cellularum existentis Rectorem, cui pridem fuerat infirmitatis causa concessum, ut a sua Parochia abesse posset, bonae licet valetudini iam restitutum ad eam non reverti, post aliquot inutiliter adhibitas, ut praefertur, domesticas monitiones, Edicto sub diem 12 Octobris 1736 ad valvas Cathedralis affixo eumdem compellavit, - quatenus in biduo rediret, et personaliter ad praefatam suam Paraeciam accederet, et inibi continue diu noctuque residendo, iuxta mentem sacri Concilii Tridentini, sacrorum Canonum, et suorum Edictorum, suum officium adimpleret, et de paritione peracta per legitimum documentum doceret, sub poena privationis medietatis fructuum -; deindeque, reiectis exceptionibus, quae nomine praefati Ianuarii opponebantur, praecepit primum die 18 dicti mensis Octobris, - quod idem Parochus in alio biduo praecise et peremptorie omnino resideat etc. Verum, quatenus mereatur ulteriorem indulgentiam pro curatione allegati morbi chronici, post accessum recurrat ad Sanctissimum, eique humiliter supplicet etc. -; et postmodum die 27 eiusdem mensis mandavit, alterum affigi Edictum, quo iussit eidem Ianuario, - quatenus in termino trium dierum, quorum unum ad residendum, sub poena suspensionis a divinis, secundum ad dicendam causam, quare non debeat suspendi, et tertium ad videndnm se suspendi, et cedulores relaxari assignavit, personaliter accedat ad supradictam Paraeciam, ibique resideat -, et demum, neglectis literis inhibitorialibus et compulsorialibus Curiae Metropolitanae, quas saepedictus Parochus adhuc contumax praesentare fecerat, die 31 dicti mensis Octobris decrevit, illum - fore et esse suspensum a divinis etc. et expediri Ceduloles in forma -.

45. Post haec audiens idem Vicarius Suessanus, decretum huiusmodi a se latum, veluti nullum et iniustum a Curia Metropolitana declaratum fuisse, die 5 Novembris dicti anni 1736 mandavit, affigi contra Pro-Vicarium Capuanum aliosque eiusdem Metropoliticae Curiae Ministros Cedulones excommunicationis. E converso autem insequenti die 7 Novembris memoratus Pro-Vicarius Capuanus Cedulones contra Vicarium Suessanum et Iosephum Licciardo Cancellarium Curiae Suessanae relaxavit. Quum autem ex praescriptis iuris non detur appellatio in suspensivum, quoad residentiam Parochorum, propositis dubiis: I. An liceat Curiae Capuanae Inhibitiones concedere adversus residentiam Parochorum in casu etc. II. An gesta per dictam Curiam Metropolitanam contra Vicarium Generalem et Ministros Curiae Episcopalis Suessanae sustineantur in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Ad primum, Negative ad effectum suspensivum, et detur Decretum in Feretrana anni 1591 (1). Ad secundum, Negative - *in Suessana Residentiae et Censurarum die 15 Martii 1738.*

46. Propterea, dum Ordinario non liceat contra alium procedere, eius acta non sustinentur; sed imo circumscribuntur *in Pacen. Iuris Visitandi de Zafra die 29 Ianuarii 1729.*

47. Proposito enim dubio: - An carceratio personae Abbatis de anno 1716, ac processus fabricati, et decreta respective facta per Petrum Leonium in Visitatione de anno 1721 sustineantur, vel potius sint circumscribenda in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Ad tertium, Carcerationem Abbatis non sustineri, et acta facta per Petrum Leonium esse circumscribenda - *in Pacen. Iuris Visitandi de Zafra die 29 Ianuarii 1729.*

48. Quod eo vel magis dicendum, quando

(1) Siquidem S. Congregatio in Feretrana die 6 Septembris 1591 rescripsit Episcopo, - ut, huiusmodi inhibitione, utpote nulla et contra dispositionem Concilii Decreta, non obstante, compelleret Curatum ad residentiam. Ad Vicarium Apostolicum Urbini scribendum, a praecepto Episcopi sive alio actu, cum procedit ad compellendos Curatos ad residentiam, non dari appellationem ad effectum suspensivum, ut aperte cavetur Decreto cap. 1, §. Eadem, Sess. 23, de Reform.: itaque sciat, eam inhibitionem ab Episcopo sperni posse, et propterea de cetero caveat ab huiusmodi inhibitionibus -.

Ordinarius acta gesserit, contra mandata et praxim S. Congregationis seu S. Sedis; tunc enim omnia nulla ac irrita edicuntur *in Nullius Sublacen. die 15 Aprilis 1780.*

49. Requidemvera Capitulum Collegiatae Ecclesiae S. Andreae Sublaci, occasione renovationis affictus pascuorum latifundii nuncupati *di Livata,* ad idem Capitulum pertinentis, sub die 13 Aprilis 1778 ad alliciendos oblatores affigi curavit edicta. Intra praefinitum tempus trium mensium tres tantum comparuerunt Licitatores, quorum maior fuit Antonius Marinucci in solidum cum Benedicto Fazi. Ut autem instrumenti affictus ad novennium rite stipularetur cum dictis Licitatoribus Marinucci et Fazi, Capitulum preces obtulit S. Congregationi, pro facultate illud stipulandi, quam obtinuit sub die 18 Iulii dicti anni 1778, *praevia tamen Edictorum affixione.* Die vero 17 sequentis mensis Augusti Pro-Vicarius Generalis suum protulit exequutoriale decretum, eademque die in ius vocato Capitulo a supradictis Licitatoribus Marinucci et Fazi, hi produxerunt contra Capitulum Edicta originalia, ut supra affixa usque a die 13 Aprilis 1778, nec non die 21 eiusdem mensis Augusti produxerunt etiam dictas preces a Capitulo porrectas cum Rescripto in calce Sacrae Congregationis, institeruntque coram Iudice sequenti die 22 Augusti, pro praefixione termini Capitulo ad stipulandum Instrumentum affictus, alias videndum stipulari ex officio. Et quamvis Capitulum apud acta protestatum fuisset, ad petitam instrumenti stipulationem deveniri non posse, nisi praevia Edictorum affixione, ad formam Rescripti S. Congregationis, Iudex tamen, hac spreta protestatione, votis adhaesit dictorum Licitatorum, praefixitque Capitulo terminum quinque dierum, ad conficiendam instrumenti affictus stipulationem, favore Marinucci et Fazi instantium.

50. Praefinito termino nondum elapso, nimirum die 17 saepedicti mensis Augusti, Fratres Gratiosi eorum etiam exhibuerunt oblationis schedulam. Ast Iudex, haudquaquam attenta huiusmodi utcumque ceteris maiori Fratrum de Gratiosis oblatione, minusque attenta Capituli protestatione et dissensu propter maiorem Fratrum de Gratiosis oblationem, tandem sub die 4 Decembris dicti anni 1778 processit ex officio ad stipulationem instrumenti affictus pascuorum ad novennium cum Marinuccio et Fatio: hinc Fratres Graziosi supplici porrecto libello recursum habuerunt ad S. Congregationem, postulantes, quod circumscriptis actis coram Pro-Vicario Generali una cum instrumento, favore Marinucci et Fazi stipulato, praeciperet stipulationem instrumenti affictus pascuorum cum Oratoribus, ad tramites eorum oblationis.

51. Propositis vero dubiis: - I. An sustineantur acta facta coram Pro-Vicario Generali et instrumentum Affictus, de quo agitur, favore Antonii Marinucci et Benedicti Fazi in casu etc. *Et quatenus Negative.* II. An et cuius favore sit stipulandum idem instrumentum affictus, seu potius sit locus novae affixioni Edictorum in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Ad primum, Negative in omnibus. Ad secundum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam - *in Nullius seu Sublacen. die 15 Aprilis 1780.*

52. Etenim, cum facultas locandi pascua ad novennium non aliter a Sacra Congregatione data fuerit, nisi praevia Edictorum affixione, haec Edictorum promulgatio, pro forma requirebatur, itaut, ea neglecta, omnes actus expleti, pro compellendis Canonicis ad stipulandum instrumentum affictus favore Marinucci et Fazi una cum eodem instrumento subsequenter ex officio stipulato, sustineri non possint *in Nullius seu Sublacen. die 18 Martii 1780* §. *Duo* (1).

53. Namque ea, quae pro forma requiruntur, per acquipollens adimpleri non possunt *in Nullius seu Sublacen. die 18 Martii 1780* §. *Duo* (2).

54. Ex eo etiam, quod Sacra Congregatio quoties super similibus quaestionibus interrogata fuerit, toties pro edictorum affixione respondit, revocatis omnibus gestis, praetermissis Edictis *in Nullius seu Sublacen. die 18 Martii 1780* §. *Sacra.*

55. Pariter acta gesta, absque interventu eius, qui interesse debebat, nulla ac irrita declarantur *in Castellaneten. die 27 Aprilis 1748.*

56. Quandoquidem pium Montem dotalem

(1) Ros. de Exeq. Literar. Apost., cap. 3, n. 5 et 6; et cap. 6, n. 8 et 9; Pacion. de Locat. et Conduct. cap. 14, §. 9, n. 3.

(2) Card. Petr. in Comment. ad Constit. 5 Pauli II, incipien. *Ambitiosae,* Sect. 5, n. 56; Rot. in Recent. decis. 350 n. 1 et seqq.; et Decis. 363, n. 5, part. 10.

fundavit anno 1643 Sacerdos Ioannes Giovinazzi, cuius curam et administrationem Capitulo Cathedralis Ecclesiae Castellanetae commisit. Hinc pii legati exequutores nominavit Episcopum Castellanetensem, Archidiaconum, Cantorem, et Thesaurarium praefatae Cathedralis pro tempore, quorum integritati et arbitrio controversias omnes, quae de hac dispositione oriri possent, definiendas concredidit. Impleta fuit pii Disponentis voluntas ad annum usque 1745, quo anno cum quatuor essent, qui subsidium dotale petebant, ad Executores itum est, qui convenire non potuerunt. Spreto tandem Episcopi primi exequutoris interventu et consensu, sententiam tulerunt tres reliqui, Archidiaconus nempe, Thesaurarius, et Cantor, eamque opera Regii Gabellionis Episcopo nunciarunt. Proposito vero dubio: - VII. An gesta per Archidiaconum Sebastianum Patrone, Thesaurarium Hieronymum Plagese, et Cantorem Nicolaum Tria, asserti exequutores pii Montis, sint nulla in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad septimum, Affirmative, et in posterum nominationem faciendam esse collegialiter - *in Castellaneten. die 27 Aprilis 1748.*

57. Reproposito subinde dubio, sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - In decisis in omnibus, et amplius - *in Castellaneten. die 8 Maii 1751.*

58. Praeterea, nullum praetendens esse concursum Ugentinus Episcopus, ex eo, quod Vicarius Generalis tertii synodalis Examinatoris vices suppleverit, Marium Gigli, qui a Sede Apostolica de Archipresbiteratu Cathedralis Ecclesiae fuerat provisus, sub poena interdicti, tribus assignatis diebus, citavit, quibus elapsis decretum relaxavit, quo eum interdixit, nullumque concursum, subreptitias esse Bullas, ac Archipresbyteratum vacare, declaravit. Praefatus Gigli vero recursum interposuit ad Sacram Congregationem, quae sanxit, interdictum et privationem non sustineri, omnibus per Episcopum gestis circumscriptis *in Ugentina Archipresbiteratus die 6 Iunii 1716.*

§. I.

ACTIO IN GENERE.

1. Negotiorum gestorum actio solventi de proprio tribuitur contra eum, in cuius utilitatem solvit *in Ferrarien. Solutionis et Congruae die 18 Februarii 1854* §. *Ad alteram* (1).

2. Inanis vero est actio, quam inopia Debitoris excludit *in Suessana Condonationis die 30 Iulii 1831* §. *Verum.*

3. Hinc Sacra Congregatio clementia uti solet erga eos, qui rei familiaris inopia vexantur, et sanguine cum fundatore iunguntur *in Suessana Condonationis die 30 Iulii 1831* §. *Verum* (2).

4. Enimvero Peregrinorum Hospitium, cui adhaeret Ecclesia S. Iacobi nuncupata, Suessae a vetustis temporibus suo aere fundarunt plures Familiae, ex quibus etiam nunc eius gaudent patronatu Familiae Di Franso et Di-Paolo. Ex his alternatim a Compatronis singulis biennis eligitur Hospitii Magister, qui expleto biennio rationem gestae administrationis Syndico reddere cogitur ex statutis, anno 1776 conditis. Huius legis custodiam intermittere ceperunt nuperrimi Administratores, quo factum est, ut Nicolaus Di-Paolo, qui Magistri munere pluribus functus est bienniis, in proprios converterit usus Hospitii reditus, eiusdemque evaserit debitor in ducatis bis mille et quadringentis. Nicolao haeredes extiterunt eius filii, quos inter Antonius, et Iacobus. His in Patriam a militia reducibus, statim paternum innotuit debitum: at cum frequenti familia essent gravati, inopia premerentur, ac militari, qua donati sunt, pensione, vitam traducere adigerentur, preces Sacrae Congregationi porrexerunt, ac debiti condonationem expostularunt. Itaque, proposito dubio: - I. An et quomodo sit supplicandum Sanctissimo, pro condonatione favore Oratorum in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative, impertita Episcopo facultate transigendi, iuxta vires Oratorum, auditis reliquis Compa-

(1) L. 1, §. 1; L. 2, ff. de Neg. gest.

(2) Uti videre est in Taurinen. 30 Martii 1776, et in Mazzarien. Reductionis et Absolutionis 14 Decembris 1822.

tronis - *in Suessana Condonationis die 27 Augusti 1831.*

5. At aliter dicendum, cum de aliis Debitoribus, vel de iis, qui solvere valent debitum, agatur; namque eodem in casu, proposito dubio: - II. An et quae condonatio sit concedenda aliis Hospitii Debitoribus in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Negative - *in Suessana Condonationis die 27 Augusti 1831.*

6. Actiones Creditorum vero confusae et extinctae censentur, ob aditam hereditatem, absque legis et inventarii beneficio *in Ferentina Transactionis die 2 Martii 1833* §. *Quin* (1).

7. Cum ideo Filius hereditatem Patris adeptus fuerit, cumque eiusdem Filii haereditas in Oratorem devenerit, confusae et extinctae, pro iis saltem bonis, quae ob paternam hereditatem assequutus fuerit, censeri possunt actiones Creditorum, ex notissimis iuris praescriptionibus *in Ferentina Transactionis die 2 Martii 1833* §. *Quin* (2).

8. Ceterum, cum ad exceptiones huiusmodi ponderandas dimicari diu, multoque sumptu oporteret, eventu ut plurimum dubio et difficili, bonum transactionis passim evincitur *in Ferentina Transactionis die 2 Martii 1833* §. *Quin.*

9. Propterea, proposito dubio: - I. An et quomodo sit adprobanda transactio in casu etc.-, Sacra Congregatio responsum tulit: - Ad primum, Affirmative in omnibus, facto verbo cum Sanctissimo - *in Ferentina Transactionis die 2 Martii 1833.*

10. Actiones seu nomina interim adsignare, non idem est ac fidem suam liberare, et aes alienum dimittere *in Fabrianen. Missae Conventualis die 2 Martii 1833* §. *At.*

11. Ea quippe adiecta conditio censetur, si nempe credita pecunia a debitore solvatur *in Fabrianen. Missae Conventualis die 2 Martii 1833* §. *At* (3).

12. Idcirco Sacra Congregatio noluit Collegio Canonicorum concedere novam prorogationem reductionis Missae Conventualis, nisi doceret de deposito ante demandato, sive de diligentiis super exactione nominum Creditorum *in Fabrianen. Missae Conventualis die 2 Martii 1833.*

13. Siquidem in comitiis diei 24 Martii 1832, ob praefati Collegii detrimenta, quae in dies maiora patiebantur, proposito dubio: - An et quomodo proroganda sit reductio Missae Conventualis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative ad annum, et Episcopus intra tres menses referat de fideli erogatione annui cumuli, et de imminuto debito - *in Fabrianen. Missae Conventualis die 2 Martii 1833* §. *Id iterum.*

14. Itaque, etsi bona fide praedictos Canonicos iurari complura suaderent, sponderetque Canonicus, qui rem Collegii procurabat, diligentius ea se nomina velle urgere, ut inde irrogatae de depositis conditioni satisfieret, proposito dubio: - An et quomodo proroganda sit reductio Missae Conventualis in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Dilata, et recurrant expirato Indulto, docto de deposito, sive de diligentiis, super exactione nominum Creditorum - *in Fabrianen. Missae Conventualis die 2 Martii 1833.*

15. Quum damnum seu interdictio, in Ecclesiam Parochialem illata, etiam Parochianos afficiat, omnes iudicio sistere debent *in Firmana Interdicti et Translationis die 19 Maii 1787* §. *Licet et* §. *Ad haec.*

16. Propterea, actio popularis uni quidem permittenda esse videtur, quam Parochianus pro Ecclesia exercet *in Firmana Interdicti et Translationis die 19 Maii 1787* §. *Constanti* (4).

17. At limita, nisi ceteri reluctant Parochiani, ac praesertim si alias inde edicant, qui mandatum Procurae cum eo subscripserant *in Firmana Interdicti et Translationis die 19 Maii 1787* §. *Ad haec.*

18. Hinc Beneficiatus non debet in proprium commodum, sed nomine et in favorem Ecclesiae experiri actionem petendi restitutionem bonorum, ex nullitate contractus *in Lauretana Nullitatis Contractus die 30 Augusti 1788* §. *Actionem.*

19. Ne scilicet ex culpa sua compendium

(1) L. ult. Cod. de iure deliberandi.
(2) Cod. tit. quomod. obbligat. tollantur.
(3) Cod. de Novat. Instit. §. 3, Quibus modis toll. obligat.
(4) Card. De Luc. de iudic. Disc. 12, n. 6.

consequatur *in Lauretana Nullitatis Contractus die 30 Augusti 1788* §. *Actionem* (1).

20. Non aliter vero Ecclesia ipsa audienda est, quam restituto pretio *in Lauretana Nullitatis Contractus die 30 Augusti 1788* §. *Actionem* (2).

21. Attamen reclamante ipso Beneficiato, qui ius exigendi pensiones ex beneficio provenientes vendiderat, Sacra Congregatio, proposito dubio: - An constet de nullitate contractus, ita ut sint restituendi fructus in casu etc. -, responsum dedit: - Affirmative in omnibus - *in Lauretana Nullitatis Contractus die 30 Augusti 1788.*

Ex eo etiam, quod huiusmodi ius, veluti inhaerens personae Beneficiati, ac tamquam essentialis pars Beneficii, abdicari non poterat *in Firmana Nullitatis Contractus die 30 Augusti 1788* §. *Idque.*

22. Secus, et deficiente pacto resolutivo, actio ad factum datur, ad implendas obligationes *in Terracinen. et Privernen. Aperitionis Oris die 15 Maii 1802* §. *Remoto* (3).

23. Idcirco, ex inadimplimento Canonicorum, qui defecerunt scamna conficere, non oritur actio rescissoria contractus, sed tantum ad implementum, ut scilicet Canonici Cathedralis tenerentur praestare, quam promiserunt, scamnorum constructionem *in Terracinen. et Privernen. Aperitionis Oris die 15 Maii 1802* §. *Remoto.*

24. In themate vero, cum Vicarius generalis, ad normam Conventionis, praefatis Canonicis praefixerat terminum quatuor mensium, ad effectum petitum, ad conficienda sedilia vulgo *stalli* in choro, quo elapso mandavit sequestrari reditus, ad effectum ut supra, et Canonici provocaverant ad A. C., Beneficiati vero ad summum Pontificem Pium VI, qui - die 18 Septembris 1796, attentis expositis et relatione et voto Vicarii Apostolici, causam de qua in precibus avocavit ad se, perpetuumque silentium imposuit: Beneficiatos autem Oratores absolvit ab onere in actu erectionis imposito adeundi Ecclesiam Cathedralem, ibique officiandi in diebus solemnioribus -: cumque rursum Canonici controversiam excitaverant oblatis precibus summo Pontifici Pio VII, qui benigne remisit preces ad Sacram Congregationem, cum clausula de aperitione oris, proposito dubio: - An sit locus arbitrio pro aperitione oris, ita ut sit servanda fundatio, seu potius sit exequendum Rescriptum in casu etc. -, praelaudata Sacra Congregatio respondit: - Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam - *in Terracinen. Privernen. Aperitionis Oris die 15 Maii 1802.*

25. Neminem inde latet, iniuriarum actione eum teneri, qui ea obiicit, quae bonis moribus improbantur *in Suessana Reintegrationis et Emendationis Damnorum die 8 Iulii 1854* §. *Cum.*

26. Necnon quae ad infamiam et invidiam alteri creandam spectant *in Suessana Reintegrationis et Emendationis Damnorum die 8 Iulii 1854* §. *Cum* (4).

27. Calumniosas autem imputationes dolo malo prolatas fuisse praesumptio est *in Suessana Reintegrationis et Emendationis Damnorum die 8 Iulii 1854* §. *Quin* (5).

28. Iniuriae itaque gravis atrocitatis qualitatem induunt, habita ratione appicti criminis, personarum, tum iniuriam inferentis, cum iniuriam passae, loci, temporis, ac modi *in Suessana Reintegrationis et Emendationis Damnorum die 8 Iulii 1854* §. *Cum* (6).

29. Si quis libello, dato vel Principi vel alii, famam alienam insectatus sit, iniuriarum erit agendum *in Suessana Reintegrationis et Emendationis Damnorum die 8 Iulii 1854* §. *Post haec* (7).

30. Hinc communis est omnium Doctorum opinio, calumniae eum reum se fieri, qui, libellis Principi vel Sanctae Sedi porrectis, fa-

(1) Garz. de benef. part. 2, cap. 1, n. 83 et seqq.

(2) Cap. Ad audientiam, de reb. Eccles. non alienan.; Ferrar. in Biblioth. canon. verb. Alienatio, art. 5, n. 3.

(3) L. 9, ff. de pactis; Rot. in Decis. 149, n. 9, part. 18 Recent.

(4) Communiter Doctores civiles et criminales post Textum in L. 15, ff. de iniuriis; Raynald. sint. rer. crim. cap. 2, §. 8, n. 22; Farinacc. de var. et divers. crim. quaest. 105, n. 15; Matth. de crim. tit. 4, de iniuriis, cap. 1. Nec secus Canonistae, ut Pirrhing. in Ius Canon. lib. 3, tit. 36, de iniuriis.; Schmalzgrueb. eod. tit. n. 1.

(5) Matth. de crimin. tit. de iniur. n. 10; Schmalzgrueb. in Ius Canon. lib. 5, tit. 36, n. 8.

(6) Matth. de crimin. tit. 4, de iniuriis, cap. 1, n. 5; Farinacc. de var. et divers. crim. quaest. 105, n. 196; Menoch. cas. 263, n. 9.

(7) L. Item apud Labeonem, §. Si quis, ff. de iniuriis; L. 1. Cod. de iniuriis et famos. libell. Consonat ius canonicum cap. 2, de Calumniator.

mam aliorum absque causa dilacerant et crimina vel delicta falsa denunciant *in Suessana Reintegrationis et Emendationis Damnorum die 8 Iulii 1854* §. *Post haec* (1).

31. Quin calumniae excusationem Clericus habeat, sive ex eo, quod non in simplici libello denunciatorio Episcopum accusaverit, sed in libello Appellationis, sive ex eo, quod dolus malus et animus iniuriandi ab eo abfuerit *in Suessana Reintegrationis et Emendationis Damnorum die 8 Iulii 1854* §. *Quin.*

32. Nam, ex aperta iuris sanctione: - Iudici ab appellationibus convicium fieri non oportet, alioquin infamia notatur (2): - *in Suessana Reintegrationis et Emendationis Damnorum die 8 Iulii 1854* §. *Quin.*

33. In quam sententiam conveniunt Doctores (3) *in Suessana Reintegrationis et Emendationis Damnorum die 8 Iulii 1854* §. *Quin.*

34. Praesertim, si facti veritas latere non poterat Calumniatorem *in Suessana Reintegrationis et Emendationis Damnorum die 8 Iulii 1854* §. *Quin.*

35. Propterea iure iudicioque agere potuit Episcopus actione iniuriarum et calumniae in Clericum, gravissimisque eum poenis subiicere, quas sacri Canones (4) recensent *in Suessana Reintegrationis et Emendationis Damnorum die 8 Iulii 1854* §. *Ex quibus.*

36. Quum igitur, eius sententia, damnorum emendatio a vero dolo pendeat, cumque in facto redargui de dolo nequeat Episcopus, plane consequitur, actionem de damnis non posse consistere *in Suessana Reintegrationis et Emendationis Damnorum die 8 Iulii 1854* §. *Ad secundum.*

37. Nam traditionali iurisprudentia receptum, ac lege sancitum est in Constit. incipien. *Ad coercendas,* §. 21 Benedicti XIV, haud facile ad damnorum et expensarum emendationem damnandas esse Curias ecclesiasticas, - *bastando indizii per escludere nel Giudice quella vera e propria calunnia, che si ricerca per condannarlo* - *in Suessana Reintegrationis et Emendationis Damnorum die 8 Iulii 1854* §. *Ad secundum.*

38. Quam quidem iurisprudentiam exemplo suo confirmarunt Sacra Congregatio EE. et RR. in Causa Nepesina *di calunnia, violazione di sepolcro etc. sulla emenda de' danni e spese fra la Curia di Nepi e il Parroco Petrucci,* anno 1844 e 1845, nec non Sacra Congregatio in Causa Baren. Renunciationis die 18 Maii anni 1853 exacta *in Suessana Reintegrationis et Emendationis Damnorum die 8 Iulii 1854* §. *Ad secundum.*

39. Quum Episcopus Suessanus vero nullam habuisset causam suspensionis illimitatae in Canonicum Vitali et subtractionis fructuum infligendae; nam in facto erat, quod, ea, quae Canonicus ille in suis libellis exposuerat, veritate niterentur, et in iure notum pariter erat, quod culpa vacat in bona fide ad S. Sedem contra Episcopos pro gravaminibus provocare, Vitalius ab officio et beneficio iniuste suspensus, non solum iure ad reintegrationem potiri ac frui debebat, sed pro emendatione etiam damnorum et expensarum, contra Episcopum damna inferentem, agere poterat (5) *in Suessana Reintegrationis et Emendationis Damnorum die 8 Iulii 1854* §. *Ex parte.*

40. Nam tritissimum cum sit in iure, calumniae crimen haud esse, si quis, ab Inferioribus gravatus, ad Superiores recurrat *in Suessana Reintegrationis et Emendationis Damnorum die 18 Februarii 1854* §. *Potissimum.*

41. Quandoquidem calumniae crimen haud definiendum aliter venit, quam falsum crimen in iudicio scienter et dolose alteri intentum *in Suessana Reintegrationis et Emendationis Damnorum die 18 Februarii 1854* §. *Potissimum* (6).

42. Ita ut haec extrema concurrant oporteat, nempe crimen grave, falsum, scientia, dolus, sedes iudicialis *in Suessana Reintegrationis et Emendationis Damnorum die 18 Februarii 1854* §. *Potissimum.*

(1) De Angelis de delict. et poen. part. 1, cap. 83, n. 18; Caball. cas. 271, n.8; Farinacc. cons. 86, n. 7; nec secus Ursaya Inst. crim. lib. 2, tit. 9, n. 40; Raynald. sint. rer. crim. cap. 11, §. 4, n. 7 etc.

(2) In L. 42, ff. de Iniur. et famos. libell.

(3) Bruneman. in eamdem legem et ad legem 8, ff. de appellat.; Menoch. de arbitr. iud. Cas. 263, de iniuriis atroc. num. 8.

(4) Nimirum in cap. 1 et 2, de Calumn.

(5) Nimirum iuxta Textum in cap. 1, de sent. et reiud.

(6) L. 1 ad S. C. Turpilian.; Leuren. iur. Can. quaest. 61; Phirring. in lib. 5, vers. 1, sect. de accus.

43. Constat autem apud Criminalistas omnes, quod, qui porrigit delatorios libellos Principi, ad effectum iustitiae contra alterum, etiamsi ex integro non verificentur exposita, ab calumniae crimine immunis est *in Suessana Reintegrationis et Emendationis Damnorum die 18 Februarii 1854* §. *Potissimum* (1).

44. Quin opponi valeat Benedictina Constitutio, incipien. *Ad coercendas*. Nam cautum quidem est in hac Constitutione, non facile esse Episcopos, quotiescumque eorum sententiae infirmantur, condemnandos, dum causam puniendi habuerunt, secus vero quoties constet, Episcopos processisse cum aperta iniustitia, sine indiciis, sine culpa, uti ex ipsius Constitutionis contextu patet *in Suessana Reintegrationis et Emendationis Damnorum die 8 Iulii 1854* §. *Ex parte*.

45. Propositis idcirco dubiis: - I. An Canonicus Vitali sit reintegrandus ad Missae celebrationem, et ad omnes sui Canonicatus fructus, comprehensis fallentiis, distributionibus, et eleemosynis Missarum inexpletarum, pro legatis sui Canonicatus, a die suspensionis et subtractionis in casu. II. An sit locus emendationi damnorum in casu -, quamvis pro *reformatione* ac *dilatione* acriter instaret Episcopi Procurator, placuit die 18 Februarii 1854 Eminentissimis Patribus ea excipere ac definire responso: - Ad primum, Affirmative in omnibus, celebratis tamen Missis per Canonicum Vitali. Ad secundum, Affirmative, et ad mentem: Mens est, supplicandum esse Sanctissimo, ut dignetur monere Episcopum, de mitiori usu suae potestatis in posterum - *in Suessana Reintegrationis et Emendationis Damnorum die 8 Iulii 1854* §. *De praesenti*.

46. Repropositis dein dubiis, sub formula: - I. An sit standum, vel recedendum a decisis in primo dubio in casu. II. An sit standum, vel recedendum a decisis in secundo dubio in casu -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, In decisis. Ad secundum, In decisis, quoad damna intrinseca tantum - *in Suessana Reintegrationis et Emendationis Damnorum die 8 Iulii 1854*.

47. Demum, impetrato novae audientiae beneficio, suam Episcopus exhibuit defensionem: at, repropositis dubiis, sub formula: - I. An sit standum, vel recedendnm a decisis in primo dubio in casu etc.

II. An sit standum, vel recedendum a decisis in secundo dubio in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum et secundum, In decisis, et amplius - *in Suessana Reintegrationis et Emendationis Damnorum die 16 Septembris 1854*.

48. Quare tralatitii iuris est, actionem dari de interesse, et expensis litis, deque aliis damnis, contra iniuste excommunicantem et suspendentem *in Suessana Reintegrationis et Emendationis Damnorum die 18 Februarii 1854* §. *Tandem* (2).

49. Multo magis contra Episcopum, qui durioribus poenis Clericum iniuste affecit *in Suessana Reintegrationis et Emendationis Damnorum die 18 Februarii 1854* §. *Tandem* (3).

50. Post haec animadvertendum, quod ex Constitutione Martini V, incipien. *Ad reprimendas*, lata anno 1428, interdictum est rapere ecclesiasticam Personam ad Iudicem laicum *in Tolentinaten. Iurispatronatus die 20 Februarii 1802* §. *Verumtamen* (4).

51. Itaque Contemptor immunitatis ecclesiasticae praeter incursum in censuras causa cadit, ac privatur iure et actione, quam coram Iudice laico deduxit *in Civitatis Castellanae Canonicatus die 21 Novembris 1801* §. *Haec in facto*.

Item *in Tolentinaten. Iurispatronatus die 20 Februarii 1802* §. *Verumtamen*.

52. Haec enim sunt verba Martini V in citata Constitutione: - Singulae Personae ecclesiasticae, quae aliam personam ecclesiasticam ad Forum sive Iudicium Laicale trahere praesumpserit, causam ipsam et omne ius eis competens eo ipso perdant penitus et amittant - *in Civitatis Castellanae Canonicatus die 21 Novembris 1801* §. *Haec in facto*.

53. Hinc ex Martini Constitutione irritatur quidquid contra Personas Ecclesiasticas coram

(1) De Angelis de delict. et poen. part. 1, cap. 8. n. 18; Gabellus resol. crim. n. 371; Guazzin. in Defens. def. 29, cap. 2, n. 29; Farinacc. Cons. crim. lib. 1, Cons. 87, n. 7; Honded. Cons. 112. Quod apud Theologos etiam obtinet, Sotus in lib. de ratione tegendi et detegendi secretum, condit. 53; S. Alphonsus cum D. Thoma Theol. moral. lib. 5, n. 973.

(2) Monet. in lib. 2, quaest. 15, n. 45, de Distribution.

(3) Rota in Decis. 260, part. 12 Recent.

(4) Quam Constitutionem refert Cherubin. in tom. 1, pag. 251.

Iudice Laico gestum est *in Tolentinaten. Iurispatronatus die 20 Februarii 1802* §. *Ideo.*

54. Invalida propterea censenda est iurispatronatus cessio, quam Minor edidit coram Iudice laico, adhibitis iuris communis solemniis *in Tolentinaten. Iurispatronatus die 20 Februarii 1802* §. *Ideo.*

55. Amplia, etsi in actu cessionis approbatio Ordinarii reservata fuerit, quam posthac Vicarius capitularis interposuit *in Tolentinaten. Iurispatronatus die 20 Februarii 1802* §. *Ideo.*

56. Idcirco, proposito dubio:- An et quomodo sit probanda cessio iurispatronatus in casu etc.-, Sacra Congregatio respondit: - Negative - *in Tolentinaten. Iurispatronatus die 20 Martii 1802.*

57. Quare Patronus decidit a quocumque iure sibi quaesito ex fundatione, si illud experiatur coram Iudice laico *in Civitatis Castellanae Canonicatus die 21 Novembris 1801* §. *Haec in facto.*

58. Attamen Constitutio praedicta privat quidem Recurrentes ad Iudices laicos omni iure, sed illud non attribuit Collitiganti, si hic destituitur Canonico titulo *in Civitatis Castellanae Canonicatus die 21 Novembris 1801* §. *Ex quibus* (1).

59. Enimvero iuncto foedere collatisque bonis Fratres Rossetti Io. Antonius ac Petrus, unaque simul Antonius Agostini Parochialem Ecclesiam S. Andreae patrii Oppidi Vallerani in Collegiatam erigi curarunt, quae decem Canoniis et tribus simplicibus Beneficiis constaret. Ius nominandi sibi, quoad viverent, reservarunt Fundatores, quibus obeuntibus, addictum est Capitulo, certis praescriptis legibus, in nominationibus servandis.

60. Post obitum Fundatorum, primum vacavit Canonicatus Fundationis Agostini, per obitum sequutum anno 1799 Canonici Aloisii Agostini. Indicto a Capitulo per publica Edicta concursu, ad vacantem praebendam optarunt Presbiter Ioseph Gregori, qui tunc erat Collegiatae Praepositus, Presbiter Camillus Falaschi, descendens ab una ex Familiis passive contemplatis a Fundatore, et tandem Sacerdotes Franciscus Tiraterra et Rochus Marcucci, qui erant omnino extranei. Habitis Capitularibus Comitiis (in quibus repugnantibus Constitutionibus Synodalibus suffragium tulit Praepositus, licet de sua electione ageretur), maiori suffragiorum calculo nominatus est Presbiter Rochus Marcucci. Aegre id tulit Falaschius, quippe qui ex Familiis praedilectis descendens ceteris se praelatum iri putabat. Quare statuit cum Marcuccio summo iure decertandum. Et primum emissa protestatione, cum clausula: *Nihil transeat* in Curia Episcopali, deinde ad laicum Praetorem Hortae (tunc enim notissima vicissitudine temporum Ecclesiastica Tribunalia silebant) rapuit Marcuccium, eoque semper a iudicio absente impetravit, ut ab eo Iudice nulla et irrita declararetur praesentatio facta a Capitulo.

61. Verum postea, sive conscientiae stimulis percitus, sive admonitionibus Episcopi excitatus, absolutionem a censuris ab eodem Episcopo exoravit. Restituta deinde veteri disciplina, acrior facta est controversia coram Vicario Generali Civitatis Castellanae inter Marcuccium, qui ratam validamque tuebatur suam praesentationem et Falaschium, qui, tamquam ex Familiis praedilectis descendens, praelationem postulabat. Tandem Vicarius Generalis pronunciavit sententiam duobus distinctam Capitibus, quorum primo declaravit, Sacerdotem Camillum Falaschi in irregularitatem incurrisse, et uti inhabilem eidem non competiisse, neque competere institutionem Canonicatus. Ab hac sententia Falaschius reclamavit, oblatis precibus Sacrae Congregationi, quae, proposito dubio: - An et cui sit danda institutio in casu etc. -, responsum dedit: - Negative, et faciendam esse a Capitulo novam electionem, excluso Falaschi, nisi obtineat rehabilitationem et reintegrationem a Sanctissimo - *in Civitatis Castellanae Canonicatus die 21 Novembris 1801.*

62. Scitum praeterea est, usucapione, a legibus introducta in poenam negligentium ius suum, rerum dominium quidem acquiri, et cuncta perimi iura, et actiones *in Forosempronien. Capellaniae die 26 Martii 1831* §. *Ad hanc* (2).

63. At pariter iure sancitum est, praescriptionem contra Ecclesiam dormire toto eo tempore, quo Ecclesia suo destituitur Rectore *in*

(1) Rot. in decis. 253, n. 2, part. 3 Recent.

(2) L. 1, ff. de usucap.; L. 2, de Annal. praescript.; Cap. 4 et 5 de praescript.

Forosempronien. Capellaniae die 26 Martii 1831 §. *Ad hanc* (1).

64. Idcirco Capellania laicalis et ad nutum heredum amovibilis, ab Angelo Vici supremis tabulis anni 1699 fundata, paratam habuit actionem, contra Dominicum Biaschelli, qui eius fundos bona fide emit ac spatio quinque et triginta annorum possedit, cum ab anno 1793 legitima Capellaniae possessione expoliari contigerit Sacerdotem Bonetti, eique nullum postea alium suffecit Patronus *in Forosempronien. Capellaniae die 26 Martii 1831* §. *Ad hanc.*

65. Hieronymus Santini enim patronus fundos Capellaniae proprio marte partim vendiderat et partim in dotem filiae Hortensiae tradiderat *in Forosempronien. Capellaniae die 26 Martii 1831* §. *Angelus.*

66. Propositis vero dubiis: - I. An Capellania Vici sit redintegranda in possessionem praedii *l'Isola* cum finitimis fundis in casu etc.

II. An et quomodo praedium *la Moglie* sit tribuendum Hortensiae Santini in casu etc.

III. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo, pro absolutione ab anteactis omissionibus in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative; solutis, iuxta votum Episcopi (2). Ad secundum, Negative, et Episcopus curet fieri transcriptionem omnium fundorum favore Capellaniae, nec non nominari Capellanum, qui super fructibus praedii *le Moglie* solvat quotannis Oratrici, donec vixerit, scutata duodecim; superextantes vero fructus eiusdem fundi eroget in celebrationem Missarum, ad manualem, facto verbo cum Sanctissimo. Ad tertium, Affirmative, celebratis quatuor Missis sumptibus Hortensiae Santini et Dominici Biaschelli - *in Forosempronien. Capellaniae die 26 Martii 1831.*

67. Secus vero etiam obligationes, quamvis perpetuae sint, ex longissimo temporis spatio, quoad anteriores et potiores, si qui fuerint, Testatoris Creditores, quorum favore eas aliquis assumpsit, resolutae censentur *in Fabrianen. Legati die 14 Martii 1795* §. *Quamvis.*

68. Negligentium enim Creditorum actio legitima extinguitur praescriptione, ex doctrina Baldi (3), spatio scilicet annorum triginta *in Fabrianen. Legati die 14 Martii 1795* §. *Quamvis* (4).

69. Hinc Canonicus olim Nicolaus Quirini legavit anno 1715 Collegiatae S. Nicolai Fabriani scuta 300 in interiorem eius Ecclesiae ornatum. Legatam summam accepit Capitulum per venditionem quorumdam bonorum hereditatis, pro quibus obligationem assumpsit favore Emptoris, de restituendo prioribus et potioribus Creditoribus Legantis. Ne quid vero ex huiusmodi obligatione detrimenti caperet Mensa capitularis, impetravit Capitulum ex Pontificio Rescripto anni 1717 facultatem creandi cum legata pecunia activum censum, qui stare deberet pro evictione bonorum, atque erogandi eius fructus in ornatum Ecclesiae, pro arbitrio tamen et conscientia Episcopi Camerinensis, sub cuius iurisdictione erat Fabrianum. Tamquam Iudex igitur delegatus licentiam dedit Camerinensis Antistes Belluccius conficiendi designatum investimentum, obnoxium obligationi per Oratores factae, de restituendo prioribus et potioribus Creditoribus Canonici Nicolai Quirini benefactoris; mandavitque, ut fructus praefati investimenti, etiam completa summa scutorum 300, semper, perpetuo, et omni tempore erogentur in ornatum Ecclesiae interioris dictae Collegiatae S. Nicolai.

70. Nunquam spatio annorum octoginta evenit assumptae evictionis casus; supererat inde in tot censibus capitale scutorum 220, quin de causa constaret eius decrementi, fructusque hactenus in ornatum Ecclesiae fortasse cesse-

(1) Cap. 1 et 15 de praescript.; ac tradunt Reinfest. in Ius Canon. lib. 2, tit. 26, n. 196; Rot. in Decis. 415, n. 3, part. 2 Recent.

(2) Episcopus autem haec habuit, ut in loc. cit. §. Multa - ibi - Huius fundi *(l'sola)* fructus omnes emptor Biaschelli percepit, et Missas tantum 90 a suae possessionis initio fecit celebrare; idque ob rationem ab ipso allatam, quod nempe eumdem fundum uti liberum, bona fide emerit.... Verum advertendum insuper censeo, quod cum saepe dictus fundus huic Mensae Episcopali vinculo emphyteusis subiiceretur, ac ab huiusmodi vinculo debitis facultatibus liberaverit per solutionem scutatorum quadraginta; hinc in casu vindicationis eiusdem fundi dictam summam scutorum quadraginta a causa pia seu Capella emptori Biaschelli restituendam fore putarem, cum rem utilem per affrancationem idem Causae piae gesserit profecto. Ad restitutionem vero fundi emptorem Biaschelli cogendum fore existimarem, cum de bono iure causae piae constet omnino, neque eius indemnitati aliter consuli potest -.

(3) In Authen. Nisi triennali, n. 1, Cod. de bon. Matern.

(4) Menoch. Cons. 904, n. 54; Petr. de Fideicomm. quaest. 14, n. 150 et seqq.

runt. Quum dein Capitulum novo indigeret organo, pro quo Peritorum iudicio scuta requirebantur circiter 300, supplicarunt idcirco Eminentissimis Patribus, pro facultate erogandi in hanc causam capitale illud, cui addere pollicebantur de proprio deficientem summam. Proposito hinc dubio: - An et quomodo permitti debeat applicatio capitalis Quirini in casu etc.-, Sacra Congregatio responsum tulit: - Affirmative, iuxta preces - *in Fabrianen. Legati die 14 Martii 1795.*

71. Idcirco, attento longissimo annorum spatio transacto, nil obstitit difficultas illa, qua permitti non deberet distractio Capitalis obligati, pro evictione bonorum Quirini *in Fabrianen. Legati die 14 Martii 1795.*

72. Praeterea et actio de laesione, triginta vel summum quadraginta annis, praescribitur *in Anagnina Vicarii Curati die 7 Iunii 1834* §. *Hinc* (1).

73. Demum actio poenarum, contra Raptores indictarum, spatio annorum viginti, de iure praescribitur *in Olomucen. Nullitatis Matrimonii die 29 Iulii 1769* §. *Demum* (2).

§. II.

ACTIO HYPOTHECARIA.

1. Actio hypotecaria consistere nequit, sine inscriptione *in Camerinen. Transactionis die 2 Martii 1833* §. *Possent.*

2. Hinc ea forte inutilis est, facta dudum transcriptione *in Camerinen. Transactionis die 2 Martii 1838* §. *Possent* (3).

3. Lex autem edictalis, quam apposite tulit Pius VIII die 8 Ianuarii 1830 art. 1, ita fecit Causis piis inscribendi potestatem, ut inscriptio percelleret eos tantummodo fundos, qui manerent adhuc penes obligatum *in Camerinen. Transactionis die 2 Martii 1833* §. *Quo vero* (4).

4. Cum igitur bona non extent penes obligatum, iam quivis esset Pii relicti Curator vel Administrator ab ipsa lege repelleretur, si inscriberet hypothecam super bonis, existentibus apud tertios Possessores *in Camerinen. Transactionis die 2 Martii 1833* §. *Quo vero.*

5. Propterea, cum lis plena periculosae aleae agi deberet de recuperandis uti addictis vel assignatis Capellaniae bonis, quae Patroni fere omnia divenderant, Sacra Congregatio transactionem probavit, ut melius quam fieri posset Causae piae prospiceretur *in Camerinen. Transactionis die 2 Martii 1833.*

6. Siquidem, conscriptis tabulis donationis inter vivos anno 1669 die 22 Martii, Sacerdos Gregorius Giachesius duos census et nonnulla praedia ea lege transtulit in Iulium, Nicolaum, Dominicum, et Venantium Stefanellios, ut post obitum Donatoris laicalem erigerent Capellaniam, cum onere Missarum centum in annos singulos, ac praeterea unius Missae solemnis die festo S. Gregorii. Mox tamen ineunte anno 1702 quum Donator esset adhuc in humanis, eam legem aliquantulum temperavit. Quippe onus celebrationis Missarum centum anno quolibet reduxit et modificavit ad solas Missas sexaginta.

7. Quod quidem Missarum onus religiosissime impletum est, quoad usque vixit Antonius Stefanellius, nempe ad annum 1810. Hic tamen vetuit, ne in posterum impleretur. Nam bona fere omnia, quae donator transtulit in Stefanellios, alienavit. Quare Carolus et Iosephus ex eadem gente illius Nepotes, suspensa Missarum celebratione, iudicio egerunt contra extraneos Possessores, de bonis iis recuperandis. Egerunt autem prae primis contra Alexium Pagnotta apud Vicarium Archiepiscopi Camerinensis. Sed utrinque placuit litem transactione unica dirimere; nimirum, praeter alia, quae iura Patronorum respiciebant, praefatus

(1) Antonell. de temp. leg. cap. 87, n. 1.

(2) Farinacc. in Prax. crimin. tom. 1, quaest. 1, n. 68; et quaest. 10, n. 1, 3 et 4.

(3) Quandoquidem: - Non si può permettere (ita Lex edictalis diei 8 Ianuarii 1830 per le iscrizioni ipotecarie de' pii Legati e delle Cause pie art. 1.) che sia violata la fede publica, e che si ledano i diritti dei terzi; o siano Acquirenti, o siano Creditori inscritti -.

(4) Loc. cit. - ibi - Si accorda, che senza pregiudizo delle altre ipoteche anteriormente inscritte, si possa inscrivere una ipoteca generale sopra i fondi esistenti presso la persona obbligata all'adempimento -.

Pagnotta emptor adsignare deberet pro dote Capellaniae fundum, qui annui oneris vim excederet. Verum Eminentissimus Causae Relator addendum putavit, ut pro praeteritis omissionibus, nempe ab anno 1826 ad illam diem, Stefanelli Oratores celebrare facerent una vice Missas centum.

8. Propositis hinc dubiis: - I. An et quomodo sit supplicandum Sanctissimo, pro approbatione transactionis in casu etc. II. An et quomodo sit eidem Sanctissimo supplicandum, pro absolutione a praeteritis omissionibus in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum et secundum, Affirmative in omnibus, iuxta votum Eminentissimi Relatoris - *in Camerinen. Transactionis die 2 Martii 1833.*

9. Haec enim transactio non modo utillima fuit, sed etiam necessaria *in Camerinen. Transactionis die 2 Martii 1833* §. *Ex quibus.*

10. Necessaria quidem: cum enim Causa pia pro implemento Missarum nullam valeret inscribere et exercere hypothecam, contra bona donata Stefanelliis, tum ius istud hypothecarium, ex concordia inita, recuperavit *in Camerinen. Transactionis die 2 Martii 1833* §. *Ex quibus.*

11. Ex eo etiam, quod neque fas esset hypothecam deperditam recuperare, nisi ope concordiae distractus fundus - *il Colle* - Missarum oneri ab emptore Pagnotta in perpetuum subiiceretur *in Camerinen. Transactionis die 2 Martii 1833* §. *Ex quibus.*

12. Ceterum, antequam Sacra Congregatio praefatam transactionem probasset, mandavit Archiepiscopo Camerinensi, ut referret, a quo tempore peracta fuerit venditio bonorum Capellaniae et cuius favore; an, ex quo hypothecarium regimen invectum fuit, unquam capta fuit transcriptio bonorum favore Capellaniae, vel Emptor curaverit bonorum transcriptionem, de tempore inadimplementi Missarum *in Camerinen. Transactionis die 2 Martii 1833* §. *Acceptis.*

13. Et mandatis istis satisfecit praelaudatus Archiepiscopus, referens, praedia quatuor - *il Colle, Sotto le mura, Vallericciuta, Perillo* - alienata fuisse, et ab Alexio, ac Ioanne Vincentio Pagnotta, itemque a Thoma Toronio, iusto titulo emptionis aut permutationis possideri; emptionem praedii - *il Colle* - fuisse factam anno 1810, et curasse Emptorem, ut emptionis tabulae transcriberentur; emptiones et venditiones ceteras nondum esse transcriptas, quia, cum factae fuerint annis 1791, 1792, 1801 Emptores forte putarunt, novas leges de transcriptionibus ad contractus iamdiu perfectos non esse porrigendas *in Camerinen. Transactionis die 2 Martii 1833* §. *Rogationibus.*

14. Secus enim Sacra Congregatio nunquam permittit, ut fundi Capellaniae ab onere hypothecae solvantur *in Ianuen. Capellaniae Reductionis et Absolutionis die 19 Maii 1832* §. *Sed illud.*

15. Praesertim, si Oratores, pro vinculo hypothecario, obligationem personalem substituere expostulent, ad onera Capellaniae adnexa implenda *in Ianuen. Capellaniae Reductionis et Absolutionis die 19 Maii 1832* §. *Sed illud.*

16. Iamvero Sebastianus Samengo Ianuensis die 28 Augusti 1784 ultimum condidit voluntatis suae elogium, quo heredem instituit universalem Blancham Biggieri uxorem suam, et fundos annui reditus 300 libellarum, pro Capellania erigenda, cum onere Capellani celebrandi Missam quotidianam in perpetuum, assignavit. Post Augustini Samengo mortem constabat, annuam libellarum 300 solutionem ab universali illius herede Vidua Biggieri ad annum usque 1802, iuxta Fundatoris dispositionem ac facultatem eidem tributam, accurate expletam fuisse. Eo autem tempore, quum in deterius iam abiissent praesignati fundi, nec proinde ferendo annuo libellarum 300 oneri pares amplius esse possent, Vidua Biggieri tantis ceterorum etiam bonorum iacturis pressa est, ut, solemnibus instrumenti tabulis die 30 Novembris 1802 exaratis, Capellaniae iuspatronatus cesserit Ioanni Baptistae Celle genero suo, qui hypothecario vinculo pro ipsa Capellania obstrinxit directum dominium septem fundorum annui reditus 323 libellarum, cum obligatione perpetua praestandi fundum fructiferum, qui ferre posset reditus 300 libellarum, ad Capellaniae onera implenda.

17. His actis, Vidua Samengo Biggieri anno 1805 intestata decessit, cuius hereditas, postquam ad Catharinam unicam eius filiam, et Ioannis Baptistae Celle uxorem devoluta fuit, factum est anno 1809, ut Ianuensis Vicarius Generalis, ab iisdem Coniugibus Celle rogatus, ita ad rem decreverit: - Praevia liberatione ab onere imposito, super fundis ab Augustino

Samengo designatis, pro adimplemento citati legati, successive onera praedicta transferimus super omnibus et singulis bonis per dictum Ioannem Baptistam Celle assignatis in instrumento sub die 30 Novembris 1802, eaque pro dote seu patrimonio Capellaniae vinculata decernentes, ad cautelam nostrae ordinariae auctoritatis robur adiicimus. - Ita scilicet, alienatis illico fundis, a praefato Samengo designatis, ea etiam bona distrahi subinde cepta sunt, quae in dotem Capellaniae Ioannes Baptista Celle ex recensito instrumento obligaverat; cumque superextantes reditus persolvendis Capellaniae oneribus haud amplius sufficerent, compertum est, dimidiam tantummodo eorumdem onerum partem, ipso etiam oretenus annuente Emo Cardinali Spinula tunc Episcopo Ianuensi, ab anno 1806 ad annum 1816 fuisse adimpletam.

18. Vertente anno 1827 e vivis excessit Ioannes Baptista Celle, qui iamdiu a die 19 Augusti 1822 uxorem suam Catharinam in heredem universalem testamento scripserat, quae testamento diei 27 Iunii 1828 suum heredem universalem nominavit Marchionem Cattaneo, cum obligatione solvendi 400, non vero 300 libellas, pro Capellaniae oneribus satisfaciendis. Is vero praeter Missarum reductionem expostulavit, ut omni erga Capellaniam onere solvantur fundi, quot adhuc supererant publicis instrumenti tabulis anno 1802 confectis a Ioanne Baptista Celle hypothecario vinculo subiecti, cum obligatione tamen personali ac perpetua solvendi 400 libellas.

19. At merito perpensum est, non modo Oratoris votis non esse annuendum, sed praecipiendum potius, ut, si fundi, de quibus agebatur, iam a Ioanne Baptista Celle hypothecae subiecti, minime sufficerent, ad omnimodam Capellaniae securitatem, pro annua libellarum 400 praestatione, ipsa tunc hereditaria bona Catharinae viduae Celle, quatenus existerent, et quatenus opus esset, peculiari ad id inscriptione obstringerentur *in Ianuen. Capellaniae Reductionis et Absolutionis die 19 Maii 1832 §. Sed illud.*

20. Etenim ea Mulier suo quidem testamento iussit, Capellaniae onera ad formam fundationis impleri, atque annuas insuper ex se praescripsit centum libellas, pro novis aliquot oneribus, Capellano suppeditandas *in Ianuen. Capellaniae Reductionis et Absolutionis die 19 Maii 1832 §. Sed illud.*

21. Propositis idcirco dubiis: - II. An hypothecae vinculo solvendi sint fundi a Ioanne Baptista Celle obligati in casu etc. -, S. Congregatio responsum tulit: - Ad secundum, Affirmative, subrogato tamen a Patrono idoneo fundo, pro summa libellarum quatuor centum, libero et immuni ab omni onere, et Ordinarius curet, capi inscriptionem hypothecariam - *in Ianuen. Capellaniae Reductionis et Absolutionis die 19 Maii 1832.*

22. Porro nihil fuit unquam antiquius Sacrae Congregationi, et nihil in quotidiana eiusdem praxi frequentius occurrit, quam ut Beneficiorum Capellaniarumque Rectores et Episcopi, hypothecariam inscriptionem, super obligatis fundis capiendam, curarent *in Ianuen. Capellaniae Reductionis et Absolutionis die 19 Maii 1832 §. Sed illud.*

Item *in Ferrarien. Exequutionis Rescripti alienationis bonorum et Solutionis die 29 Iulii 1848 §. Porro.*

23. Quin imo Sacra Congregatio inscriptionem hypothecariam eo etiam in casu faciendam esse demandavit, cum de dote Oratorii et existentia obligationis Missarum dubium moveretur *in Lunen. Sarzanen. Reductionis die 17 Septembris 1831.*

24. Siquidem Hyacinthus Paita ex Bastremoli Sarzanensis Diaecesis Oppido quoddam possidebat praedium, cui nomen *Ronco,* intra limites Paraeciae Marinasco positum. Publicum huic praedio inest Oratorium Sanctissimae Trinitati dicatum, cuius in superliminare graphice descriptum legebatur onus Missarum duarum supra septuaginta, statis quibusdam diebus celebrandarum. Nullum quidem huius oneris datum erat reperire monumentum; quaedam tamen incessit fama, memoratum praedium legato Missarum esse affectum, easque ad annum 1810 fuisse celebratas. Quamquam res in tanta versaretur ambiguitate, nihilominus Hyacinthus sui muneris esse putavit, quorumdam Sacrorum superioribus annis curare satisfactionem: at quoniam annui praedii reditus impares erant cunctis implendis Missarum oneribus, ac perferendis Oratorii divinique cultus impendiis, supplex adiit Sacram Congregationem postulavitque, ut nedum absolutio pro praeteritis omissionibus sibi impertiretur, sed etiam,

ut Sacrorum onera ad annuas Missas viginti in aevum cohiberentur, et ad Ecclesiam Parochialem Bastremoli quarto circiter ab Oratorio dissitam lapide, perpetuo transferrentur.

25. Oblatas preces veritati consonas testatus est Episcopus, de informatione et voto rogatus, dum inquit: - Nihil omnino constat, quoad fundationem Oratorii, nihil quoad eius dotationem, si quod in dictis precibus exponitur, excipiatur; creditur tamen, dotalem fundum dicti Oratorii illum esse, intra cuius idem Oratorium situm est. Quod autem respicit adimplementum in praeterito Capellaniae, de qua hic agitur, suppositionibus magis, quam probationibus evincitur.

26. Magnus patruus Oratoris erat Presbiter, et in Oratorio supra memorato Sacrum faciebat, ac satisfecisse oneribus eidem Oratorio adnexis per consequens praesumendum est. Ipso defuncto, constat, eadem onera complevisse usque ad annum 1802 Tutores Dominici Paita, Patris Oratoris. Tutela finita, supponitur de dicto, probari tamen haud potest, ipsum Dominicum eisdem oneribus implementum dedisse usque ad annum 1810, quo mortuus est. Post eius obitum de Oratoris mandato nonnullae identidem Missae, pro memoratae Capellaniae gravamine, celebratae sunt, quae respondere possunt, ut ipse ait, adimplemento annorum circiter sex. Rebus ita stantibus inadimpletae omnino remanent adhuc Missae annorum circiter sexdecim.

27. Propositis itaque dubiis: - I. An et quomodo sit locus reductioni Missarum in casu etc.

II. An et ad quam Ecclesiam sit transferenda carum celebratio in casu etc.

III. An et quomodo sit tribuenda absolutio, pro praeteritis omissionibus in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum secundum et tertium, Dilata, et scribatur Episcopo, ad mentem: Mens est, ut agat cum Oratore, ad effectum suadendi existentiam obligationis Missarum, super fundo *Ronco*, nec non curet, fieri inscriptionem hypothecariam, super eodem fundo, et de resultantibus referat, ut inde decerni possit, de petita Missarum reductione et translatione, proviso, ne interim detrimentum patiatur Oratorii manutentio - *in Lunen. Sarzanen. Reductionis die 3 Decembris 1831.*

28. Quare Hyacinthus Orator haud certis probationibus evinci frustra autumavit, tam onus Missarum a possessore fundi esse implendum, quam fundum *Ronco* dotem Oratorii constituere; ex eo, quod quae habebantur coniecturae potius incerti rumoris, quam probationis merebantur nomen, ac propterea prorsus despiciendae *in Lunen. Sarzanen. Reductionis die 17 Septembris 1831* §. *Verum.*

29. Idcirco Legata inter nomina hypothecaria esse recensenda, ex eo perspicue colligitur, quod Legatariis non modo personalem, sed et hypothecariam actionem praestent iura *in Romana Legati Pii die 17 Iunii 1826* §. *Annuas* (1).

30. Hinc actione hypothecaria legali gaudet Causa pia, utpote legataria adversus heredes, atque etiam tertios possessores *in Nullius Leprignani Legatorum 7 Aprilis 1781* §. *Perpendendum.*

Item *in Tarentina Reductionis Missarum die 30 Iulii 1831* §. *Verum; in Reatina Capellaniae die 24 Martii 1832* §. *Sed* (2).

31. Nam legata annua et perpetua, onera consentur realia indicta bonis, eorumque fructibus *in Nullius Leprignani Legatorum die 7 Aprilis 1781* §. *Perpendendum.*

Item *in Tarentina Reductionis Missarum die 30 Iulii 1831* §. *Verum; in Reatina Capellaniae die 24 Martii 1832* §. *Sed* (3).

32. Adeo ut rem ipsam sequi debeat *in Reatina Capellaniae die 24 Martii 1832* §. *Sed* (4).

33. Quin ulla idcirco patrimonii divisio possit unquam extinguere ius agendi, contra bona obligata penes quoscumque existant *in Reatina Capellaniae die 24 Martii 1832* §. *Sed* (5).

34. His tamen datur actio adversus cedentem, aut venditorem, pro liberatione a mole-

(1) L. 1 Cod. de Legat.; Rot. in Romana delectionis hypothecae 3 Aprilis 1818, §. 6, coram Isoard.

(2) Gomez. Var. Resol. §. 1, n. 7, tom. 12; Mantic. de tacit. lib. 11, tit. 17, n. 5.

(3) L. 1 Cod. de legat.; Bart. in Lege Caius prope fin. ff. de ann. legat.; Rot. in decis. 1, n. 8 et 9, de legat.; in decis. 7, n. 2, de reb. cred., coram Falconerio.

(4) Felin. in cap. Ad audientiam claus. 2, col. 6, de Rescript.; Rot. de solution. Decis. 299, n. 1, coram Crescentio.

(5) Rot. in Romana Supplementi legitimae 18 Maii 1640 §. Minusque, coram Cerro; in Decis. 227, n. 33, part. 8; in Decis. 331, n. 7, part. 14 Recent.

stiis et refectione damnorum *in Tarentina Reductionis Missarum die 30 Iulii 1831 §. Verum* (1).

35. Siquidem Marchionissa Helena Castriota anno 1705 ultimum condidit voluntatis suae elogium, atque ex bonis ac iuribus feudi S. Marzani Maioratum a Nepotibus ex Fratre fruendum instituit. Extinctis Nepotum suorum lineis, Neptes earumque Descendentes ex aetatis ordine vocavit, masculis prae feminis tributa praelatione. Quibusdam vero oneribus Maioratus Possessores obstrictos voluit, atque in primis, ut diem festum S. Ianuarii in Ecclesia Dynastae palatio attigua quotannis celebrare, ac duorum Sacrorum celebrationem in Parochiali S. Marzani templo singulis hebdomadibus curare tenerentur. Hisce addidit quadringentas Missas, nulla designata Ecclesia, in sui suaeque Familiae expiationem quolibet anno litandas: ubi autem Neptes earumque lineas Maioratus bonis frui contigisset, alia quadringenta Sacrificia singulis annis offerri iussit.

36. Castriotae Nepotes quum sine prole brevi temporis spatio decessissent, Maioratus bonis ac iuribus perfrui ceperunt Neptes, earumque Descendentes modo Masculi modo Feminae, prout iusserat lex testamentaria, quin tamen lites super praelatione inter Consanguineas aliquando non exarserint. Hoc incunte seculo Maioratus compendio gaudebat nobilis femina Teurisani, in eamque litem movit Paschalis Bonelli, ex tertia Testatricis Nepte Masculus descendens. Interea factum est, ut, Neapolitano Regno ab exteris Copiis occupato, fideicommissorum vincula dissolverentur, et feudalia iura abrogarentur. Quocirca nedum Castriotae Maioratus evanuit, sed insuper eius census valde decrevit. Castriotae bonis ita imminutis, aliisque a Paschali perlatis calamitatibus, adeo ipse aere alieno opprimi cepit, ut eidem Creditores carcerem minitarentur. Obaerati Paschalis miseratus eius Frater minor natu, cui nomen Ioseph, S. Marzani feudum seu Maioratus bona anno 1814 emit, eodem convento pretio, quo praedia anno 1806 aestimata fuerant, et adiecta lege dimittendi nomina, quibus Frater premebatur, quaeque valorem fundorum excedebant ducatis ferme 3000. Neque hic sumptibus modus; cum enim Templum S. Ianuario sacrum iam fatisceret, ad illud reficiendum, et suppellectili ornandum Ioseph contulit ducata quadringenta quinquaginta.

37. Dein Marchio Ioseph vetera suae Familiae monumenta evolvens, facile intellexit, bona a Fratre empta, ex Castriotae voluntate, supramemorato obstringi piorum legatorum onere. Rei novitate commotus, illico suspicatus est, Feudi Dominos pluribus annis pii Legati satisfactionem omisisse, quippe quod ex hominum memoria exciderat, ac nulla de eo in emptionis venditionis tabulis facta fuerat mentio, nec quidquam eius nomine, ex convento pretio, detractum. Supplicem hinc Ioseph Sacrae Congregationi porrexit libellum, quo nedum absolutionem a praeteritis omissionibus, sed etiam reductionem pro futuris temporibus efflagitavit. Atque ut voti compos facilius redderetur, se paratum exhibuit, ad instituendam in praefata Ecclesia S. Ianuarii Capellam, cui traderet fundum, a quovis vinculo et obligatione immunem, atque annui reditus ducatorum sexaginta, ea sub lege, ut Capellaniae Rector ibidem quotidie Sacrum faceret, pro animabus Familiae, tam Oratoris, quam Helenae Castriotae.

38. Itaque propositis dubiis: - I. An et quomodo sit concedenda Missarum reductio in casu etc.

II. An et quomodo sit supplicandum Sanctissimo, pro absolutione a praeteritis omissionibus in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative, ad Capellaniam quotidianam, iuxta preces cum congrua dote, comprehensis etiam utensilibus, ab Archiepiscopo praefinienda, transcripto fundo assignando, et idem Archiepiscopus moneat ceteros bonorum Detentores, ut consulant conscientiae suae. Ad secundum, Affirmative, pro rata ad Oratorem spectante, celebratis quinque Missis - *in Tarentina Reductionis Missarum die 27 Augusti 1831.*

39. Insuper actio hypothecaria eiusmodi est, ut ad tempus obitus Testatoris retrotrahatur *in Reatina Capellaniae die 24 Martii 1832 §. Sed* (2).

40. Et ex hypothecaria actione Coheredes tenentur in solidum, quatenus quisque possideat

(1) Rota in Recinelen. Evictionis 14 Iunii 1626, §. Impulit, coram Millino; et Decis. 173, n. 8, coram Ratto.

(2) Arg. ex Leg. Si is, qui pro emptore, ff. de usucap.; Card. De Luc. de cred. disc. 36, n. 15; Rot. in Decis. 269, n. 2, part. 6 Recent.

in Reatina Capellaniae die 24 Martii 1832 §. *Sed* (1).

41. Palamque est, divisionem inter Fratres aut Sorores coheredes factam, nec Creditoribus obesse, nec solidales obligationes perimere posse *in Reatina Capellaniae die 24 Martii 1832* §. *Sed* (2).

42. Ceterum nefas est Heredi, naturam atterere dispositionis, quam sibi ab Auctore suo traditam, testamentariis tabulis, acceperit *in Reatina Capellaniae die 24 Martii 1832* §. *Sed* (3).

43. Ac propterea, ubi Testator non legaverit speciem seu certum fundum, nec iusserit fundum ab Herede tradi, certe ex facta assignatione aut traditione fundi non omni onere eximitur Heres, qui, si traditus fundus minuatur, supplere cogitur quidquid Legati implemento deest *in Romana Reductionis die 20 Iunii 1818* §. *Nam.*

Item *in Reatina Capellaniae die 24 Martii 1832* §. *Sed* (4).

44. Nec aliter dicendum videtur in casu, quo ex iniussa et intempestiva patrimonii divisione citius, quam par erat, et adversus Testatoris mentem assignata fuit Capellaniae dos, penes utrumque Heredem inter binas partes divisa *in Reatina Capellaniae die 24 Martii 1832* §. *Sed.*

45. Hinc, si dotis pars apud unum ex Coheredibus perierit, eam profecto alter Heres, praeter suam eiusdem dotis partem, cogitur subrogare *in Reatina Capellaniae die 24 Martii 1832* §. *Sed.*

46. Haud enim concedenda Legati reductio, ubi adsit ad supplendum obligatus *in Reatina Capellaniae die 24 Martii 1832* §. *Sed illud.*

47. Atque ita, ut Heres, dum qualitatem retinet hereditariam, non modo ex bonis hereditatis, sed ex suis etiam fortunis, pro Legato obstrictus videtur *in Reatina Capellaniae die 24 Martii 1832* §. *Sed.*

48. Deficiente enim inventario, non excusatur Heres ex insufficientia hereditatis, ac integrum praestare tenetur Legatum *in Ianuen. Legati die 24 Novembris 1787* §. *Sedulo.*

49. Id siquidem saepe saepius statuit Sacra Congregatio, praesertim *in Camerinen. Subsidii Dotalis 27 Iunii 1761 ad II dubium.*

Item *in Burgen. Reductionis 15 martii 1777; in Ianuen. Legati die 15 Decembris 1787.*

50. Alias vero dicendum esse videtur, cum absurdum sit, ut ex proprio asse obstringatur Coheres, ad complendam Capellaniae dotationem *in Reatina Capellaniae die 24 Martii 1832* §. *Verumtamen.*

51. Neminem quippe latet, Legata et debita ultra vires hereditarias non esse solvenda *in Ravennaten. Cessationis Legati die 15 Decembris 1759* §. *Contendit.*

Item *in Reatina Capellaniae die 24 Martii 1832* §. *Verumtamen* (5).

52. Praesertim, dum hereditas consensione et auctoritate Ordinarii inter binas hereditates divisa fuit; tunc enim haec pro dividentibus fuisse distincta fingitur *in Reatina Capellaniae die 24 Martii 1832* §. *Sacerdos* (6).

53. Atque omnis proinde obligatio non in solidum, sed divisa esse praesumitur *in Reatina Capellaniae die 24 Martii 1832* §. *Sacerdos* (7).

54. Exploratissimi autem iuris est, unumquemque ex Contrahentibus pro virili teneri, ubi solidalis defuerit expressa obligatio *in Reatina Capellaniae die 24 Martii 1832* §. *Sacerdos* (8).

55. Ac debita hereditaria, ubi plures adsint Heredes, omnibus aequaliter tribuenda sunt, nisi, ratione divisionis vel alterius contractus, uni plus, quam alteri assignatum pateat *in Rea-*

(1) L. Actio 2, Cod. Si unus ex pluribus hered.; Gratiam. discept. foren. cap. 16, n. 10; Rot. in Decis. 785, n. 10, coram Buratt.; in Bononien. 1826, n. 5, coram Isoard.

(2) Menoch. Consil. 410, n. 42; Castr. Cons. 243, §. Quod autem, lib. 1; Rot. in Decis. 246, n. 10 et 11, part. 6; in Decis. 65, n. 5, part. 10 Recent.

(3) Arg. can. Ultima voluntas, Caus. 13, quaest. 2; et L. 1 in fin. Cod. de sacros. Eccles. Fargn. de iurepatronat. part. 1, Can. 6, Cas. 2, n. 11.

(4) Benedict. XIV De Synod. diaeces. lib. 13, cap. ult. n. 33.

(5) L. fin. §. Etsi praefatam, Cod. de iur. delib.

(6) Peregrin. De fideicomm. art. 52, n. 18 et 53; Card. De Luc. De fideicomm. disc. 75, n. 6.

(7) Arg. L. Reos §. cum tabulas, ff. de duobus Reis.; Zacch. de obbligat. Camer. quaest. 32, n. 18; Card. De Luc. de dote disc. 86, n. 4.

(8) Rot. in Perusina pecuniaria 13 Aprilis 1736, n. 48, coram Crescentio.

tina Capellaniae die 24 Martii 1832 §. *Sacerdos* (1).

56. Hinc Coheredes non possunt in solidum condemnari, sed pro rata Hereditaria *in Reatina Capellaniae die 24 Martii 1832* §. *Sacerdos* (2).

57. Quia nempe ad solvendum Hereditatis debitum, quale est controversa Capellaniae dotatio, singuli Heredes pro virili tenentur *in Ianuen. Capellaniarum die 16 Martii 1793* §. *Prae.*

Item *in Reatina Capellaniae die 24 Martii 1832* §. *Sacerdos* (3).

58. Nec, nisi pro Hereditatis parte, qua quis singulatim Heres est, unusquisque Coheredum obstringitur, dum pro aliis partibus, quilibet Coheres habetur, pro extraneo *in Reatina Capellaniae die 24 Martii 1832* §. *Sacerdos* (4).

59. Ipso siquidem iure, actiones Hereditariae activae et passivae inter Heredes scinduntur *in Reatina Capellaniae die 24 Martii 1832* §. *Sacerdos* (5).

60. Atque hinc, si unus ex Heredibus fiat non solvendo, non tenetur Coheres, pro rata alterius Coheredis, respondere *in Reatina Capellaniae die 24 Martii 1832* §. *Sacerdos* (6).

61. Verum in casu, quo Heres, facta iam rite divisionis Hereditate, illico non cogit Coheredem ad praestandam partem sibi debitam, pro Capellaniae erectione, integram Capellaniae dotem super fundis Hereditariis assignare tenetur, si alter bonis divenditis ad inopiam vergit, reservato tamen ei ius agendi contra Coheredem *in Reatina Capellaniae die 24 Martii 1832.*

62. Quandoquidem Sacerdos Bernardinus Camisciotti, ex Oppido Rivodutri Reatinae Diaecesis, ultimo, quo decessit, elogio diei 5 Novembris 1757, perpetuum fideicommissum agnatitium instituit, pro Familia sua, suorumque omnium bonorum usufructuarios Heredes scripsit Ioannem fratrem suum eiusque Filios, qui iam in luce editi fuerant. Quod si extinctio aliquando contigisset lineae agnatitiae, iussit, postremam Feminam agnationis Familiae Camisciotti succedere debere in Hereditatem praedicti fideicommissi, cum obligatione assignandi fundum, pro dote Capellaniae erigendae et nominandi Capellanum, ex praefata Familia Camisciotti. Ex Filiis Ioannis Camisciotti duo tantummodo superstites fuerunt, nempe Marcus, qui Ecclesiasticam militiam sequutus presbiterali ordine ornatus vixit, et Lelius, qui Uxorem duxit, ac duas reliquit Filias Dorotheam et Luciam, quarum prima Laurentio Niccolò, altera Ioachino Onofri nupsit. Porro post Lelii fratris obitum Sacerdos Marcus Camisciotti sub mense Martio anni 1797 omnia paternae ac maternae Hereditatis bona, nec non fideicommissi usumfructum, solemnibus obsignatis tabulis, favore utriusque Neptis abdicavit.

63. Hinc Sorores Camisciotti quum vellent omnem huiusmodi assem aeque partitione inter se dispescere, eo fuerunt consilio, ut prius ex patrui Bernardini Hereditate tot bona stabilia separentur, quot annuum scutatorum triginta fructum, pro Capellaniae dote, ab ipso Testatore praescriptum, gignere possent. Id ut rite fieret, a Praesule Xaverio Marini, Episcopo Reatino, Vicarius foraneus Oppidi Morro deputatus fuit, qui propositae bonorum segregationi praeesset, ac deinde rationem redderet Ordinario. Sic itaque Hereditas Camisciotti, publicis exaratis tabulis, die 12 Novembris 1797 aequaliter divisa est, cum conditione tamen, quod et expensae pro Capellania erigenda aequaliter fierent.

64. His actis, donec erigendae Capellaniae tempus a Fundatoris voluntate praescriptum advenisset, Episcopus Marini annuit, ut Sorores Camisciotti pergerent adhuc illam retinere bonorum partem, quam ex hereditatis partitione pro Capellaniae dote unaquaeque iam adsignaverat. At post aliquot annorum intervallum,

(1) L. In exequntione 85, ff. de verb. oblig.; Surd. Consil. 415, n. 13 et seqq.; Bart. theor. in Leg. Avus neptis 35, ff. de pact.; Rot. in Decis. 140, n. 7, part. 17 Recent.

(2) L. Pro hereditariis, Cod. de hered. action.; Rot. in Decis. 278, n. 2, part. 6 Recent.

(3) Arg. L. Si fundum sub conditione 81, §. Si libertus, ff. de legat. 1; Voet in pandect. lib. 32, tit. unic., de legat. et fideicomm. §. 13.

(4) Xammar. rer. iud. part. 2, definit. 64, n. 1 et seqq.; Surd. Decis. 90, n. 2, Vers. Et ratio; Constantin. Vot, Decis. vot. 151, n. 5.

(5) L. 1. Cod. de ann. et trib.; Otter miscell. iuris disput. 24, n. 3; Andreol. controv. 209, n. 1 et seqq.; Rot. in Decis. 430, n. 1, coram Merlin.

(6) Arg. L. fin. Cod. de Deposit. L. 3 in fin. ff. de alim. et cibar. legat.; Rot. in Decis. 296, n. 1, part. 7 Recent.

ubi Dorothea Camisciotti Niccolò supremum obiit diem, eiusdem Filius Sacerdos nomine Marcus, et Paulus Onofri Luciae alterius Sororis Camisciotti filius, de Magni Avunculi Hereditate secum acriter dimicare ceperunt. Vicarius Generalis Reatinus die 27 Iulii 1819 inter cetera decrevit, ex dictis bonis Hereditariis assignanda fore et esse tot stabilia, pro dote dictae Capellaniae, per Peritos aestimanda, quorum fructus quotannis libere summam scutorum triginta conficerent: atque Partibus terminum quatuor mensium praescripsit. Interim, cum Episcopus Ascensi Reatinam Sedem teneret, sedulam quidem operam dedit, ut qualiscumque futurus esset exitus quaestionis, iam ferventis in Tribunali S. Rotae, super praetensa immissione in possessionem portionis Hereditatis possessae per reverendum D. Marcum Niccolò, iam tum Sacerdos Marcus Niccolò et Paulus Onofri suam quisque bonorum partem pro dote Capellaniae assignatam ad eiusdem perficiendam erectionem rite conferrent. Nihilominus suprema Bernardini Camisciotti voluntas nullo adhuc modo expleri potuit, praesertim quia Paulus Onofri maiori in dies rei familiaris angustia adeo laborare visus est, ut bona etiam ex parte sua, pro dimidia Capellaniae Dote obstricta, arbitrio suo alienavit.

65. Quum igitur Episcopus cogere vellet Sacerdotem Marcum Niccolò, ut fundum pro integra Capellaniae dote praestaret, supplex adiit Sacram Congregationem, ne in solidum tanto onere gravaretur. At proposito dubio: - An et in qua summa teneatur Sacerdos Niccolò dotem Capellaniae constituere in casu. -, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative in omnibus, ad formam testamenti Bernardini Camisciotti, quoad bona Hereditaria tantum, super quibus Episcopus curet, fieri inscriptionem hypothecariam, reservatis Sacerdoti Niccolò iuribus, contra Paulum Onofri - *in Reatina Capellaniae die 24 Martii 1832.*

ACTOR.

1. Lite nondum contestata, integrum est Actori intentionem suam mutare *in Verulana Praelaturae die 29 Aprilis 1854* §. *Perpendit* (1).

Actor luculenter probare debet actionem suam *in Comen. Legati Missarum die 20 Martii 1824* §. *Archipresbitero* (2).

2. Hinc Actore non probante, Reus, etsi nihil praestiterit, absolvitur *in Feretrana Nominationis die 26 Iunii 1824* §. *Illud* (3).

3. Verum Actor, si iuxta Cap. 3, sess. 25, de reform. Literis monitorialibus, ad finem revelationis relaxatis, aliquid relevans propalatum fuerit, potest contra laborantes aliquo iudicio iudicium experiri, sive causa fuerit civilis, sive criminalis, in eoque id, si legitime probaverit, obtinere *in Taurinen. anno 1592 lib. 7 decretorum pag. 62.*

4. Atque, Actore non valente habere exequutionem iudicati, neque realem, neque personalem in Reos condemnatos, licet Iudici in eos gladio uti excommunicationis, si Causae qualitas id postulaverit *in Taurinen. anno 1592 lib. 7 decretorum pag. 62.*

§. I.

ACTUS IN GENERE.

1. Non dicitur actum, cum aliquid superest agendum, etiamsi dubitaretur esse de substantia *in Santandrien. Dubium Ordinationis die 28 Maii 1796* §. *Si recte* (4).

2. Nec intelligitur iteratum, quod ambigitur esse factum *in Santandrien. Dubium Ordinationis die 28 Maii 1796* §. *Si recte* (5).

3. Itaque, ut consuetudo vim obligationis

(1) L. 28 Cod. de appell. ac docet Ubertus in cap. 12, n. 34, de Citation.
(2) Rot. in decis. 6, n. 8; et decis. 20, n. 1, coram Buratt.
(3) Cap. Cum Ecclesia, §. fin. eod. tit.; L. Possessione, Cod. de probation.
(4) Gloss. in cap. Pastoralis, de sacram. non iteran. verb. permitti.
(5) Cap. Venies, de Presbiter. non baptiz.; cap. Solemnitates 16, de Consecrat., dist. 4; et Can. Si nulla 113, eod. tit. dist. 4.

inducat, debet animo induci saltem interpretative novam legem faciendi *in Signina Missae Conventualis die 24 Martii 1838* §. *Ad consuetudinem* (1).

4. Nam actus Agentium non operatur ultra eorum intentionem *in Signina Missae Conventualis die 30 Martii 1833* §. *Praeterea.*

Item *in Pisana Residentiae die 24 Martii 1838* §. *Ad consuetudinem* (2).

5. Hinc Actus, qui fit ad unum effectum, non est trahendus ad alterum *in Aquipendien. Pensionis et Subsidii die 18 Septembris 1841* §. *Principis.*

6. Ex actibus vero, proprio Marte, in legis fraudem exercitis, abusus intolerabilis proficiscitur *in Firmana Capellaniae die 29 Iulii 1843* §. *His positis.*

7. Actus unicus, et clanculum patratus, non facit statum *in Nicien. Iuris Nominandi die 26 Ianuarii 1847* §. *Ad argumenta* (3).

8. Idcirco unicus actus ineptus est ad legitimam observantiam inducendam, quia unicus est *in Imolen. Distributionum die 13 Martii 1773* §. *Hinc ad III* (4).

9. Unum autem eumdemque actum, pro lubitu scindi, ac pro altera parte accepto haberi, pro altera respui, nemini fas est *in Amalphitana Praepositurae die 14 Ianuarii 1860* §. *Unum* (5).

10. Siquidem Capitulum Ecclesiae, sub invocatione *S. Mariae ad mare* Oppidi *Maioris,* controversias haud leves saepenumero tulit, et cum Archiepiscopo Amalphitano, et cum Municipio Maiorensi, seculis praesertim decimo septimo ac decimo octavo labentibus. Dissidiorum omnium occasionem fere semper praebuit Dignitas Praepositurae, qua Ecclesia eadem ab immemorabili tempore decoratur. Modo enim de praerogativis ac privilegiis, quae Praeposito suo vindicabat Capitulum, reluctante Archiepiscopo, modo autem de iurepatronatus super Praepositura, vel a Capitulo privative, vel ab eo et Municipio alterna vice exercendo, disputatum est. Sed et de Ecclesiae Collegialitate inter Archiepiscopum et Canonicos identidem ferbuere contentiones acerrimae. At vero S. M. Pontifex Benedictus XIV, volvente anno 1742, controversias huiusmodi radicitus evellere voluisse videtur. Cum enim Capitulum per id temporis ad S. Sedem preces obtulisset, pro formali erectione Collegiatae, atque insimul iura sua, vel quoad praeeminentias et insignia Praeposito servanda, vel quoad Praepositurae patronatum, in medium protulisset, Pontifex sapientissimus, Archiepiscopi etiam voto audito, Bullam erectionis Ecclesiae in Collegiatam idibus Aprilis 1742 indulsit, in eaque Canonicorum numerum et iura praestituit, atque firmam in Collegiata manere iussit Praeposituram, reservata tamen ipsius collatione, praesentatione, et omnimoda alia dispositione, favore Sedis Apostolicae.

11. Diu tamen non quievit Capitulum, sed huius Ecclesiae statum, Pontificia auctoritate providentissime firmatum, temere subvertit. Nam quaestio, iamdiu exoleta et ab Ecclesiae foro penitus abacta, sub anno 1759 opinandi licentia omnia innovante, hominum favore nacto, ad Regium Tribunal est revocata, et Ecclesia praefata, titulo memoratae Bullae, in insignem Collegiatam, erecta ac declarata, plenissima executione in Regno constata, sua dignitate est deiecta, et, contra Canonicas sanctiones, Ecclesia patrimonialis et receptitia pronuntiata fuit. Quapropter illico statutum est, nullas inibi esse Dignitates, Canonicatus ipsos portiones esse mere laicales; proindeque Praepositurae curatae collationem, ad praesentationem Capituli et Universitatis alternative factam, ad Ordinarium spectare. Facta novissimis temporibus vacatione praedictae Praepositurae, Capitulum ad Sacram Congregationem supplicem libellum porrexit, ut controversia super iurepatronatus dirimeretur. Archiepiscopus vero, auctoritate Pontificiae Bullae Benedicti XIV fretus, concursum indixit, ac rem ad Apostolicam Datariam, pro collatione Praepositurae, ad tramites S. Concilii Tridentini et Constitutionis *Cum illud* remisit.

(1) Gloss. in cap. Cum tanto 11, de Consuetudine, Verb. Sit legitime praescripta, et ibi Abbas n. 17; Suarez lib. 7, de legib. c. 14, n. 5 et 6.

(2) Cap. fin. de Praeb.; L. 19, ff. de reb. cred.

(3) Rota in decis. 268. n. 14, part. 11 Recent.; Mantica decis. 88, n. 3; Pignatell. Consult. 88, n. 4, tom. 4; Piton. de controv. Patronat. Alleg. 77, n. 27; et Discept. Eccles. 101, n. 12.

(4) Rot. in Prismilien. Praepositurae 27 Februarii 1760 §. 12, coram Ratta.

(5) Rot. in decis. 365, n. 52, part. 5 Recent.; in decis. 366, n. 25, coram Olivatio.

12. Vicissim Capitulum Maiorense impedimentum, seu - *Nihil transeat* - in Apostolica Dataria apponi curavit. Quum autem Capitulum Bullam erectionis in Collegiatam in iis, quae ad praerogativas et statum Ecclesiae pertinent, reiicere nequiverit, eamdem prae iis, quae ad collationem Praepositurae spectabant, amplecti debuit. Namque proposito dubio: - An sit locus lacerationi nihil transeat in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative - *in Amalphitana Praepositurae die 14 Ianuarii 1860.*

13. Contradictione hinc tollitur efficacia contrariorum actuum *in Leodien. Visitationis die 22 Ianuarii 1763* §. *Et censet* (1).

14. Praesertim, si contrarii actus revocati fuerint, causa concordiae et stipulationis *in Leodien. Visitationis die 22 Ianuarii 1763* §. *Et censet* (2).

15. At actus, precario tantum nomine gesti, nihil prosunt *in Spoletana seu Nullius Ferentilli Iurisdictionis die 16 Iunii 1770* §. *Negat* (3).

16. Nec idcirco, per illos, sublatum aut imminutum fuisse censetur ius alterius *in Spoletana seu Nullius Ferentilli Iurisdictionis die 16 Iunii 1770* §. *Negat* (4).

17. Potissimum, si actus huiusmodi perpauci sint, et ad praescriptionem inducendam prorsus inepti *in Spoletana seu Nullius Ferentilli Iurisdictionis die 16 Iunii 1770* §. *Negat* (5).

18. Actus vero, gesti pro bono pacis et amputandas contentiones, non indigent Superioris licentia aut approbatione *in Constantien. Decimarum die 16 Decembris 1769* §. *Nec dubitari* (6).

19. Praesertim, post lapsum plurium seculorum, quando, minori etiam temporis intervallo, omnia legitime intercessisse praesumantur *in Constantien. Decimarum die 16 Decembris 1769* §. *Nec dubitari* (7).

20. Ceterum indoles alicuius actus non ex verborum cortice ac sono desumenda est, sed ab integro contextu, et ab eo, quod volitum a disponente fuit *in Nullius sancti Pauli seu Lepriniani Praefixionis Termini die 26 Ianuarii 1850* §. *Dubium.*

§. II.

ACTUS FACULTATIVI ET VOLUNTARII.

1. Actus mere facultativi nullam obligationem inducunt *in Balneoregien. Restaurationis Ecclesiae Parochialis die 15 Septembris 1838* §. *Non ita.*

Item *in Viterbien. Legati Pii die 22 Iunii 1830* §. *Quod si; in Ianuen. Missae Conventualis die 27 Iulii 1839* §. *Quod; in Regien. Praepositurae die 4 Iunii 1842* §. *Et perperam; in Spoletana Decimarum die 3 Iunii 1843* §. *Neque; in Nepesina Restaurationis Ecclesiae Parochialis et Supellectilium die 6 Decembris 1845* §. *Haud* (8).

2. Amplia, actus mere facultativi nullam inducunt obligationem, quamvis longissimo tempore exerciti *in Nucerina Legati Pii die 27 Ianuarii 1827* §. *Multoque.*

Item *in Ferentina Restaurationis Ecclesiae die 22 Novembris 1828* §. *Nec secus; in Signina Missae Conventualis die 30 Martii 1833* §. *Ceterum* (9).

3. Immo, ex actibus facultativis, per quodcumque temporis spatium exercitis, nulla in Exercente inducitur obligatio *in Brictinorien. Paraeciarum die 8 Maii 1824* §. *Parochi.*

(1) Rota in decis. 710, n. 23, coram Molin.

(2) Rota in Leodien. Spolii super recessibus capitularibus 10 Aprilis 1761, 7, §. coram R. P. D. Decano; et 28 Iunii 1762, §. 7, coram R. P. D. Riminaldo.

(3) L. 2, ff. de precario.

(4) Rota in decis. 8, de offic. ordin. coram Falconerio; in Burgen. iuris visitandi 22 Iunii 1714 §. Ceteri, Coram Cerro.

(5) Bald. in cap. Querelam, n. 16, de elect.; Rot. in decis. 914, n. 8, coram Buratt.; in decis. 290, n. 31, coram Bichio.

(6) Rota in Legionen. Decimarum, inter impressas post Niccol. ad Monet., de decimis, decis. 26, n. 3.

(7) Gratian. discept. forens. Cap. 867, n. 5; Rot. in Tirasonen. decimarum 9 Maii 1755, §. 16; et 9 Februarii 1756, §. 13, coram Stadion.

(8) Cap. Cum tanto. 1, de consuetud., Verb. Sit legitime praescripta; Gloss. et Abb. n. 17; Castr. in Leg. Quia luminibus, n. 2, ff. de Servit. Urban. praed.; Pirrhing. tit. de consuetud. n. 28; Suarez l. 7, de legib. cap. 14, n. 5 et 6.

(9) Rot. in decis. 239, n. 12, coram Ratto.

Item *in Reatina die 21 Iulii 1827* §. *Si autem* (1).

4. Unde nec milleni voluntarii actus inducere possunt obligationem et necessitatem *in Urbanien. Anniversarii die 24 Ianuarii 1795* §. *Quasi* (2).

5. Limita, nisi ex rerum adiunctis animus sese obligandi eruatur *in Reatina die 21 Iulii 1827* §. *Si autem.*

Item *in Ferentina Restaurationis Ecclesiae die 22 Novembris 1828* §. *Irrito.*

6. Nam, cum a principio mere voluntario dependeant, nunquam obligationem inducunt, nisi probetur contradictio et acquiescentia *in Baren. die 14 Martii 1767* §. *De strenis* (3).

7. Hinc, veluti iuris theorema, compertissimum est, huiusmodi actus facultativos nullam parere posse obligationem, nisi in contradictorio iudicio probati fuerint *in Perusina die 22 Novembris 1834* §. *Deinde.*

8. Insuper, ex actibus facultativis, per quodcumque temporis spatium exercitis, non modo nulla obligatio, sed nec ius induci potest *in Viterbien. Iurium Parochialium die 26 Augusti 1826* §. *Et re sane.*

9. Propterea, etiamsi ab immemorabili quoque tempore exercitis, nec ius nec obligatio inducitur *in Fulginaten. Fontis Baptismalis die 20 Novembris 1824* §. *Nihil.*

10. Actus enim, qui ab arbitrio pendent atque a libera hominum voluntate, nullum inducunt ius coactivum *in Reatina die 21 Iulii 1827* §. *Itaque.*

Item *in Ferentina die 14 Martii 1832* §. *Porro.*

11. Limita, nisi aperte constet, agentes fuisse coactos, simulque tempore ad praescribendum idoneo acquievisse *in Reatina die 21 Iulii 1827* §. *Itaque.*

Item *in Ferentina die 14 Martii 1832* §. *Porro* (4).

12. Demum, actus mere facultativi non modo nullum ius tribuere, sed nec ullam inducere possunt legalem possessionem *in Eugubina Iurisdictionis die 13 Martii 1773* §. *Idque* (5).

13. Et vigore Clausulae - *sublata* - in Brevi adiectae, abusum potius et corruptelam, quam iuris argumentum praeseferunt *in Eugubina Iurisdictionis die 13 Martii 1773* §. *Idque* (6).

14. Idcirco, quod ex gratia et liberalitate per modum facultatis est alicui concessum, etiam per multos annos, potest hodie negari *in Firmana Capellaniae die 29 Iulii 1843* §. *His* (7).

15. Hinc actus facultativi et voluntarii nunquam praescriptionem inducere possunt *in Nepesina Restaurationis Ecclesiae die 28 Augusti 1773* §. *Ait.*

Item *in Calaritana Onerum die 17 Septembris 1831* §. *Haud* (8).

16. Namque, etiamsi per longum temporis spatium huiusmodi actus facultativi exerciti fuerint, nulla invehi potest praescriptio *in Firmana Canonicatus die 22 Maii 1830* §. *Immo.*

Item *in Nepesina Legati Pii die 26 Martii 1831* §. *Eo iam; in Sorana Primiceriatus die 3 Iunii 1843* §. *Pergit* (9).

17. Sed nec ullam actus facultativi inducere possunt consuetudinem *in Marsorum Iurium Parochialium die 30 Ianuarii 1830* §. *Ad munus* (10).

18. Unde, ex actibus mere facultativis, etsi per mille annos admissis, nulla inducitur observantia *in Perusina Iurium die 26 Iulii 1851* §. *Cavillari* (11).

19. Amplia, ex actibus arbitrariis et facul-

(1) Rot. in decis. 389, n. 18, tom. 5, coram Olivatio.

(2) Arg. ex Text. in Leg. Non ex eo 30, Cod. de Evict.; Rot. in decis. 923, n. 7, coram Molin.

(3) De Marin. Variar. Resol. lib. 1, Resol. 78, n. 8; Zaul. ad Statut. Favent. Rubr. 14, lib. 5, n. 31.

(4) Rot. in decis. 30, n. 18, de iurepatronat. coram Falconerio; in decis. 212, n. 4, coram Emerix.

(5) L. Si in meo, ff. de aqua pluv. arcen.; Rot. in decis. 57, n. 6, de iurepatronat.; et in decis. 24, n. 19, De offic. ordin. coram Falconerio.

(6) Posth. de manut. observ. 46, n. 5 et seqq.; Rot. in decis. 406, n. 11, tom. 2, coram Molin.

(7) Posth. de manuten. observ. 53, n. 11.

(8) Rot. in decis. 1000, n. 4; in decis. 1141, n. 6, coram Emerix iun.; decis. 570, n. 5, coram Lancetta.

(9) Zallinger. L. 2 decret. §. 350, n. 4; Rot. in decis. 259, n. 12, coram Ratto.

(10) Rot. in decis. 61, n. 3, coram Carillo.

(11) Cap. Cum tanto, de consuetud.; Gloss. verb. Sit legitime praescripta; Abb. n. 17; Constantin. ad Statut. Urb. Vot. 232, n. 28; Rot. in Asculana iuris privativi 7 Iunii 1751 §. Atque hinc, coram Cortada.

tativis, nec immemorabilis prodest *in Romana Legati die 19 Ianuarii 1788* §. *Praeter* (1).

20. Quin imo neque eorum omissione consuetudo interrumpitur *in Interamnen. Optionis die 23 Iunii 1824* §. *Denique* (2).

21. Hinc actus voluntarii et facultativi praecedentium Rectorum Successores non sequuntur *in Barchinonen. Processionis die 13 Iulii 1765* §. *Ceteroquin* (3).

22. Ac eapropter actus liberalitatis, gesti a Praedecessoribus, non possunt uti facultativi coactivam consuetudinem inducere, etiamsi per tempus immemorabile exerciti *in Pientina Procurationis die 20 Novembris 1756* §. *Collegiata* (4).

23. Sed nec ullum ius tribuere possunt Successoribus *in Comen. Canonicatus Theologalis die 28 Septembris 1771* §. *Neque opus* (5).

24. Quamobrem actus facultativi nullam invehere possunt consuetudinem, ac iuribus alium privare et in alium transferre, nisi appareat, praeivisse prohibitionem, ac subsequutam fuisse acquiescentiam, per tempus ad praescribendum idoneum *in Marsorum Iurium Parochialium die 30 Ianuarii 1830* §. *Ad munus* (6).

25. Coactio enim et acquiescentia requiritur, pro inducenda in facultativis observantia *in Bononien. die 8 Maii 1762* §. *Atque disserunt* (7).

26. Vel nisi probata fuerit actuum multitudo plusquam centenaria, qua excluditur qualitas facultatis, et inducta habetur necessitas *in Sorana Primiceriatus die 3 Iunii 1843* §. *Quiescit* (8).

27. Nam actus gesti, per tempus centenariam excedens, non facultativi, sed necessarii censeri debent *in Aquinendien. Functionum die 18 Decembris 1773* §. *Perneramque* (9).

28. Ceterum actus facultativi, ad divinum cultum tendentes, ex longaeva consuetudine, in obligationem transeunt, et necessitatem inducunt *in Urbanien. Anniversarii die 24 Ianuarii 1795* §. *Quasi.*

Item *in Ferentina die 24 Martii 1832* §. *Etsi; in Nepesina Restaurationis Ecclesiae Parochialis et Supellectilium die 6 Decembris 1845* §. *Porro* (10).

29. Praesertim, si immemorabilis consuetudo concurrat, favore Causae Piae *in Tiburtina Procurationis die 19 Decembris 1840* §. *Ast contra.*

30. Hinc, dum longi temporis consuetudine inductum fuit, ut statis anni temporibus, aut festivitatibus, Deo, Locis Piis, aut Ministris Ecclesiae, donum aliquod a Fidelibus offeratur, haec consuetudo servanda est *in Brictinorien. Paraeciarum die 8 Maii 1824* §. *Parochi.*

Item *in Reatina die 21 Iulii 1827* §. *Si autem; in Ferentina Restaurationis Ecclesiae die 22 Novembris 1828* §. *Irrito* (11).

31. Amplia, etiamsi initio ex devotione inceperit *in Brictinorien. Paraeciarum die 8 Maii 1824* §. *Parochi.*

Item *in Ferentina Restaurationis Ecclesiae die 22 Novembris 1828* §. *Irrito* (12).

32. Nam Fideles obligationem contrahunt *in Brictinorien. Paraeciarum die 8 Maii 1824* §. *Parochi.*

33. Ex eo praesertim, quod onerum multiplicitas, eorumque diuturnum adimplementum praecedenti potius obligationi tribuendum est

(1) Fagnan. in cap. Cum ad Monasterium n. 37 de Stat. Monach.; Valen. de reb. Eccles., discept. 4, n. 119; Tombat. de effect. immem., quaest. 11, n. 121.

(2) Cap. fin. de consuetud. in 6; Monet. de Option. cap. 8, quaest. 2, n. 18; Calderin. consil. 3, n. 3.

(3) Gloss. in leg. 1, versic. communi, Cod. de annal. praescript. 30 vel 40 annor.; Rot. in Maioricen. Deputationis Sacerdotis 16 Iunii 1755 §. fin., coram Card. Caprara; in decis. 172, n. 5, coram Peutinger.; in Romana seu Neapolitana Capellaniae 4 Iulii 1759 §. fin. coram Azpuru.

(4) Fagnan. in cap. Venerabilis, n. 28, de censibus.

(5) Arg. ex Text. in Leg. Non ex eo 30, Cod. de Evict.; Leg. 1 in princ. ff. Uti possidet.

(6) Rot. in decis. 162, n. 157, coram Ludovis.

(7) Card. Petra ad Constit. Clement. IV, n. 25, tom. 3.

(8) Rot. in decis. 85, n. 8, part. 5 Recent.

(9) Rot. in decis. 522, n. 17 et seqq., coram Bichio; in decis. 920. n. 9 et 10, tom. 3, part. 2, coram Molin.

(10) Abb. in cap. Tuam nobis, num. 8, de simon.; Rocc. disp. iur. cap. 167, num. 49; Rot. in decis. 860, num. 8, coram Lancetta.

(11) Cap. Ad Apostolicam 42, de simon.; Barbos. de offic. et potest. Episcop. part. 3, cap. 34, n. 10.

(12) Reiffenst. in lib. 3 decret. tit. 30, n. 185.

in Brictinorien. Reductionis Onerum die 28 Novembris 1789 §. Onerum (1).

34. Idcirco, licet non desint, qui asserant, pia opera, inducta ex pietate, tamquam facultativa et voluntaria, obligationem non inducere *in Brictinorien. Reductionis Onerum die 28 Novembris 1789 §. Si Orator* (2).

35. Attamen explorati iuris est, pias erga Ecclesiam oblationes, per longi temporis consuetudinem invectas, licet initio ex mera pietatis causa inceperint, labentibus annis, animum sese obligandi in Offerentibus redolere, et obligatoriam gignere praescriptionem *in Ferentina die 24 Martii 1832 §. Etsi* (3).

36. Adeo ut, si quispiam eiusmodi oblationes ferre detrectet, ad eas explendas iuris remediis adigi possit *in Florentina die 12 Martii 1718 §. Facit.*

Item *in Reatina die 21 Iulii 1827 §. Si autem; in Ferentina die 24 Martii 1832 §. Etsi* (4).

37. Immo, censuris etiam, ad easdem oblationes praestandas, cogi possit *in Brictinorien. Paraeciarum die 8 Maii 1824 §. Parochi* (5).

38. Praesertim, si consuetudo centenaria habeatur, quae praesumptionem secumfert omnis melioris tituli *in Anagnina Nominationis die 25 Ianuarii 1823 §. Animadvertendum.*

Item *in Nullius Sublacen. Iurium Parochialium die 29 Ianuarii 1825 §. Rationabilis; in Brictinorien. Paraeciarum die 8 Maii 1824 §. Parochi* (6).

39. Siquidem ex pervetusta atque immemorabili consuetudine penes Reatem factum est, ut nedum Civitas, verum etiam Canonici Cathedralis Ecclesiae, aliquod Antistitibus Episcopalem Sedem primitus adeuntibus, obtulerint munus. Ex Capitularibus namque codicibus certo constabat, Canonicos ab anno 1520 ad annum usque 1724, modo sacram supellectilem, modo quamdam pecuniae vim, cunctis exhibuisse Episcopis, quinque tantum exceptis, quibus ullum tributum fuisse donum non reperiebatur. Postea vero, scilicet ab anno 1724 ad annum 1818, singulis Episcopis summam scutorum 140, et aliquando etiam maiorem in laeti animi significationem, erga concives Episcopos, iugiter persolvit Capitulum.

40. Quoties sese obtulit occasio munus huiusmodi largiendi, Capitularia comitia coegerunt Canonici, licet ex tabulis decretorum Capitularium non appareret, eadem habita fuisse, pro decernendis oblationibus exhibitis Antistitibus Ferretti, Marini, Fioravanti, Pereira. Has praestationes, quas Canonici alias nuncupare consueverunt donum aut largitionem, anno 1724 appellarunt oblationem scutorum centum quadraginta fieri solitam novis omnibus Episcopis, et anno 1775 consuetum subsidium scutorum centum quadraginta. Cum res ita se haberent, ad Reatinam Ecclesiam anno 1824, suo Pastore viduatam, evectus fuit Timotheus Maria Ascensi, ex Carmelitarum Ordine, eique largitionem scutorum centum quinquaginta, novis Episcopis fieri solitam, pependit Civitas: Canonici Cathedralis Ecclesiae, licet initio paratos sese exhibuerint, ad assuetum munus in Antistitem conferendum, dein nullo se vinculo obstrictos arbitrati, summam scutorum centum quadraginta repraesentare detrectarunt. Quocirca Episcopus, ut sibi suisque Successoribus prospiceret, rem ad Sacram Congregationem definiendam detulit.

41. Proposito hinc dubio: - An quo titulo et in qua summa Episcopis Reatinis, in primo adventu ad Ecclesiam Cathedralem, debeatur praestatio in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative, titulo oblationis, pro scutis centum quadraginta - *in Reatina die 21 Iulii 1827.*

42. Id Sacra Congregatio merito sanxit, etiamsi praestatio illa, quam hactenus novis Episcopis exhibuerunt Canonici, haud subsidii charitativi characteribus polleret, sed tantum-

(1) Arg. ex Leg. 4, §. Si ab ignoto, ff. de manumiss.; Abb. in lib. 3 decret. cap. Significatum, n. 6, de Regular.; Menoch. lib. 3, Praesumpt. 49, n. 4.

(2) Iuxta doctrinam Castrens. in leg. Qui luminibus, n. 2, de Servitut. Urban. praed.; De qua Menoch. de arbitr. cas. 100, n. 9.

(3) Reiffenst. lib. 3 decret. tit. 30, n. 185; Card. De Luc. de regal. disc. 46, n. 2 et seqq.

(4) Barbos. de offic. et potestat. Episcop. part. 3, Allegat. 54, num. 10; Pirrhing in ius canonic. lib. 3, tit. 30, num. 174.

(5) Abb. Barbos. Pirhing. apud Reiffenst. lib. 3 decret. tit. 30, n. 185.

(6) Rot. in Maceraten. Circumscriptionis 26 Iunii 1807 §. 7, coram Rusconi.

*

modo liberalitatis in eos, nullo iure cogente, ac proprio lubitu collatae *in Reatina die 21 Iulii 1827* §. *Itaque.*

43. Idcirco nihil obstitit, quod Capitulum, nulla obstrictum obligatione, sed sponte eiusmodi munus obtulisset; ac numquam intercessisset coactio, eoque minus acquiescentia, cum Canonici Episcopis Reatem adventantibus comitia habere consueverint, ac omni procul coactione, de munere exhibendo deliberaverint *in Reatina die 21 Iulii 1827* §. *Itaque et* §. *Porro.*

44. Nec id impedimentum praebuit, quod Canonici aliquando nullam fecerint oblationem, nec eamdemque semper obtulerint rem, cum, modo sacram supellectilem, modo pecuniam, eamque maiorem vel minorem, suo iudicio praestiterint, ac propterea desiderari videbantur illi actus uniformes, qui ad inducendam praescriptionem occurrant necesse est; atque de facto praefato Episcopo Ascensi dono dederant duas sacras tiaras librosque Pontificales, quorum valor attingebat scutata sexdecim, dum interim Canonici, ob vilescens rerum pretium, et, ob contracta nomina dissolvenda, angustiis tunc premebantur, Episcopus vero huiusmodi reditus Mensae episcopalis percipiebat, ut tuendo decenti Antistitum, etiam sacra purpura fulgentium gradui, ac pendendis pensionibus, semper pares habiti fuerint *in Reatina die 21 Iulii 1827* §. *Quocirca, At, Itaque, Porro, Tandem.*

45. Res enim erat de oblatione, favore Causae Piae: siquidem Episcopus est Pater Pauperum, ac reditus, quos in propriam exhibitionem non impendit, erogare debet in Pauperum alimoniam, proindeque quod Episcopo datur, Pauperibus dari dicitur *in Reatina die 21 Iulii 1827* §. *Iamvero.*

46. Secus vero dicendum, quoties desit consuetudo legitime praescripta, quae obligationem inducat etiam contra Causam Piam *in Ferentina die 24 Martii 1832.*

47. Enimvero, quum Episcopus Ferentini anno 1828 in eiusdem Civitatis templo Cathedrali sacram ageret Visitationem, novit organum pneumaticum ita temporis iniuria hominumque negligentia collabefactum, ut ad divina officia rite persolvenda aegre admodum adhiberetur. Itaque, ne illud omnino pessum iret, Ordinarius decreto suo iussit, - Organum, infra tres menses ex ea, quam Peritus praescripserit, ac Nos, audito Capitulo, probavimus, norma, instaurandum fore eorum sumptu, qui pecuniam ad id opus conferre hactenus consueverint -. Huic Episcopi mandato Canonici, nulla mora, obsequuti sunt, tercentumque scutatorum vim in eiusmodi restaurationem impenderunt. Re autem peracta, Capitulares eo fuerunt consilio, ut, iuxta consuetudinem, ex citato Decreto, tertiam sumptuum partem conferre teneretur non modo Communitatis Magistratus, sed et Confraternitas Spiritus Sancti, cuius reditibus in Civitate Ferentini publicum Valetudinarium constitit. Quare centum scutatorum solutio, nomine Capituli, iterum iterumque Confraternitati indicta fuit. Incassum tamen. Haec namque obtendens, nullam ad id pecuniae summam posse ex se iure postulari, propositam impendii partitionem subire constantissime respuit *in Ferentina die 24 Martii 1832* §. *Hodiernus.*

48. Sodales enim contenderunt, nihil etiam pecuniae fuisse unquam a Confraternitate Spiritus Sancti in Organi pneumatici restauratione collatum, nisi munificae liberalitatis et meae spontaneae largitionis erga Ecclesiam Cathedralem *in Ferentina die 24 Martii 1832* §. *At.*

49. Etenim in ipsis Confratrum conventibus, et quibus constat annis, 1692, 1786, 1788, et 1801, Sodalitium ad ferendam eiusmodi sumptuum partem accessisse, ea ubique facta occurrunt verba, quae rei convenientiam, non obligationem suadeant *in Ferentina die 24 Martii 1832* §. *At.*

50. Propterea Sodalibus Confraternitatis Spiritus Sancti id maxime persuasum est, etiam sibi liberum adhuc esse, ut velint, aut potius nolint, aliquid pro organi restaurationibus conferre, quemadmodum veteres Confratres, nulla obstricti obligatione, sed sponte omnino videntur ita praenarratis solutionibus indulsisse, ut, pro suo lubitu, ab iis se abstinere, easdemque petenti Capitulo denegare possent *in Ferentina die 24 Martii 1832* §. *Porro.*

51. Ex eo etiam, quod nulla unquam ferebatur intercessisse coactio, eoque minus acquiescentia, dum liquebat ex adverso, Confratres die 21 et 25 Aprilis 1786 in comitia congregatos, maiori suffragiorum numero, propositam pro ipso Cathedralis Ecclesiae Organo decem scutatorum erogationem mordicus explosisse, quin tamen Canonici ostenderent, se aliquam

in eos actionem instituisse *in Ferentina die 24 Martii 1832* §. *Porro*.

52. Quam quidem rem tanti fecerunt Sodales, ut idcirco putarent, propugnatam tunc Capitulo corruere magis magisque consuetudinem; quae scilicet, ut suas exserat vires, nullo contrario actu, intercepta probari debebat *in Ferentina die 24 Martii 1832* §. *Porro* (1).

53. Namque eiusdem robur vel uno satis actu perimi potest *in Ferentina die 24 Martii 1832* §. *Porro* (2).

54. Qua de re, proposito dubio: - An ex Decreto S. Visitationis teneatur Confraternitas Spiritus Sancti tertiam sumptus partem conferre, pro restauratione Organi pneumatici in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Negative - *in Ferentina die 24 Martii 1832*.

§. III.

ACTUS IURISDICTIONALES.

1. Actus iurisdictionis voluntariae potest ubique exerceri *in Theatina Matrimonii die 23 Ianuarii 1773* §. *Progreditur* (3).

2. Incompatibile non est, ordinariam iurisdictionem Episcopo competere, et a Praelato inferiori particulares iurisdictionis actus simul exerceri *in Caputaquen. die 14 Martii 1767* §. *Praemittit* (4).

3. Nam diversimode acquiri potest ordinaria et quasi episcopalis iurisdictio, scilicet vel cumulative cum Episcopo, itaut Praelatus inferior aeque ac Episcopus eamdem exerceat, vel privative ad Episcopum, ita ut solus Praelatus inferior illam exerceat *in Caputaquen. die 14 Martii 1767* §. *Advertendum*.

4. Hinc, si quis probasset, se omnimodam iurisdictionem, tum temporalem, tum spiritualem, in Clerum et Populum alicuius loci, ab immemorabili tempore exercuisse, ius esset sibi retinendi Vicarium et Tribunal cum Familia armata et carcere *in Caputaquen. die 14 Martii 1767* §. *Praemittit et Infert* (5).

5. Erigendi in quibuslibet Ecclesiis beneficia ecclesiastica, iuspatronatus reservandi, ac transferendi *in Caputaquen. die 14 Martii 1767* §. *Infert* (6).

6. Dandi facultatem concionandi, et benedictionem Concionatoris impartiendi *in Caputaquen. die 14 Martii 1767* §. *Infert* (7).

7. Concedendi licentiam exponendi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum *in Caputaquen. die 14 Martii 1767* §. *Infert* (8).

8. Ac omnes Ecclesias visitandi *in Caputaquen. die 14 Martii 1767* §. *Infert* (9).

9. Quin imo ius esset sibi exequendi omnes Apostolicas Literas *in Caputaquen. die 14 Martii 1767* §. *Ex eodem* (10).

10. Licentiam Clericis a loco discedentibus dandi *in Caputaquen. die 14 Martii 1767* §. *Ex eodem* (11).

11. Concedendi licentiam celebrandi matrimonium *in Caputaquen. die 14 Martii 1767* §. *Ex eodem* (12).

12. Examinandi Ordinandorum requisita, faciendi publicationes, relaxandi edicta, ac recipiendi probationes et testes, super verificatione

(1) Text. in cap. Irrefragabili, de Offic. Ordin.; Rot. in decis. 962, n. 17, coram Molin.

(2) Rot. in decis. 74, n. 16, coram Ludovis.; in tit. Miscellan. coram Falconerio.

(3) Clericat. de Sacrament. Matrim. decis. 35, n. 12; Guttier. de Matrim. cap. 62, n. 10.

(4) Card. De Luc. disc. 1, n. 8, de iurisdict.; Pignatell. Consult. Can. tom. 7, Consult. 8, n. 80.

(5) Gonzalez in lib. 1. Decret. tit. 29, n. 11; Rot. in decis. 652, n. 7, coram Dunozett. Iun.; in decis. 103, n. 6, coram Molines.

(6) Rot. in decis. 20, n. 9, tit. de territor. separ. coram Falconerio.

(7) Barbos. de potest. Episcop. Alleg. 76, n. 19; Pignatell. consult. can. tom. 4, Cons. 202, n. 45.

(8) Fagnan. in cap. 19, n. 77, de Offic. Ordin.; Passerin. de Stat. hom. quaest. 187, art. 1, n. 90.

(9) Rot. in decis. 341, n. 6, coram Crispo; in Burgen. iuris visitandi 27 Ianuarii 1716, §. Cum, coram Cerro.

(10) Cap. 20, de concess. praebend.; Conrad. in prax. matrim. lib. 7, cap. 4, n. 25; Amayden. de Styl. Datariae, lib. 1, cap. 19.

(11) Barbos. de offic. Paroch. part. 1. cap. 8, n. 63; Tambur. de iure Abb. part. 1, disp. 14, quaest. 1 et 3.

(12) Piton. discept. Eccles. 20, n. 10; Rot. post Tambur. de iur. Abbat. decis. 43, n. 11.

tituli vel patrimonii *in Caputaquen. die 14 Martii 1767* §. *Ex eodem* (1).

13. Quascumque personas absolvendi a iuramento, ad effectum agendi seu excipiendi in iudicio *in Caputaquen. die 14 Martii 1767* §. *Ex eodem* (2).

14. Et demum ab omnibus Administratoribus et Procuratoribus Locorum Piorum exigendi rationes *in Caputaquen. die 14 Martii 1767* §. *Ex eodem* (3).

15. Secus vero dicendum est, cum Episcopo in huiusmodi loco, per rem iudicatam, competeret ordinariam iurisdictionem *in Caputaquen. die 14 Martii 1767* §. *Contra.*

16. Hoc enim in casu Praelato inferiori ius non esset retinendi Vicarium et Tribunal cum Familia armata et carcere *in Caputaquen. die 14 Martii 1767* §. *Contra* (4).

17. Nec beneficia erigendi, nec iuspatronatus reservandi, vel transferendi *in Caputaquen. die 14 Martii 1767* §. *Contra* (5).

18. Nec indulgentias promulgandi *in Caputaquen. die 14 Martii 1767* §. *Contra* (6).

19. Nec concedendi licentiam Concionatoribus, iisdemque benedictionem impertiendi *in Caputaquen. die 14 Martii 1767* §. *Contra* (7).

20. Nec exponendi Sanctissimum Sacramentum *in Caputaquen. die 14 Martii 1767* §. *Contra* (8).

21. Nec Ecclesias subiective unitas visitandi *in Caputaquen. die 14 Martii 1767* §. *Contra* (9).

22. Deficiente propterea territorio separato, vel iurisdictione quasi Episcopali, Praelatus inferior non potest Literas Apostolicas executioni demandare *in Caputaquen. die 14 Martii 1767* §. *Insuper* (10).

23. Nec licentiam Clericis a loco discedentibus dare *in Caputaquen. die 14 Martii 1767* §. *Insuper* (11).

24. Nec concedere licentiam celebrandi matrimonia *in Caputaquen. die 14 Martii 1767* §. *Insuper* (12).

25. Nec examinare Ordinandorum requisita, recipere probationes, ac Testes, super verificatione tituli ac patrimonii, nec relaxare edicta *in Caputaquen. die 14 Martii 1767* §. *Insuper* (13).

26. Nec a iuramento absolvere *in Caputaquen. die 14 Martii 1767* §. *Insuper* (14).

27. Nec redditiones rationum ab Administratoribus et Procuratoribus Locorum Piorum exigere *in Caputaquen. die 14 Martii 1767* §. *Insuper* (15).

28. Itaque in casu praedicto, ubi Sacra Congregatio iam sanxerat: - Spectare ad Episcopum iurisdictionem ordinariam, in Clerum et Populum; quo vero ad Ecclesias subiective unitas, delegatam -, propositis dubiis: - I. An et ad quos effectus, et pro quibus causis et personis, Baiulivus sanctae Euphemiae in locis Rhodii et sancti Mauri possit habere Vicarium et Tribunal, cum Familia armata et carcere in casu.

II. An et in quibus Ecclesiis possit erigere beneficia ecclesiastica, iurapatronatus reservare, vel eorumdem translationem approbare, et indulgentias publicare in casu.

III. An et pro quibus Ecclesiis possit con-

(1) Gratian. discept. 130, n. 1; Pignatell. Cons. 13, n. 13, tom. 3.

(2) Guttierez de iurament. part. 1, cap. 66, n. 5; Leuren. lib. 2, tit. 24, quaest. 298, n. 3.

(3) Pax Iordan. tom. 2, Lucubrat. lib. 7, tit. 9, n. 25; Piton. de Controv. Patron. Allegat. 23, n. 10.

(4) Card. Petra ad Constit. Apost. Alex. III, Sect. 1, n. 72; Rot. in decis. 2, n. 11, tit. de offic. Ordin. coram Falconerio.

(5) Pignatell. Consult. Can. 85, n. 15, tom. 5; Rot. in Nuperrimis, decis. 278, n. 1, tom. 1.

(6) Card. Petra ad Constit. IV Callisti III, Sect. 2. n. 96; Rot. in Brictinorien. seu Nullius Fori Pompilii Iurisdictionis 28 Aprilis 1725, §. final. coram Cerro.

(7) Lotter. de Re Benef. lib. 2, quaest. 24, n. 113; Ventr. de Iurisdict. Archiep. cap. 96, n. 4.

(8) Clericat. Discord. Forens. disc. 31, n. 7, tom. 3; Monacell. Formul. Legal. lib. 1, tit. 6, form. 29, n. 2.

(9) Rot. in decis. 333 per tot. part. 13 Recent.; et in Tuden. Iurisdictionis 16 Februarii 1739, §. 2, coram Millino.

(10) Card. Petra ad Constit. Callisti III, Sect. 2, n. 38.

(11) Arg. Discept. Eccles. lib. 4, discept. 2, n. 16 et seqq.

(12) Pont. de Matrim. lib. 1, cap. cap. 11, n. 13.

(13) Fagnan. in cap. Significasti, n. 12 et seqq. de Offic. Archidiaconi; Rot. in decis. 12, n. 10, tit. de offic. Ordinarii, coram Falconerio.

(14) Azor. Instit. Moral. lib. 4, cap. 9, quaest. 6 in fin.; Suarez de Religione, tom. 2, tract. 4, lib. 2, de Iuram. cap. 41, n. 12; Sanchez in Praecept. Decalogi, tom. 1, lib. 3, cap. 31, n. 39.

(15) Rot. in decis. 70, n. 33, part. 13 Recent.; in decis. 103, n. 1, coram Molines; in Ratisbonen. Iurisdictionis 21 Februarii 1670, §. 5, coram Azpuru.

cedere facultatem concionandi, et benedictionem impertiri Praedicatoribus in casu.

IV. An et in quibus Ecclesiis possit concedere licentiam exponendi Sanctissimum Sacramentum in casu.

V. An et quas Ecclesias visitare possit in casu.

VI. An et quas Literas Apostolicas exequutioni demandare possit in casu.

VII. An et pro quibus personis licentiam pro discessu concedere valeat in casu.

VIII. An et pro quibus personis Vicarius licentiam celebrandi matrimonia impertiri possit in casu.

IX. An et pro quibus personis possit examinare requisita Ordinandorum, recipere probationes, relaxare edicta, ac etiam Testes verificare, super verificatione tituli vel patrimonii in casu.

X. An et quas personas absolvere possit a iuramento ad effectum, sive agendi, sive excipiendi in iudicio in casu.

XI. An et a quibus Administratoribus et Procuratoribus Locorum Piorum possit exigere rationes in casu -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative; ad formam tamen Constitutionum Apostolicarum, et signanter Gregorii XIII et Benedicti XIV. Ad secundum, Negative; et, quoad erectionem beneficiorum in Ecclesiis subiective unitis, videatur particulariter, et amplius. Ad tertium, Negative, et amplius. Ad quartum, Negative. Ad quintum, Affirmative, quoad Ecclesias subiective unitas. Ad sextum, Negative, et amplius. Ad septimum, Affirmative, quoad personas tamen addictas servitio Ecclesiarum subiective unitarum, dummodo curam animarum non habeant. Ad octavum, Negative. Ad nonum, Negative, et amplius. Ad decimum, Negative. Ad undecimum, Affirmative, quoad Loca Pia Ecclesiarum subiective unitarum tantum - *in Caputaquen. die 4 Aprilis 1767.*

29. Ceterum actus ordinariae iurisdictionis, palam exerciti, supponunt scientiam et acquiescentiam Episcoporum *in Parmen. Abbatiae Fontisvivi die 19 Decembris 1801* §. *Verum* (1).

30. Verum, nisi actus iurisdictionales, Episcopo sciente et consentiente, exercitos fuisse probetur, inepti sunt ad legitimam praescriptionem inducendam *in Caputaquen. die 14 Martii 1767* §. *Spernendos* (2).

31. Praesertim, si tantum probentur, ex informibus Testibus et illegalibus monumentis, nulla immemorabili consuetudine, vel saltem quadragenaria cum titulo muniti reperiantur *in Caputaquen. die 14 Martii 1767* §. *Spernendos.*

32. Hinc ad privativam iurisdictionem acquirendam, non tantum requiritur, ut Episcopus eamdem nunquam exercuerit, sed etiam, ut Praelatus inferior contradixerit, et Episcopus acquieverit *in Caputaquen. die 14 Martii 1767* §. *Advertendum* (3).

33. Immo, ex actibus contrariis, ab Episcopis exercitis, quaevis excluditur praescriptio *in Caputaquen. die 14 Martii 1767* §. *Advertit* (4).

34. Praesertim, si omnimoda iurisdictio ab immemorabili semper exercita fuerit *in Caputaquen. die 14 Martii 1767* §. *Advertit.*

35. Quando vero satis constet de subiectione Loci nec non de iurisdictione, a Praelato inferiori in eo exercita, despicienda est quaelibet alterius cuiusque praetensio, quae concludentissimis probationibus destituta comperiatur *in Spoletana seu Nullius Ferentilli Iurisdictionis die 16 Iunii 1770* § *Concludit* (5).

36. Ac eo vel magis, si insignia Praelati inferioris in loco extent, ac visitationes peregerit *in Spoletana seu Nullius Ferentilli Iurisdictionis die 16 Iunii 1770* §. *Probat.*

37. Hoc enim in casu spernendae sunt visitationes ab Episcopo una vel altera vice factae, quia conflictantur ab aliis pluribus iurisdictionis actibus a Praelato inferiore exercitis *in Spoletana seu Nullius Ferentilli die 16 Iunii 1770* §. *Probat.*

38. Iamvero solemnis transactio, auctoritate

(1) Tondut. Resolut. Benefic. 60, n. 13.

(2) Fagnan. in cap. Cum Ecclesiarum, n. 32, de offic. Ordin.; et plene Clement. in Concord. pastoral. part. 1, cap. 7 n. 57.

(3) Imol. in cap. Dilectus n. 3, de offic. Ordin.; Prosper. de territ. separat. quaest. 3, n. 32; Rot. in decis. 491, n. 8, part. 1 Recent.

(4) Clement. in concord. pastoral. part. 1, cap. 7, n. 59, Argir. discept. Eccles. lib. 4, discept. 3, n. 3 et seqq.

(5) Pignatell. Consult. Can. 26, n. 18, lib. 2; Rot. in Conversana Iurisdictionis 2 Decembris 1739, coram Canilliac; et in S. Angeli Lombardorum Iurisdictionis 11 Februarii 1757, coram Card. Bussio.

Sacrae Congregationis Boni Regiminis inita inter Communitatem Castri S. Mamiliani, quod est in Abbatia Ferentilli, Reverendissimo Capitulo Lateranensi subiecta, et Communitatem Civitatis Spoleti atque Oppidi Strecturae, finem imposuit annosae controversiae, in eadem Sacra Congregatione iamdiu actae, super finibus territorii uniuscuiusque Communitatis. In ea enim, admissa probataque in omnibus sententia b. m. Palagii, eiusdem Sacrae Congregationis Secretarii, declaratum fuit, fines, confines, et terminos, dividentes territorium Castri S. Mamiliani a territorio Villae Strecturae Civitatis Spoleti, fuisse et esse - *il Fossato grande detto Tessino* -, qui quidem Foveus unum ab altero dividit territorium.

39. Post extinctam de temporali dominio litem, alia inter Episcopum Spoletanum et Capitulum Lateranense orta fuit controversia, de spirituali iurisdictione in Ecclesiam ruralem S. Pauli, quam Episcopus Spoletanus in territorio Oppidi Strecturae sub sua Dioecesi erectam affirmabat, Capitulum vero Lateranense in territorio Castri S. Mamiliani Abbatiae Ferentilli sitam esse asseverabat.

40. Siquidem pro certo in primis habuit Capitulum, Ecclesiam S. Pauli sitam esse in Territorio Castri S. Mamiliani, atque inde arguit, eam subesse omnino debere Abbatiae Ferentilli, cui totum S. Mamiliani Territorium suberat ex declaratione S. Rotae (1) *in Spoletana seu Nullius Ferentilli Iurisdictionis die 16 Iunii 1770* §. *Pro.*

41. Concurrentibus hinc etiam supramemoratis circumstantiis, proposito dubio: - An Ecclesia S. Pauli, nuncupata S. Polo, subiecta sit iurisdictioni Reverendissimi Capituli Lateranensis, seu potius Episcopi Spoletani in casu etc.-, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam *in Spoletana seu Nullius Ferentilli Iurisdictionis die 16 Iunii 1770.*

§. IV.

ACTUS QUOAD PRAEIUDICIUM, VALIDITATEM ET NULLITATEM.

1. Omnia gesta, sub erroneo supposito, praeiudicium inferre nequeunt *in Camerinen. Subsidii dotalis die 30 Maii 1761* §. *Contendit.*

2. Nam, detecto errore, quorumcumque praeiudicialium actuum efficacia corruit *in Camerinen. Subsidii dotalis die 30 Maii 1761* §. *Contendit* (2).

3. In propatulo idcirco est, acta, quae ad cautelam fiunt, nullum inferre detrimentum *in Ferrarien. Beneficii super caducitate et attentatis die 29 Iulii 1843* §. *A tale.*

4. Nec insuper naturam negotii alterare *in Ferrarien. Beneficii super caducitate et attentatis di 29 Iulii 1843* §. *A tale* (3).

5. Actus enim tantum valet, quantum agens vult, ut valeat *in Voto Theologi die 30 Augusti 1851* §. *Neque* (4).

6. Scitum propterea est, ex errore acta nullius roboris esse *in Ferrarien. Beneficii super caducitate et attentatis die 29 Iulii 1843* §. *A tale* (5).

7. Hinc tralatitium in iure est, actus ex errore, dolo, et falsa causa promanentes, irritos esse, ex defectu consensus *in Hortana Capellaniarum die 8 Aprilis 1846* §. *Tenuitatem* (6).

8. Eius idcirco renunciatio, qui, dolo circumventus, eam emisit, non renunciaturus, nisi

(1) In Spoletana seu Nullius Ferentilli Iurisdictionis super negocio principali 9 Ianuarii 1728, coram Gamaches.

(2) Rot. in Romana Legitimae et Locorum Montium 4 Iulii 1758, §. 9, coram Card. Elephantutio; et 10 Martii 1760, coram Azpuru.

(3) Arg. ex Text. in Leg. Testamentum, Cod. de testam.; docet Rot. in decis. 49, n. 29, part. 12; in decis. 220, n. 27, part. 6 Recent.

(4) Billuard. de Stat. Religios. art. III et XIV.

(5) Arg. ex Text. in Leg. Testamentum, de testam; Rot. in decis. 49, num. 29, part. 12; in decis. 220, num. 27, part. 6 Recent.

(6) Rot. in Perusina Renunciationis et Exequutionis Contractus 3 Februarii 1841, §. 5, coram Bonini.

fuisset fraudibus deceptus, penitus corruit *in Hortana Capellaniae die 8 Aprilis 1843* §. *Tenuitatem* (1).

9. Nec non si falsa est causa finalis, ac falso innitatur supposito *in Hortana Capellaniae die 8 Aprilis 1843* §. *Tenuitatem* (2).

10. Itaque actus gesti, in fraudem transactionis, quique controversiae causam dederunt, tamquam violenti et attentati, posthabendi sunt *in Constantien. Decimarum die 19 Decembris 1769* §. *Negat* (3).

11. Irriti proinde sunt et inefficaces actus, ex quibus controversia ducit originem *in Imolen. Iuris convocandi capitulum die 14 Maii 1774* §. *Nullam* (4).

12. Similiter actus gesti, absente parte et citra animum contrahendi obligationem, irriti sunt habendi *in Urbinaten. Participationis die 16 Ianuarii 1762* §. *Nec* (5).

13. Idcirco actus, tamquam violentus, spoliativus, et qui liti causam dedit, attendi non meretur, nullumque ius illi, qui illum gessit, tribuere potest *in Sutrina Stalli die 7 Iulii 1770* §. *Addit* (6).

14. Actus ultro citroque obligatorii, altera ex partibus dissentiente, non consistunt *in Ordinis Carmelitarum die 13 Septembris 1800* §. *Rationem* (7).

15. Actus quilibet irritatur, ex praescriptae formae omissione *in Catanien. Dubium matrimoniale die 20 Ianuarii 1798* §. *Quid ultra* (8).

16. Dummodo tamen forma praescripta non sit modus *in Catanien. Dubium matrimoniale die 20 Ianuarii 1798* §. *At expendi* (9).

17. Quod verificatur, cum praescribitur, quod a iure statuitur *in Catanien. Dubium matrimoniale die 20 Ianuarii 1798* §. *At expendi et Quibus.*

18. De duobus impedimentis ad actum, etiamsi unum sublatum fuerit, nihilominus actus exerceri non valet, quoties alterum subsistat *in Hildesimen. die 16 Septembris 1769* §. *Huius* (10).

19. Actus gestus, contra prohibitionem Legis, est ipso iure nullus, licet Lex ulterius non procedat irritando actum *in Narnien. die 21 Augusti 1790* §. *Cathedralia.*

20. Sufficit enim, Legislatorem tantum prohibuisse ad hoc, ut ea, quae lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis haberentur *in Narnien. die 21 Augusti 1790* §. *Cathedralia* (11).

21. Verum, ubi de poenali agitur lege, validus reputatur actus, licet illicitus et punibilis *in Narnien. die 21 Augusti 1790* §. *In eodem* (12).

22. Ubi aliquid enim sub certa poena et sine decreto irritanti prohibet Constitutio, valet actus, licet delinquens sit puniendus *in Congregationis Cisterciensis die 28 Novembris 1789* §. *Notandum.*

23. Quum hinc nullitas concludenter non probetur, pro iustitia et validitate actus semper militat iuris praesumptio *in Balneoregien. Electionis Alumni die 28 Augusti 1789* §. *Perperamque* (13).

(1) Ruffin. de benef cap. 19; Parisius, de resignation. lib. 13, quaest. 1 et 3; Garz. de benef. cap. 3, de Renunciation. n. 1; Pirrhing in lib. 1 decret. tit. de Renunciation. Sect. 6, §. 1, n. 84.

(2) Piton. discept. eccles. 142, n. 31; Rot. in Romana pensionis 16 Aprilis 1714, §. fin. coram Crispo.; in decis. 128, n. 2, coram Herzan.; in decis. 194, n. 10, coram Herrera.

(3) L. 1, in fin, ff. uti possidetis; Rot. in Toletana decimarum super manutentione 19 Februarii 1734 §. 9, coram Millino; in Sabinen. decimarum 5 Iunii 1741 § 9, coram Peralta.

(4) Rot. in decis. 15, n. 7 et 8, part. 7 Recent.; in decis. 4, n. 2, coram Ludovis.

(5) Rot. in decis. 931, n. 11, coram Molin.

(6) Posth. de manuten. observ. 17, n. 44; Rot. in decis. 292, n. 3, coram Celso; in decis. 168, a n. 2 ad 9 Recent.

(7) Cap. Ad Apostolicum. Cap. Porrectum, de regular.; Fagnan. in cap. Ex parte, de Convers. Coiug. n. 18.

(8) Cap. Cum dilecta, de rescr.; cap. Venerabilis, de offic. delegat.

(9) Heislin. Resol. benef. moral. part. 3, cap. 2, de matrimon. sine praescr. a dispens. form. celebr. §. 3, n. 31.

(10) Cap. Ex meum, de usu palli; cap. Pastoralis, de privileg.; Fagnan. in cap. Omnis, de poeniten. et remiss.

(11) Fagnan. in cap. Cum accessissent, n. 14, de constit.

(12) Gloss. in Clement. I, verb. Inhibentes, de iurepatronat.; Rot. in decis. 34, n. 2, part. 1 Recent.

(13) Passerin. de Elect. cap. 32, n. 69; Rot. in Firmana Capellaniae 28 Februarii 1755 §. 5, coram Amadeo.

§. I.

ADMINISTRATIO IN GENERE.

1. Administratio a iure dominii differt *in Romana Praelaturae die 25 Ianuarii 1845* §. *Eversa* (1).

2. Itaque triplex est Ecclesiarum earumque fabricae et redituum administratio, scilicet providentialis, ministerialis, et praeeminentialis *in Savonen. die 8 Februarii 1744* §. *Altero* (2).

3. Hinc inter spiritualium ac temporalium administrationem, distinguendum est *in Ianuen. Literarum Apostolicarum die 24 Martii 1838* §. *Difficultas.*

4. Illa quippe sita est, in formali Ecclesiae regimine; videlicet, in divinis celebrandis, eisque fidelibus tribuendis, atque in illis spiritualibus actibus explicandis, quae ecclesiasticis Personis tantum conceduntur *in Ianuen. Literarum Apostolicarum die 24 Martii 1838* §. *Difficultas.*

5. Altera importat, tam supellectilium custodiam, quam temporalium bonorum curam ac oeconomicam dispensationem, ne dissipentur ac in alios usus convertantur *in Ianuen. Literarum Apostolicarum die 24 Martii 1838* §. *Difficultas* (3).

6. De iure itaque non praesumitur administratio *in Tudertina Reddditionis Rationis die 21 Aprilis 1787* §. *At inficiatur* (4).

7. Ac multo minus praesumi debet, in Exequutoribus testamentariis, qui non tenentur, ratione officii, administrare *in Tudertina Redditionis Rationis die 21 Aprilis 1787* §. *At inficiatur* (5).

8. Immo contraria potius urget praesumptio, quod, ob delatam Societatibus hereditatem, Administratores potius fuerint Sodales, quorum principaliter intererat Piorum Operum implementum *in Tudertina Redditionis Rationis die 21 Aprilis 1787* §. *At inficiatur* (6).

9. Limita, si facta, quae secus demonstrant, concurrant; scilicet retentio librorum, exactio fructuum, solutiones, et similia, ob quae Exequutor de plerisque hereditariis bonis disposuit *in Tudertina Redditionis Rationis die 21 Aprilis 1787* §. *Legalibus.*

10. Nam is verus dicitur Administrator, qui bona contrectat *in Tudertina Redditionis Rationis die 21 Aprilis 1787* §. *Legalibus* (7).

11. Praesertim, si in eo qualitas Exequutoris testamentarii concurrat *in Tudertina Redditionis Rationis die 21 Aprilis 1787* §. *Sedulo.*

12. Nam Heredis loco quodammodo habetur Pii Operis Exequutor *in Tudertina Redditionis Rationis die 21 Aprilis 1787* §. *Sedulo* (8).

13. Iamvero Paulus Spaziani Heredes ex asse instituit anno 1606 Societates Sanctissimi Sacramenti, Conceptionis, et Rosarii Civitellae, iussitque, ut publicum retineret Ludimagistrum, annuas cum Anniversario celebrari facerent Missas quinquaginta, hebdomadales tres, ceterosque hereditatis fructus in temporales erogarent Dotes scutorum vigintiquinque. Huiusce autem dispositionis exequutores dedit Priorem seu Archipresbiterum pro tempore eiusdem Castri Civitellae, et Priorem Cathedralis Ecclesiae Tudertinae.

14. Post alios, qui decesserunt, delatum novissime fuit Exequutorum munus ad Tudertinum Priorem Benedictum Laurenti et Philippum Dominici Priorem Civitellae. Hos iterum atque iterum apud summum Pontificem malae administrationis incusarunt Confraternitatum Sodales; precibusque ad Tudertinum Episcopum remissis, prae omnibus ille in administra-

(1) L. fin. Cod. de adquiren. possession.; Card. De Luc. de fideicomm. disc. 1, n. 2; disc. 86 n. 5.

(2) Archidiacon. in Can. Laicis, quaest. 7; Vanespen. in ius eccles. part. 2, tit. 33, cap. 10, n. 26; et plene Card. Petra ad Constit. 1 Anastasii IV, Sect. 2, n. 48.

(3) Card. De Luc. miscellan. Eccles. disc. n. 35, n. 9 et seqq.

(4) Rot. in Romana Pecuniariae 9 Maii 1757 §. 3, coram Stadion.

(5) Rot. in decis. 349, n. 1, part. 15. Recent.

(6) Rot. in decis. 242, n. 3 et 6, part. 5, tom. 1 Recent.

(7) Rot. in decis. 833, n. 2, coram Lancetta; in decis. 506, n. 4, coram Molin.; in Ariminen. Redditionis Rationis 6 Iunii 1710, §. 3 et seqq. coram Scotto.

(8) Piton. controv. patron. Allegat. 14, n. 5.

tionem hereditatis deputavit Dominicum Pensi, deindeque per definitivam sententiam edixit: – Reos conventos (Priores nempe) teneri, et obligatos esse ad legitimam redditionem rationis, et pro huiusmodi effectu contra eosdem relaxandum fore et esse mandatum de gravando in scuto uno quolibet die, donec legitimam reddiderint rationem. –

15. Re autem ad Sacram Congregationem in gradu appellationis delata, propositis dubiis: – I. An constet de administratione exercita per Archipresbiterum Philippum Dominici ac Priorem Bernardinum Laurenti, ita ut sit locus redditioni rationis in casu etc. *Et quatenus affirmative.*

II. An et a quo tempore sustineantur gravatoriae in casu etc. –, eadem Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative, pro negotiis Confraternitatis, ab unoquoque gestis, infra terminum, ab Episcopo praefiniendum. Ad secundum, Negative – *in Tudertina Redditionis Rationis die 21 Aprilis 1787.*

16. Repropositis dein dubiis, sub formula: – An sit standum vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, In decisis, et amplius. Ad secundum, In decisis, et amplius – *in Tudertina Redditionis Rationis die 28 Iulii 1787.*

17. Ob id vero praefatos Philippum Dominici ac Bernardinum Laurenti a pecuniaria poena absolvisse videtur S. Congregatio, quia apertissime ad effectum poenae non constitit de administratione per ipsos exercita; idcirco resolutio secundi dubii a primo pendere omnino non poterat *in Tudertina Redditionis Rationis die 21 Aprilis 1787* §. *Resolutione.*

18. Ceterum plena et absoluta potestas quandoque probatur, ex unica facultate deputandi inferiores Administratores *in Placentina Cooperturae die 19 Aprilis 1845* §. *Probato plene liberae* (1).

19. Methodus erogationis redituum, per Fundatorem constituta, servanda omnino est *in Florentina Administrationis Legati die 16 Septembris 1854* §. *Ad primum.*

20. Nam voluntates Defunctorum non sunt commutandae, sed religiosissime observandae ac exequendae *in Florentina Administrationis Legati die 16 Septembris 1854* §. *Ad primum* (2).

21. Idque, ne viventes, qui commutatas vident ultimas Mortuorum voluntates, retrahantur a piis ineundis dispositionibus *in Florentina Administrationis Legati die 16 Septembris 1584* §. *Ad primum* (3).

22. Immo expedit quandoque, ut neque in melius commutatio fiat, cum huiusmodi commutationi enixa et firma resistit voluntas Testatoris *in Florentina Administrationis Legati die 16 Septembris 1854* §. *Ad primum* (4).

23. Et quamvis dispositio haec limitationem patiatur, vel quando Pium Opus a Testatore praescriptum impleri non possit (5), vel quando iusta rationabilis et necessaria concurrat commutandi causa (6), id tamen non obtinet, quando Pium Opus commode et uberrime exequutioni demandari potest *in Florentina Administrationis Legati die 16 Septembris 1854* §. *Et quamvis* (7).

24. Ratio namque postulat, ut iis, quae bene constituta sunt, contrariis ordinationibus non detrahatur *in Florentina Administrationibus Legati die 16 Septembris 1854* §. *Et quamvis.*

25. Invecta igitur administrationis methodus, contra legem fundationis, revocanda videretur *in Florentina Administrationis Legati die 16 Septembris 1854* §. *Et quamvis* (8).

26. Praesertim, si minime doceatur, intervenisse summi Pontificis sanctionem, ad quem pertinet commutare voluntates Defunctorum

(1) Clem. Quia contigit, §. Ut autem, de relig. domib.; Rot. in decis. 625, n. 3 et seqq., coram Coccino; in decis. 115. n. 15, coram Lancetta.

(2) Concil. Trid. cap. 6, sess. 22, de Reform.; ac saepe definivit S. Congregatio, uti in Florentina Commutationis voluntatis 15 Februarii 1747.

(3) Card. Petra in Comment. ad Constit. 7 Innocentii IV, n. 50, tom. 3.

(4) Card. Petra loc. cit.

(5) L. 16, ff. de usu et usufruct. legat.; Cap. Nos quidem 3, de testam.

(6) Concil. Trid. cap. 6, sess. 22, de Reform.

(7) S. Congreg. in Forosempronien. Commutationis voluntatis 16 Maii 1778, ac alibi passim.

(8) Concil. Trid. cap. 6, sess. 22 de Reform.

*

in Florentina Administrationis Legati die 16 Septembris 1854 §. *Et quamvis* (1).

27. Perpendendum tamen est, num reapse expediat pristinum distributionis redituum ordinem ad observantiam revocare *in Florentina Administrationis Legati die 16 Septembris 1854* §. *Ex altera.*

28. Praesertim, si de minima variatione, quae nullius fortasse iura laedit, et utilitatem Pauperibus, qui in subsidium vocati sunt, praestat; ideoque admittenda *in Florentina Administrationis Legati die 16 Septembris 1854* §. *Ex altera* (2).

29. Et Fundatoris voluntas in hac variatione concurrat *in Florentina Administrationis Legati die 16 Septembris 1854* §. *Ex altera.*

30. Et longissimi potissimum temporis observantia et consuetudo accedat, quae dirimere valet quidquid in contrarium praescriptum sit etiam a Fundatore *in Asten. Visitationis Sacrorum Liminum die 16 Februarii 1781* §. *Ad hanc.*

Item *in Florentina Administrationis Legati die 16 Septembris 1854* §. *Ex altera.*

31. Nam, post centenarium temporis lapsum, omnia rite recteque et cum meliori titulo, non excluso Beneplacito Apostolico, gesta fuisse praesumitur *in Florentina Administrationis Legati die 16 Septembris 1854* §. *Ex altera* (3).

32. Hinc, quamvis legitimi tituli, quoad novam invectam methodum, documentum reperiri datum non fuerit; attamen, post biscentum fere annorum observantiam, melior quilibet titulus, ac proinde Beneplacitum etiam Apostolicum praesumendum est *in Florentina Administrationis Legati die 31 Martii 1855* §. *Ad primum* (4).

33. Immo huiusmodi observantia, sancita etiam ex sacrarum Visitationum decretis ac modis omnibus comprobata, etiam in vim praescriptionis valet titulum suppeditare, omni exceptione maiorem, ac vim etiam habet adversus ipsam fundationis legem, si haec inter latebras antiquitatis non delitesceret *in Imolen. Iurispatronatus et Administrationis die 18 Decembris 1858* §. *Hanc.*

34. Siquidem inter plura Legata Pia, quorum administratio Capitulo Metropolitano Ecclesiae Florentinae concredita est, illud etiam recensetur, quod a pio Benefactore Zanobi Mazzinghi nomen habet, cuius reditus post multas temporum vicissitudines scutata quatuordecim monetae Florentinae in praesens attingunt. Testamento itaque die 23 Aprilis 1660 haec quoad Legati erogationem statuerat Mazzinghius: 1. Quod decima pars redituum, deductis expensis, spectaret ad Capitulum, pro labore administrationis et manutentione fundorum: 2. Quod reliqui reditus omnes, aequis partibus, inter Antistites Florentinum, Pistoriensem, ac Fesulanum distribuerentur, impendendi pro expensis sacrarum Missionum, quin ullatenus in aliud opus etiam maius impendi possent. Quibus Praesulibus vel eorum Vicariis - S'aspetti il farne i mandati o ordini di pagamento per le Missioni cominciate, o preparate, o da farsi incontanente, per quelle somme, che bisogneranno per quelle Missioni e non più - diserte prohibens - di far mandati di pagamento anticipati per le Missioni da farsi in futuro. 3. Che ogni anno si debba bilanciare il conto di dette entrate, ed ogni avanzo di esse che vi sarà, o per non essersi fatte in quell' anno le Missioni, o per non essersi speso quanto importeranno dette entrate, dedotta la decima parte per il Capitolo, il tutto si aspetti e si consegni ai signori Buonomini di S. Martino suoi Eredi infrascritti per dispensare ai Poveri, conforme ai loro ordini etc. -

35. Inde vero Camerarii Capituli, collata hac pia dispositione cum praxi, quae hactenus in Legati administratione servata est (5), de validitate dubitarunt. Nonnullos praeterea er-

(1) Clement. Quia contingit; ibique Gloss. de Relig. domib.; Urbanus VIII in Constit. incipien. *Cum saepe*, et Innocentius XII in Constit. edita die 20 Decembris 1697.

(2) Barbos. ad Concil. Trid. Sess. 22, cap. 6, de Reform., de offic. et potest. Episcop. Allegat. 83, n. 12.

(3) Rot. in decis. 46, n. 8, part. 17 Recent.

(4) Post Constitutionem Urbani VIII, incipien. *Romanus Pontifex*, unanimiter firmant Barbos. de offic. et potest. Episcop. Allegat. 95, n. 72; Gratian. discept. foren. cap. 867, n. 50; Rot. in Romana oblationum 25 Ianuarii §. 5, coram Crispolto.; S. Congreg. in Avenionen. Capellaniae 16 Septembris 1780.

(5) Idcirco expostularunt: - 1. Se debba approvarsi e mantenersi l'ordine di distribuzione delle rendite cominciato, non si sa come, nè perchè, nel 1672, ossia dodici anni dopo la morte del Mazzinghi, di assegnare a ciascuno de' tre Pre-

rores in administrationis gestionem irrepsisse compertum habuere. Primus in hoc erat, quod ab anno 1660 usque ad annum 1788, spatio nimirum annorum centum viginti et octo Capitulum sibi applicavit decimam omnium redituum, haud subductis expensis ac oneribus, quotam; dum ex dispositione Testatoris decima haec ex reditibus *puris* detrahenda erat. Quamvis ab eo anno in posterum huic errori occurrerint Capitulares, nihil tamen de praeterito tempore soliciti fuere. Alter in eo est, quod Laudemia primarum ac sequentium concessionum, quas vocant *d' allivellazione* distribuerint ac si redituum et non sortis potius rationem haberent.

36. Propositis hinc dubiis: - I. An et quomodo servanda sit methodus distributionis redituum invecta anno 1672, seu potius sit revocanda ad observantiam lex fundationis in casu.

II. An et quomodo teneantur Episcopi docere de erogatione quotae ipsis assignatae in casu.

III. An honorarium Ratiocinatoris et Arcarii detrahendum sit ex quota legata Capitulo in casu. *Et quatenus affirmative.*

IV. An et pro qua summa sit locus condonationi, quoad reditus indebite perceptos in casu.

V. An et quomodo detrahendae sint expensae pro exactione pensionum in casu.

VI. An redituum ex facto Exactoris amissio imputanda sit Capitulo, seu potius cedere debeat in damnum Legati Pii in casu.

VII. An et quomodo probanda sit proposita redituum restitutio in casu (1).

VIII. An sit locus absolutioni et sanationi ob omissum investimentum Laudemiorum in casu -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam. Ad secundum, Negative, servata tamen lege fundationis super erogatione. Ad tertium, Negative. Ad quartum, Provisum in praecedente. Ad quintum, Affirmative, ex reditibus Legati. Ad sextum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam. Ad septimum, Affirmative, subductis tamen expensis a Capitulo toleratis, pro exactione pensionum, infra terminum ab Episcopo praefiniendum, non ultra quinquennium. Ad octavum, Negative, deductis tamen ex debito Capituli augumentis, ex fructuum investimento, ob Locorum Montium acquisitionem, et ob insolutorum fructuum in caput conversionem - *in Florentina Administrationis Legati die 16 Septembris 1854.*

37. Repropositis dein duobus dubiis, sub formula: - I. An sit standum, vel recedendum a decisis in primo dubio in casu.

II. An sit standum, vel recedendum a decisis in octavo dubio in casu -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Praevio recessu a decisis, servandam esse methodum distributionis redituum invectam anno 1672, facto verbo cum Sanctissimo. Ad secundum, Recedendum a decisis, facto verbo cum Sanctissimo - *in Florentina Administrationis Legati die 31 Martii 1855.*

38. Hinc eo vel magis, si leges originariae fundationis deficiant, iis plane adhaerendum, quae in Episcoporum decretis sancita sunt, quoad

lati una somma fissa di scudi centoventi, minore del terzo delle rendite, sicchè resti sempre un'avanzo per i Buonomini oppure, se come fu da principio, questo avanzo debba andar soggetto alle vicende delle maggiori o minori spese che occorressero talvolta per le Missioni.

2. Se vietato espressamente dal Testatore il pagar somme anticipate per Missioni da farsi in futuro e in quantità maggiore necessaria a una determinata Missione debba dal Capitolo richiedersi.... giustificazione dai Vescovi delle somme, che domandano sul legato, oppure come si pratica da lungo tempo, pagare senz' altro a questi la loro quota in rate di scudi sessanta, lasciando alla loro coscienza la cura dell' impiego di essi.

3. Se la provisione del Computista e Cassiere del Capitolo, la quale è di scudi dodici in tutto, debba considerarsi, come è stata fin qui, fra le spese necessarie da detrarsi sulla somma delle rendite lorde, oppure come pretesero una volta i Buonomini sopportarsi dal Capitolo sul decimo legatogli.

4. Se la spesa di esazione delle pigioni spettanti a questo legato fosse giustamente dal Capitolo recata tutta sopra di se, oppure dovesse e debba sottrarsi anch' essa coll' altre spese necessarie dal totale delle rendite.

5. Essendovi ogni ragione di credere, che una somma di L. 296. 6. 8, di che in scrittura appariscon debitori due pigionali di una casa Mazzinghi già da lunga pezza venduta, sia stata defraudata da un' Esattore, che tradì la fede del Capitolo, e lui pure di molto maggior somma defraudò, se sia giusto che di questa somma porti il danno il Capitolo Amministratore, o non piuttosto il patrimonio amministrato -.

(1) Siquidem Capitulares ab Sacra Congregatione gratiam efflagitarunt - di concederne la composizione in tante rate annue, in quante secondo l' importare di esso, giudicheranno gli Esponenti potersi riparare, senza grave sconcio dell'Amministrazione Capitolare -.

distributionem eleemosynarum *in Imolen. Iurispatronatus et Administrationis die 9 Aprilis 1859* §. *Ad tertium.*

39. Praesertim, si transactio accedat, qua distributio firmata maneat *in Imolen. Iurispatronatus et Administrationis die 18 Decembris 1858* §. *Hanc.*

40. Enimvero post hominum memoriam in Castro Zagonariae erectum Hospitale extitit, divo Antonio Abbati dicatum, a pluribus familiis De-Riccis, quae illius iuspatronatus ac regimen ab antiquissimo tempore semper tenuerunt, sine ulla dependentia a Parocho, ceu ex antiquissima Lugi historia deprehenditur. At volvente anno 1424 praefatum Castrum ruinis obrutum fuit, ob bella inter italicos Duces exorta, ut adeo habitatores suos lares transtulerint in vicina Oppida, ac praesertim in Villam S. Martini seu Canalis Ripati, et in Civitatem Lugi, quos inter familiae De-Riccis, quae ipsum Hospitale fundaverant.

41. Anno autem 1522, uti eruitur ex Decreto Ordinarii Imolensis, Benedictus Franceschini quondam Iacomini, Laurentius Tonioli, Hieronymus Blasi, Ioannes Andreas a Pane, omnes de agnatione illorum De-Riccis, existentium in territorio Lugi Imolensis Dioecesis, cum dubitarent, dictum Hospitale (quod exposuerant fuisse fundatum ad usum Pauperum, eo confluentium) fortasse carere legitima et canonica fundatione, et vererentur, se illud aliquo saltem incerto et canonico titulo possidere, rogatum adivere Episcopum Scribonium, ut praedictam fundationem, pro maioris roboris firmitate, confirmare dignaretur, ipsorum favore. Ordinarius illico precibus morem gessit, et Hospitale in regimen et gubernium praedictis hominibus Patronis ac eorum Descendentibus perpetuo concessit; eisdemque indulsit, ut, fructus, reditus, proventus, et emolumenta universa, in praedicti Hospitalis ac Pauperum Personarum Viduarum et Orphanorum usus et utilitatem, converterent, alterius cuiusvis super hoc licentia minime requisita. -

42. Deinde anno 1542 alio Decreto Ordinarius Imolensis regimen et Administrationem eiusdem Hospitalis concessit Hieronymo Blasi, Antonio Benedicto Franceschini, Marco Bertini, Ioanni Baptistae Tonioli, Marco Ioanni Andreae, Zano Stephani a Pane, ceterisque omnibus de agnatione illorum de-Riccis, existentium in territorio Lugi Imolensis Diaecesis, qui primis Administratoribus iam vita functis substitui postulaverant. Atque isthaec Ordinariorum Decreta commemorata habentur in posterioribus Apostolicis Literis S. M. Pauli V anni 1615, compositionem quamdam cum Reverenda Fabrica prae se ferentibus, favore cuiusdam Vincentii De-Riccis, ut fructus Hospitalis in suos usus et utilitatem converteret.

43. Nihilominus Familiae De-Riccis, quae post Castri Zagonariae eversionem in Villam Canalis Ripati seu S. Martini se receperant, in possessione se fuisse Iurispatronatus et Administrationis Hospitalis, usque ab anno 1613, ex allatis documentis, comprobarunt; atque eleemosynas distributas omni aevo etiam Pauperibus fuisse eiusdem Villae: quod ex Administrationum codicibus, etiam Matrimoniorum libris, atque ex Sacrarum Visitationum decretis revincere satagerunt. Tandem provisionalem quamdam concordiam die 11 Februarii 1835 initam, auctorante tunc temporis Eminentissimo Archiepiscopo Imolensi, nunc Sanctissimo Principe, qua duae ex quinque partibus reditum Hospitalis adsignatae fuerunt Pauperibus Zagonariae, tres ex quinque Pauperibus Villae Canalis Ripati.

44. Verum Parochus Zagonariae Sacerdos Ioannes Pifferi vadimonium indixit coram Sacra Congregatione decem Officialibus Ricci, qui in possessione erant Iurispatronatus et Administrationis bonorum praefati Hospitalis, atque institit declarari - Omnes citatos non legitimos Patronos Pii Hospitalis S. Antonii Zagonariae: et, attento defectu Patronorum, tutelam, gubernium, et regimen Hospitalis, ad formam Sacrorum Canonum pertinuisse et pertinere ad Episcopum Imolensem, ius vero administrandi et compartiendi eleemosynam spectavisse et spectare ad Parochum pro tempore Villae Zagonariae, vel cui Episcopus supradictus ius dederit; atque insuper decerni, quod reditus omnes sint erogandi in levamen et auxilium Pauperum Zagonariae tantum et eo confluentium, exclusis Pauperibus cuiusvis alterius Villae vel Oppidi aut Civitatis, et signanter illis Villae Canalis Ripati.

45. Propositis vero dubiis: - I. An constet de legitimo Iurepatronatus, favore citatorum in casu. *Et quatenus negative.* II. An cuius vel quorum favore spectet ius administrandi vel

distribuendi eleemosynas in casu. III. An et quomodo et quorum favore sit facienda distributio eleemosynarum in casu –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Provisum in primo. Ad tertium, Affirmative, ad formam transactionis anni 1835, firmo iure Ordinarii Imolensis, ad formam sacrorum Canonum – *in Imolen. Iurispatronatus et Administrationis die 9 Aprilis 1859.*

46. Presbiteri Ecclesiae Parochialis S. Mariae Virginis Civitatis Mataronae, pro erectione Communitatis in eadem Ecclesia, ut malae administrationi redituum eiusdem, quae Rectori pro tempore incumbit, consulerent, supplicarunt; sed incassum. Nam dubio proposito: – II. An et quomodo sit providendum, circa administrationem redituum communium Ecclesiae –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, Providendum, iuxta votum Episcopi – *in Barchinonen. Erectionis Communitatis die 1 Aprilis 1702* (1).

47. Ac deinde proposito dubio: – An resolutio praedicta intelligi debeat in omnibus et per omnia, iuxta integrum votum Episcopi in quacumque parte, seu iuxta secundam dicti voti partem –, Sacra Congregatio respondit: – Resolutionem iuxta secundam voti Episcopi partem tantum esse intelligendam – *in Barchinonen. Erectionis Communitatis die 9 Septembris 1702.*

48. Administratio Patroni impedimento esse potest, ne venditio fieri valeat, eodem dissentiente *in Anconitana Venditionis die 21 Aprilis 1792* §. *Neque.*

49. Verum per unionem bonorum massae capitulari factam, ea translata ad Capitulum censetur *in Anconitana Venditionis die 21 Aprilis 1792* §. *Neque* (2).

50. Idcirco venia vendendi, a Patrono petita, ad honestatem referenda esse videtur *in Anconitana Venditionis die 21 Aprilis 1792* §. *Neque* (3).

51. Ceterum nullum ius esse Canonicis vendendi bona videtur, quae ad Patronum hereditario pertinent titulo, ab eoque cum reliquis bonis Testatoris ad formam testamenti administrantur *in Anconitana Venditionis die 21 Aprilis 1792* §. *Nullum.*

52. Quum enim mandaverit Testator, quod Patronus deberet, ex fructibus, summam determinatam et non amplius tribuere, simplices idcirco quantitatis legatarii sunt Canonici, qui legatam summam ex ipsis non percipiunt *in Anconitana Venditionis die 21 Aprilis 1792* §. *Nullum* (4).

53. Ac disponere forsan nequeunt de fundo, qui sub aliena est administratione *in Anconitana Venditionis die 21 Aprilis 1792* §. *Nullum.*

54. Nam quod nostrum est, nobis auferri non potest invitis *in Anconitana Venditionis die 21 Aprilis 1792* §. *Nullum* (5).

55. Conciliari autem valet praebendarum unio cum administratione Patroni, ac veluti expleta de solis fructibus, ad quantitatem restringitur legatam *in Anconitana Venditionis die 21 Aprilis 1792* §. *Nullum.*

56. Praesertim, si Testator Administratorem voluerit diligentem; nam tunc implicite saltem prohibuit alienationem *in Anconitana Visitationis die 21 Aprilis 1792* §. *Nullum.*

57. Hinc Sacra Congregatio alienationem huiusmodi prohibuit, nisi in casu evidentis utilitatis et necessitatis, verificandae coram seipsa *in Anconitana Venditionis die 21 Aprilis 1792.*

58. Iamvero Collegiatae Ecclesiae S. Mariae de Platea Anconae, in qua sex ultra Praepositum erant Canonici, totidem additi sunt, ex testamento comitissae Camillae Ferretti. Heredem

(1) Praefatus Episcopus haec deducere censuit: – Quoad administrationem redituum, duos aut quatuor ex residentibus eligere, qui cum eodem Rectore votum consultivum haberent in reinvestimentis redituum, et in casu discordiae consuli debere ipsimet Ordinario, pro beneplacito; deputatis quoque Archivista, pro scripturis, aliisque Ministris, pro bono regimine, necessariis: et quoad dispensationem distributionum, ad eumdem Rectorem spectare debere, veluti ad ipsum spectat administratio omnium redituum, quibus omnibus, ait, modernum Rectorem assentiri: residentes autem, nisi votum decisivum in dictis investimentis habeant, nolle acquiescere –.

(2) Ancharan. in cap. Accessorium, n. 2, de regul. iur. in 6; Caccialup. de union. Art. 8, n. 8; Rot. in decis. 710, n. 2, part. 2 Recent.

(3) Card. Petra ad Constit. Divi Leonis Magni, Sect. 3, n. 18 et seqq.

(4) L. Fundi treboniani 38, ff. de usu et usufruct. legat.; Brunnemann. in Leg. Patrimonii mei, ff. eod. tit.; Voet in pandect. lib. 33, tit. 2, §. 2; Rot. in Caesenaten. seu Forolivien. Legati 1 Martii 1771 §. 6, coram Ratta.

(5) Henric. Coccei in comment. ad Grot. lib. 2, cap. 14, §. 8 in princ.; Samuel Coccei, iur. controv. lib. 1, tit. 4 de Constit. princip. §. 2 et seqq.; Covar. var. resol. lib. 3. cap. 6, n. 5.

enim pia Mulier scripsit anno 1709 comitem Bartholomaeum de Tauro-Leonibus eius virum in usufructu; Anconitanam vero Communitatem in proprietate, cum obligatione fundandi erigendique in Ecclesia S. Mariae de Platea Collegiatam de iurepatronatus praefatae Communitatis tot Canonicatus, quot ferre possent, detractis expensis, fructus hereditatis; et praestandi singulis Canonicis usque ad summam scutorum quinquaginta et non amplius; nec non facultate deputandi Administratorem, qui assuetum retineret librum, et superextantes quotannis deponeret reditus, solutis interim expensis, satisfactis legatis, atque Canonicis.

59. Imminutis Canonicorum primae erectionis reditibus, iis Clemens XIII addixit reditus Ferretti, qui, post sextum ex instituto multiplico erectum canonicatum, superessent: et Sanctissimus tandem Pius VI, per organum Eminentissimi Anconitani Episcopi, - reditus atque onera Canonicorum tum primae tum secundae erectionis univit vicissim incorporavit atque in unam communem massam, respectu omnium dictorum Canonicorum redegit; itaut omnes praedicti reditus, qui nunc sunt ac in posterum erunt, inter eos aequaliter dividantur quotannis. Duas prae ceteris ex hereditate Ferretti possidebant Canonici domos, angustiorem unam prope Ecclesiam S. Iacobi, ampliorem trium contignationum alteram in promercali Foro; easque indigentes reparationibus, expositasque periculo incendii, ob ligneas scalas, ligneasque mansionum divisiones.

60. Illas igitur venum tradere decreverunt, acceptaque Communitatis Patronae repulsa, Sanctissimo supplicarunt, pro facultate conficiendi distinctas cuiusque contignationis venditiones, ut meliores inter plures essent Oblatores, solutis per Emptores ad novum pretii investimentum compensativis fructibus scutorum quatuor in singula centum. Precibus ad Sacram Congregationem remissis, Partium dum-taxat exposuit iura Eminentissimus Episcopus. His itaque expensis, proposito dubio: - An et quomodo sit locus venditioni domorum hereditatis comitissae Ferretti in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Negative, nisi in casu evidentis utilitatis et necessitatis, verificandae coram Sacra Congregatione - *in Anconitana Venditionis die 21 Aprilis 1792.*

61. Orta est controversia inter Canonicos et Beneficiatos Collegiatae Ecclesiae S. Agricolae. Inter alia, proposito dubio: - X. An reditus fundationum, tam particularium pro Canonicis, quam aliarum fundationum pro Missis, administrari debeant distincte a reditibus massae Capitularis -, Sacra Congregatio respondit: - Ad decimum, Affirmative, retentis per eumdem Administratorem distinctis computis - *in Avenionen. die 19 Septembris 1733.*

62. Administrationis impensae, ex fructibus, iuxta eorum naturam, subduci debent *in Alexandrina die 26 Novembris 1785* §. *Quamquam* (1).

63. Hinc vix posse dubitari videtur, quin exactionis impensae, ex integra redituum massa, detrahendae sint *in Florentina Administrationis Legati die 16 Septembris 1854* §. *Ad quintum.*

64. Quod quidem iuris communis dispositioni consentaneum est *in Florentina Administrationis Legati die 16 Septembris 1854* §. *Ad quintum.*

65. Administrator enim quaecumque facit, facere censetur sumptibus Domini, non autem propriis *in Florentina Administrationis Legati die 16 Septembris 1854* §. *Ad quintum* (2).

66. Ideoque ratio postulat, ut huiusmodi expensae, quas ex errore quis sustinuit, in diminutionem conferantur debiti, quo erga Administrationem tenetur *in Florentina Administrationis Legati die 16 Septembris 1854* §. *Ad quintum.*

(1) L. Fructus, ff. solut. matrimonio; L. Fructus, §. Impendia, Cod. L. 1, cod. de Fruct. et lit. expens.
(2) Rot. in decis. 70, n. 7, part. 18, tom. 1 Recent.

§. II.

ADMINISTRATIO QUOAD PERTINENTIAM ET EXERCITIUM.

1. Administratio providentialis Laicis competit *in Savonen. die 8 Februarii 1744 §. Altero.*

2. Ad Ecclesiae Rectorem et ad Capitulum pertinet administratio ministerialis *in Savonen. die 8 Februarii 1744 §. Altero.*

3. Ea vero, quae dicitur praeeminentialis soli Episcopo data est *in Savonen. die 8 Februarii 1744 §. Altero* (1).

4. Demum Administratio Ecclesiae suffraganeae, et Capitulo carentis, spectat ad Metropolitanum; et Ecclesiae Metropolitanae, si Pastore careat, ad illius Capitulum *in Dubio Administrationis Ecclesiae die 28 Augusti 1683 lib. 33 decretorum pag. 271.*

5. Hinc Episcopus de iure primus Parochus est totius Diaecesis, et praeeminentialem habet curam omnium illius Ecclesiarum *in Forosempronien. Iurium Parochialium die 11 Aprilis 1761 §. Et eo facilius* (2).

6. Accapropter administratio bonorum Ecclesiae moderari debet ab Episcopo *in Asculana die 21 Iunii 1788 §. Res est.*

7. Itaque Confratribus competit quidem Administratio bonorum Societatis, sed aeque Episcopo competit ius visitandi Confraternitatem *in Balneoregien. Electionis Alumni die 26 Augusti 1769 §. Ad III fatetur* (3).

8. Imo Episcopo incumbit abusus tollere, ut Confraternitatum bona recte ac fideliter administrentur *in Balneoregien. Electionis Alumni die 26 Augusti 1769 §. Ad III fatetur* (4).

9. Nam administratio proventuum, spectantium ad Confraternitates et Loca Pia, non pertinet ad Confratres et Officiales, cum omnimoda independentia ab Episcopo *in Iuvenacen. Administrationis die 7 Iulii et die 17 Novembris 1736.*

10. Sed potius erogatio proventuum facienda est a Confratribus et Officialibus, cum scientia et approbatione Episcopi *in Iuvenacen. Administrationis die 7 Iulii et die 17 Novembris 1736.*

Item *in Vasionen. Distributionis Eleemosynarum die 24 Augusti 1743 §. Denique.*

11. Hinc erogatio proventuum facienda quidem a Confratribus et Officialibus Episcopo in visitatione, sed ad arbitrium eiusdem Episcopi, intra fines in fundatione praestitutos *in Iuvenacen. Administrationis die 17 Novembris 1736.*

12. Amplia, etiamsi Confraternitas, hac lege, erecta fuerit, ut scilicet proventus ac dos Capellae per Officiales ac Procuratores eius, iuxta eorum arbitrium, erogarentur *in Iuvenacen. Administrationis die 2 Iunii §. Ab hoc, et die 17 Novembris 1736.*

13. Et concurreret longaeva consuetudo, iuxta quam proventus Confraternitatis in Missarum celebrationem, eleemosynas, aliosque pios usus ab Officialibus distribui consueverunt, eorumque distributio subinde fuit ab Episcopis in actu Visitationis approbata *in Iuvenacen. Administrationis die 2 Iunii §. Ab hoc, et die 17 Novembris 1736.*

14. Siquidem, autumans Episcopus, non posse Administratores Confraternitatum, quae in Oppido Terlitii erectae reperiebantur, absque eius scientia et consensu proventus, ad easdem Confraternitates spectantes, in pios usus erogare, in pastorali Visitatione, novissime peracta, eos condemnavit in ea pecuniarum summa, quae, in Missarum celebrationem, in eleemosynas Pauperibus distributas, atque in defensionem iurium suarum Ecclesiarum, ab ipsis impensa asserebatur *in Iuvenacen. Administrationis die 2 Iunii 1736 §. Autumans.*

15. Ab hoc Decreto reclamarunt memorati Administratores, et triplici nomine contende-

(1) Archidiac. in Can. Laicis, C. 17 quaest. 7; Vanespen. in ius eccles. part. 2, tit. 33, cap. 10, n. 26; et plene Card. Petra ad Constit. 1 Anastasii IV, sect. 2, n. 48.

(2) Can Regenda, Can. Quaecumque, C. 10, quaest. 1; Lotter. de re benef. lib. 1, quaest. 9, n. 79; Barbos. de offic. et potest. Episcop. part. 3, Allegat. 80, n. 12.

(3) Concil. Trid. sess. 23, cap. 8 et 9 de reform.

(4) Barbos. ad cap. 8 et 9, sess. 23 Concilii Tridentini, n. 7, de reform.; et de offic. et potest. Episcop. Allegat. 75, n. 11; Monacell. tom. 2, tit. 14, form. 8, n. 1.

runt, se posse liberam controversam bonorum administrationem et curam gerere; primo, quia in iure receptum est, Administratores seu Officiales Confraternitatum aliorumque Piorum Locorum obstringi quidem bonorum fructus in pios usus a Testatoribus praescriptos impendere, gestaeque administrationis Episcopo reddere, nequaquam vero eius praevium consensum, pro dictis fructibus erogandis, expetere *in Iuvenacen. Administrationis die 2 Iunii 1736* §. *Ab hoc* (1).

16. Id enim resolvit Sacra Congregatio in Caesaraugustana die 22 Novembris 1588; in Urbinaten. 10 Martii 1633 ad XVII dubium; in Ferentina Iurisdictionis die 15 Martii 1704; in Laviacen. Confraternitatis die 20 Novembris 1710; in Firmana Iurisdictionis die 4 Augusti 1714 *in Iuvenacen. Administrationis die 2 Iunii 1736* §. *Ab hoc.*

17. Secundo, quia altera ex dictis Confraternitatibus, sub invocatione Corporis Christi, hac lege erecta fuit, ut fructus et dos Capellae ad arbitrium Confratrum erogarentur, exclusa quavis alia persona seu Praelato *in Iuvenacen. Administrationis die 2 Iunii 1736* §. *Ab hoc* (2).

18. Ac tertio demum, quia in horum omnium confirmationem concurrebat longaeva consuetudo, iuxta quam, proventus dictarum Confraternitatum in Missarum celebrationem, eleemosynas, aliosque pios usus ab Officialibus distribui consueverunt, eorumque distributio subinde fuit ab Episcopo in actu Visitationis approbata *in Iuvenacen. Administrationis die 2 Iunii 1736* §. *Ab hoc.*

19. Proposito vero dubio: - An administratio proventuum, spectantium ad Confraternitates et Loca Pia Terlitii, pertineat ad Confratres et Officiales, cum omnimoda independentia ab Episcopo, vel potius erogatio dictorum proventuum facienda sit a dictis Confratribus et Officialibus, cum scientia et approbatione Episcopi in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Negative quoad primam partem, Affirmative quoad secundam, ad formam decretorum bo. me. Episcopi Chiurlia - *in Iuvenacen. Administrationis die 7 Iulii 1736.*

20. Reproposito dein dubio, sub formula: - I. An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, In decisis - *in Iuvenacen. Administrationis die 17 Novembris 1736.*

21. Imo, proposito dubio: - II. An redditio rationis proventuum administratorum eorumque erogatio facienda sit a Confratribus seu Officialibus Episcopo in Visitatione, seu potius extra ad arbitrium dicti Episcopi in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad secundum, Affirmative quoad utramque partem, in loco Terlitii, et amplius - *in Iuvenacen. Administrationis die 17 Novembris 1736.*

22. Praeterea, quoad Loca Pia, propositis dubiis: - I. An Loca Pia Montis Alti Elpari, Hospitale scilicet, Mons Pietatis, et Mons Frumentarius subsint iurisdictioni, visitationi, correctioni Episcopi Montis Alti?

II. An administratio oeconomica eorumdem Locorum Piorum exercenda sit libere a Communitate laicali, vel potius dependenter a directione et auctoritate Ordinarii?

III. An eidem Episcopo ius competat, tam faciendi ordinationes, pro recta praedictorum Locorum administratione, quam approbandi Officiales, Administratores, et Revisores computorum a Communitate electos? -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam. Ad tertium, Affirmative - *in Montis Alti die 25 Ianuarii 1755.*

23. Quin imo Confratres nec etiam erigere possunt Montem frumentarium, et de illo ad libitum disponere, absque licentia Ordinarii *in Lancianen. Confraternitatis die 20 Septembris 1710 ad VIII dubium.*

24. Non possunt idcirco Confratres acceptare legata, et pecunias relictas a Testatoribus investire, vel in usus a Testatoribus destinatos, sive in alios erogare, absque licentia Or-

(1) Nicol. in Flos. Verb. Eleemosyna, n. 33; Pignatell. Consult. 50, n. 5, tom. 6; et Consult. 15, n. 32; Monacell. part. 1, tit. 6, form. 11, n. 16.

(2) Hisce quippe verbis praefata Confraternitas erecta fuerat: - Nelle quali robe e doti di detta Cappella non ci abbia da fare Prelato, nè il Coro e Capitolo, nè persona alcuna, ma solo tutto si abbia da dispensare per li Procuratori di detta Confraterna e Confrati di essa nel modo sopradetto, tutto in lode di nostro Signore Iddio, riverenza ed onore del Santissimo Sagramento, e sollevazione de' Poveri, e Persone miserabili, siccome essi Procuratori e Confrati dello Spirito Santo saranno spirati e guidati -.

dinarii *in Vasionen. Distributionis Eleemosynarum die 24 Augusti 1743* §. *Ponderandae.*

25. Quoad autem legata pure lucrativa et erogationem in usus a Testatoribus designatos possunt quidem, sed cum participatione Episcopi *in Vasionen. Distributionis Eleemosynarum die 24 Augusti 1743* §. *Ponderandae.*

26. Proposito enim dubio: - VI. An Officiales seu Confratres possint acceptare legata, et pecunias relictas a Testatoribus investire, vel in usus a Testatoribus destinatos, sive in alios erogare, absque licentia Ordinarii - S. Congregatio respondit: - Ad sextum, Negative, et quoad legata pure lucrativa et erogationem in usus a Testatoribus designatos, Affirmative, sed cum participatione Episcopi - *in Asculana die 24 Martii 1725.*

27. Certum itaque est, quod, si laicorum Confraternitates, sive cum Parocho sive ab illo seiunctae, fidelium oblationes administrant, illas tamen colligere nec erogare pro libitu possunt, sed omnino requiritur Episcopi auctoritas *in Ferrarien. Confraternitatis die 14 Septembris 1782* §. *Certum.*

28. Id enim expresse statuit Clemens VIII in Constitutione incipien. *Quaecumque,* edita die 7 Decembris 1604 *in Ferrarien. Confraternitatis die 14 Septembris 1782* §. *Certum.*

29. Immo Episcopo competit ius confirmandi Oeconomos et Administratores *in Balneoregien. Electionis Alumni die 14 Ianuarii 1769* §. *Circa.*

30. Limita, nisi Locus Pius erectus fuerit, absque Ordinarii auctoritate; tunc enim praeter visitationem et redditionem rationis accipiendam, nihil praeterea iuris habet *in Senogallien. die 8 Iunii 1765* §. *Ad VI* (1).

31. Praesertim, si a centum supra annis ita servatum fuerit; hinc, si opus esset, etiam privilegium exemptionis praesumitur *in Senogallien. die 8 Iunii 1765* §. *Ad VI* (2).

32. Iamvero Angelus Sammaranus e Monte Bodio Diaecesis Senogalliensis, Oppido prope sex millia hominum habente, anno 1585 Ioanni Baptistae filio substituit in universo asse Sodalitium Mortis, cum onere erigendi in patria Ecclesiam S. Iosephi et constituendi Hospitale, certis datis legibus. Substitutio non multo post tempore locum habuit. Ecclesia atque Hospitale constitutum est. Ex certis monumentis constitit, illud Vicarium Generalem Senogalliensem visitasse ac descripsisse iam ab anno 1639.

33. Sodalitium anno 1681, Ecclesiam cum Sacrario, supellectilibus, ac nonnullis domibus, concessit Presbiteris Oratorii S. Philippi Nerii, qui multa, quae implenda erant, onera Ecclesiae sibi assumpserant. Decessores Episcopi cl. me. Cardinalis Paracciani anno 1716, et Pichi 1720, tum Episcopus Castelli anno 1725, iteratis decretis, Sodalium negligentiam de Hospitalis administratione increpantes, Testatoris voluntatem integre servandam mandarunt, sed frustra. Propterea modernus Episcopus nonnulla in sacra Visitatione die 21 Septembris 1761 de Hospitali decreta edidit.

34. Sodales vero Episcopi decretis (3) responderunt, unicum semper Hospitalis fuisse Administrum, non immutandam hanc consuetudinem (4). Duorum administrationem noxiam certe esse, communi non adhuc diviso patrimonio, simul onerosam, ob duplex stipendium dandum.

35. Deduxerunt insuper, Hospitale nulla Ordinarii auctoritate erectum: Episcopum praeter visitationem et redditionem rationis accipiendam, nihil praeterea iuris habere. Ita a centum supra annis servatum fuisse: hinc si opus esset, etiam privilegium exemptionis praesumi. Convenire ipsas Synodales Constitutiones, quae de Officialibus eligendis quolibet anno nihil dicunt, adprobationem solummodo, si ultra annum exerceant, requirunt. De cautione autem danda decretum laudant.

36. Propositis idcirco dubiis: - V. An bona Hospitalis sint administranda per separatum Ministrum ab aliis bonis Confraternitatis in casu etc.

VI. An Administratores praedicti sint ad-

(1) Fagnan. in cap. de Xenod.; Tond. quaest. benef. part. 2, cap. 1, §. 7, n. 1.

(2) Cap. Cum de benefic. de praeben. in 6; Rot. in decis. 318, n. 9, coram Priolo.

(3) Enimvero Episcopus inter cetera haec praescripserat: - 5. Che la Compagnia venga alla nomina di due Ministri distinti, uno per l'amministrazione de' beni lasciati dal Sammarani, e l'altro di quelli spettanti alla Confraternita. 6. Acciò poi venga data pronta ed esatta esecuzione alla volontà di Angelo Sammarani, Sua Signoria Illustrissima deputò soprainten lenti a questo Ospitale il Padre Prevosto pro tempore di questa Congregazione dell' Oratorio di S. Filippo etc. -.

(4) Piton. Discept. Eccles. 9, n. 33.

*

probandi ab Ordinario, et cavere debeant de bene et fideliter administrando in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad quintum, Negative. Ad sextum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam - *in Senogallien. die 13 Iulii 1765.*

37. Confratres hinc libere disponere possunt de introitibus, effectibus, et eleemosynis eiusdem Confraternitatis, absque licentia Curiae Ecclesiasticae, exceptis tamen eleemosynis, in quibus servetur dispositio Bullae Clementis VIII *in Vasionen. Distributionis Eleemosynarum die 24 Augusti 1743* §. *Ponderandae.*

38. Proposito enim dubio: - III. An possint *(nempe Confratres)* libere disponere de introitibus, effectibus, et eleemosynis eiusdem Confraternitatis, absque licentia Curiae Archiepiscopalis -, S. Congregatio respondit: - Ad tertium, Affirmative, exceptis eleemosynis, in quibus servetur dispositio Bullae S. M. Clementis VIII - *in Lancianen. Confraternitatis die 10 Septembris 1710 Lib. 60 Decretorum pag. 260.*

39. Idcirco libera Sodalibus competit administratio bonorum Societatis *in Balneoregien. Electionis Alumni die 14 Ianuarii 1769* §. *Asserunt.*

40. Eisdem propterea auferri non potest administratio, nisi de abusu et dissipatione constiterit *in Balneoregien. Electionis Alumni die 14 Ianuarii 1769* §. *Asserunt.*

41. In hac inde administratione nullo modo sese Episcopus ingerere potest *in Balneoregien. Electionis Alumni die 14 Ianuarii 1769* §. *Asserunt* (1).

42. Nam Episcopus potest quidem ad tollendos abusus Edictis praecavere, ut bona Locorum Piorum fideliter administrentur, non tamen in administratione se posse miscere, sed illam Officialibus ad id electis relinquere debet *in Balneoregien. Electionis Alumni die 14 Ianuarii 1769* §. *Circa* (2).

43. Propterea Sacra Congregatio facultatem administrandi et exigendi reditus Confraternitatis, quam Episcopus interdixerat Officialibus, restituendam esse rescripsit *in Balneoregien. Electionis Alumni die 22 Ianuarii 1769.*

44. Proposito enim dubio: - III. An sit restituenda facultas Officialibus Confraternitatis administrandi et exigendi reditus eiusdem Confraternitatis, ita ut sint removenda sequestra in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Dilata, remotis sequestris et reintegratis interim Confratribus - *in Balneoregien. Electionis Alumni die 22 Ianuarii 1769.*

45. Reproposito dein praefato dubio, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative in omnibus - *in Balneoregien. Electionis Alumni die 16 Septembris 1769.*

46. Sane Concilium Tridentinum in Cap. 8 et 9 sess. 22 de reform. dedit quidem Episcopis facultates, ut visitent in casibus a iure concessis Hospitalia, Collegia, Confraternitates laicorum, et ut in singulis annis adsint redditioni rationum, etiam cum aliis ad id deputatis, non autem potestatem sese in administrationis negociis immiscendi, vel legati reditus pro lubitu erogandi *in Verulana Legati Pii die 26 Februarii 1853* §. *Et frustra.*

47. Quamobrem Sacra Congregatio rescripsit, Episcopum posse Confraternitatem visitare, administrationem autem Confraternitatis, et praesertim Hospitalis ei adiuncti, relinquendam Confraternitati et Officialibus ab ea deputatis, redituum autem et erogationem eleemosynarum, si in certos usus destinatae sunt, non debere nec posse Episcopum in alios usus convertere *in Verulana Legati Pii die 26 Februarii 1853* §. *Ne vero* (3).

48. Hinc administratio bonorum Confraternitatis, quae canonica caret institutione, libera est *in Firmana Emphytheusis die 19 Iunii 1802* §. *Praetermissa* (4).

49. Nec propterea Laici privandi sunt administratione Locorum Piorum *in Verulana Legati Pii die 26 Februarii 1853* §. *Ne vero.*

50. Nam etiam Laici acquirere possunt ius colligendi oblationes, illasque, iuxta consue-

(1) Pluries id etiam declaravit S. Congregatio Episcoporum et Regularium apud Pignatell. consult. 11, n. 5, tom. 6; et consult. 15, n. 32, tom. 7; Monacell. in formul. legal. tit. 6, n. 16, tom. 1; et tit. 14, n. 1, tom. 2.

(2) Nicol. in Floscul. Verb. Eleemosynae, n. 32; et resolvit S. Congregatio Episcoporum et Regularium in Castellaneten. 14 Novembris 1603.

(3) S. Congreg. apud Fagnan. in 2 part. decret. de religios. domib. Cap. *Ad haec*, n. 13.

(4) Bald. in Authen. Hoc ius, n. 3, de Sacros. Eccles.; Redoan. de reb. Eccles. non alien. Rubr. 27, n. 16; Card. de Luc. de alien. disc. 1, n. 11; Rot. in decis. 313, n. 6, part. 19 Recent.

tudinem, vel per seipsos vel una cum Parocho loci administrare *in Ferrarien. Confraternitatis die 14 Septembris 1782* §. *Docet* (1).

51. Itaque Confraternitates laicorum ex consuetudine possunt recipere et administrare oblationes, dummodo Laici nihil sibi applicent, sed in pios usus totum convertant *in Ferrarien. Confraternitatis die 14 Septembris 1782* §. *Docet.*

52. Siquidem et in Decretis generalibus S. Rituum Congregationis anno 1703 inter alia dubia adest dubium XVIII, in quo disputatum fuit: - An possit Parochus se ingerere in administratione oblationum et eleemosynarum, in supradictis Ecclesiis recollectarum, vel capsulae, pro illis recipiendis expositae, clavem retinere -, et die 10 Decembris dicti anni 1703 prodiit Resolutio: - Negative - *in Ferrarien. Confraternitatis die 14 Septembris 1782* §. *Docet.*

53. Cui adamussim cohaeret Sacra Congregatio in Lunen. Sarzanen. ubi, proposito dubio - VI. An oblationes, quae fiunt in dicto Oratorio, spectent ad ipsum Parochum, vel ad Confratres, et quis debeat esse earum Administrator - die 19 Augusti respondit: - Oblationes spectare ad Confraternitatem, et earum administrationem ad eiusdem Officiales, qui tenentur reddere rationem Episcopo, vel ab eodem deputando - *ut in lib. 40 decretorum pag. 539.*

54. Quod etiam nuperrime in duriori casu edixit Sacra Congregatio, cum Episcopi Verulani decretum, hac de re latum, nullum declaravit *in Verulana Legati Pii die 26 Februarii 1853.*

55. Quandoquidem anno 1610 Angelus Boni extremis, quibus decessit, tabulis hanc ultimam suam voluntatem obsignavit: - In omnibus bonis meis Heredes universales instituo, mando, et esse volo, et ore proprio nomino Pauperes, Egenos, et miserabiles Personas Civitatis Verulanae, quas in infirmitatibus et indigentiis subveniri volo et mando in rebus aromaticis et medicinalibus quibuscumque, in subventione et cura Personarum, quarum onus Societati et Confratribus Societatis Charitatis fideliter committo, et commissum esse volo, in qua cura Episcopus, et alii Curatores inferius nominandi et deputandi vigilent, et soliciti sint tantum opus fideliter et omni fide tractari et gubernari, itaut Pauperes, Egeni, et miserabiles Personae passae in corpore opportune auxilientur et subveniantur, ne patiantur et pereant. Item Exequutores huius mei testamenti instituo et nomino, deputo et esse volo Episcopum Verulanum, Abbatem S. Erasmi, et Abbatem S. Mariae de Franconibus, quibus omnimodam facultatem, potestatem, et auctoritatem attributam esse volo, transfero, et concedo -.

56. Defuncto pio Institutore, hereditatis possessionem nactum est Sodalitium, et diu eius administrationem sine querela retinuit. Evenit autem sub die 20 iunii 1852, quod modernus Episcopus in sacra Visitatione sententiam sindicatoriam ediderit, super congrua erogatione bonorum supradictae hereditatis, eamque Confratribus Sodalitatis *della Morte,* erectae in Ecclesia S. Nicolai, notificari constituerit, ut plenam exequutionem obtineret a Confratribus (2). Huiusmodi vero praescripto non obsequentes Confratres, recursum habuerunt ad sacram Congregationem, supplici dato libello postulantes, ut nullum ediceretur decretum, sibique libera administratio relinqueretur (3).

57. Proposito itaque dubio: - An et quomodo

(1) Ferrar. in Biblioth. Verb. Oblationes, n. 18 et 19, cum pluribus ibi allegatis.

(2) Siquidem en verba sententiae seu Decreti Episcopi Verulani: - Ordiniamo che la eccedenza d'introito nell'amministrazione dell' eredità Boni a tutto l'anno 1854 in scudi 85, 50, 2, si aumenti di scudi 39, 48, 2 e mezzo per parte dell' Amministratore Gozzi; dappoichè una tal somma non viene erogata in virtù degli ordini nostri, e tassata dagli Ufficiali senza la dovuta parsimonia, ed accordata per titoli non voluti dalla pietà del piissimo testatore Boni, salvo al medesimo il diritto di poterla ripetere contro chi ne rilasciava l'ordine di pagamento, se, e come di ragione. Deputiamo infine a depositario delle enunciate somme nella complessività di scudi 124, 98 e mezzo, e di qualunque altra futura esuberanza d' introito lo stesso Gozzi per poterne disporre a nostro arbitrio, e de' nostri Successori in pie provisioni e caritatevoli sussidii, ben inteso, che presso di esso Depositario debba sempre restare la rendita di un'anno della medesima eredità Boni, per corrispondere alle spese inerenti alla detta Amministrazione -.

(3) Confratres vero haec effugitarunt: - Essendo il Decreto suddetto eversivo della pia disposizione di Angelo Boni, e lesivo ai diritti della Confraternita, vogliano gli Eminentissimi Padri dichiarare nullo ed inefficace il Decreto medesimo di S. Visita, ed in pari tempo ordinare, che vengano restituite al Camerlengo della Confraternita le carte, colle quali giustifica le seguite elemosine, ed alla Confraternita ridato il libro di Amministrazione, dal quale essa può desumere molte ragioni per difendere e sostenere i suoi diritti -.

Episcopale Decretum diei 20 Iunii 1852 sustineatur in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Negative - *in Verulana Legati Pii die 26 Februarii 1853.*

58. Imo testator Petrus Melonius suis Heredibus iniunxit, ut Sodalitio S. Antonii Bagnariae traderent scutata sexcentum, quae, arbitrio eiusdem Sodalitii, in censibus constituta, in cuiusdam Pii Legati adimplementum erogarentur. Hinc Sodales existimarunt, sibi solis sortium administrationem, quam semper exercuerunt, competere; et Capellanos Missarum eleemosynam ab ipsis recipere teneri.

Itaque proposito dubio: - II. An et cui competat administratio capitalium Legati et fructuum exactio in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad secundum, Competere Sodalitio - *in Imolen. Legati die 12 Martii 1774.*

59. Praeterea administrationem bonorum Capellaniae Brunelli et Perioni, quam Sacra Congregatio data occasione de anno 1732 concessit Capellano, restituit Sodalitio Fabrorum Lignariorum Urbis Veteris heredi, iuxta votum Episcopi.

Proposito enim dubio: - An et cui competat administratio in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative, iuxta votum Eminentissimi Episcopi, et amplius - *in Urbevetana Administrationis die 20 Septembris 1794* (1).

60. Unde multo minus Parochus se ingerere potest in administratione bonorum Ecclesiae Confraternitatum. Siquidem S. Congregatio edixit, non posse Parochum Ecclesiae S. Petri administrationem oblationum et eleemosynarum, quae in Oratorio Confraternitatis Orationis et Mortis loci Praedarii percipiebantur, exercere, vel capsulae clavem, pro illis recipiendis expositae, retinere *in Novarien. Aggregationis die 24 Septembris 1718.*

61. Proposito enim dubio: - VII. An et quomodo possit Parochus se ingerere in administratione oblationum vel eleemosynarum in dicto Oratorio recollectarum, vel capsulae, pro illis recipiendis expositae, clavem retinere in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit; - Ad septimum, Negative - *in Novarien. Aggregationis die 24 Septembris 1718.*

62. Reproposito dein dubio, sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad septimum, In decisis, nisi aliter demandetur ab Episcopo - *in Novarien. Aggregationis die 13 Iunii 1720.*

63. Nec ideo Capitulum Ecclesiae Collegiatae et Parochialis S. Fidelis se ingerere potuit in administratione bonorum Confraternitatis, iampridem in Ecclesia S. Ioannis in Atrio erectae. Proposito enim dubio: - I. An Confratribus Ecclesiae S. Ioannis Baptistae in Atrio liceat administrare bona et reditus eorum Confraternitatis et Ecclesiae, cum sola dependentia ab Episcopo -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative - *in Comen. Administrationis et Iurium Parochialium die 27 Iulii 1737.*

64. Verum, constructa Ecclesia B. M. V. *delle Piane* ab Hominibus et Communitate Proceni, ex piis Fidelium eleemosynis, eadem Communitas duos Viros, quibus administratio et eleemosynarum erogatio cum Plebani adprobatione incumburet, deputavit. Quum vero Episcopus, sua auctoritate ordinaria, summam ex hisce eleemosynis in ducatis quinque annuis in censibus, causa supplementi sacri Patrimonii Clerici Mecuccini, constituerit, et a Communitate dictorum censuum administrationem praeripere contenderit, Sacra Congregatio demandavit, dandam esse manutentionem in possessione administrationis praefatae Ecclesiae eiusque redituum Plebano tantum dictae Terrae, et assignationem ab Episcopo factam in favorem Mecuccini nullam esse censuit *in Suanen. die 17 Iunii 1702.*

65. Namque Antistitum Diaecesanorum curae et solicitudini commissam esse quorumlibet Piorum Operum exequutionem tantum produnt sacri Canones *in Vasionen. Distributionis Eleemosynarum die 24 Augusti 1743* §. *Num.* (2).

66. Quos Canones Tridentini Patres innovarunt in cap. 8 sess. 22 de reformatione, illud quoque speciatim exprimentes, quod eleemosynas Montis Pietatis, sive Charitatis, et Pia Loca omnia, quomodocumque nuncupentur, etiamsi praedictorum Locorum cura ad Laicos pertineat, atque eadem Pia Loca exemptionis pri-

(1) Episcopus haec exposuit: - Proindeque, ni fallor, in eam inclinarem opinionem, quod Confratres redintegrandi forent ad possessionem bonorum, cum onere eidem solvendi annua scuta 22 Capellano, in omnibus et per omnia ad formam decreti erectionis beneficii, sive Capellaniae -.

(2) Cap. Tua nobis, de testam.; Clem. Quia contingit, de religios. domib.

vilegio sint munita, ac omnia, quae ad Dei cultum aut animarum salutem, seu Pauperes substentandos instituta sunt, ipsi ex officio suo, iuxta sacrorum Canonum statuta, cognoscant et exequantur, non obstantibus quacumque consuetudine etiam immemorabili privilegio aut statuto *in Vasionen. Distributionis Eleemosynarum die 24 Augusti 1743* §. *Num.*

67. Unde, si deficiant Exequutores testamentarii, neque alios eis substituit Testator, administratio Pii Operis ad Episcopum devolvitur *in Camerinen. die 18 Novembris 1797* §. *Deliberare* (1).

68. Quod tamen ius, si Episcopus negliget et retinere nequeat, committitur Patronis Ecclesiae *in Camerinen. die 17 Novembris 1797* §. *Deliberare.*

69. Enimvero heredem instituit anno 1775 cl. me. Petrus Paulus Cardinalis de Comitibus equitem Iosephum germanum eius Fratrem, ac de suis bonis in Urbe existentibus favore Causae Piae disposuit, cum facultate duobus Exequutoribus testamentariis tributa, ut ex fructibus reficere possent Ecclesiam etiam S. Mariae de Trivio de iurepatronatus Familiae praefati Testatoris. Verum Frater P. Thoma, unus ex praedictis Exequutoribus, ob gravem aetatem adversamque valetudinem in locum suum substituit, altero neglecto, Canonicum Venantium Valenti, qui plura edixit et adimplevit ad annum 1790, quo tandem praefatus Canonicus omnem negotii curam dimisit.

70. Quum ab eo autem tempore, ob defectum Administratoris, inexacti sint Locorum Montium fructus, neglecta Sacra, et trium Ecclesiarum supellex, indigeretque reparatione Ecclesia S. Mariae de Trivio (quam de cetero Camerinensis Archiepiscopus veluti superfluam et inutilem suspendit), Sanctissimo propterea supplicavit Marchionissa Theresia Grassi, heres equitis Iosephi Conti defuncti eius Viri, et dictarum Ecclesiarum Patrona, ut confirmare dignaretur metodum a P. Thoma et Canonico Valenti constitutam, et aliquot per annos in spirituale bonum Populi S. Marci servatam; sibique facultatem concederet exigendi praeteritos et futuros Locorum Muntium fructus, ex quibus adimpleret, quae Testator praescripsit, et P. Thoma exequutor testamentarius eiusque Procurator Canonicus Valenti, ex communicata sibi illius voluntate, addiderunt.

71. Proposito hinc dubio: - II. An et cui sit committenda administratio bonorum Operis Pii de Comitibus, et concedenda facultas exigendi fructus Locorum Montium in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad secundum, Affirmative, favore Patronorum Paraeciae S. Mariae de Trivio, reddita tamen quotannis ratione Archiepiscopo - *in Camerinen. die 18 Novembris 1797.*

72. Nec alias quippe ipsae civiles Leges, ius Episcoporum et potestatem in eiusmodi Piis Locis erigendis, constituendis, ordinandis, agnoverunt *in Senogallien. die 8 Iunii 1765* §. *Ius.*

73. Amplia, sive Testator iniunxerit pro tempore Episcopo curam gerere, ut impleantur, quae ipse agere voluit, sive hoc reticuerit *in Senogallien. die 8 Iunii 1765* §. *Ius.*

74. Verum non ideo tributa est facultas Episcopis adimendi vel coercendi liberam, quae ad alios pertineat administrationem et erogationem rerum, ad Opera Pia spectantium, dummodo illi rectae administrationis partes adimpleant, reddantque singulis annis gestorum rationem *in Vasionen. Distributionis Eleemosynarum die 24 Augusti 1743* §. *Verum* (2).

75. Secus enim et ipsae civiles Leges agnoverunt etiam potestatem Episcoporum sese immiscendi in rerum administratione, quin impediri ab huiusmodi administratione valeant *in Senogallien. die 8 Iunii 1765* §. *Ius.*

76. Id siquidem expresse edixerunt - Sive Testator iniunxerit pro tempore Episcopo curam agere, ut impleantur, quae ipse voluit, sive hoc reticuerit. Si autem transierit praedictum tempus ac neque Ecclesia neque Hospitale aedifica-

(1) Conc. Trid. in cap. 8, sess. 22, de reform.

(2) S. Congregatio Episcoporum et Regularium apud Pignatell. in Consult. 13, n. 32, tom. 7 his verbis Aesino Episcopo rescripsit: - Questi miei illustrissimi Signori hanno ordinato chè io scriva a V. S. che dovrà bastarle, che le Confraternità di coteste Compagnie distribuiscano le limosine secondo la mente di quelli, che l'hanno ordinata, purchè a lei ne rendano buon conto sempre, quando vuole per emendare in caso che vi fosse errore, lasciandone nel restante la cura ad essi -. In eamdemque fere sententiam legitur resolutio S. Congregationis apud Bellarmin. in Concil. trid. sess. 22 cap. 9 in observat. doctrin. circa fin. atque similes etiam Resolutiones prodierunt in Ferentina Iurisdictionis 15 Martii 1704; in Firmana Iurisdictionis 4 Augusti 1714.

tum fuerit, neque hospitalis aliquis sit, qui hoc ordinet; mox ipsos Deo amabiles Episcopos exigere ea, quae pro eo ordinata sunt, et in id convenienter quaesita et facere aedificationes sanctissimarum Ecclesiarum, Hospitalium et Gerontocomiorum aut Orphanotrophiorum praeparationem, aut Procotrophiorum aut Nosocomiorum constructionem, aut Captivorum redemptionem, aut aliam quamlibet actionem piam a Testatore ordinatam; designare etiam seu praeficere, qui haec administrent Xenodochos, vel Orphanotrophos, vel Brephotrophos, Gerontocomos, vel simpliciter piarum actionum Diaecetas et Curatores, non amplius valentibus post dicti temporis lapsum et dictam indevotionem his, qui illa non fecerint, immiscere se praedictarum rerum administratione, aut Deo amabiles Episcopos impedire ab illarum rerum administratione-(1).

77. Hinc Episcopo iuris assistentia favet, quoad percipiendi et administrandi oblationes cuipiam Immagini factas, extra districtum alicuius Paraeciae existenti *in Hieracen. die 16 Martii 1743* §. *Sane* (2).

78. Namque Episcopus supremum ius habet in omnibus Ecclesiis Diaecesis *in Forosempronien. Iurium Parochialium die 11 Aprilis 1761* §. *Parochus.*

79. Est enim Episcopus parochus totius Diaecesis et praeeminentialem habet curam omnium illius Ecclesiarum *in Forosempronien. Iurium Parochialium die 11 Aprilis 1761* §. *Et eo facilius* (3).

80. Ceterum institutis, seculorum progressu, Cathedralibus Capitulis, Ecclesiae regimini convenire iudicatum est, ut Episcopi, in Ecclesiae suae administratione, Canonicorum Cathedralium opera et consilio uterentur, immo et in quibusdam, ne sine eorum assensu procedere possent *in Fulden. die 21 Novembris 1767* §. *Institutis* (4).

81. Quum igitur ipse sit Ecclesiae Cathedralis sponsus, ad eum spectat cum consilio Capituli regimen et administratio omnium illius iurium *in Forosempronien. Iurium Parochialium die 11 Aprilis 1761* §. *Descripta* (5).

82. Ex eo idcirco, quod Oratorium in solo antiquae Cathedralis aedificatum, inter eius membra recenseri debeat, Episcopo competit etiam honor et reverentia, in memoriam pristinae dignitatis *in Forosempronien. Iurium Parochialium die 11 Aprilis 1761* §. *Et pro parte* (6).

83. Propterea, quum oblationes, quae dietim fiunt in huiusmodi Oratorio, non intuitu Parochi, sed contemplatione divi Patroni illius elargiantur Fideles, eius praesidium implorantes, et ideo in utilitatem eiusdem Oratorii erogandas esse, arbitrio Episcopi, quisque videt *in Forosempronien. Iurium Parochialium die 11 Aprilis 1761* §. *Ceterae* (7).

84. Itaque huiusmodi Oratorium subiici oportet immediatae Episcopi iurisdictioni; ac propterea eidem ius competit administrandi oblationes, ad praedictum Oratorium spectantes *in Forosempronien. Iurium Parochialium die 25 Aprilis 1761.*

85. Propositis enim dubiis: - I. An iuxta preces bo. me. Episcopi Palma sit consulendum Sanctissimo, pro immediata subiectione Oratorii S. Aldebrandi iurisdictioni Episcopi pro tempore Forosempronien. independenter a Capitulo Cathedralis et a Parocho S. Rochi? VI. An et cui competat receptio Cerei in die festo sancti Georgei, et respective aliarum diurnarum oblationum in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative, iuxta modum exprimendum per D. Secretarium. Ad sextum, Cereum spectare ad Altare S. Georgei, reliquas vero oblationes spectare ad Oratorium, sub administratione Episcopi, et amplius, in omnibus - *in Forosempronien. Iurium Parochialium die 25 Aprilis 1761.*

(1) Ut in Cod.

(2) Costa de rat. q. 239, n. 14; Fagnan. in cap. *Pastoralis*, n. 32, de his, quae fiunt a Praelat;. Pignatell. Consult. 160, tom. 4; Card. Petra ad Constit. 1 Anastasii IV, sect. 2, n. 34, tom. 2.

(3) Can. *Regenda*, et Can. *Quaecumque*, C. 10, quaest. 1; Lotter. de Re benef. lib. 1, quaest. 9, n. 79; et Barbos. de offic. et potest. Episcop. part. 3, Allegat. 80, n. 12.

(4) Alex. III in cap. *Novit*. de his, quae fiunt a Praelat. sine consensu Capituli; et cap. 4, eod. tit.

(5) Arg. ex Text. in cap. *Novit*, et in cap. *Quanto*, de his, quae fiunt a Praelat. sine consensu Capituli.

(6) Lotter. de re benef. lib. 1, quaest. 12, n. 42 et seqq.; Card. De Luc. de praeeminent. disc. 4, n. 11; Frances de Eccl. Cathedr. cap. 7, n. 48 et 96.

(7) Ad tradita per Mantic. de tacit. lib. 13, tit. 21, n. 38; Cost. tract. var. tit. de rat. quaest. 239, n. 8; Pignatell. Consult. 160, n. 21, tom. 4; et Card. Petra ad Const. 1 Anastasii IV, sect. 2, n. 19, tom. 2.

86. Quoad vero bona Ecclesiae Cathedralis, praesertim Fabricae destinata, Episcopus contra Canonicos negligentes eorum administrationem, ex providentia Tridentina, tamquam Sedis Apostolicae delegatus, ius suum exercere non solum potest, sed etiam debet *in Asculana die 21 Iunii 1788* §. *Ad EE. Vestras.*

87. Quoniam Ecclesiae patrimonium sub tutela Episcopi est *in Asculana die 21 Iunii 1788* §. *ad EE. Vestras.*

88. Unde non sine Episcopi culpa dilabitur, si male eorum vitio geritur et administratur *in Asculana die 21 Iunii 1788* §. *Ad EE. Vestras* (1).

89. Quapropter Episcopus mandare potest, ne Camerarii pro tempore impensam excedant scutorum decem ex reditibus Fabricae, nisi re prius in Capitulo proposita et cum consensu Vicarii Generalis *in Asculana die 21 Iunii 1788* §. *Res est.*

90. Neque maiorem, sub poena restitutionis, impendant summam, nisi re prius ad illustrissimum et reverendissimum dominum Episcopum delata, et licentia in scriptis obtenta *in Asculana die 21 Iunii 1788* §. *Res est.*

91. Praesertim, si decretum huiusmodi in sacra visitatione feratur, tunc enim vim legis habere censent Doctores *in Asculana die 21 Iunii 1788* §. *Res est* (2).

92. Proposito idcirco dubio: - III. An sit servandum et exequendum Decretum cl. me. Cardinalis Bernerii iam Episcopi Asculani, editum in sacra Visitatione de anno 1595 in casu etc.-, Sacra Congregatio respondit: - Ad tertium, Affirmative - *in Asculana die 12 Iulii 1788* (3).

93. Reproposito dein dubio, sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in tertio dubio in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad tertium, In decisis; et amplius - *in Asculana die 7 Februarii 1789.*

94. Immo Episcopus Oeconomo Capituli prohibere potest, ne, absque illius assensu, quidquam solvat in causam sumptuum extraordinariorum, exceptis solitis et consuetis sumptibus in Ecclesiae servitium *in Asculana die 21 Iunii 1788* §. *Praecedentium.*

95. Et si praeceptum datum non fuerit Personae Oeconomi, sed Officio, servandum est etiam ab illius Successoribus *in Asculana die 21 Iunii 1788* §. *Quod.*

96. Ubi enim in praeceptis contemplatur Persona, ratione officii, Successores dubio procul afficiunt *in Asculana die 21 Iunii 1788* §. *Quod* (4).

97. Propositis enim dubiis: - VI. An sustineatur Episcopi praeceptum praesenti Oeconomo factum, ne absque illius assensu quidquam solvat in causam sumptuum extraordinariorum, exceptis solitis et consuetis sumptibus in Ecclesiae servitium in casu etc. *Et quatenus Affirmative.* VII. An hoc idem praeceptum ab omnibus futuris Oeconomis servandum sit in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad sextum, Affirmative. Ad septimum, Affirmative - *in Asculana die 12 Iulii 1788.*

98. Repropositis subinde dubiis, sub formula: - An sit standum, vel recedendam a decisis in sexto et septimo dubio in casu etc.-, Sacra Congregatio respondit: - Ad sextum et septimum, In decisis; et amplius - *in Asculana die 7 Februarii 1789.*

99. Unde Canonici reintegrare tenentur Ecclesiam de eo, quod converterunt in alios usus *in Asculana die 21 Iunii 1788* §. *Succedit* (5).

100. Et multo magis prohibere potest Episcopus, ne Capitulum pecunia Fabricae in propriis negotiis uti, distinctosque eius reditus in proprium commodum absumere valeat

(1) Iisdem quippe verbis die 6 Iulii 1784 respondit S. Congregatio Episcopo Asculano, qui occasione Visitationis Sacrorum Liminum retulit anno 1781 quod - Canonici tractandis hisce bonis, (fabricae) destinatis nullam gestae administrationis Episcopo reddunt rationem, ex quo fit, ut nulla prorsus diligentia, in excolendis praediis et in aliis quibuscumque negotiis agendis, cum maxima redituum iactura soleant adhiberi, utque reditus ipsi, sine ullo consilio ac misere profecto dissipentur. Iis enim parare munera, sumptus litium persolvere, atque id genus alia praestare solent, quibus omnibus occurrere Canonici aere proprio tenerentur - petiitque, ut S. Congregationis imperio - Nihil hac in re Capitulum sine assensu Episcopi peragere deinceps possit, ut Episcopo rationem reddere quotannis debeant Canonici, qui bonorum administrationi praesunt, ut novos tandem inferiores Administros negotiorumque Gestores designare liceat Episcopo, si necessitas utilitasque postulaverit -.

(2) Gonzalez ad regul. 8 Cancell. Gloss. 9, §. 1, n. 18; Massubr. de Synod. cap. 4, n. 41.

(3) Praefatus Bernerius praedicto Decreto id expresse statuerat.

(4) Ut in similibus terminis dixerunt Surd. Cons. 262, n. 40 et seqq. lib. 2; Gratian. discept. 538, n. 41.

(5) Pignatell. consult. canon. 50, n. 5, tom. 6.

in Asculana die 21 Iunii 1788 §. *Prae omnibus* (1).

101. Proposito enim dubio: - I. An liceat Canonicis et Capitulo Ecclesiae Cathedralis Asculi ex pecuniis seu reditibus Fabricae eiusdem Ecclesiae conficere sumptus litium, aliarumque rerum, quae spectant ad ipsum Capitulum et non tangunt interesse ipsius Ecclesiae vel Fabricae, seu potius fieri debeant ex reditibus ipsius Capituli et Canonicorum in casu etc. - Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam - *in Asculana die 12 Iulii 1788.*

102. Et adhuc cohibere eorum libertatem potest Episcopus, ne, tamquam Administratores, locationes, quae ultra triennium non excedunt, inire possint *in Asculana die 21 Iunii 1788* §. *Fieri.*

103. Proposito enim dubio: - XIII. An in locationibus bonorum faciendis per idem Capitulum pro maiori utilitate Ecclesiae sit audiendus Episcopus, sub poena nullitatis in casu etc.-, Sacra Congregatio respondit: - Ad decimum tertium, Quoad bona Fabricae, Affirmative; quoad bona Capituli, Negative - *in Asculana die 12 Iulii 1788.*

104. Reproposito vero dubio, sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in decimo tertio dubio in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Ad decimum tertium, In decisis, dempta poena nullitatis, et amplius - *in Asculana die 7 Februarii 1789.*

105. Idcirco praescribere is potest, ut in locationibus bonorum, Fabricae destinatorum, non autem Capituli, faciendis per idem Capitulum, pro maiori utilitate Ecclesiae, sit audiendus tantum Episcopus, *in Asculana die 21 Iunii 1788* §. *Fieri.*

106. Quoties imo Episcopo constet de praeiudiciali Capituli administratione bonorum Ecclesiae, quoad bonorum locationes, etiam reluctantibus Canonicis, Episcopus uti potest iure suo ad formam Concilii Tridentini *in Asculana die 21 Iunii 1788* §. *Decimum.*

107. Proposito namque dubio: - XIV. An et quoties Episcopo constet de praeiudiciali Capituli administratione bonorum Ecclesiae, liceat eidem eadem bona locare, etiam reluctantibus Canonicis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad decimum quartum, Episcopus utatur iure suo, ad formam Concilii Tridentini - *in Asculana die 12 Iulii 1788.*

108. Deinde reproposito dubio, sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in decimo quarto dubio in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad decimum quartum, In decisis; et amplius *in Asculana die 7 Februarii 1789.*

109. Verum administratio massae communis, ex iuris dispositione, privative spectat ad Canonicos, nec isti ullam rationem gestae administrationis reddere tenentur Beneficiatis *in Narnien. Iuris interessendi et votandi die 11 Ianuarii 1783* §. *Advertit* (2).

110. Idcirco, proposito dubio: - I. An Beneficiati Ecclesiae Cathedralis Narniae vocari et suffragari debeant in Capitulis, in quibus agitur de rebus Ecclesiae S. Mariae *del Ponte* in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Negative, et amplius - *in Narnien. Iuris interessendi et votandi die 8 Februarii 1783.*

111. Similiter Administrationem Communerariae, quae ex Piis Legatis constabat, et in Cathedrali Ecclesia existebat, ad solos Canonicos privative, quoad Presbiteros, spectare edixit Sacra Congregatio *in Squillacen. Missae Conventualis et Communerariae die 14 Septembris 1712 ad I dubium.*

Item *die 11 Martii 1715 ad I dubium.*

112. Amplia, administratio competit solum Canonicis, etiamsi commodum massae communis non ad solum spectet Canonicos, sed etiam ad Mansionarios, qui illius debent esse participes atque consortes *in Fanen. die 16 Iunii 1731* §. *Putant.*

113. Ubi enim massa communis non sit conflata ex bonis, tam Canonicorum, quam Beneficiatorum, sed ex bonis Ecclesiae, tunc, tametsi eam quoque participent Beneficiati, ob servitium, quod Ecclesiae praestant, nihilominus administratio competit solum Canonicis *in Fanen. die 16 Iunii 1731* §. *Putant.*

114. Limita, ita tamen, ut eam explorare etiam liceat Beneficiatis, iique sint audiendi, si quid opponere, circa eamdem administrationem, velint, cum recte illam geri ipsorum quo-

(1) Van-espen in ius eccles. part. 2, tit. 34, cap. 3, n. 17; Pignatell. Consult. canon 50, n. 1, tom. 6; Scarfanton. ad Ceccoper. lucubrat. canon. lib. 4, tit. 5, tom. 2, in animadvers. n. 1 et seqq.

(2) Fargn. in Can. 27, cas. 12, n. 13, part. 2, de Iurepatronat.

que Beneficiatorum intersit *in Fanen. die 16 Iunii 1731* §. *Putant.*

Item *in Firmana Vocis in Capitulo die 21 Augusti 1734* §. *Ceterum* (1).

115. Si vero Beneficiati in communi massa interesse habeant, et illa ex bonis propriis Beneficiatorum fuerit conflata, et unum corpus constituant, tunc ipsi una cum Canonicis in administrationem admittendi sunt *in Narnien. Iuris interessendi et votandi die 11 Ianuarii 1783* §. *Advertit* (2).

116. Proposito enim dubio: - An et in quibus actibus liceat Mansionariis Ecclesiae Collegiatae SS. Christofori et Constantii interesse Capitulo, ibique suffragium ferre una cum Canonicis in casu etc.-, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative in omnibus, ad formam Bullae - *in Fanen. die 16 Iunii 1731.*

117. Eo siquidem in casu Paulus V Pontifex anno 1607 erexerat praefatam Ecclesiam Parochialem SS. Christofori et Constantii in Collegiatam, quam constare voluit, ex Archipresbitero, sex Canonicis, et duobus Mansionariis, - qui omnes una cum Archipresbitero Capitulum ipsius Collegiatae constituant - *in Fanen. die 16 Iunii 1731* §. *Ecclesiam.*

118. Praeterea Mensae Capitulari addixit omnia, quae antea ad eamdem Ecclesiam pertinebant bona, proventus, et emolumenta, ex quibus certam redituum portionem, tam Archipresbitero, quam Canonicis, et Mansionariis assignavit: unde semper admissi fuerunt etiam Mansionarii ad ferendum suffragium in iis negotiis, quae massam communem respiciebant *in Fanen. die 16 Iunii 1731.*

119. Demum Sacra Congregatio decrevit, administrationem bonorum et redituum Ecclesiae Collegiatae S. Pauli non privative ad Abbatem, penes quem residet omnimoda cura animarum, sed etiam ad eiusdem Ecclesiae Beneficiatos spectare *in Verulana die 14 Martii 1722.*

120. Proposito enim dubio: - II. An administratio bonorum et redituum Ecclesiae spectet privative ad Abbatem -, Sacra Congregatio respondit: - Ad secundum, Negative - *in Verulana die 14 Martii 1722.*

121. Capitulum enim iure pollet administrandi reditus, pro cultu et fabricae Ecclesiae destinatos, non aliter ac bona et reditus, pro eiusdem sustentatione constitutos *in Triventina Iuris peragendi functiones et administrandi die 2 Iunii 1860* §. *Gradum.*

122. Quippe cum Capitulo non solum, ob factam antiquitus eidem assignationem, cuius virtute tamquam rei suae censetur legitimus administrator et usufructuarius, sed insuper tamquam reditus Ecclesiae de iure competere videatur legitimum administrandi ius *in Triventina Iuris peragendi functiones et administrandi 2 die Iunii 1860* §. *Gradum.*

123. Praesertim, si, ex peculiari conventionis dispositione, manutentio Collegiatis et Capitulis ipsis imponitur, et peculiares haud extent reditus in id erogandi, aut extantes non sufficiant *in Triventina Iuris peragendi functiones et administrandi die 2 Iunii 1860* §. *Gradum.*

124. Itaut maximum habeat Capitulum interesse, in redituum administratione, et summopere conveniat, quod administret fideliter et caute, qui supplendi periculo subest, et onere praegravatur *in Triventina peragendi functiones et administrandi die 2 Iunii 1860* §. *Gradum.*

125. Qua de re in erectione Ecclesiae in Collegiatam censendum est, Pontificem, quoad administrationem, totum reliquisse dirigendum, ad tramites iuris communis *in Triventina Iuris peragendi functiones et administrandi die 2 Iunii 1860* §. *Hinc.*

126. Secundum ius commune vero Collegium Canonicorum iure nativo potitur bona et reditus universos, ad propriam Ecclesiam spectantes, administrandi; quippe cum uti Rector Ecclesiae fundatam habeat in iure intentionem *in Triventina Iuris peragendi functiones et administrandi die 2 Iunii 1860* §. *Hinc* (3).

127. Quod adamussim confirmatum videtur

(1) S. Congregatio in Asten. Statutorum 12 Iulii 1632, quam refert, luculenter quaestionem hanc tractans, Card. Petra ad Constit. 1 Divi Leonis Magni a n. 11 ad plures seqq. tom. 1; Abb. in cap. *Cum omnes*, n. 5, de constit.; Rot. in decis. 57, n. 6, coram Cavaler.

(2) Card. Petra ad constit. 1 S. Leonis Magni, sect. 2, n. 13.

(3) Fagnan. in cap. *Pastoralis*, de his, quae fiunt a Praelat. sine consens. Capituli, n. 30; et Rot. in casu ferme identico in Gerunden. Administrationis, coram Verospio, inter Recent. part. 5, tom. 1, decis. 252, n. 5; et decis. 373, n. 2, quae est prioris confirmatoria, ubi usus et consuetudines Collegiatae, erectionem antecedentes, apposite reiiciuntur. Eaque iuris regula confirmatur ex decis. 355, n. 5, part. 1 Recent.

*

sententia Sacrae Congregationis in Senogallien. die 13 Iunii 1739 ad I dubium, in qua species proponitur novae Collegiatae, post cuius erectionem, quod antea competebat Archipresbitero parocho, spectare firmatur novo Capitulo, attentis honoribus et privilegiis novae Collegiatae tributis, quibus aliae insignes Collegiatae gaudere solent *in Triventina Iuris peragendi functiones et administrandi die 2 Iunii 1860* §. *Hinc* (1).

128. Idcirco in vim cessionis Ecclesiae una cum bonis, eidem pertinentibus, transfertur etiam ius administrandi *in Verulana Iurispatronatus die 27 Iunii 1778* §. *Ad tertium* (2).

129. Neque decretum obstare videtur, quo tribuitur, ut Episcopus, vel per se vel per suum delegatum iure supremo tutelae, quod Canones eidem attribuunt, tuitioni et fideli erogationi redituum advigilet, atque mandata pro exactione ad summum sua subscriptione et auctoritate communiat *in Triventina Iuris peragendi functiones et administrandi die 2 Iunii 1860* §. *Iniuria.*

130. Nam id non prohibet, quominus Capitulum, quod ius habet et interesse, reditus huiusmodi exigat et administret et eroget in usus praefinitos, salvo iure rationes expungendi, ad tramites Concilii Tridentini in Cap. 9, sess. 22 de reform. *in Triventina Iuris peragendi functiones et administrandi die 2 Iunii 1860* §. *Decreti.*

131. Siquidem Ecclesia matrix in Oppido vulgo *Capracotta* Triventinae diaecesis, Deiparae Virgini in Caelis Assumptae dicata, quae parochialis et receptitia numerata recensebatur, per Literas Apostolicas idibus Maii 1854 penes Datariam expeditas, in Collegiatam insignem erecta est. Parochus, qui Archipresbiteri titulo iam ante fruebatur, in primam novi Capituli Dignitatem agnitus et receptus est Augustinus Bonanotte; decretumque fuit, ut Archipresbiter eiusmodi Caput et Praeses Capituli esset, - primumque locum semper et in choro et in supplicationibus et in conventibus teneat.-

132. Ceterum nova haec insignis Collegiata, Parochialis etiam permansura, Pontificis auctoritate erecta est, - cum suis Capitulo, Choro, Mensa capitulari, Arca, Bursa, et Sigillo communibus, ac omnibus et singulis praerogativis, libertatibus, communitatibus, signis, privilegiis, praeeminentiis, concessionibus et gratiis, similibus Collegiatis Ecclesiis de iure, usu, consuetudine aut alias, non tamen ex peculiari indulto, concessis, nec titulo oneroso acquisitis -. Atque simul praestitutum est, ut Canonici noviter instituti una cum Archipresbitero et Primicerio universum conflarent novae Collegiatae Capitulum.

133. Quod autem attinet ad Ecclesiae et Capituli huius dotationem, haec legebantur in ipsis Literis erectionis: - Porro, ut domus Dei decori divinoque servitio ac eorum decenti exhibitioni consultum sit, annuam summam tercentum septuaginta sex Ducatorum monetae Neapolitanae a Pia Institutione S. Mariae Lauretanae nuncupata percipiunt (Participantes), pro cultus expensis et fabricae tuitione -. De summae vero praefatae Ducatorum 376, pro cultus et fabricae erogatione expensis, cautum est inferius: - Atque, ut novae huius Collegiatae Ecclesiae censui, ea qua par est ratione, prospiciatur, firmis remanentibus, tam enarrata assignatione, pro cultus et fabricae impendiis, eodem prorsus modo eroganda, quam actuali praebenda Parochiali, quae ad solum Archipresbiterum Curionem spectet, omnia bona, ad participationes praedictis tredecim Presbiteris uti nunc praestandas pertinentia, enunciato Capitulo auctoritate nostra perpetuo item applices et appropries -.

134. Proposito itaque dubio: - II. An et quomodo exactio, administratio, et erogatio summae Ducatorum 376, pro cultus et fabricae expensis, spectet ad Capitulum, seu potius ad personam ab Episcopo deputandam, independenter a Capitulo in casu -, Sacra Congregatio respondit: - Ad secundum, Affirmative in omnibus ad primam partem, Negative ad secundam; salvo iure Episcopi, ad formam Concilii Tridentini sess. 22 cap. 9, de reformatione - *in Triventina Iuris peragendi functiones et administrandi die 2 Iunii 1860.*

135. Quapropter Administratio Ecclesiae in Collegiatam erectae, spectat ex dispositione iuris ad Capitulum *in Senogallien. die 13 Iunii 1789* §. *Regimen* (3).

136. Praesertim, si ea reservata fuerit in

(1) Ceccoper. Incubrat. Canonic. lib. 1, tit. 5, n. 15.

(2) Rot. in dec. 37, n. 9, part. 5, t. 1; in Uratislavien. translationis Imaginis 17 Martii 1738 §. 12, coram Card. Calcagnino.

(3) Cap. *Relatum* 12, de testam.; Pignatell. Consult. 42, n. 2, tom. 6.

decreto erectionis *in Senogallien. die 13 Iunii 1789* §. *Regimen.*

137. Quando enim Ecclesia Parochialis in insignem Collegiatam erigitur, tunc ius commune sacrorum canonum, et concordia, si intercesserit, nec non decreta Episcopi, ex facultate per Summum Pontificem reservata edita, ac potissimum dispositio Brevis erectionis attendi debent *in Senogallien. die 13 Iunii 1789.*

138. Enimvero in Collegiatam erexit Clemens XIV anno 1773 Parochialem Ecclesiam S. Petri Montis Martiani, cum omnibus honoribus et privilegiis, quibus aliae insignes Collegiatae gaudere solent. In primam eius Dignitatem cum animarum cura reditibusque Parochiae constituit Archipresbiterum: in secundam Priorem, aliisque Canonicis quinque bona addixit Capellaniarum sex, quae in suburbana erant Ecclesia S. Mariae Angelorum, ea tamen lege, ut in ipsa Ecclesia semper unus Capellanus, qui ad audiendas confessiones sit approbatus, residere deberet. Mansionariorum vero titulum dedit binis Capellanis, quorum subsidiaria opera in exercenda animarum cura uti Archipresbiter solebat. Reservavit etiam Episcopo Senogalliensi facultatem condendi eas leges constitutionesque, quas aptiores esse opportunioresque, pro loco proque Collegarum numero, magisque divino cultui ac publicae Populorum aedificationi, consentaneas, una cum ipso Capitulo iudicabit.

139. In exequendo Pontificio Brevi approbavit Episcopus de Rubeis anno 1773 novemdecim conventiones, initas anno 1765 inter Parochum et Capellanos vulgo *degli Alberici*: iterumque eas confirmavit anno 1775, reservato sibi et Successoribus in Episcopatu iure addendi, minuendi, augendi et corrigendi. Earum una edicebatur, quod tam Archipresbiter Prior et Canonici gaudere deberent usu et commodo Ecclesiae, et Sacrarii, et turris Campanarum, cum iure habendi etiam iidem Clavem, ut pro eorumdem arbitrio ingredi possent. Altera earum vero statuebatur, quod onus manutenendi Ecclesiam S. Petri, Sacrarium, et turrim Campanarum totum incumberet Archipresbitero pro tempore.

140. Diuturna inter Archipresbiterum et Canonicos non fuit concordia. Contendere enim ceperunt anno 1779 de regimine et administratione Ecclesiae Collegiatae, reparatione Fabricae, utensilium manutensione, sacrarum functionum celebratione, aliisque pluribus circa minores Officiales, Mansionariorum servitium, distributiones. Controversias vero ex compromisso Partium modernus diremit Eminentissimus Episcopus anno 1781 per decreta undecim. Tribuit inter alia primo Ecclesiae regimen claviumque retentionem Capitulo, exceptis iis, quae ad curam pertinent animarum. Secundo reparationis Fabricae onus uni imposuit Archipresbitero; eique annua praescripsit scuta sexaginta, Canonicis triginta quinque in manutentionem utensilium. Tertio praeter parochialem Missam pro Populo alteramque praesente Cadavere, reliquas omnes cum novendialibus aliisque sacris functionibus eidem permisit Capitulo, cui subditum etiam voluit Sodalitium Sanctissimi Rosarii, in Collegiata Ecclesia erectum; ac de illius consensu indicendas per Archipresbiterum declaravit supplicationes. Sexto Capitulariter eligendos decrevit minores Ecclesiae Officiales eorumque stipendium sumendum ex dote Sacrarii, distributis etiam inter ipsos incertis.

141. Licet huiusmodi ac cetera decreta cum Canonicis accepisset Archipresbiter, eo tamen fortasse urgente, tresdecim alia in sacra Visitatione anni 1784 edidit Eminentissimus Episcopus, et in quibusdam revocavit aut moderatus fuit priora, nova in reliquis disposuit. Mandavit 1, ut alienum aes Sacrarii intra certum tempus dimitterent Archipresbiter et Canonici, eadem, quae ad id temporis servata erat, proportione; 2 et 3, quod bina constitui deberent Sacraria; Capitulare unum communi Archipresbiteri et Canonicorum sumptu, sub directione Clerici subsacristae capitulariter eligendi; Parochiale alterum unius Archipresbiteri sumptu, sub directione alterius subsacristae, ab ipso eligendi: 4, capitulariter eligeretur Sacrista, eiusque stipendium pro medietate a Canonicis et Archipresbitero solveretur; 5, Capitularis et Parochialis divideretur supellex: 6, annua quilibet Canonicus deponeret scuta octo pro manutentione et augmento supellectilis capitularis, alteriusque parochialis cura ad Archipresbiterum pertineret.

142. Insuper mandavit 7, quod calices aliaque argentea vasa et ornamenta, quae in Parochiali Ecclesia vel ab altera vulgo *degli Alberici* Canonici asportaverant, in respectivis custodiri deberent Sacrariis: 8, communis esset

SS. Reliquiarum custodia et expositio, sex exceptis argenteis illarum thecis ad Archipresbiterum spectantibus; 9, pro medietate a Canonicis et Archipresbitero praestanda esset cera pro expositionibus SS. Sacramenti sacrisque aliis functionibus; 10, is adventitias Missas, novendialia et tridua celebraret, Archipresbiter nempe vel Capitulum, cui commissa essent; 11, in celebrationem Missarum erogarentur eleemosynae; 12, Archipresbiteri esset proprietas, Canonicorum etiam usus organi.

143. Causam posteriora haec decreta gravioribus dederunt contentionibus, novasque hinc inde excitarunt praetensiones. Itaque propositis dubiis: - I. An regimen et administratio Ecclesiae S. Petri, et retentio clavium eiusdem Ecclesiae, Sacristiae, Chororum, et Cubiculi existentis supra Capellam B. M. Carminis, et Turrium Campanarum, spectent ad Capitulum, per Canonicum Sacristam annuatim ab ipso eligendum exercenda; seu potius privative ad Archipresbiterum in casu etc.

II. An communicatio domus archipresbiteralis cum choro, ubi in hyeme officiant Canonici claudi debeat, reservata Archipresbitero altera, quae habet communicationem cum Ecclesia in latere opposito in casu etc.

III. An onus reparandi ac manutenendi fabricam et campanas dictae Ecclesiae, ipsamque Ecclesiam providendi de sacris indumentis, luminibus, ceterisque divino cultui necessariis, spectet ad unum Archipresbiterum, seu potius repartiendum sit in eum et ceteros Capitulares et quomodo in casu etc.

IV. An et pro qua rata ex praebenda Archipresbiteri et aliorum Capitularium respective constitui debeat distincta massa per Canonicum Sacristam administranda, pro manutensione utensilium, aliorum divino cultui, ut supra necessariorum in casu etc. *Et quatenus negative.*

V. An et quomodo sit providendum in casu etc.

X. An et a quo recipi et custodiri debeant eleemosynae Benefactorum quomodocumque quaesitae, inter quos et quomodo sint distribuendae in casu etc.

XI. An et ad quem spectet electio Subsacristarum aliorumque minorum Officialium Ecclesiae, et a quo sit illis solvendum stipendium, et quatenus a singulis Capitularibus, in qua rata in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit, - Ad primum, Affirmative ad primam partem Negative ad secundam, iuxta modum; nempe ad formam primi decreti Eminentissimi Episcopi anni 1781. Ad secundum, Affirmative, iuxta decretum Eminentissimi Episcopi anni 1781; et amplius. Ad tertium, Quoad sacra indumenta, lumina, ceteraque divino cultui necessaria, servetur decretum Eminentissimi Episcopi anni 1784, et amplius; quo vero ad onus reparandi ac manutenendi Fabricam et Campanas, spectare pro tertia parte ad Capitulum, pro reliquis duabus partibus Archipresbitero. Ad quartum et quintum, Provisum in tertio. Ad decimum, Affirmative, ad formam decreti tertii Eminentissimi Episcopi anni 1781, exceptis eleemosynis ad Societatem B. M. Virginis Rosarii pertinentibus, et amplius. Ad undecimum, Servetur decretum Eminentissimi Episcopi anni 1784 - *in Senogallien. die 13 Iunii 1789.*

144. Nisi haec vero et similia sancita extent, Parocho debetur etiam administratio oblationum, quae fiunt contemplatione Loci vel Imagnis, et destinatae ad illius usum *in Forosempronien. Iurium Parochialium die 11 Aprilis 1761* §. *Oblationes* (1).

145. Quin obstare videatur eiusdem Parochi amovibilitas, quae illi non adimit administrationem bonorum Ecclesiae *in Fanen. Exequutionis Decretorum Sacrae Visitationis die 30 Maii 1761* §. *Non* (2).

146. Praesertim, si res sit de Parochis perpetuis, praevio concursu electis, quibus idcirco competit omnis iurisdictio Parochialis, non autem Capitulo, etiamsi ad illud spectet cura habitualis *in Forosemprionen. Iurium Parochialium die 11 Aprilis 1761* §. *Et liberam* (3).

147. Quod proinde spectat ad facultatem percipiendi et administrandi oblationes, quae fiunt in loco Paraeciae sacrae cuipiam Imagini, iuris assistentia est pro Parocho *in Hieracen. die 16 Martii 1743* §. *Sane* (4).

(1) Rot. in decis. 37, part. 5 Recent.

(2) Ut innuit Rot. in Eugubina Capellaniae 12 Februarii 1759, §. 4, coram. Card. Elephantutio.

(3) Pirhing in ius canon. lib. 1, tit. 18, de offic. vicar. n. 15; Panimoll. decis. 5, Annot. 2, n. 14.

(4) Costa, de rat. quaest. 239, n. 14; Fagnan. in cap. *Pastoralis*, n. 32, de his, quae fiunt a Praelat.; Pignatell. Consult. 166, tom. 4; Card. Petra ad Constit. 1 Anastasii IV, Sect. 2, n. 34, tom. 2.

Item *in Verulana Iurispatronatus die 27 Iunii 1778* §. *Ad tertium.*

148. Immo, quamvis oblationes sibi quandoque vindicare nequeat, ad ipsum tamen semper spectat illarum administratio, qui tenetur illas convertere in causam, ab Offerentibus volitam *in Ferrarien. Confraternitatis die 14 Septembris 1782* §. *Ad II.*

149. Verum favore Parochi, nonnisi ex decennali praescriptione ius adquiritur administrandi oblationes, contra specialem Rectorem Ecclesiae *in Hieracen. die 16 Martii 1743* §. *Sane* (1).

150. Nam administratio oblationum propria est Rectoris Ecclesiae, in qua illae fiunt, excluso etiam Parocho *in Hieracen. die 16 Martii 1743* §. *Sicuti* (2).

151. Siquidem intra fines Parochiae Oppidi Accumuli situm erat publicum Oratorium, sive Ecclesia Deiparae Annunciatae sacra in Villa Tini, et ab Ecclesia Parochiali S. Laurentii mille circitĕr passibus distabat. Certarunt inter se Iosephus Moscatus Parochus, et Carolus Nicolaus Organtinus, publici illius Oratorii Rector. Idcirco ad litem dirimendam confugerunt ad Sacram Congregationem, quae, proposito dubio : - IV. An eidem Rectori debeantur oblationes seu eleemosynae colligi solitae in dicta Villa Tini seu in Oratorio praedicto, et an valeat in illorum administratione se ingerere, absque licentia et consensu dicti Parochi -, responsum dedit: - Ad quartum, Affirmative, quoad oblationes et eleemosynas in Oratorio; ita tamen, ut ratio reddatur Episcopo, et dictae eleemosynae vel oblationes convertantur in usum et cultum ipsius Ecclesiae, cum approbatione ipsius Episcopi - *in Asculana Iurium et Functionum Parochialium die 29 Augusti 1733.*

152. Praeterea, intra fines Parochialis Ecclesiae Sancti Iacobi, quae subest Abbatiae S. Silvestri in Oppido Nonantulae, quaeque exiguum habebat territorium quatuordecim rusticorum praediorum, quae triginta incolebant Familiae, latifundium et possessiones habebat nobilis Familia Bevilacqua, quae, ut rusticationis tempore Sacrum commodius audire posset, iuxta atrium amplissimarum aedium, quas habebat in eodem latifundio, anno 1721 Oratorium extruxit, impetrata venia, tum a Iulio Franciosio, qui tunc Rector erat Parochialis, tum ab S. R. E. Cardinali Tanario, eiusdem Abbatiae commendatario.

153. Post hanc Oratorii erectionem, frequentes ortae sunt controversiae inter Franciosium Rectorem, et Capellanum Oratorii. Propositis vero dubiis : - IX. An dicto Capellano seu Rectori liceat capsulas habere in parietibus Oratorii, pro eleemosynis recipiendis, vel quaestuas peragere per seipsum et per alios.

X. An oblationes et eleemosynae, quae fiunt in dicto Oratorio, erogandae sint in beneficium eiusdem Oratorii, vel potius debeantur Parocho Sancti Iacobi.

XI. An administratio earumdum spectet ad Capellanum dicti Oratorii, seu potius ad Parochum -, Sacra Congregatio respondit : - Ad nonum, Affirmative, de licentia Ordinarii. Ad decimum, Affirmative quoad primam partem, Negative quoad secundam, et amplius. Ad undecimum, Affirmative quoad primam partem, Negative quoad secundam - *in Nullius seu Nonantulana Iurium Parochialium die 27 Iunii 1744.*

154. Repropositis dein dubiis IX et XI, Sacra Congregatio respondit : - Ad nonum, In decisis; et amplius. Ad undecimum, In decisis; et amplius - *in Nullius seu Nonantulana Iurium Parochialium die 8 Maii 1745.*

155. Potiori hinc iure Abbas Commendatarius arcet ipsum Episcopum ab administrandis oblationibus, quae fieri solent in Ecclesia, cum praesertim Ecclesia olim Abbatia Regularis fuerit *in Hieracen. die 16 Martii 1743* §. *Ad haec.*

156. Iamvero extabat in deserta et asperima quadam Valle Hieracensis Diaecesis Ecclesia S. Mariae de Popsis, Abbatiae titulo insignita, quondam ad Ordinem Benedictinum seu alterum Ordinem pertinens, cui vicinior pagus ab ea distabat per terdecim millia. In illa colebatur Deiparae Virginis Simulacrum, miraculorum fama insigne; ac, semel per annum, peculiaris illius Ecclesiae festivitas agebatur,

(1) Card. Petra ad Constit. 1 Anastasii IV, sect. 2, n. 23, tom. 2.

(2) Card. Petra ad Constit. 1 Anastasii IV, Sect. 2, tom. 2, num. 20, ubi et plures alios Auctores laudat, atque etiam refert nonnullas Resolutiones, tam Sacrae Congregationis, quam alterius Episcoporum et Regularium negotiis praepositae. Idemque definivit Rot. in decis. 170 et 206, n. 1 et seqq. coram Herrer.

magna cum finitimae gentis frequentia, et copiosa donariorum largitione.

157. Postquam eius Diaecesis regimen suscepit modernus Episcopus ad praedictam Ecclesiam visitandam perrexit sub annum 1731, atque inter alia, quae ibidem Deiparae cultus et Ecclesiae decorem augerent, praestituit, tres confici ac retineri debere in Ecclesia Codices, in quorum uno distinctae adnotarentur donaria ac miracula, quae in posterum fierent, in altero Missarum eleemosynae, et in tertio demum earumdem Missarum celebratio: decrevitque pariter, ut quotquot pecuniarum summas offerri contingeret, eaedem in capsula quadam reponerentur, pluribus clavibus occlusa, nec alias reseranda, quam semel per annum occasione sacrae Visitationis.

158. Singulis idcirco annis Episcopus ad Ecclesiam S. Mariae invisendam pergebat, cunctaque secundum eius praescriptum agebantur. Verum anno 1739 cl. me. Cardinalis Passari, Abbas Commendatarius illius Ecclesiae, postulavit a Sacra Congregatione declarari, quod sibi, non vero Episcopo ius esset percipiendi atque administrandi oblationes, quae fieri solerent in Ecclesia S. Mariae; itemque ius deputandi Eremitas, aliosve Ministros pro Ecclesiae custodia. Sacra autem Congregatio censuit nedum super huiusmodi precibus audiendum esse Hieracensem Antistitem, verum etiam secreto sciscitandum Praesulem Militensem.

159. Hisce vero auditis, proposito dubio: - An et ad quem spectet deputatio Capellanorum et Heremitarum pro servitio Ecclesiae S. Mariae de Popsis, et respective Procuratoris, pro administratione eleemosynarum et oblationum, de quibus agitur in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Spectare ad Abbatem, sub obligatione tamen reddendi rationem Episcopo, a quo visitari etiam possit Ecclesia iure saltem delegato, et quoties id sibi in Domino videbitur expedire - *in Hieracen. die 30 Martii 1743.*

160. Quandoque vero S. Congregatio dubia huiusmodi, sedulo temporum morum rerumque circumstantiis expensis, resolvere abstinuit, ut melius provideret. Siquidem, Capella B. M. V. nuncupata *de la Brune*, in territorio Oppidi Massani sita, iam diruta, in usum profanum redacta fuit. Evulgata inde opinione cuiusdam miraculi Imaginis B. M. V. lapideae, quae supererat, tum Parochus dicti loci, tum Communitas concorditer ad eiusdem reparationem devenerant. Proposito itaque dubio: - II. An et ad quem administratio oblationum et eleemosynarum eiusdem Capellae spectet? -, S. Congregatio respondit: - Ad secundum, Dilata; et scribatur, iuxta Instructionem - *in Carpenctoraten. Oblationum et Praeeminentiarum die 15 Maii 1717.*

161. Ex Instructione autem data, manifeste patet, quod Sacra Congregatio, animadvertens ex huiusmodi lite, contra Communitatem eiusque Consules, facile diminui posse Popularium concursum et piorum Fidelium oblationes, insinuandum Episcopo censuit, ut in Capella praedicta, nuncupata *de la Brune*, Societatem, congruis per eam conditis statutis, instituerat; quia ita piae menti Offerentium consultum foret, et Laici exoptatam administrationem oblationum ex manu et potestate Episcopi, iuris ordine servato, consequerentur *in Carpenctoraten. Oblationum et Praeeminentiarum di 15 Maii 1717 lib. 25 Litt.*

162. Praeterea in sacra Visitatione Loci *du Barroux* comperiens Episcopus, nullum ibidem peculiare subsidium extare, pro Pauperibus mala valetudine affectis, nec recte fieri per Consules Universitatis distributionem redituum sive proventuum, quos vulgari nomine *Charitaderios* appellant, illosque omnibus eius Loci Habitatoribus sive indigentibus sive non indigentibus indiscriminatim conferri, decrevit propterea, reditus istos infirmis Pauperibus tribui, eo, quo per schedulas Parochi ab uno vel altero ex Consulibus signatas praescriberetur, modo, annisque singulis Administratores eorum proventuum, sive *Caritaderios*, teneri ad reddendas rationes, vel sibi, vel Parocho, ad id delegato.

163. Haud placuit Communitati ea Decreti pars, de schedulis a Parocho reportandis, antequam singuli Pauperes aliqua subventione donentur. Supplex idcirco ipsius Communitatis nomine Sacrae Congregationi porrectus fuit libellus, quo postulabatur, ut integra Consulibus, atque Administratoribus eorumdem redituum servetur facultas illos dispensandi aegris Pauperibus, quin ullam exquiri oporteat Parochi schedulam: ita namque observatum ac id temporis fuisse supra quamcumque hominum memoriam expositum fuit, initaque olim transactione Parochum inter et Consules, magis confirmatum.

164. Super hisce precibus iussus Episcopus

Sacram Congregationem instruere, scripsit, constitutum ab se fuisse peragendae distributionis modum, qualem ipse iampridem pluribus in locis suae Diaecesis indixerat, atque S. Congregatio laudaverat per epistolam, occasione Relationis status Ecclesiae sibi conscriptam die 8 Augusti 1734. Cur autem schedulas a Parocho atque uno ex Consulibus subscribendas ipse praeceperit, id factum esse inquit: - Ut sciri possit, per exhibitionem schedularum, dum ratio redditur, quae summae et quibus fuerint distributae; qui schedularum usus eo magis necessarius est, quod, tum Consules, tum Caritaderii saepe saepius sunt illiterati, nec Codicem rationis conficere valent.

165. Proposito vero dubio: - An distributio eleemosynarum seu redituum, de quibus agitur, fieri possit per Consules et Caritaderios loci *Barroux*, absque schedulis seu biliectis Parochi dicti loci in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit:-Affirmative, et ad mentem - *in Vasionen. Distributionis Eleemosynarum die 24 Augusti 1743.*

166. Contrarium tamen dicendum, cum Parochus iure administrandi polleat, ex centenaria vel ex immemorabili consuetudine. Quandoquidem, ut de credito scutatorum 230 redintegraretur Marcus Martinelli, quae in restaurationem turris campanariae parochialis Ecclesiae Morgnani mutuaverat, facultatem obtinuit ineunte anno 1846 a Spoletano Archiepiscopo administrationem gerendi bonorum, spectantium ad Venerabilem Sodalitatem et Confraternitatem Sanctissimi Sacramenti Ecclesiae Parochialis Castri Morgnani, et eorumdem bonorum reditus (percipiendi), qui, satisfactis oneribus et terrenorum cultura manutentioneque peracta, supersint. Ast biennio vix elapso Parochus Antonius Campi, fortasse reputans, Marcum iam de suo credito solidatum esse ex perceptis reditibus, eumdem iudicio pulsavit, ut oleas ex administratis praediis recollectas, vel oleum exinde perceptum restitueret.

167. Amicam sibi iudicii aleam Actor expertus est coram primo Iudice: sed victus vicissim ab arena recessit, tum in altero, tum in tertio iurisdictionis gradu; unde novum emersit Loci Pii debitum in aliis scutis 300, ob litis expensas. Quapropter ad incitas redactus Parochus supplices vel ipse preces Spoletano Archiepiscopo porrexit, ut dignaretur conferre administrationem Operae Piae et Confraternitatis D. Aloisio Martinelli (Marci interea defuncti fratri et heredi), donec praefata debita extinguerentur. Et voti compos revera factus est. At breve post tempus, administrationis quoque pertaesus Aloisii Martinelli, instare cepit Parochus, tum coram Archiepiscopo, tum coram EE. et RR. Congregatione, ut ille quam cito adigeretur ad redditionem rationum, ac bonorum administratio sibimetipsi tamquam Parocho assequeretur. Ex dispunctione rationum vero patuit, Martinellium adhuc creditorem, quamvis in levi summa, superesse. Unde Episcopus in actu S. Visitationis decrevit, ut bona Operae ac Confraternitatis SS. Sacramenti, servatis servandis solemniis a iure requisitis, quam citius locarentur, ut Martinellius, qui eousque bona administraverat, proventus omnes colligeret ac custodiret, tum ex locatione, tum aliunde provenientes, ut idem demum, satisfactis oneribus, quotam retineret in residui crediti redintegrationem.

168. Pari tempore Archiepiscopus, ut aliquo modo satisfaceret iteratis Oppidanorum querelis, qui protestabantur, nullam se habere fidem erga D. Antonium Campi Parochum Morgnani, administrationem Montis Frumentarii, quam plures per annos gesserat Parochus, eidem ademit, eamque commisit cuidam Dominico Marini ex Castro *Terraia*. Quum autem Parochus probaverit, ex immemorabili consuetudine sibi competere ius administrationis, propositis dubiis: - I. An et cuius favore constet de iure administrandi bona Operae et Confraternitatis Sanctissimi Sacramenti Terrae Morgnani, postquam Aloisius Martinelli de suo credito se redintegravit in casu etc.

II. An et cuius nomine contractus locationis perficiendus sit in casu etc.

III. An quomodo et cuius favore constet de iure administrandi Montem frumentarium situm in Terra Morgnani in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative favore Parochi et duorum Sodalium vulgo *Santesi*, a Confraternitate eligendorum et ab Archiepiscopo approbandorum, et ad mentem; mens est, ut Archiepiscopus curet promptam dimissionem Martinelli ab administratione bonorum, constito prius de eiusdem crediti redintegratione. Ad secundum, Affirmative, nomine

Parochi et duorum Sodalium, ut in primo. Ad tertium, Affirmative favore duorum Montistarum, sub vigilantia et directione Parochi *in Spoletana Iuris administrandi die 2 Iunii 1760.*

169. Nec Rector Ecclesiae vero, vel Capitulum, administratores, nec imo Episcopus Legata Pia in alium usum, contra mentem Testatorum, convertere possunt *in Gerunden. die 3 Martii 1703.*

170. Etenim, quum in casum inclinaret facies Ecclesiae Cathedralis Gerundensis, Episcopus, Capitulo assentiente, anno 1680 decrevit, converti in eiusdem Templi reparationem debere quosdam annuos proventus, qui, ex antiquo legato Bernardi de Villa Fredario, itemque ex alio Episcopi Gulielmi de Gabanellas, iam inde ab anno 1245 destinati erant comparandis vestibus in Pauperum subsidium. At Sacra Congregatio nullam die 25 Septembris 1700 declaravit huiusmodi commutationem; atque inde, proposito dubio: - IV. An quomodo et a quibus debeant administrari et distribui reditus eleemosynae Vestiarii -, responsum dedit: - Administratores esse debere duos Canonicos presbiteros de Capitulo, deputandos ab Episcopo pro hac vice, et in posterum servandam esse voluntatem Testatoris - *in Gerunden. die 3 Martii 1703.*

171. His ita constitutis, alia gravis supererat difficultas circa liquidationem fructuum, quos Capitulum restituere debebat *Vestiario* Pauperum; adeoque ad controversiam omnem sedandam anno 1728 obtinuit a S. M. Benedicto XIII Chirographum, cuius summa haec erat: Primo, attenta solutione scutorum mille in alia Opera Pia erogatorum, confirmabatur applicatio proventuum *Vestiarii,* ab Episcopo et Capitulo facta anno 1680, in reparationem Ecclesiae Cathedralis. Secundo, liberabatur Capitulum a reddenda ratione fructuum *Vestiarii,* superiori tempore in eam causam impensorum. Tertio, uniebatur et incorporabatur Mensae Capitulari non solum pecunia, ex fructibus *Vestiarii* congesta, sed etiam quidquid bonorum fundorumque, ex quacumque piorum Testatorum dispositione pertinebat ad dictum *Vestiarium* Pauperum. Quarto demum omnino eximebatur Capitulum ab eo onere deinceps distribuendi indumenta Pauperibus, subrogato tamen alio onere dandi quotannis in perpetuum Sanctimonialibus Capuccinis Gerundae existentibus mensuras triginta quinque, quas vocabant *quarterias* Barchinonenses, boni frumenti.

172. Propositis vero dubiis: - I. An intret arbitrium pro aperitione oris? *Et quatenus affirmative.*

II. An Chirographum, de quo agitur, substineatur? *Et quatenus negative.*

III. An Resclutiones Sacrae Congregationis editae die 20 Septembris 1700 et die 3 Martii 1703 sint exequendae in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Negative. Ad tertium, Affirmative, iuxta modum; nempe, quod Episcopus deputet Administratores extra Capitulum, qui bona administrent, et *Vestiarium* adimpleant, et administratione ac adimplemento quotannis rationem reddant Episcopo, qui etiam de exequutione certioret Sacram Congregationem, et amplius, et ad mentem - *in Gerunden. Vestiarii die 7 Iulii 1731.*

173. At inde die 9 Februarii 1732 rursus Capitulum petiit novam audientiam, circa Resolutionem editam die 7 Iulii 1731, fuitque rescriptum: - Audiatur Capitulum dumtaxat, quoad reintegrationem *Vestiarii* et restitutionem fructuum perceptorum; administrationem vero in posterum esse ab Episcopo committendam Capitulo Collegiatae Ecclesiae sancti Felicis, servata norma praescripta in Decreto diei 7 Iulii 1731 - *in Gerunden. Vestiarii die 21 Iunii 1732* §. *Die.*

174. Itaque proposito dubio: - An quoad reintegrationem Legati *Vestiarii* et restitutionem illius fructuum sit standum, vel recedendum a decisis sub diebus 20 Septembris 1700 et 3 Martii 1703, seu potius sit aliter providendum, et quomodo in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - In decisis, iuxta modum; videlicet, Solutis nunc per Capitulum libris decies mille, investiendis cum cura et superintendentia Episcopimet, ad beneficium *Vestiarii,* nec non dummodo in futurum solvantur ab eodem Capitulo annuae librae mille per annos quindecim, erogandae in perfectionem Frontispitii Ecclesiae Cathedralis simul cum alia pecunia ad depositum spectante; quoad reliquum debitum, pro gratia absolutionis, facto de omnibus verbo cum Sanctissimo - *in Gerunden. Vestiarii die 19 Iulii 1732.*

175. Demum, reproposito dubio, sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis die

19 Iulii proxime praeteriti in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Praevio recessu a decisis, solvendas esse a Capitulo, intra sex menses, libras septemdecim mille, investiendas cum cura et superintelligentia Episcopimet, pro *Vestiario* Pauperum; deinde vero solvendas esse ab eodem Capitulo singulis annis libras mille et quingentas in eamdem causam *Vestiarii,* usque ad satisfactionem totius debiti, iuxta liquidationem, prout de iure faciendam - *in Gerunden. Vestiarii die 6 Decembris 1732.*

176. His ceteroquin exulantibus, si bonorum assignatio favore Ecclesiae facta sit, administratio etiam eorum ad illius Rectorem, utpote Ecclesiae iura repraesentantem, pertinet *in Aquinaten. die 5 Aprilis 1851* §. *Quam quidem* (1).

177. Hinc, si Institutor disertis verbis Capellaniam Ecclesiae parochiali perpetuo addictam censuerit, ex quo ea accessorii naturam indueret, ab eodem administranda venit, a quo Ecclesia ipsa regitur et administratur *in Aquinaten. die 5 Aprilis 1851* §. *Et hanc.*

178. Scitissimum enim in iure est, accessorium sequi naturam sui principalis *in Aquinaten. die 5 Aprilis 1851* §. *Et hanc* (2).

179. Quod quidem conforme est iuris principiis, Capellaniarum nempe administrationem ad Ordinarium, et Superiorem Ecclesiae pertinere *in Aquinaten. die 5 Aprilis 1851* §. *Et hanc* (3).

180. Aliter vero se res habet, cum clara non sit mens Fundatoris, sed imo ex institutione plurium Capellaniarum quamdam Collegialitatem praestituere voluisse videatur; ac eo vel magis, dum accedit observantia et concordia, pro bono pacis, inita *in Aquinaten. die 23 Aprilis 1853.*

181. Siquidem praenobilis vir Marchio Felix Amati, omisso primaevo consilio parochialem Ecclesiam, sub titulo S. Margaritae Civitatis Arcissiccae Diaecesis Aquinatensis, in Collegiatam Receptitiam erigendi, eius loco octo laicales Capellanias, iisdem oneribus, quae in Receptitiis apponi solent, obnoxias, sub die 15 Maii anni 1838 fundandas curavit. Licet vero in fundationis limine omnia documenta ac scripturae ad praedictas Capellanias spectantes apud Parochum, qui tunc temporis S. Margaritae Ecclesiam regebat, asservari, ceteraque quoad administrationem ab eodem geri viderentur, volventibus tamen annis factum est, ut tam scripturarum custodia, quam administrationis cura ad ceteros Capellanos migraret, qui rem totam expediendam uni ex eorum gremio ad hoc accito demandarunt.

182. Id aegre ferens modernus S. Margaritae Abbas recursum habuit ad Episcopalem Curiam Aquini, quae die 13 Augusti anno 1842 propitium edidit decretum, quo edixit: - Praedictas scripturas non deberi retineri penes singulos Sacerdotes, ad dictam Ecclesiam adscriptos, nec in privatis aedibus, sed recensitis et summatis cum suo indice in Archivio, communito clavi, quod penes Ecclesiae Rectorem sit, debere reponi -. Porro Capellani, nullam esse Episcopi iurisdictionem in laicalibus Capellaniis existimantes, haud huius decreti dispositioni cedere paratos sese exhibuere, rati praesertim ex eius exequutione, se una cum scripturis administrationem amissuros.

183. Quamobrem ad Sacram Congregationem effugium habuere, ut decretum saltem ea in parte, quae eorum petitioni adversabatur, nullum ac irritum declararetur. Proposito hinc dubio: - An administratio Capellaniarum una cum asservatione scripturarum et documentorum easdem Cappellanias respicientium spectet privative ad Abbatem Parochum, seu potius ad ceteros cumulative Capellanos in casu -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Dilata, et distribuantur documenta, praesertim fundatio - *in Aquinaten. die 5 Aprilis 1851.*

184. Dum autem ea de re literae datae essent Episcopo Aquinatensi, interim factum est, ut nuncium liti remitterent dissidentes, ac, inita transactione, unanimi consensione nonnulla statuta, pluribus sub articulis comprehensa, confecerint, quae S. Ordinis approbationi et sanctioni subiecerunt *in Aquinaten. die 23 Aprilis 1853* §. *Hisce.*

185. Statuta illa, ne admitterentur, neve approbarentur obstitit subinde Abbas Parochus, qui eam transactionem, licet sua manu obsigna-

(1) Rot. in decis. 203, n. 13, coram Peutingero.

(2) L. Etiam, Cod. de iure dotium; L. Accessorium, de regul. iur.

(3) Innoc. in cap. Lateranen. n. 5, de praeben.; Abb. in cap. *Requisisti,* de testam.; et latissime Guttier. in repet. leg. Nemo potest, n. 444 et seqq. de legat. 1; nec non Rot. in Lucana Bonorum 13 Martii 1609, coram Marquemontio.

*

tam, tamen utpote quam metu ac precibus importunis extortam dixit, nullum effectum sortiri posse arbitratus est. Nec minus Heredes ac Successores praedicti Marchionis Amati conquesti sunt de praefata transactione.

186. Propositis vero dubiis: - I. An sit procedendum ad ulteriora, seu potius obstet concordia in casu.

IV. An et quomodo sint confirmanda statuta, condita per Capellanos et Abbatem Parochum in casu -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam. Ad quartum, Affirmative in omnibus, iuxta modum; nempe correcto articulo quarto, ad formam petitionis Parochi, et demandatis Capellano seniori functionibus, de quibus in articulo sexto - *in Aquinaten. die 23 Aprilis 1853.*

187. Repropositis inde dubiis, sub formula: - I. An sit standum, vel recedendum a decisis in primo dubio in casu.

IV. An sit standum, vel recedendum a decisis in quarto dubio in casu -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum et quartum, in decisis, et amplius - *in Aquinaten. die 17 Decembris 1853.*

188. Idcirco Sacra Congregatio omnia et singula probavit, quae a Capellanis, pro bono pacis, disciplinae custodia, ac recta administratione condita fuerant statuta, exceptis articulis sexto et quarto, ubi expuncta fuerunt verba illa: - *la quale approvazione rimarrà esecutiva dietro la sanzione di Monsignor Vescovo.* Id enim suadere putarunt ipsi Capellani rationem negocia solicite expediendi, quod ex retardata et in longius, uti persaepe contingit, protracta Episcopi sanctione, fieri non potuisset (1) *in Aquinaten. die 23 Aprilis 1853.*

189. Aliae vero personae ecclesiasticae, quae iuris assistentia suffultae non sunt, ex quadragenaria tantum consuetudine sive praescriptione, nullo licet titulo communita, sibi possunt adquirere facultatem administrandi oblationes *in Hieracen. die 16 Martii 1743* §. *Aliae.*

190. Quippe quia contra eam praescriptionem ius non resistit vehementer, et ea videtur esse tacita Offerentium voluntas, ut res Deo oblatas ille administret, qui administrare antea consuevit *in Hieracen. die 16 Martii 1743* §. *Aliae* (2).

191. Secus enim administratio redituum Ecclesiae, cui inserviunt plures Sacerdotes ad libitum Rectoris admissi, cum participatione certorum emolumentorum, ad ratam servitii praestiti, spectat privative ad ipsum Rectorem *in Barchinonen. Erectionis Communitatis die 1 Aprilis 1702 ad 1 dubium lib. 52 decretorum.*

192. Quum autem emolumentum dotis constitutae ad omnes indistincte et aequaliter protendatur Capellanias, et cum nemini ulla prorsus distinctio vel iuris prioritas tribuitur, sed omnibus Capellanis directe et aequaliter eadem officia, iura, onera, ac praerogativae conferuntur, administratio etiam manere penes omnes in solidum debet *in Aquinaten. die 5 Aprilis 1851* §. *In deteriori* (3).

193. Administratio bonorum, possessorum a Capella campestri, antequam ei pius Benefactor aliqua sua, a Communitate laicali administranda, reliquerit, non pertinet ad ipsam Communitatem, sed ad Episcopum *in Albanen. Deputationis Heremitae die 10 Maii et die 21 Iulii 1692 lib. 42 Decretorum.*

194. Alias enim Capellaniarum bona administranda sunt ab eo, quem Fundator designavit *in Aquinaten. die 5 Aprilis 1851* §. *Quod quidem.*

195. Amplia, in casu etiam, quo Episcopus aliter disposuisset in actu S. Visitationis, contra mentem Fundatoris, consentiente eodem Administratore, et concurrente subinde quadragenaria observantia *in Viterbien. Capellaniae die 30 Maii 1767.*

(1) Siquidem inter cetera, quae administrationem respiciebant, Capellani cum Abbate Parocho in concordia haec statuerant: - Art. 3. I Cappellani sotto la presidenza dell'Abbate Parroco trattano collegialmente gli affari più gravi risguardanti gli interessi della loro Chiesa. Art. 4. Sono affari gravi ordinarii da trattarsi sempre collegialmente: 1, La nomina degli Officiali. 2, L'approvazione dello Stato discusso da servir di norma al Procuratore in seguito di proposta dell' Abbate Parroco; *la quale approvazione rimarrà esecutiva dietro la sanzione di Monsignor Vescovo.* 3, La revisione ed approvazione de' conti del Procuratore medesimo. 4. L'approvazione di spese straordinarie non contemplate nello stato discusso etc. Art. 14. Il Procuratore amministra i beni della Chiesa sulle norme, che gli sono assegnate dal Collegio de' Cappellani, o ne limiti, che restano fissati nello stato discusso etc. -.

(2) Marian. Soccin. in Tract. de oblation. lib. 18, n. 3, vers. Tertio praemittendum; Decian. Cons. 16, n. 15, lib. 2; Fagnan. in cap. Pastoralis, n. 36 et 37, de his, quae fiunt a Praelat etc.; Card. Petra ad Constit. 1 Anastasii IV, sect. 2, n. 22 et 25.

(3) Rot. in decis. 2, n. 2, part. 2; decis. 124, n. 2, part. 5; decis. 276, n. 2, part. 15 Recent.

196. Enimvero pius vir Sernutius Ciccolini civis Viterbiensis Capellam, quam Conceptioni Beatae Mariae Virgini dicatam extruxerat in Collegiata Ecclesia S. Faustini et Iovitae eiusdem Civitatis, in suo testamento die 22 Ianuarii 1426 heredem universalem instituit expressa lege, - quod dicta Capella non possit adiungi, communicari, vel incorporari cum aliqua alia Capella, Canonicatu, vel Beneficio per Priorem et Capitulum dictae Ecclesiae S. Faustini seu quamvis aliam personam aliqua ratione, cui Capellae reliquit Patronos, et bonorum Administratores Antepositos dictae contradae S.Faustini, qui tunc et pro tempore erunt: qui Patroni dicto Capellano provideant et satisfaciant de mercede sua et salario competenti, taliter quod dictus Capellanus vivere possit de fructibus bonorum hereditatis ipsius Testatoris, et si quid ex dictis fructibus superèrit, ponant et mittant in hereditatem dictae Capellae -.

197. Suas vicissitudines vero perpessa est administratio bonorum Capellae. Licet enim Testator illam commiserit Antepositis sive Sanctesibus Parochiae, ad petitionem nihilominus Capellani, Vicarius Generalis anno 1712, auditis iisdem Sanctesibus, et Defensore Capituli, plurima ex illis libere assignavit Capellano in sui stipendium annuorum scutorum 36, reliqua Sanctesibus administranda reliquit. Verum decennio post Episcopus Sermattei in sacra Visitatione anni 1722, praeter cetera, illud etiam ad componendas lites inter Capitulum et Capellanum mandavit, ut administratio bonorum omnium Capellae concederetur Capellano, cui potestatem quoque fecit habendi inter Beneficiatos ultimum locum in supplicationibus, aliisque publicis functionibus, in quibus omnes Clerici conveniunt.

198. Ex eo igitur etiam, quod nulla esset Episcopo potestas Testatoris voluntatem commutandi, et iuribus Sanctesium derogandi, proposito dubio: - IV. An administratio bonorum dictae Capellaniae spectet privative ad Sanctes, vel potius ad Capellanum pro tempore eiusdem Capellaniae in casu -, S. Congregatio respondit: - Ad quartum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam, et amplius - *in Viterbien. Capellaniae die 30 Maii 1767.*

199. Id quippe sanxit Sacra Congregatio, etiamsi Capellanus deduxisset, administrationem Sanctesium usque ad annum 1722 improvidam fuisse; et superextantibus reditibus Capellae annuorum scutorum 90 ne obulum unquam iuxta fundationis leges ipsos erogasse, nunquam Decretis Visitationum paruisse, plura eius bona ob eorum negligentiam fuisse deperdita, ac semper male cum Capellanis egisse, aere etiam alieno Capellaniam gravasse, debuisse proinde Episcopum Sermattei anno 1722 ad lites sedandas administrationem Capellano committere, hanc ab isto per quadraginta et ultra annos pacifice et recte exercitam *in Viterbien. Capellaniae die 4 Aprilis 1767* §. *Ad III.*

200. Secus vero de iure administratio bonorum Capellae spectat ad Capellanum. Hinc administrationem bonorum Capellae B. M. V. Gratiarum de iurepatronatus Scolasticae Quartucci spectare ad Capellanum decrevit Sacra Congregatio, etsi Ecclesia seu Capella una cum bonis cessa fuerit PP. Sanctissimi Redemptoris, et ob vetustatem a Populo, praeservato tamen iurepatronatus, fuerit e fundamentis extructa.

201. Proposito enim dubio: - III. An et ad quem pertineant bona, iura, credita, sacra supellectilia, et alia quaecumque data, concessa, et perventa ad dictam Ecclesiam et Capellam in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad tertium, Quoad proprietatem spectare ad Ecclesiam, Administrationem vero ad Capellanum - *in Verulana Iurispatronatus die 16 Ianuarii 1779.*

202. Pertinentia administrationis, ex eo etiam comprobatur, quod ab exordio institutionis Capellaniae, sospite scilicet Fundatore, huiusmodi ius exercitum fuerit, quin ceteri praetendentes obmussitaverint *in Aquinaten. die 5 Aprilis 1851* §. *Quibus.*

203. Maximam porro inesse observantiae vim, vel praescriptive vel interpretative sumatur, compertum in iure est; eaque optima et fidelis cuiuscumque dispositionis interpres est, omnemque aufert dubitationem *in Aquinaten. die 5 Aprilis 1851* §. *Quibus* (1).

204. Atque eo magis est attendenda, quo est fundationi proximior *in Aquinaten. die 5 Aprilis 1851* §. *Quibus* (2).

(1) Rot. in Gerunden. Iurisdictionis 3 Decembris 1635, coram Merlino; S. Congreg. in Ripana Canonicatus quoad dispensationem 9 Iulii 1840; in Oritana Participationis 25 Aprilis 1842.

(2) Card. De Luc. de iurepatronat. disc. 13, n. 19.

205. Itaque Communitas Ferentina, administrationem bonorum, quae pro dote Ludimagistri assignata fuerunt, omnino independenter ab Episcopo habuisse contendit, et hanc facultatem, ex donatione a Nicolao Rahonio, cum plena et omnimoda potestate scholam regendi, gubernandi, Praeceptoresque eligendi, facta, oriri censuit. Hinc actionem hanc praefata Communitas desumpsit, ex possessione centum annorum excedente, quam comprobare studuit, tum ex plurimis actibus, ab anno 1601 usque ad annum 1717 successive gestis in publicis comitiis, tum ex concordi multorum Testium depositione, affirmantium electionem Ludimagistri et Administrationem bonorum, pro ipsius dote assignatorum, independenter omnino praeteritis temporibus habitam fuisse a Communitate.

206. Proposito idcirco dubio: - An electio Ludimagistri et Administratio bonorum, de quibus agitur, independenter competat Communitati Ferentini in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Spectare ad Communitatem, firmo remanente iure Episcopi, ad formam Concilii *in Ferentina die 4 Decembris 1734.*

207. Liberum hinc multo magis esse debet Abbati, veluti Superiori Monasterii, absque ullo penitus interventu, sine consensu Protectorum, oeconomicae Monasterii administrationi incumbere *in Mediolanen. die 12 Maii 1736* §. *Porro* (1).

208. Quare, proposito dubio: - I. An Protectores seu Curatores Ven. Monasterii et Monialium S. Radegundae Civitatis Mediolanensis Ordinis S. Benedicti Ordinis Cassinensis intervenire valeant et praestare eorum consensum in stipulationibus cuiuscumque contractus, sive instrumenti faciendi a dictis Monialibus cumulative cum Patre Abbate Ven. Monasterii S. Simpliciani illarum Superiore, sive potius dicti contractus et instrumenta celebrari, ac stipulari debeant cum consensu et interventu privative dicti Patris Abbatis, vel ipsius Delegati, absque licentia et interventu dictorum Protectorum -, S. Congregatio respondit: - Ad primum, Negative quoad primam partem, Affirmative quoad secundam - *in Mediolanen. die 2 Iunii 1736.*

209. Ex quo interim Sacra Congregatio adimat administrationem bonorum Capellaniae Sodalitio, ob eius negligentiam, et Capellano tradat, videtur huiusmodi ius competere etiam Successoribus *in Urbevetana Administrationis die 20 Septembris 1794* §. *Ut se foveat.*

210. Praesertim, si consensum praestiterint Sodales consignationi bonorum Capellano, quasi displicere amplius nequeat, quod semel placuit *in Urbevetana Administrationis die 20 Septembris 1794* §. *Ut se foveat* (2).

211. Secus tamen verius est dicendum; dum, quamvis Capellanus pro se suisque Successoribus administrationem postulasset, eam nihilominus Sacra Congregatio ipsi dumtaxat concessit, nulla facta mentione Successorum, quos idcirco comprehendere noluisse censetur, iuxta Cap. 40 de offic. Iudic. delegat. *in Urbevetana Administrationis die 20 Septembris 1794* §. *Urgent.*

212. Praesertim, si administratio alicui concessa sit, ut redintegraretur de suo credito *in Spoletana Iuris Administrandi die 2 Iunii 1860* §. *Quod si.*

213. Nam, ex quo is redintegratus sit de suo credito, cessat facultas sese ingerendi in administratione *in Spoletana Iuris Administrandi die 2 Iunii 1860* §. *Quod si.*

214. Immo, nec usque dum eiusmodi facultas perdurat, potest eos gerere actus, qui ad verum tantum Administratorem spectant, et qui a vero tantum Administratore perfici iure valent *in Spoletana Iuris Administrandi die 2 Iunii 1860* §. *Quod si.*

215. Hinc neque de iure permissum Patronis se ingerere in administratione bonorum Ecclesiae *in Aliphana Redditionis Rationis die 3 Decembris 1718* §. *Absque eo.*

Item *in Ianuen. Literarum Apostolicarum die 24 Martii 1838* §. *Hisce* (3).

216. Quin imo in poenam incidunt Patroni amissionis iurispatronatus, ob praedictam ingerentiam in administratione bonorum Ecclesiae *in Fanen. Exequutionis Decretorum Sacrae Visitationis die 22 Novembris 1760* §. *Hinc.*

Item *in Ianuen. Literarum Apostolicarum die 24 Martii 1838* §. *Hisce* (4).

(1) Fagnan. in cap. 5, n. 24, de offic. ordinar.; Tamburin. de iur. Abbat. tom. 2, disp. 1, quaest. 2, n. 2; Card. De Luc. de iurisd. disc. 1, n. 6; Paninoll. in decis. 24, adnot. 1, n. 2.

(2) Cap. 21, de Regul. Iur. in 6.

(3) Cap. *Praeterea* 4, de iurepatronat.

(4) Concil. Trid. in cap. 11 sess. 22, in cap. 9 sess. 25, de reform.; Card. Petra ad Constit. 7 Gregorii IX, n. 62, tom. 2.

217. Id vero Patronorum est, ut invigilent, ne bona Ecclesiae dilapidentur, neve reditus a Clerico, contra finem a Testatore volitum, applicentur *in Ianuen. Literarum Apostolicarum die 24 Martii 1838* §. *Insuper* (1).

218. Adeout Clericum, qui male in bonis Ecclesiae versatur, Episcopo denuntiare ipsi tenentur *in Ianuen. Literarum Apostolicarum die 24 Martii 1838* §. *Insuper* (2).

219. Patroni satagere etiam debent, ut in Ecclesia peragantur divina, quae per Fundatorem fuerunt statuta *in Ianuen. Literarum Apostolicarum die 24 Martii 1838* §. *Insuper* (3).

220. Hinc licitum est Patronis inquirere, an accurate iniuncta Sacrorum onera adimpleta sint, quod inter temporalia recensendum, ac propterea Laicis non est prohibendum *in Ianuen. Literarum Apostolicarum die 24 Martii 1838* §. *Insuper* (4).

221. Nec imo repugnat, quod, vigore consensus, ab Episcopo in fundatione praestiti, non Ecclesiae Rectores, sed Patroni laici habeant administrationem bonorum Ecclesiae *in Fanen. Exequutionis Decretorum Sacrae Visitationis die 30 Maii 1761* §. *Verum* (5).

222. Namque Sacrum Concilium Tridentinum prohibet quippe Patronis Laicis, vel administrationem beneficiorum, vel usurpationem bonorum Ecclesiae, in propriam utilitatem, non autem eorumdem bonorum administrationem, pro commodo ipsius Ecclesiae, quae licita etiam Laicis supponitur in Sess. 22 Cap. 9, ubi demandatur redditio rationis facienda Episcopo *in Fanen. Exequutionis Decretorum Sacrae Visitationis die 3 Maii 1761* §. *Verum.*

223. Immo expresse licita declaratur in sess. 24 Cap. 3, vers. *Patroni vero,* si ea competat, ex institutione vel fundatione *in Fanen. Exequutionis Decretorum Sacrae Visitationis die 30 Maii 1761* §. *Verum.*

224. Quod pluries expresse declaravit Sacra Congregatio *in Fanen. Exequutionis Decretorum Sacrae Visitationis die 30 Maii 1761* §. *Verum* (6).

225. Praesertim, si Capellanus Ecclesiae, ad nutum Patroni, removeri possit *in Fanen. Exequutionis Decretorum Sacrae Visitationis die 22 Novembris 1760* §. *Et circa.*

226. Adstipulante insuper longaeva observantia centum et ultra annorum, quibus semper bona Ecclesiae administrata fuerunt per Patronos *in Fanen. Exequutionis Decretorum Sacrae Visitationis die 22 Novembris 1760.*

227. Immo etiam administratio Legati, per quemvis huiusmodi Ecclesiae relicti, Patronis competit *in Fanen. Exequutionis Decretorum Sacrae Visitationis die 14 Februarii 1761* §. *Ob novam.*

228. Siquidem Iuspatronatus Ecclesiae curatae S. Sebastiani, quod anno 1502 auctoritate ordinaria reservatum est Hominibus Villae Belloculorum illius Fundatoribus, aliudque ab ipsis in posterum acquisitum cuiusdam Capellae nuncupatae *Gioventù,* in eadem Ecclesia erectae, amissum ab eis fuisse censuit Episcopus Fanensis, ob ingerentiam Officialium Communitatis dictae Villae, in perceptione fructuum Ecclesiae et Capellaniae praedictae, et ob simoniacas pactiones initas cum Capellanis in eorum electione vel confirmatione. Postquam itaque vigore praecepti poenalis, in sacra eiusdem Ecclesiae Visitatione editi die 25 Iulii 1759, acceperat a praedictis Hominibus libros comprobantes gestam administrationem et pactionatas nominationes, Fanum reversus, die 5 Septembris eiusdem anni decretum promulgavit, quo restituta Capellanis administratione bonorum, damnata est Communitas Ecclesiam dotare, illataque damna resarcire, et utroque iurepatronatus privata edicebatur, nisi paruisset intra tres menses, legitimamque obtinuisset absolutionem a censuris, ob simoniam.

229. Reclamavit Communitas ex eo etiam, quod, circa administrationem praedii empti, ex pecuniis legatis a Paterniano Bellocchi, nihil decerni potuisset ab Episcopo, non inspecto Legantis testamento. Idcirco, propositis dubiis: - I. An decretum sacrae Visitationis, factum anno 1759, pro libera administratione praedii,

(1) Can. Filiis 31, caus. 16, quaest. 2; Reiffenst. in lib. 3 decret. de iurepatronat.; et communiter Doctores.
(2) Can. Filiis 31, caus. 16, quaest. 2; Reiffenst. in lib. 3 decret. de iurepatronat.
(3) Lambertin. de iurepatronat. lib. 3, quaest. 2, art. 12, n. 2; Vivian. eod. tit. part. 1, lib. 1, cap. 2, n. 2.
(4) Card. De Luc. de iurisd. disc. 42, n. 7 et 8.
(5) Pignatell. Consul. 143, n. 19 in fin., et n. 29 et 30, tom. 9.
(6) Nimirum etiam in Aliphana Administrationis Locorum Piorum 18 Iulii 1705 lib. 35 decretorum pag. 261.

empti ex pecuniis legatis a Paterniano Bellocchi, tributa Parocho pro tempore, cum simplici Communitatis Villae Belloculorum facultate invigilandi, super satisfactione oneris Missarum et manutentione dicti praedii, sit exequendum in casu etc.

VIII. An totalis administratio bonorum Capellae *Gioventù*, tributa Capellanis pro tempore, relicto penes Communitatem iure tantum invigilandi, super cultura et manutentione dictorum bonorum, substineatur in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Dilata; et exhibeatur particula Legati Paterniani Bellocchi. Ad octavum, Negative - *in Fanen. Exequutionis Decretorum Sacrae Visitationis die 22 Novembris 1760.*

280. Ob novam audientiam a Promotore Fiscali Curiae Episcopalis impetratam, denuo reproposita fuit causa, tam super reservatis, quam super resolutis. Quoad reservata exhibuit Communitas particulam Legati Paterniani Bellocchi, qui in testamento Romae condito 25 Aprilis 1623 reliquit scuta centum Ecclesiae S. Sebastiani Villae Belloculorum, cum onere quinque Missarum celebrandarum singulis annis in suffragium animae suae; ideoque contendit, huius Legati administrationem, quae nulli a Testatore commissa fuit, spectare ad Massarios Ecclesiae, qui curam gerebant oeconomicam et providentialem illius bonorum; eiusdemque Legati fructus, satisfactis oneribus, convertendos esse in utilitatem ipsius Ecclesiae legatariae, non autem tribuendos esse Capellano curato. Ex eo etiam, quod concurret observantia interpretativa desumpta, tum ex centenaria, tum ex facto Capellani curati, qui anno 1625 nomine Communitatis seu Administratorum Ecclesiae exegit pecuniam legatam, illamque, deductis expensis scutorum decem, consignavit eisdem Administratoribus, qui ex ea praedium emerunt, et praedii administrationem deinceps exercuerunt, fructusque erogarunt in satisfactionem onerum, et in occurrentes Ecclesiae necessitates.

231. Repropositis hinc dubiis: - An decretum sacrae Visitationis, factum anno 1759, pro libera administratione praedii, empti ex pecuniis legatis a Paterniano Bellocchi, tributa Parocho pro tempore, cum simplici Communitatis Villae Belloculorum facultate invigilandi, super satisfactione oneris Missarum et manutentione dicti praedii, sit exequendum in casu etc.

II. An quoad reliqua dubia sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Ad primum, Negative. Ad secundum, In decisis; et amplius - *in Fanen. Exequutionis Decretorum Sacrae Visitationis die 28 Februarii 1761.*

232. Demum, reproposito primo dubio: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - In decisis, et amplius - *in Fanen. Exequutionis Decretorum Sacrae Visitationis die 30 Maii 1761.*

233. Hinc, quamvis Laicis non competat administratio *authorizabilis* et *ministerialis*, utique eis competere potest administratio *providentialis* seu *temporalis* et oeconomica *in Savonen. die 8 Februarii 1744* §. *Altero.*

Item *in Imolen. Iurispatronatus et Administrationis die 18 Decembris 1858* §. *Illud* (1).

234. Laicis idcirco prohibita solummodo est spiritualium administratio *in Ianuen. Literarum Apostolicarum die 24 Martii 1838.*

235. Non autem prohibita est temporalium administratio *in Ianuen. Literarum Apostolicarum die 24 Martii 1838* §. *Difficultas* (2).

236. Propterea etiam Laicis huiusmodi administratio competit, si eam ex lege fundationis nanciscantur *in Ianuen. Literarum Apostolicarum die 2 Iunii 1830.*

237. Siquidem proposito dubio - II. An Capitalia assignata in dotem Ecclesiae Collegiatae B. M. Virginis et SS. Fabiani et Sebastiani de Carignano Civitatis Ianuae, administranda sint a Patronis, de quorum manibus Abbas et Canonici reditus sibi tangentes recipere debeant, seu potius eadem sint relaxanda in dominium Ecclesiae, itaut Abbas et Canonici reditus suos exigere valeant independenter a Patronis-, Sacra Congregatio respondit: - Ad secundum, Affirmative quoad primam, Negative quoad secundam partem - *In Ianuen. die 25 Ianuarii 1727.*

238. Praeterea, supremo voluntatis suae elogio anno 1650 exarato, Vir piissimus Ioannes

(1) Archidiac. in Can. *Laicis*, C. 17, quaest. 7; Vanespen. ius eccles. part. 2, tit. 33, cap. 10, n. 26; Card. Petra ad Constit. 1 Anastasii IV, Sect. 2, n. 48; Card. De Luc. in Miscell. eccles. disc. 35, n. 10 et 11.

(2) Card. De Luc. in miscell. eccles. dis. 35, n. 9 et seqq.

Thomas Invrea Ianuensis disposuerat, ut ex omnibus bonis suis hereditariis Mons, titulo *S. Mariae de Remedio* nuncupandus, in Ianuensi Civitate erigeretur. Administratores ab eo electi, praedictum Montem et Ecclesiam ab eodem demandatam, illico post eius mortem, aedificaverunt. Inde, unica Dignitate titulo Abbatis, duodecim Canonicatibus, quatuor Mansionariatibus, atque octo Capellaniis praescriptis, Ecclesia praelaudata in Collegiatam a Supremo Pontifice Pio VI anno 1795 erecta est, congrua dote singulis designata, ac ex memorati Montis fructibus et reditibus ab Administratoribus, pro onerum satisfactione, quotannis solvenda. Testator enim amplam praefatis Administratoribus impertitus est facultatem ea omnia faciendi, quae in Ecclesia opportuna ac necessaria aestimassent.

239. Proposito hinc dubio: - III. An cui et quomodo competat Ecclesiae ac Sacristiae gubernium, nec non administratio redituum, pro utriusque expensis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad tertium, Affirmative ad primam partem, favore Abbatis et Capituli, pro spiritualibus, et cultum divinum respicientibus; quoad vero secundam partem, Administrationem nempe redituum, favore Administratorum, ad formam voluntatis Fundatoris - *in Ianuen. Literarum Apostolicarum die 2 Iunii 1838.*

240. Idcirco, licet de iure communi ad Capitulum pertineat, ut omnia bona Ecclesiae procuret; hoc tamen locum non habere, ubi per Fundatorem est de particulari Rectore provisum, docet etiam S. Rota, et huiusmodi dispositionem servandam esse decidit (1) *in Ianuen. Literarum Apostolicarum die 4 Martii 1838* §. *Tertio.*

241. In casu vero frustra sibi praefati Administratores potestatem eligendi et amovendi Ecclesiae et Sacristiae inservientes vindicarunt ex universali illa administratione, quam eis in suprema sua voluntate Testator commisit. Docet quidem Pignatellius (2), ad quem ex tenore fundationis ius administrandi pertinere probatum fuerit, ad eumdem etiam spectare illud nominandi atque amovendi Presbiteros ac Capellanos; quia talis nominatio est de praecipuis iuribus ac pars ipsius administrationis, ut dicit Rota (3). Quod ideo de Presbiteris et Capellanis statuitur, idipsum eo vel magis de Ecclesiae inferioribus Ministris asserendum est. At Sacra Congregatio, hisce non obstantibus, proposito dubio: - An et cui et quomodo competat ius eligendi et amovendi Ecclesiae et Sacristiae inservientes in casu etc. -, responsum tulit: - Ad secundum, Affirmative, favore Abbatis et Capituli - *in Ianuen. Literarum Apostolicarum die 2 Iunii 1838.*

242. Namque supremus Pontifex Pius VI in Bulla erectionis Ecclesiae in Collegiatam, etsi Administratoribus iuspatronatus voluerit reservatum, eosque legitima potestate frui idoneas personas ad Abbatiam et Canonicatus praesentandi, nec non Mansionarios ac Capellanos ad eorum nutum amovibiles nominandi, expressis tamen verbis Abbati et Canonicis praefatis, in Officialibus, Ministris necessariis deputandis ac amovendis, ac ministeriis per ipsos subeundis, salariis ac stipendiis praestandis, liberam et omnimodam facultatem, potestatem, auctoritatem, eadem Apostolica Auctoritate, perpetuo concessit et impertitus est *in Ianuen. Literarum Apostolicarum die 23 Martii 1838* §. *Propria.*

243. Quin hilum proinde obstitit, quod Administratores consuetudinem etiam sibi propitiam in medium protulissent *in Ianuen. Literarum Apostolicarum die 24 Martii 1838* §. *Altera.*

244. Itaque Gubernatores et Deputati, qui a Civitate Caietae, ad quam pertinebat Iuspatronatus Capellae S. Erasmi, eligebantur, ut invigilarent, tam super fabrica et ornatu eiusdem, quam super conservatione et erogatione redituum ad illam pertinentium, Sacrae Congregationi supplicarunt, pro declaratione, quod duae Statuae argenteae et quod alia quaedam argentea ornamenta essent de libero dominio Civitatis, non vero Capellae. Capitulo comparare recusante, licet Capella in eius Ecclesia Cathedrali sita esset, Episcopus existimavit, ad suum pertinere officium praedictae Capellae iura prosequi.

245. Propositis hinc dubiis: - I. An et quale ius competat Civitati et Deputatis super candelabris, cruce, et aliis ornamentis argenteis, quae a triginta annis citra semper inservierunt, pro ornatu Capellae S. Erasmi, vel potius illa libere spectent ad dictam Capellam in casu etc.

(1) In Decis. 455, n. 3 et 4, coram Duran.

(2) In Consult. 143, n. 45 tom. 9.

(3) In Decis. 455, n. 2 et 3, coram Duran.; atque in Lucana Legati 15 Maii 1645, coram Peutingerio.

II. An et quale ius competat eisdem Civitati et Deputatis super duabus Statuis argenteis iam factis, et super pecuniis exactis et exigendis ex gabellis et aliis effectibus, assignatis dictae Capellae per Consilium Civitatis, vel potius eaedem Statuae libere spectent ad dictam Capellam in casu etc.

IV. An Episcopo competat ius deputandi idoneam personam, pro exactione gabellae *quartutii* piscationis, concessae dictae Capellae, et exigendi ab Exactoribus computa exacti in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit : - Ad primum, Argentea, de quibus agitur, libere spectare ad Capellam, eorum vero tantummodo custodiam ad Deputatos. Ad secundum, Statuas et pecunias, de quibus agitur, libere spectare ad Capellam, custodiam vero Statuarum, et administrationem redituum tantummodo spectare ad Deputatos. Ad quartum, Committendam esse Deputatis exactionem et administrationem gabellae *quartutii* piscationis, cum onere eam erogandi et reddendi Episcopo rationem, ad normam Decreti S. Congregationis Episcoporum et Regularium die 28 Augusti 1643 - *in Caietana die 2 Iulii 1718.*

246. Quapropter, comprobato iurepatronatus, praesertim super aliquo pio Opere, cum facultate administrandi, ad Patronos spectat ius nedum administrandi, sed etiam distribuendi eleemosynas, prae eodem Parocho *in Imolen. Iurispatronatus et Administrationis die 18 Decembris 1858* §. *Quoad alteram.*

247. Potissimum, si concurrat immemorabilis observantia, qua ipsi Patroni, reditus in substentationem pauperum Personarum distribuere soliti fuerint *in Imolen. Iurispatronatus et Administrationis die 18 Decembris 1858* §. *Quoad alteram.*

248. Nam haec observantia sat per se foret, ad praefata etiam iura praescribenda, ni Patroni alio titulo potirentur *in Imolen. Iurispatronatus et Administrationis die 18 Decembris 1858* §. *Quoad alteram.*

249. Ac eo vel magis, si ex redditarum rationum approbationibus, ac Sacrarum Visitationum decretis, constanter comprobata fuerit *in Imolen. Iurispatronatus et Administrationis die 18 Decembris 1858* §. *Quoad alteram.*

250. Quin obstet, quod Parocho nemo magis aptus dari potest, ad eleemosynas aequa lance, et, iuxta Familiarum egestatem, distribuendas; vel cui Episcopus ipse huiusmodi munus demandare satius censuerit *in Imolen. Iurispatronatus et Administrationis die 9 Aprilis 1859* §. *Deficientibus.*

251. Propositis enim dubiis : - I. An constet de legitimo iurepatronatus favore Citatorum in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An cuius vel quorum favore spectet ius administrandi et distribuendi eleemosynas in casu etc.-, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Provisum in primo - *in Imolen. Iurispatronatus et Administrationis die 9 Aprilis 1859.*

252. Aliter tamen dicendum, si Parocho ius sit cuncta Pia Opera administrandi, in parochiali Ecclesia fundata, ex antiquissima consuetudine ac observantia *in Spoletana Iuris Administrandi die 2 Iunii 1860* §. *Qui Parochi.*

253. Quandoque hinc Opera Pia administrantur, sub dependentia tantum, et auxiliatrice directione Parochi *in Imolen. Iuris Administrandi die 2 Iunii 1860* §. *Ad controversiam.*

254. Si vero, nec ex lege fundationis, nec ex immemorabili vel centenaria observantia, Patroni iure administrandi non polleant, tunc administratio praesertim Capellaniae ad respectivum Capellanum spectat *in Reatina Capellaniae die 10 Maii 1755.*

255. Siquidem Ecclesiam sive Capellam Sanctae Mariae de Monte in pago Civitellae Vernici Populus aedificavit anno 1535. Terraemotus anno 1703 funditus diruit. Sacerdos Recuperus Sanctinius sua pecunia restituit, eique propria bona reliquit, pro cultu et Capellani substentatione. Defuncto Testatore, Ioannes et Innocentius fratres Cherubinii heredes scripti Capellanum, quoad viveret, nominarunt Sacerdotem Ioannem de Felicibus. Anno vero 1746 Innocentius Cherubinius, qui iam ratam bonorum a Testatore relictam, et alia etiam bona propria, pro fundo Capellaniae assignaverat, iuspatronatus cessit et donavit Felici Angelo Gratioso. Fratris exemplum sequutus Ioannes Cherubinius, iam senex et a Filiis derelictus, anno 1750 iuspatronatus cessit et donavit Michaeli Iannarellio consanguineo suo.

256. At Sacra Congregatio, nulla declarata praedicta cessione Iurispatronatus, praefato Capellano competere ius administrandi bona Capellaniae, edixit; cum nec Heredes Recuperi ius illud ex fundatione vel observantia nancisceren-

tur. Proposito enim dubio:- III. An administratio bonorum, assignatorum pro dicta Capellania, facienda sit per Ioannem de Felici Capellanum, seu potius per Felicem Angelum Gratiosi et Michaelem Iannarelli in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad tertium, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundum - *in Reatina Capellaniae die 10 Maii 1755.*

257. Reproposito subinde dubio, sub formula:- An sit standum, vel recedendum a decisis quoad tertium dubium in casu etc.-, Sacra Congregatio respondit: - In decisis, et amplius - *in Reatina Capellaniae die 7 Iunii 1755.*

258. Demum, non obstante huiusmodi Resolutione, Gratiosius et Iannarellius Patroni novam audientiam impetrarunt. Reproposito vero dubio, sub eadem formula, Sacra Congregatio denuo respondit: - In decisis, et amplius - *in Reatina Capellaniae die 23 Augusti 1755.*

259. Quin imo adimitur ius administrandi bona Capellaniae Heredibus Fundatoris, si ea in maximam egestatem redacta alienaverint *in Alerien. Legatorum die 12 Iulii 1758.*

260. Enimvero Capellaniam, sub titulo Sancti Iacobi Apostoli, in Ecclesia PP. Capuccinorum Sanctae Reparatae Provinciae Bononiae, fundavit, certisque designatis bonis immobilibus, dotavit testamento condito anno 1706 Reparata Fondacci, ea lege, ut eadem bona Syndicus seu Procurator praedicti Conventus haberet. Uxoris pietatem sequutus Andreas Fondacci, testamento, quod condidit anno 1727, eidem Capellae legavit census librarum mille monetae Genuensis, ut earum usuris Syndici Sacra agi curarent.

261. Heredes horum Testatorum alienarunt bona, quae in dotem Capellaniae constituta sunt. Idcirco Syndicus reintegrationem bonorum, nec non administrationem expostulavit. Sacra Congregatio vero, indicta Heredibus solutione Legatorum Missarum et reintegratione bonorum Capellaniae, proposito dubio: - III. An in posterum dicta bona Capellaniae, ut supra in dotem assignata, administranda sint per Syndicum seu Procuratorem pro tempore Conventus in casu etc. -, responsum dedit: - Negative, et Episcopus provideat, de idoneo Administratore, exclusis Heredibus - *in Alerien. Legatorum die 12 augusti 1758.*

262. Novam audientiam Heredes obtinuerunt, conquerentes, responsum fuisse ad tertium dubium, pro deputatione alterius Administratoris Piorum Legatorum, *exclusis Heredibus,* quos tamen ex Testatorum voluntate praeferre oportuisset *in Alerien. Legatorum die 24 Novembris 1759 §. Conqueritur.*

263. Proposito subinde dubio, sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis die 12 Augusti 1758, seu potius sit locus approbationi Capellaniae interim erectae in casu etc.-, Sacra Congregatio responsum tulit: - Dilata; et interim scribatur Episcopo, iuxta mentem - *in Alerien. Legatorum die 24 Novembris 1759.*

264. Supervenit Episcopi relatio, qua testabatur, nec exequutum fuisse rescriptum diei 12 Augusti 1758, nec aliquid opponendum videri, contra erectionem Capellaniae *in Alerien. Legatorum die 21 Iunii 1760 §. Novum.*

265. Hinc reproposito dubio, sub eadem formula: - An sit standum vel recedendum a decisis die 12 augusti 1758, seu potius sit locus approbationi Capellaniae interim erectae in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad tertium, Episcopus curet, quod per Heredes adimpleantur omnia onera, ad formam Testamentorum - *in Alerien. Legatorum die 8 Martii 1760.*

266. Demum, reproposito dubio, sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad tertium, In ultimo loco decisis, ad formam Testamentorum et Codicilli Reparatae - *in Alerien. Legatorum die 21 Iunii 1760.*

267. Propterea id eo vel magis statuendum, cum Breve Summi Pontificis extet, quo ratio administrandi demandatur *in Romana Supplementi Concordiae et Reintegrationis die 28 Novembris 1733.*

268. Siquidem Innocentius X Pontifex Maximus Breve circa Ecclesiam S. Agnetis in Foro Agonali eiusque gubernandae rationem edidit. Exorta dein controversia, circa supplementum et cetera huiusmodi, propositis dubiis, pro causae definitione, S. Congregatio respondit: - Dilata, et ad Eminentissimum Praefectum, pro nova concordia - *in Romana Supplementi Concordiae et Reintegrationis die 14 Martii 1733.*

269. Verum Eminentissimo Praefecto visum fuit expedire, quod de tota re iterum ageretur in Sacra Congregatione. Hinc proposito dubio: - IV. An et quomodo administratio oeconomica eiusdem Ecclesiae S. Agnetis spectet ad Eminentissimum eius pro tempore Protectorem -,

*

Sacra Congregatio respondit: - Ad quartum, Affirmative, ad formam Brevis - *in Romana Supplementi Concordiae et Reintegrationis die 28 Novembris 1733.*

270. Nec adhuc aliter sanciendum, cum ius administrandi Officio adnexum reperiatur *in Toletana Administrationis Emolumentorum Parochialium die 14 Ianuarii 1730.*

271. Iamvero Martinus Clavero Corbelia Parochus Ecclesiae S. Crucis Villae Matriti, post captam dictae Parochiae possessionem, in suum Vicecuratum et Auditorem assumpsit Sacerdotem Ioannem Alvarez, qui, ultra dictae curae exercitium, exigebat etiam ac administrabat oblationes et emolumenta parochialia.

272. Anno 1725 amoto dicto Ioanne Alvarez a praedicto exercitio curae, subrogatoque per Parochum Sacerdote Ioanne Quevedo et Garida, praetensionem ille excitavit, quod, non obstante dicta sua remotione, adhuc administratio oblationum et emolumentorum parochialium ad ipsum, et non ad modernum Vice-Parochum spectaret, sub motivo, quod huiusmodi officium Administratoris non sit annexum et inseparabile ab officio Vice-Parochi, sed exerceri debeat ab eo, qui eligitur (prout ipse electum fuisse asserebat) a Beneficiatis eiusdem Ecclesiae Parochialis, vel ab eo, qui aeque cum Parocho participat de massa dictarum oblationum et emolumentorum parochialium.

273. Proposito vero dubio: - An administratio oblationum et emolumentorum parochialium S. Crucis Matriti spectet ad Locumtenentem sive Vice-Parochum, vel potius ad Antecessorem in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Affirmative quoad primam partem, Negative quoad secundam - *in Toletana Administrationis Emolumentorum Parochialium die 2 Iulii 1729.*

274. Reproposito dein dubio, sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Dilata, et proponatur in prima etiam unica, et scribatur Eminentissimo Archiepiscopo, pro appositione sequestri, super rebus controversis - *in Toletana Administrationis Emolumentorum Parochialium die 17 Decembris 1729.*

275. Demum, reproposito praedicto dubio, sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: - In decisis, et amplius - *in Toletana Administrationis Emolumentorum Parochialium die 14 Ianuarii 1730.*

276. Quum autem quis iure administrandi polleat, liberam etiam administrationis rationem nancisci debet, quin haec valeat ab Episcopo in omnibus coerceri, ut indemnitati Operae Piae prospiciatur *in Fanen. Iurisdictionis die 22 Martii 1760.*

277. Proposito quippe dubio: - An et cui competit ius visitandi Loca Pia, de quibus agitur in casu -, Sacra Congregatio respondit dedit: - Competere Episcopo, ad formam Concilii; salva auctoritate Curiae Legationis in exercendis administrationibus oeconomicis - *in Fanen. Iurisdictionis die 18 Iunii 1757.*

278. Reproposito dein dubio, sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - In decisis, et amplius - *in Fanen. Iurisdictionis die 4 Maii 1758.*

279. Sic constituto per Sacram Congregationem iure Episcopi visitandi Opera Pia Terrae Urceani, Episcopus visitationem inde explevit, et cum ex ea compertum fuisset, plures apud se pecunias exactas vel reliquas retinere, indemnitati Operum et Locorum Piorum prospiciens, decretum tulit, quo iussit, retinendam esse in Monasterio S. Caroli arcam depositi, munitam clausamque tribus clavibus, quarum unam haberet Gonfalonerius Communitatis, alteram Vicarius foraneus, tertiam Prior Confraternitatis SS. Sacramenti, atque in hac arca deponi iussit pecunias, quae ad quatuor Loca et Opera Pia pertinebant. De hoc Decreto, uti laesivo iurisdictionis Legationis, querela S. Congregationi proposita fuit.

280. Proposito itaque dubio: - An sustineatur Decretum Episcopi, quo statuitur, retinendam esse in Monasterio S. Caroli capsam depositi sub tribus clavibus, seu potius custodia et administratio eiusdem capsae libere spectet ad Legationem in casu etc. - Sacra Congregatio respondit: - Iterum proponatur - *in Fanen. Iurisdictionis die 30 Iunii 1759.*

281. Reproposito inde dubio, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative, iuxta modum; et modus est, quod capsa custodiatur, sive in S. Monte Pietatis, sive apud personam fide et facultatibus idoneam, arbitrio Episcopi - *in Fanen. Iurisdictionis die 11 Augusti 1759.*

282. Demum vero, reproposito dubio, sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. -, Sacra Congregatio respon-

dit: - In decisis, iuxta mentem; et mens est, quod pecuniae asserventur in capsa collocata in mansione destinata a Communitate Urceani, retentis clavibus per Deputatos eiusdem Communitatis - *in Fanen. Iurisdictionis die 22 Martii 1760.*

283. Si quis vero fundum ex ipso Testatoris mandato administret, ut ex fructibus stipendium pro munere sibi imposito accipiat, in ruinam ille ob negligentiam vertat, S. Congregatio facile ipsam administrationem adimit *in Eugubina die 30 Iulii 1735.*

284. Siquidem Franciscus Ubaldus Trombetti praedium quoddam Ecclesiae et Patribus Oratorii S. Philippi Nerii donavit, ea sub lege, ut Musicum ad eorum nutum eligerent, qui annuos fructus ab ipsomet administratos perciperet. At Petrus de Peruginis Musicus dictum praedium ita neglexit, ut fructus pro medietate imminuti fuerint. Qua de re Praefati Patres contenderunt, sibi licitum administrare praedictum praedium, et erogare fructus in stipendium alterius Musici, conventa certa mercede, loco dictorum fructuum.

285. Propositis hinc dubiis: - III. An imposterum administratio eiusdem praedii debeat esse penes Ecclesiam et Patres Oratorii in casu etc.

IV. An iidem Patres possint erogare fructus praedii, in stipendium alterius Musici, conventa certa mercede, loco dictorum fructuum, et, si fructus ultra conventam mercedem supersint, possint eos convertere in beneficium Ecclesiae, Musico consentiente in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad tertium, Affirmative. Ad quartum, Omnes reditus expendendos esse pro musica Ecclesiae et Oratorii - *in Eugubina die 30 Iulii 1735.*

286. At etiam iusta de causa ius administrationis ademptum, quandoque merito restituitur *in Urbinaten. die 12 Augusti 1758.*

287. Iamvero, quum per Praepositum Ubaldinium aere alieno gravata reperta fuisset Congregatio Presbiterorum Oratorii S. Philippi Nerii Urbini, Archiepiscopus anno 1745 postulavit ab Summo Pontifice facultatem compellendi praefatum Praepositum Ubaldinium ad reddendam rationem administrationis, et eam facultatem obtinuit, per epistolam Secreteriae Status, qua declaratus fuit in hanc rem Delegatus Apostolicus.

288. At redditione rationis compertum est, Praepositum Ubaldinium non solum debitorem esse, sed etiam plurimum detrimenti intulisse Congregationi, distractis eius bonis. Ut igitur Archiepiscopus rem eius restitueret, Presbiterum secularem administrationi praeposuit, probavitque deputationem Summus Pontifex. Cum autem Administrator ille secularis duriter et acerbe se ageret, Patres Congregationem deseruerunt, neque alii suffecti sunt. Unus tamen constantissime perstitit presbiter Ioachim Cialdinius, qui, expuncto iam aere alieno Congregationis, preces obtulit, ut libera bonorum administratio Congregationi restitueretur, amoto seculari illo Sacerdote administratore, utque sibi facultas tribueretur alios Presbiteros eligendi et recipiendi in suam Congregationem.

289. Propositis hinc dubiis: - I. An liceat P. Cialdinio presbitero Oratorii S. Philippi Nerii Urbini alios Presbiteros in Congregationem admittere, iuxta Institutum dictae Congregationis in casu etc.

II. An sit removendus Oeconomus, et restituenda respective eidem Congregationi libera administratio in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative ad utrumque - *in Urbinaten. die 12 Augusti 1758.*

290. Ac eo vel magis administrationem ademptam restituit Sacra Congregatio, cum causa, ob quam ea adempta fuit, revera non subsistat *in Eugubina die 12 Augusti 1758.*

291. Siquidem Pauperes et Prior Hospitalis S. Iacobi et Philippi Castri Schiggiae, in quorum favorem Vitalis Angeli disposuerat, preces exhibuerunt, quibus de incuria ac negligentia in administratione redituum Syndici Communitatis accusabantur, et remedium expostularunt. Hinc Sacra Congregatio informationem hac de re exquisivit ab Episcopo, qui detrimentum attribuit annali Syndicorum mutationi; adeoque censuit, posse huic incommodo prospici, si bonorum administratio personae, vel ab eodem, vel a Communitate nominandae, committeretur, cum onere reddendi rationem Vicario foraneo. Idcirco die 31 Iulii 1751 precibus rescripsit, ut Episcopus, veris existentibus narratis, pauperum Oratorum precibus, pro suo arbitrio et conscientia annueret - *in Egubina die 12 Augusti 1758* §. *Testamento.*

292. Hoc accepto Rescripto, decrevit Episcopus, ut bona hereditaria praedicti Vitalis

Angeli ab Administratore, qui annali mutationi non subesset, administrarentur, et duos nominavit Administratores, alterum, qui praecedenti, alterum, qui eo anno Syndici fuerant Communitatis. Haec methodus Episcopi Communitatem commovit, statuitque, litem contra Episcopalem Curiam agendam esse. Nam administrationem ad suos Syndicos pertinere contendit, non ad eos, quos Episcopus nominaverit, cum aperta esset litera testamenti Vitalis Angeli; eoque amplius, quod diminutio redituum hereditariorum impicta annali Syndicorum mutationi non subsisteret, cum reditus aucti fuerint, non diminuti; et si subsisteret, satis consultum fuisse ab ipso Testatore (1), ut nihil opus esset remedio invento ab Episcopo *in Eugubina die 12 Augusti 1758* §. *Hoc.*

293. His expensis, Sacra Congregatio, proposito dubio: - I. An administratio hereditatis Vitalis Angeli spectet ad Priores quotannis eligendos a Communitate Schiggiae ad formam testamenti, sive potius ad alios deputandos ab Episcopo, itaut sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. -, responsum dedit: - Ad primum, Praevio recessu a decisis, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam - *in Eugubina die 12 Augusti 1758.*

§. I.

ADMINISTRATOR QUOAD APPROBATIONEM ET CAUTIONEM.

1. Quilibet, qui aliena gerit negotia, satisdare tenetur *in Asculana die 21 Iunii 1788* §. *De cautione.*

Item *in Ripana Administrationis die 29 Augusti 1789* §. *Secunda.*

2. Unde Administratores omnes semper cavere debent, de bene et fideliter administrando, etiamsi approbationem ab Episcopo referre minime debeant *in Senogallien. die 13 Iulii 1765.*

3. Enimvero Angelus Sammaranus e Monte Bodio, Diaecesis Senogalliensis, Oppido prope sex millia habente, anno 1585 Ioanni Baptistae filio substituit in universo asse Sodalitium Mortis, cum onere erigendi in Patria Ecclesiam S. Iosepho, et constituendi Hospitale, certis datis legibus. Substitutio non multo post tempore locum habuit. Ecclesia, atque Hospitale constitutum est *in Senogallien. die 8 Iunii 1765* §. *Angelus.*

4. Quum autem praefatum Hospitale nulla Ordinarii auctoritate erectum fuerat, Sodales in id mordicus institerunt, ut eius Administratores nullam referre deberent approbationem ab Episcopo, quamvis de cautione danda decretum laudaverint *in Senogallien. die 8 Iunii 1765* §. *Ad VI.*

5. Proposito hinc dubio: - VI. An Administratores praedicti sint approbandi ab Ordinario, et cavere debeant de bene et fideliter administrando in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad sextum Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam - *in Senogallien. die 13 Iulii 1765.*

6. Secus enim Administratores Locorum Piorum approbari etiam debent ab Episcopo, ac iuramentum de fideliter administrando praestare tenentur. Idcirco Sacra Congregatio edixit, quod Oeconomi et Gubernatores Ecclesiarum S. Catharinae et S. Mariae Novae, a Civitate Aliphana electi, approbari ab Episcopo et iuramentum de fideliter administrando praestare deberent *in Aliphana Administratoris Piorum Locorum die 18 Iulii 1705 ad I dubium.*

7. Similiter Sacra Congregatio decrevit, Procuratorem seu Administratorem Sodalitii, erecti in Ecclesia S. Mariae de Valle, quae constructa in solo Lateranensi praetendebatur, quaeque in Terra Galatri sita erat, ab eodem Sodalitio electum, adprobari debere ab Episcopo *in Meliten. Iurisdictionis die 15 Iulii 1747.*

8. Proposito quippe dubio: - II. An dictus Procurator seu Administrator, a Confraternitate electus, debeat ab Episcopo approbari?-, Sacra Congregatio responsum tulit: - Ad secundum, Affirmative; et amplius - *in Meliten. Iurisdictionis die 15 Iulii 1747.*

9. Quod et nuperrime edixit; namque proposito dubio: - I. An et cuius favore constet

(1) Siquidem praefatus Testator in casu negligentiae edixerat: - In questo caso si debba far consiglio ad eleggere uno, che eseguisca le cose dette fedelmente in luogo del Sindaco -.

de iure administrandi bona Operae et Confraternitatis Sanctissimi Sacramenti Terrae Morgnani, postquam Aloisius Martinelli de suo credito se reintegravit in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative, favore Parochi et duorum Sodalium vulgo Sanctesium, a Confraternitate eligendorum, et ab Archiepiscopo approbandorum - *in Spoletana Iuris Administrandi die 2 Iunii 1860.*

10. Imo eadem, Oeconomos seu Administratores S. Mariae Constantinopolitanae et aliarum Confraternitatum Terrae Pedemontis etsi mere laicalium per easdem Societates electos, confirmari et approbari ab Episcopo, eique iuramentum de fideliter administrando praestare debere, statuit Sacra Congregatio *in Aliphana die 8 Maii 1706 ad I dubium.*

11. Namque Episcopus curam de iure agere tenetur, de singulis Locis ac Legatis Piis, quando praesertim Fundatores cum expressis verbis non excluserint *in Viterbien. Dotium die 11 Aprilis 1761.*

12. Quandoquidem Dominus Guglielmi in testamento, quod in Oppido Balneariae condidit die 4 Iulii 1728, heredem usufructuariam instituit Sentiam Uxorem suam, cum onere solvendi plura subsidia dotalia Puellis consanguineis praefatae Uxoris. Post obitum vero Sentiae Uxoris, vel in casu etiam eius transitus ad secunda vota, substituit in hereditate suosque heredes nominavit Presbiteros curatos, qui tres erant, Ecclesiae Parochialis S. Ioannis Oppidi Balneariae, illorumque pro tempore Successores, cum eodem onere distribuendi plura subsidia dotalia.

13. Consuluit is etiam rectae suorum bonorum administrationi, et iniuncta Curatis substitutis confectione inventarii, illis tribuit facultatem alienandi stabilia, pro eorum arbitrio, et investiendi pretium in censibus, commodo hereditatis. Et Exactorem eligi iussit, hac Lege, ut nomina exigeret, et fructus haereditatis curaret; Presbiteri Curati vero computa reviderent.

14. Defuncto Testatore et purificata substitutione, suscepta fuit a Presbiteris Curatis hereditatis administratio. Sed in postrema Visitatione Pastorali visum est Eminentissimo Episcopo Viterbiensi, Officium ex fide ab illis non impleri, et plures irrepsisse abusus. Nam et computorum revisionem negligebant, adeo ut ultimi Exactoris reliquatus ascenderet ad scuta fere octingenta, pro quibus opus fuit acceptare obligationem repartitae solutionis in annuas ratas. Onus annuae praestationis scutorum septuaginta, quibus iussu S. M. Clementis XII taxata fuit hereditas erga Hospitale Proiectorum Viterbii, nec redimere curarunt, cedendo capitalia aequivalentia, ut factum erat a plerisque Locis Piis onere gravatis, nec statuto tempore adimplerunt. Qua de re saepe Commissariorum subiverunt expensas, et binos census passivos, singulos capitalis scutorum quinquaginta, imponere coacti fuerunt. Aureos quindecim disperserunt in litibus temere susceptis anno 1724.

15. His malis cupiens occurrere Promotor Fiscalis Curiae Episcopalis preces obtulit etiam Puellarum nomine Sacrae Congregationi, quibus postulabat, ut opportuna methodus in posterum servanda statueretur. Proposito vero dubio: - An et quomodo sit exequendum legatum Dotium, relictum a Domino Guglielmi in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Dilata, et dentur dubia - *in Viterbien. Dotium die 2 Augusti 1760.*

16. Hinc Promotor Fiscalis in id enixe institit, ut Curati praedicti, onus habentes ex voluntate Testatoris revidendi annuatim computa Exactoris hereditatis, cogendi essent acceptas rationes deferre ad Episcopum, qui ius habeat illas revidendi, et alterius Exactoris electionem demandandi, sub idonea fideiussione, in casu detectae illius fraudis vel negligentiae *in Viterbien. Dotium die 11 Aprilis 1761* §. *Stipendium.*

17. Nam Episcopus, in casu detectae fraudis vel negligentiae, demandare potest alterius Exactoris electionem *in Viterbien. Dotium die 11 Aprilis 1761* §. *Stipendium.*

18. Propositis itaque dubiis: - VIII. An eisdem Curatis sit respective iniungendum onus annuatim revidendi computa Exactoris?

I9. IX. An rationes Exactoris, a Curatis dispunctae, deferendae sint ad Episcopum, eidemque danda facultas illas iterum examinandi, et Exactorem removendi in casu detectae fraudis, alteriusque electionem demandare, sub idonea fideiussione? Sacra Congregatio respondit: - Ad octavum, Affirmative ad formam Testamenti, salvo iure Eminentissimi Episcopi revidendi computa, et removendi Exactorem, prout de iure, et amplius. Ad nonum, Provisum in ante-

cedenti - *in Viterbien. Dotium die 11 Aprilis 1761.*

20. Ne scilicet quid Administratoris dolo aut culpa detrimenti capiat Dominus *in Asculana die 21 Iunii 1788* §. *De cautione* (1).

21. Potissimum vero Administrator bonorum Ecclesiae, quae Mulieribus, Pupillis, et Minoribus aequiparatur *in Asculana die 21 Iunii 1787* §. *De cautione.*

Item *in Ripana Administrationis die 29 Augusti 1789* §. *Secunda.*

22. Ac eo vel magis, si adsit Lex Synodalis, quae mandat, ne Administratores Locorum Piorum admittantur, nisi, praestita idonea cautione, coram Vicario Generali iurent, se fideliter administraturos, et redditiones rationum reddituros *in Asculana die 21 Iunii 1788* §. *De cautione.*

23. Hinc multo minus Canonici filiifamilias facultate potiuntur exercendi munia Ecclesiae seu eius Sacrarii, absque idonea pariter cautione, ab Episcopo approbanda *in Asculana die 21 Iunii 1788* §. *Impugnat.*

24. Si enim praestanda est cautio ab Oeconomis sui iuris, multo magis ad ea cogendi sunt filiifamilias, qui facili negotio, ex notissimis ipsorum privilegiis, Ecclesiam fraudare atque eludere possent *in Asculana die 21 Iunii 1788* §. *Impugnat.*

25. Oeconomus quippe Ecclesiae, quoad reditus eiusdem Fabricae, sive sit de gremio Capituli, aut secus, compellendus est indoneam cautionem praestare, ab Episcopo approbandam *in Asculana die 12 Iulii 1788.*

26. Proposito enim dubio: - VIII. An Oeconomus Ecclesiae, sive sit de gremio Capituli aut secus, compellendus sit idoneam cautionem praestare, ab Episcopo approbandam in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Ad octavum, Affirmative - *in Asculana die 12 Iulii 1788.*

27. Reproposito subinde dubio, sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in octavo dubio in casu etc. - Sacra Congregatio respondit: - Ad octavum, In decisis; et amplius - *in Asculana die 7 Februarii 1789.*

28. Ab regula tamen, qua fideiussio inducta est, ne quid, dolo, aut culpa Administratoris, detrimenti capiat Dominus aut Ecclesia, recedi videtur, si Administrator aere proprio non careat, et fructus nequaquam apud se retineat; sed omnes ad Canonicum Camerarium deferre teneatur *in Ripana Administrationis die 29 Augusti 1789* §. *Secunda.*

29. Ob hanc enim rationem fructus dissipare non potest huiusmodi Administrator *in Ripana Administrationis die 29 Augusti 1789* §. *Secunda.*

30. Enimvero, dum Canonici Collegiatae Ecclesiae S. Nicolai Montis Prandonis electuri erant Sacerdotem Felicem Novelli in Ministrum Capituli, tres adversus huiusmodi electionem protestati fuerunt Capitulares, eo quod non conveniret vile ministerium Sacerdoti, neque ullam Novellius exhiberet cautionem; nihilque in id attentandum dixerunt, - nisi audita mente Sacrae Congregationis Concilii -. Hac tamen non obstante protestatione, expleta fuit electio; unoque contextu Sacram adierunt Congregationem Michael Angelus Tanursi, Praepositus Collegiatae, ut electionem sustineret, ac tres dissentientes Capitulares Cerroni, Michelesi, et Aloisi, ut, ea circumscripta, laicum eligerent Ministrum.

31. Episcopus Ripanus, de more auditus, retulit, quod Sacerdos Novelli vir erat integerrimus; et ob id, qui eum minus rectum cupiebant ostendere, nullum peculiarem in ipso inspicientes defectum, futilibus innixi exceptionibus cavillationibusque, non integrae fidei esse dixerunt. Electionem Sacerdotis Novelli minus firmam posset reddere deficientia Fideiussoris, quem ab ipso requirebant; verum sententia praefati Episcopi erat, quod petitio huiusmodi inutilis omnino esset, tum quia ab ipsis Capituli exordiis eousque nullus Minister hanc praestitit Fideiussionem, tum quia Novellius aere proprio non carebat, tum postremo quia Minister fructus nequaquam apud se retinebat, sed omnes ad Canonicum Camerarium deferre teneretur, et ob hanc rationem ipsos dissipare non poterat.

32. Proposito hinc dubio: - An sustineatur electio Sacerdotis Novelli in Ministrum Capituli Montis Prandonis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative - *in Ripana Administrationis die 19 Septembris 1789.*

33. Nec illa propterea exceptio in themate

(1) Piton. Discept. Eccles. 145, n. 28.

obstitit, quod huiusmodi ministerium non conveniret Sacerdoti; nam praeterquamquod Episcopus testatus est, ministerium illud, de quo agebatur, quodque dissidentes in rustica consistere opera asserebant, ac Praepositus in simplici potius rusticarum rerum administratione sustinebat, compatibile esse cum Sacerdotali Novelli dignitate, compertissimi iuris erat, quod huiusmodi exceptio limitetur in Clericis cultoribus suorum agrorum seu Conductoribus, multoque magis Administratoribus, agrorum Ecclesiasticorum *in Ripana Administrationis die 29 Augusti 1789* §. *Interdictum* (1).

34. Imo Sacra Congregatio aliquando approbationem Fideiussionis ipsis Presbiteris eligentibus, eorumque risico et periculo peragendam, demandavit, respectu etiam bonorum ad Ecclesiam pertinentium *in Aliphana Redditionis Rationis die 18 Martii 1719.*

35. Si enim ex mente Fundatoris id arguatur, remittitur approbatio Fideiussionis, ab Episcopo alias de iure facienda *in Aliphana Redditionis Rationis die 18 Martii 1719.*

36. Iamvero contendit Curia Episcopalis Aliphana, quod non esset valida electio, a Presbiteris Ecclesiae S. Antonii, extra Partem nuncupatis, Terrae Pedemontis, Procuratoris seu Administratoris, facta, bonorum et redituum, spectantium ad Capellam Beatae Mariae de Monte Carmelo, in memorata Ecclesia S. Antonii, sed quod valida esset et sustineretur deputatio Procuratoris seu Administratoris bonorum et redituum dictae Capellae a se facta, in persona Sacerdotis Francisci Boiani.

37. Fundamentum praetensionis, quod non sustineretur electio Procuratoris seu Administratoris bonorum et redituum Capellae Beatae Mariae de Monte Carmelo a dictis Presbiteris facta, sed quod potius esset valida illa, quam idem Episcopus fecit in persona Sacerdotis Boiani, reponebatur in hoc, quod in electione a Presbiteris facta, non fuit servata forma Decreti, editi a Curia Episcopali, quod Administrator videlicet seu Procurator huius Capellae non eligeretur, nisi ille, qui esset facultate idoneus, vel qui sufficientem praestaret cautionem, quod item electio fieret per secreta suffragia, quod pariter ab Administratore praestaretur iuramentum de fideliter administrando, et quod non eligeretur, qui debitor remaneret in praecedenti administratione.

38. Adversus haec Sacerdotes asseruerunt, electionem a se factam in persona Iacobi Natalitii et Ioannis Baptistae de Roma esse validam et sustineri, non obstante Decreti Episcopi, tum quia facultas eligendi unum vel plures Procuratores a Iulio Antonio Ciccarello, qui bona Capellae reliquit, delata fuit ad ipsos, tum quia ipsi se agnoscebant obligatos ad redditionem rationis, itaut superflue remanerent quaecumque cautiones et cautelae, ab Episcopo in suo Decreto, quoad Administratorem, praescriptae.

39. Itaque, proposito dubio: - II. An decretum, super electione Procuratoris seu Administratoris bonorum Capellae Sanctae Mariae de Carmelo, factum ab Episcopo, sustineatur, seu potius sustineatur electio facta a Sacerdotibus dictae Ecclesiae in casu etc. -, S. Congregatio responsum tulit: - Ad secundum, Deveniendum esse a Presbiteris ad novam electionem Administratoris, iuxta Decretum Episcopi, quoad qualitates eligendorum, iuxta modum; nempe, ut aboleretur poena suspensionis una cum necessitate approbationis fideiussionis et confirmationis, ab Episcopo faciendae - *in Aliphana Redditionis Rationis die 17 Decembris 1718.*

40. At reproposito dein dubio, sub formula: - An et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - In decisis, et amplius; et fideiussio approbetur ab eisdem Presbiteris eligentibus, eorum risico et periculo - *in Aliphana Redditionis Rationis die 18 Martii 1719.*

41. Ceterum, ex praeteriti temporis experimento, nova cautio in Depositariis non est demandanda *in Caesenaten. die 9 Februarii 1765.*

42. Siquidem Episcopus Caesenatensis, quoad electionem trium Priorum Confraternitatis Sanctissimi Sacramenti erectae in Ecclesia Parochiali S. Victoris dixit et decrevit, eligi de biennio in biennium per sortes, iuxta solitum; et, quoad petitum per Parochianos Depositarium, mandavit, praevia imbussulatione Capitum Familiarum dictae Paraeciae, electionem singulis biennis eodem modo ac forma faciendam esse, praestita per dictum Depositarium pro tempore extrahendum idonea cautione *in Caesenaten. die 19 Ianuarii 1765* §. *Super.*

(1) Panimoll. Decis. 71, n. 27; Clemens VIII in Constit. incipien. *Inter multiplices;* et inter alios probant Redoan. de Spol. Eccles. quaest. 2, n. 14 et 42; Lopez ad Diaz. in pract. crim. can. in addit. Verb. Negotiatores, Litt. A.

43. At Sodales enixe propugnarunt, difficillimum esse invenire Depositarium, qui sine ulla mercede caveret. Nullum periculum imminere, cum soli Patresfamilias, bona possidentes, in sortem mitterentur *in Caesenaten. die 19 Ianuarii 1765* §. *Ad X.*

44. Proposito itaque dubio: - X. An Depositarius eiusdem Confraternitatis teneatur praestare cautionem, pro sua administratione in casu etc.-, Sacra Congregatio respondit: - Ad decimum, Negative, et amplius - *in Caesenaten. die 9 Februarii 1765.*

45. Verum et Canonici filiifamilias, seu, legitimis exceptionibus, obnoxii, possunt exercere munia, deputationes, seu officia cuiuscumque generis et speciei, spectantia ad Ecclesiam seu eius Sacristiam, absque idonea cautione, ab Episcopo approbanda, si fuerint a Capitulo electi, neque agatur de administratione redituum Fabricae destinatorum *in Asculana die 12 Iulii 1788.*

46. Proposito quippe dubio: - IX. An Canonici Filiifamilias, seu, legitimis exceptionibus, obnoxii, possint exercere munia, deputationes, seu officia cuiuscumque generis et speciei, spectantia ad Ecclesiam Cathedralem seu eius Sacristiam, absque idonea cautione, ab Episcopo approbanda in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad nonum, Affirmative, si fuerint a Capitulo electi; et, quoad reditus Fabricae, provisum in antecedenti - *in Asculana die 12 Iulii 1788.*

47. Deinde, reproposito dubio, sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in nono dubio in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Ad nonum, In decisis; et amplius - *in Asculana die 7 Februarii 1789.*

§. II.

ADMINISTRATOR DE QUA CULPA TENEATUR.

1. Compertum in iure est, Administratores omnes teneri de dolo, culpa lata, nec non et levi, tam ob malam administrationem, quam ob negligentiam, et omissionem *in Recineten. Refectionis Damnorum et Transactionis die 29 Iulii 1837* §. *Iam vero.*

Item *in Florentina Administrationis Legati die 16 Septembris 1854* §. *Ad sextum.*

2. Administratores enim praecipue Piorum Operum, Tutoribus et Curatoribus aequiparantur *in Recineten. Refectionis Damnorum et Transactionis die 29 Iulii 1837* §. *Iamvero.*

Item *in Florentina Administrationis Legati die 16 Septembris 1854* §. *Ad sextum* (1).

3. Tutores autem et Curatores dolum, latam, levemque culpam praestare Leges (2), et omnium Doctorum et Iurisprudentum opinio, forensi praxi confirmata, abunde patefaciunt *in Recineten. Refectionis Damnorum et Transactionis die 29 Iulii 1837* §. *Iam vero.*

Item *in Florentina Administrationis Legati die 16 Septembris 1854* §. *Ad sextum.*

4. Nec ullum sane discrimen inter voluntarium Administratorem et necessarium, inter gratuitum et salariatum intercedit *in Recineten. Refectionis Damnorum et Transactionis die 29 Iulii 1837* §. *Nullum.*

5. Nam quivis Administrator alieni patrimonii, quantumvis simplex et gratuitus, culpam etiam levem praestare debet *in Recineten. Refectionis Damnorum et Transactionis die 29 Iulii 1837* §. *Nullum* (3).

6. Et revera, si ob Pupilli favorem de culpa etiam levi tenentur Tutores, licet gratuiti sint, multo magis ob favorem Ecclesiae Administratores tenentur *in Recineten. Refectionis Damnorum et Transactionis die 29 Iulii 1837* §. *Nullum.*

7. Hinc Administrator, officii sui ratione, pecuniam investimento collocare debet, secus ad interesse erga Dominum tenetur, et ad id quod potuisset superlucrari *in Florentina Administrationis Legati die 16 Septembris 1854* §. *Ad postremum* (4).

(1) Clement. *Quia contingit;* Gratian. discept. foren. Cap. 522, n. 16; Rot. in decis. 269, n. 2, coram Ratta; in decis. 432, n. 9, tom. 2, n. 26, part. 2 Recent.

(2) Ut L. Quidquid Tutoris in Cod.

(3) Rot. in decis. 141, n. 9; in Romana Reddition is Rationis 1 Aprilis 1816, coram Serlupi; in decis. 136, §. 9 Melevitana Iurium et Praeeminentiarum 15 Iunii 1770, coram Mannelli.

(4) Rot. in decis. 182, n. 6, part. 9, tom. 1; decis. 38, n. 10 Recent.

8. Speciale tamen est, in acquisitione stabilium, quae per Tutores, Curatores, Heredes gravatos, ceterosque huiusmodi fiat, ut nonnisi de dolo lataque culpa teneantur *in Romana Deletionis Onerum die 6 Maii 1786* §. *Speciale*.

9. Idcirco competet adversus Tutores tutelae actio, si male contraxerint, hoc est si praedia comparaverint non idonea, per sordes aut gratiam *in Romana Deletionis Onerum die 6 Maii 1786* §. *Speciale*.

10. Quid ergo, si neque sordide, neque gratiose, sed non bonam conditionem elegerint? Recte quis dixerit, solum latam negligentiam praestare eos debere *in Romana Deletionis Onerum die 6 Maii 1786* §. *Speciale* (1).

11. Quod et de Herede gravato retinendum; unde, cum non probetur dolus, aut lata culpa, nullo modo de evictione, seu ad damna et interesse tenetur, ut in terminis Tutoris et Administratoris, quibus in hac parte Heres gravatus aequiparatur, est Lex expressa *in Romana Deletionis Onerum die 6 Maii 1786* §. *Speciale* (2).

12. Hinc licet Tutor singulariter teneatur etiam de levi culpa, attamen in emptione stabilium tenetur solum, si per sordes, aut gratiam, vel si lata culpa illa comparaverit *in Romana Deletionis Onerum die 6 Maii 1786* §. *Speciale* (3).

13. Neque difficilis vel obscura est receptae huiusce distinctionis causa *in Romana Deletionis Onerum die 6 Maii 1786* §. *Neque*.

14. Periculosa enim est emptionum materia, et prudentissimos quoque haud raro fallit, itaut neque ea satis sit diligentia, quam solertes Patresfamilias in rebus adhibent suis *in Romana Deletionis Onerum die 6 Maii 1786* §. *Neque*.

15. Hinc asperum Prudentibus visum est, secluso dolo aut gratia, Administratorem plectere, quia non bene pecuniam investiverit *in Romana Deletionis Onerum die 6 Maii 1786*. §. *Neque*.

16. Ex ea quippe evidenti ratione; quia, in subiecta emptionum materia, maxima etiam diligentia ac solicitudo saepissime eluditur, ut quotidiana docet experientia *in Romana Deletionis Onerum die 6 Maii 1787* §. *Neque* (4).

17. Incredibile etiam est, Tutorem, similemque legalem Administratorem, sine ulla sui utilitate, in patrimonii perniciem conspirare velle *in Romana Deletionis Onerum die 6 Maii 1786* §. *Neque* (5).

18. Quis enim adeo fatuus, adeo malignantis naturae posset inveniri, qui dolose se gerat in ullo negotio, sine propria utilitate vel lucro aut delectatione? *in Romana Deletionis Onerum die 6 Maii 1786* §. *Neque* (6).

19. Qua de re, nisi de fraude, de dolo, de lata culpa doceatur, agi contra legalem Administratorem, pro inauspicato investimento, non poterit *in Romana Deletionis Onerum die 6 Maii 1786* §. *Nisi*.

20. Ostendi enim ea, et probari ex adverso debet, cum nunquam sit praesumenda *in Romana Deletionis Onerum die 6 Maii 1786* §. *Neque*.

21. Imo huiusmodi lata culpa, perspicuis et undequaque concludentibus probationibus, convincenda est *in Romana Deletionis Onerum die 6 Maii 1786* §. *Nisi* (7).

22. Quin obstet, quod Administrator egit et in iudicio obtinuit contra Debitorem *in Romana Deletionis Onerum die 6 Maii 1786* §. *Neque subsumatur*.

23. Nimirum, cum is, non ex legali administratione, sed ex stipulatu tenebatur, et conductus mercede et exercitor erat, et gratia utriusque negotium susceperat *in Romana Deletionis Onerum die 6 Maii 1786* §. *Neque subsumatur*.

24. Hinc secus est in Procuratore et aliis, qui non adhibent operam gratuitam *in Romana Deletionis Onerum die 6 Maii 1786* §. *Neque subsumatur*.

25. Illi enim praestant levem culpam, quasi eiusmodi levis culpa, idest civilis quaedam inadvertentia, sit praestanda in his, quae celebrantur causa utriusque Contrahentis *in Romana*

(1) Ulpianus ad edictum in leg. 7, de administrat. et peric. Tutor.; Faber Iurisprud. Papin. tit. 13, de tutel. illat. 9.
(2) Rot. in decis. 641, n. 20, coram Lancetta.
(3) Rot. in decis. 679, n. 2 et 3, coram Lancetta.
(4) Rot. in decis. 679, n. 4, coram Lancetta, ubi multos allegat Concordantes.
(5) Rot. in decis. 679, n. 4, coram Lancetta.
(6) Rot. in decis. 465, n. 15, coram Lancetta.
(7) Rot. in decis. 679, n. 5, coram Ansaldo.

*

Deletionis Onerum die 6 Maii 1786 §. *Neque subsumatur* (1).

26. Accedunt, quae generaliter de omnibus sub necessaria administratione viventibus traduntur, et praesertim Ecclesiis Locisque Piis, quod nimirum ex dolo culpaque suorum Officialium seu Administratorum haud teneantur *in Romana Deletionis Onerum die 6 Maii 1786* §. *Accedunt.*

Item *in Romana die 17 Ian. 1789* §. *Duo* (2).

27. Idcirco huiusmodi in casibus absolutio seu suspensio Legatorum Piorum, ad reintegrationem perficiendam, facile conceditur *in Romana die 17 Ianuarii 1789.*

28. Quod multo magis locum habet, quando reditus Legatorum Piorum perierint, absque culpa Officialium seu Administratorum *in Romana die 17 Ianuarii 1789.*

29. Siquidem plura Societas Sanctissimi Sacramenti ad S. Mariam in Via Urbis possidebat bona. Societatis Ratiocinator erat anno 1771 Caietanus Piacentini, eique ab Urbe discessurc successit, ex destinatione bo. me. Litta Societatis Primicerii, per Apostolicum Visitatorem confirmata, Constantinus Perasti, qui tunc Exactoris munus exercebat. Uterque, ob fraudes in administratione commissas, debitor erat; sed ita uterque, Perito ratiocinatori, ad dispungendas rationes assumpto, imposuit, ut absolutoriam reportaverit. Diu Perastus cum bona sui opinione innovo Ratiocinatoris officio permansit. At universis per Sodales ex iudicio occupatis libris, anno tandem 1785 deprehensum est, insignem ab eo exactoratus tempore subreptam ex fructibus fuisse summam scutorum 1703. 97, alteramque scutorum 1190. 89 per alterationem ordinum in secundo officio, et sic in unum scuta 2903. 86, quae accuratiori deinde examine ad scuta creverunt 2987. 75 ½. Horum 1398. 42 ½ ad Societatem, reliqua 1589. 33 ad Legatum pertinebant Canobi.

30. Reo carceribus mancipato, nil aliud ex domestica eius supellectili consequi potuit, quam summam scutorum 692. 95, quorum proportionalis rata scutorum 392. 18 attributa est Legato Canobi, altera scutorum 299. 77 Societati. Duo hinc Primicerius et Officiales Societatis distinctis precibus a Sanctissimo postularunt, absolutionem nempe a reintegrando de amissa summa scutorum 1200. 25 ½ Legato Canobi, et suspensionem dotalium subsidiorum quatuor per triennia decem ad aequandum eiusdem summae defectum.

31. Propositis itaque dubiis: - I. An sit consulendum Sanctissimo, pro absolutione in casu etc. *Et quatenus affirmative.*

II. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo, pro suspensione dotium Ioannis Baptistae Canobi in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Providebitur in secundo. Ad secundum, Ad D. Secretarium cum Sanctissimo, pro derogatione Brevis Paulini et Decreti Visitationis, ad effectum reintegrandi hereditatem Canobi pro scutis 1200, ex recadentiis dotium non solutarum - *in Romana die 17 Ianuarii 1789.*

32. Nam Eminentissimus Salviati Societatis Protector nedum exposuit, quod Legati Canobi iactura non ex culpa provenit praefatae Societatis administraticis, cum id palam erat, ex ipsa dolosi Debitoris confessione, solemniter emissa in publico instrumento, et S. Visitationis tantummodo auctoritate, is ad Ratiocinatoris officium translatus fuerat eiusque computa fuere approbata, cui vetitum certo erat Officialibus contradicere, verum etiam ostendit impotentiam ex parte Societatis rependendi Legati damnum, ex restrictu redituum et expensarum praefatae Societatis, eius ex codicibus desumpto ab moderno Ratiocinatore, qui iurata testatus est depositione, bona Legati Canobi separate distincteque ab aliis Societatis administrari, probavitque, Societatis ac Pii Legati detrimenta non eorum capitalia, sed fructus reditusque tantummodo obtigisse *in Romana die 17 Ianuarii 1789* §. *Quoad.*

(1) Alciat. in leg. Periculum, n. 3 et 4, ff. Si certum putat; Gratian. discept. foren. Cap. 125, n. 3.

(2) Monacell. in append. ad form. instr. 3, n. 8 et seqq. haec habet: - ibi - Se poi gli Obbligati allegassero, che li capitali per li pesi di Messe fossero senza loro colpa periti etc. si devono assolvere etc., e ciò deve farsi a pro delle Chiese e Luoghi Pii anche nel caso che si provasse, che il capitale lasciato ed assegnato fosse perito o reso inesiggibile per colpa e negligenza degli Officiali -. Et infra. - ibi - La Chiesa o altro Luogo Pio non sono tenuti a rilevare il fatto e sentir la pena del delitto, ancorchè liquido degli Officiali ed Amministratori, se non in quanto si provi, che il capitale e fondo, che più non esiste, sia stato convertito in utilità della Chiesa o Luogo Pio, e che per esso *sint effecti locupletiores* -.

33. In legis ambiguitate vero, eo vel magis defunctus Administrator, seu eiusdem Heredes a refectione damnorum absolvi videntur *in Recineten. Refectionis Damnorum et Transactionis die 29 Iulii 1837 §. Quidquid.*

34. Nam, ubi sumus in dubio, an culpa sit admissa, nunquam quis potest pro culpa condemnari *in Recineten. Refectionis Damnorum et Transactionis die 29 Iulii 1837 §. Quidquid* (1).

35. Praesertim, quando actio mota sit, non contra Gestorem ipsum, sed eius Heredes in hereditate Successores *in Recineten. Refectionis Damnorum et Transactionis die 29 Iulii 1837 §. Quidquid.*

36. Invaluit enim principium, ut Heredes non teneantur, nisi de culpa lata, minime de levi sui Auctoris *in Recineten. Refectionis Damnorum et Transactionis die 29 Iulii 1837 §. Quidquid* (2).

37. Enimvero Carolus Ludovicus Mazzoni, Recinetensis Canonicus, novissimam conscribens voluntatem suam, die 5 Iunii 1739 in universa substantia sua heredem dixit Capellaniam, in Cathedrali Recinetensi Templo erigendam, suosque (quod maxime ad rem pertinet) Exequutores testamentarios adscivit nominavitque Canonicos Poenitentiarium, et Theologum, qui tunc temporis eidem Ecclesiae famulabantur. De his autem, tum in elogio ipso, tum in codicillaribus dein adiectis tabulis constituit, ut praefati Canonici exequutores Exactorem cum omnibus opportunis facultatibus deputare deberent, qui libros rationum haberet, cum obligatione illos exhibendi quotannis praedictis Exequutoribus ad expungendas rationes, utque iidem nomina exigerent, debita solverent, ac omnia huiusmodi agerent, quae necessaria ac utilia forent hereditati.

38. Defuncto Testatore erectaque punctim Capellania, eius gestio commissa erat anno 1808 Septimio Primavera et Ioanni Baptistae Morgani, quorum alter Canonici Poenitentiarii, alter Canonici Theologi munere honestabatur. Porro hi Exactorem sibi adlegerant, Recinetensem Tabellionem, Anastasium Bartolomei Cartocci. At aderat inter Capellaniae bona census scutatorum mille, ex Roberti Familia emptus, in rustico praedio constitutus annui canonis scutorum tres cum dimidio in singula centum. Hypothecario systhemate per Gallicas, dein Pontificias leges diei 6 Iulii 1816 indictione Apostolica inducto, nullam pro census securitate fundi inscriptionem capessendam existimarunt memorati Curatores: ac nonnisi anno 1821 ad praedium Capellaniae favore inscribendum devenerunt: quo tempore Gen. Thesaurarius decretum edidit, quo modus oeconomice peragendi Creditorum Piorum Locorum inscriptionem constitutus est, et quo consequenter census inscribi debere pronunciatum est. Hinc, quum anno 1823 supremum obierit diem Robertius, et hereditas eius obaerata apparuerit, Pii Operis Mazzoni census non satis tutum esse agnitum est.

39. Qua de causa testamentarii Exequutores Canonicus Primavera et De-Angelis, qui Morganio mox defuncto in Theologi officio suffectus fuerat, litem contra Volumniam Compagnoni eidem Roberti nuptam contestarunt, quae fundum censitum possidebat, ad fundi associationem assequendam, ob fructus decursos et non persolutos, et sub die 5 Iulii 1828 favorabilem ab Episcopali Curia sententiam retulerunt, a qua tamen Volumnia provocavit. Rebus ita se habentibus, ut controversia omnis quam citius et tutius extingueretur, transactionem mense Iunii 1831 testamentarii Curatores cum Vidua Roberti ineundam proposuere, ac die 7 Iulii eiusdem anni 1831 solemne instrumentum conditum est, quod Vicarius Apostolicus praesens adprobavit, et Partes transigentes publice ac iudicialiter obsignarunt.

40. Ast inopina morte praerepto Canonico Primavera, rerum facies omnino immutata est. Etenim in Poenitentiarium adlectus Canonicus Ioannes Craia, hic de anteacta transactione male sentiens, eam nullius roboris existimandam esse affirmavit; quippe solemnitatibus destitutam et Pio Operi perniciosam: subinde Heredes vita functi Canonici Primavera (etenim Morgani Successores insolvibiles facti sunt) ad omnia sarcienda damna teneri contendit, quae, in refundenda sorte scutorum mille, nec non rependendis fructibus litiumque expensis, ex inscriptione census tempore debito praetermissa, constituit.

(1) Baldus in leg. Si creditur, Cod. de pign.; Rot. in Ravennaten. Refectionis Damnorum 6 April. 1733 §. 30, coram Elephantutio.

(2) Rot. in Romana Domorum super damnis 24 Aprilis 1789, n. 14, coram Despuig.

41. Propositis vero dubiis: - I. An et quomodo Heredes defuncti Canonici Septimii Primavera teneantur damna praetensa reficere in casu.

II. An substineatur transactio inita sub die 13 Iunii 1831 in casu. *Et quatenus negative.*

III. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo, pro eiusdem transactionis sanatione in casu -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Negative in omnibus. Ad secundum et tertium, Consulendum esse Sanctissimo, pro sanatione, iuxta conditiones insertas in instrumento - *in Recineten. Refectionis Damnorum et Transactionis die 29 Iulii 1837.*

42. In casu enim praeterquamquod Heredes Primavera deducere studuerint, Canonicos a Testatore designatos non fuisse revera Administratores, sed Exequutores testamentarios, in id ad culpam eliminandam praecipue institerunt, ut illi omiserint, quod ponere non tenebantur; talis enim erat census inscriptio, quae nec lege scripta, nec consuetudine, nec legis interpretatione praecipiebatur *in Recineten. Refectionis Damnorum et Transactionis die 29 Iulii 1837* §. *Enimvero.*

43. Et multo magis exploratum in iure est, Administratores de casu inopinato non teneri *in Florentina Administrationis Legati die 16 Septembris 1854* §. *E contra.*

44. Hinc illi, nisi dolo aut culpa evidenter constet, nec de inexactis quidem creditis vexari possunt *in Florentina Administrationis Legati die 16 Septembris 1854* §. *E contra* (1).

45. Administrator idcirco, qui nulla redargui potest culpa in electione Ministrorum, si damnum per ipsos contingat, non propterea ad damnum tenetur *in Florentina Administrationis Legati die 16 Septembris 1854* §. *E contra.*

46. Hinc, si Capitulum administrationem Legati Pii tradat, qui etiam bona capitularia administrat, non tenetur ad damnum, quod huiusmodi Administratoris opera contigit *in Florentina Administrationis Legati die 16 Septembris 1854* §. *E contra.*

47. Administrator enim non tenetur ad plus in bonis administratis, quam fecisset in re sua *in Florentina Administrationis Legati die 16 Septembris 1854* §. *E contra* (2).

48. Quapropter amissio redituum, ex facto huiusmodi Exactoris, non est imputanda Capitulo, sed potius cedere debet in damnum Legati Pii *in Florentina Administrationis Legati die 16 Septembris 1854.*

49. Siquidem inter Legata Pia, quorum administratio Capitulo Metropolitanae Ecclesiae Florentinae concredita erat, illud etiam recensebatur, quod a pio Fundatore Zanobi Mazzinghi nomen habebat, cuius reditus post multas temporum vicissitudines scutata quatuorcentum monetae Florentinae attingebant. Praeterea ex facto Exactoris, quem Capitulum etiam in propriis bonis constituerat, plures reditus amissi fuerunt. Ad rem autem animadvertit Archiepiscopus - Che ove l'Amministratore, massime se costretto a servirsi di Ministri, non abbia nessuna colpa nella scelta di essi e nella vigilanza, che tiene sopra di loro, non possa esser tenuto mai della loro infedeltà, la quale se senza colpa dell' Amministratore avvenga, è uno de' tanti casi fortuiti, a cui per condizione delle umane cose, i patrimonii di qualunque natura vanno soggetti -.

50. Quod vero de culpa accusare non poterat Capitulum, ex eo praefatus Archiepiscopus arguit, quia - Affidò l'esazione delle rendite Mazzinghi a quello stesso, a cui affidava le proprie, e che però più assai, che non il legato Mazzinghi, soffrì dell' infedeltà di lui il danno e la iattura -.

51. Idcirco, proposito dubio: - VI. An redituum ex facto Exactoris amissio imputanda sit Capitulo, seu potius cedere debeat in damnum Legati Pii in casu -, Sacra Congregatio respondit: - Ad sextum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam - *in Florentina Administrationis die 16 Septembris 1854.*

52. Si Administrator vero diligentiam non adhibuerit in electione Ministrorum, tunc iactura ab eo proveniente, vel a persona ab eo deputata, inter ipsos discutienda est, non autem cedere debet in praeiudicium Domini *in Florentina Administrationis Legati die 16 Septembris 1854* §. *Ad sextum* (3).

(1) L. Si Tutor 16; L. Chirographis, ff. de administr. tutor.; L. Nomina 2, Cod. arbitr. tutel.; Rot. in decis. 570, n. 20, coram Molines; in Romana fructuum 24 Ianuarii 1752, §. 11, coram Vicecomite.

(2) Rot. in decis. 88, n. 7, part. 4, tom. 2 Recent.

(3) Rot. in decis. 57, n. 13, part. 18, tom. 1 Recent.

53. Non est interim praetereundum, quod quamvis Administratores teneantur a l interesse, et ad id quod potuisset superlucrari, attamen si concurrat bona fides, aequissima semper absolutionis et condonationis causa habita est, ex Sacrae Congregationis disciplina *in Florentina Administrationis Legati die 16 Septembris 1854* §. *Ad postremum.*

54. Praesertim, habita ratione ad compensationem, quam, ex aliorum redituum vel voluntario vel necessario investimento, Pia Causa consequuta est, sanatoria concedenda videtur *in Florentina Administrationis Legati die 16 Septembris 1854* §. *Ad postremum.*

55. A restitutione praeterea vel emendatione excusat impotentia *in Romana die 17 Ianuarii 1789* §. *Duo.*

56. Id enim pluries sanxit Sacra Congregatio ac praesertim *in Syracusana die 7 Februarii 1705 lib. 55 Decretorum pag. 44.*

57. Imo onus etiam assumptum deletur, si, praeter impotentiam, fundus seu dos Legati Pii pereat, absque culpa Administratorum seu Officialium Loci Pii *in Romana Deletionis Onerum die 6 Maii 1786.*

58. Iamvero titulo Legati Ascanius Bolognini anno 1647 reliquit Archiconfraternitati B. M. V. de Monte Carmelo, erectae in Ecclesia S. Chrisogoni Urbis scuta 250, cum onere celebrationis unius Sacri in singulas hebdomadas, et unius Anniversarii in Octava Commemorationis omnium Defunctorum. Sequenti anno 1648 ab Angelo Ceccarelli Camerario Archiconfraternitatis implicata ea pecunia fuit in censu cum quodam Lazzoni, fideiubente Ioanne Baptista Camelio, dataque pro fundo fuit domus, certa circumscripta finibus, et prope Coenobium posita S. Nicolai de Tolentino: eademque occasione idem Camerarius in instrumento promisit implere onera, ut supra Legato adnexa.

59. Cum moras necteret Debitor in solutione fructuum, egit contra eum Archiconfraternitas, uti quoque contra suum Camerarium, sive illius hereditatem. Sed eae diligentiae haud satis visae sunt Congregationi particulari a S. M. Benedicto XIII, pro deletione aut reductione onerum, institutae, et a Clemente VII confirmatae. Ea namque iustam quidem, sed adhuc immaturam censuit liberationem ab Archiconfraternitate petitam ab onere hebdomadalis Sacri et Anniversarii, de quo supra, adeoque anno 1737 rescripsit, quod Missae celebrarentur, donec doctum fuerit, de inexigibilitate fructuum census in sorte scutorum 250, et quod infra annum docendum ab ea foret, de diligentiis.

60. Ad haec persequuta est Archiconfraternitas anno 1756 eum, quem sibi blandiebatur tandem adinvenisse fundi censiti Possessorem. Sed reiecit actionem Iudex, coram quo doctum fuit, domum pro fundo census, ut supra assignatam, ad PP. Carmelitas huiusce rei prorsus ignaros spectavisse, nec unquam ad censuarium Debitorem pertinuisse.

61. Proposito hinc dubio: - An sit locus deletioni oneris in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative, iuxta votum Eminentissimi Protectoris (1) - *in Romana Deletionis Oneris die 6 mai 1786.*

(1) Siquidem Eminentissimus ille Protector haec docte et nervose perstrinxit in §. *At vero* - ibi - Omnem autem impendisse solicitudinem Sodales, ut aliquo modo, si fieri potuisset, census sortem et fructus exigerent, in discrimen adduci nequit. Constat enim inutiliter primo in iudicium fuisse lacessitos Debitorem Lazzonum eiusque fideiussorem Camelium: quamquam contra utrumque mandatum obtentum fuisset, primus tamen fugam arripiens, secundus facultatibus lapsus mandari executionem praepedierunt. Conversa deinde actione contra hereditatem Ceccarellii Archiconfraternitatis Camerarii, qui improvido consilio desperatum investimentum eius nomine perfecerat, conatus omnes cesserunt in irritum; quandoquidem Ceccarellii hereditas comperta est omnino vacua et inanis. Tandem illud etiam tentatum est, ut immissio vigore Salviani Interdicti expeteretur ad domum, quam censui subiugatam impositionis instrumentum memorabat, quamque modo possident PP. S. Iuliani: sed perperam instituta est actio in eos, qui docuerunt, domum ad eos demigrasse, ex iuribus unius ex Religiosis, illud etiam convincentes, praedictam domum nullo unquam tempore ad Lazzonum spectasse; ideoque insidiose tantum et malis artibus idipsum fuisse in instrumento enunciatum. Quibus ita indubie manentibus, quemadmodum ex his impensi undique studii et solicitudinis certissimum monumentum emergit, et in tot litium anfractibus Sodales Archiconfraternitatis aere proprio sumptus subierint, nec non etiam ad cetera, quae ex Archiconfraternitatis instituto explentur prae eius inopia pecunias quotidie suppeditent, delendum esse legatum firmiter censeo. Satis enim diuturno tempore nullis extantibus reditibus impletum est onus, quod cum piae Sodalium liberalitati sit referendum, dissolvendum modo est renuentibus vinculum, ad quod certe dirimendum, cessante, prout demonstratum est, culpa Oratorum, tum ipsa naturalis ratio, tum iuris Canonici disciplina conducit -.

§. III.

ADMINISTRATOR QUOAD DEPUTATIONEM SEU ELECTIONEM ET CONFIRMATIONEM.

1. Interdictum quidem est laicum ministerium Sacerdoti, tum a Iure canonico (1), cum ex Constitutionibus Apostolicis (2) *in Ripana Administrationis die 29 Augusti 1789* §. *Interdictum.*

2. Regula tamen haec limitatur in Clericis cultoribus suorum agrorum, seu conductoribus agrorum ecclesiasticorum *in Ripana Administrationis die 29 Augusti 1789* §. *Interdictum* (3).

3. Multoque magis in Administratoribus *in Ripana Administrationis die 29 Augusti 1789* §. *Interdictum.*

4. Hinc Parochi legitimi sunt Administratores Piorum Legatorum, quae parochialibus Ecclesiis vel Pauperibus parochianis relicta sunt *in Ferrarien. die 15 Septembris 1787* §. *Ad haec.*

5. Ideoque illorum nomine in iudicio stare possunt *in Ferrarien. die 15 Septembris 1787* §. *Ad haec* (4).

6. Itaque et Canonici valide ac licite eligere possunt unum de gremio Capituli, ad res rusticas capitulares administrandas *in Ripana Administrationis die 19 Septembris 1789.*

7. Amplia, quin obstet oppositio aliquorum ex ipsis, falsa suffulti ratione, quod sacerdotali insignitus dignitate in vile ministerium administrationis rerum rusticarum eligi nequeat *in Ripana Administrationis die 29 Augusti 1789.*

8. Proposito enim dubio: - An sustineatur electio Sacerdotis Novelli in Ministrum Capituli Montis Prandonis in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Affirmative - *in Ripana Administrationis die 19 Septembris 1789.*

9. Ius autem deputandi ac eligendi Administros, pro rerum Piarum administratione, ad eum spectat, qui legitimo titulo acquisivit *in Caietana die 2 Iulii 1718.*

10. Proposito enim dubio: - IV. An Episcopo competat ius deputandi personam idoneam, pro exactione Gabellae Quartutii Piscationis, concessae Capellae S. Erasmi, et exigendi ab Exactoribus computa exacti in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad quartum, Comittendam esse Deputatis exactionem et administrationem Gabellae Quartutii Piscationis, cum onere eam erogandi et reddendi Episcopo rationem, ad normam Decreti S. Congregationis Episcoporum et Regularium diei 28 Augusti 1643 - *in Caietana die 2 Iulii 1718.*

11. Unde Patroni ius habent eligendi Administratores, si in fundatione fuerit praeservatum *in Aliphana Redditionis Rationis die 3 Decembris 1718* §. *Et in eo, et die 17 Decembris 1718.*

12. Hinc ab omnibus, qui ius seu commune interesse habent, eligi debet Exactor redituum et proventuum Ecclesiae *in Urgellen. die 12 Martii 1757.*

13. Amplia, etiamsi Ecclesia non sit Collegiata nec Communitativa, sed simplex Parochialis, et ad Rectorem spectet gubernium et regimen Ecclesiae independenter a Beneficiatis in spiritualibus *in Urgellen. die 12 Martii 1757.*

14. Quandoquidem Parochiali Ecclesiae Beatae Mariae in Caelum Assumptae Villae de Limiana servitium ministeriumque praestabant Rector, et quatuor Beneficiarii. Hos inter et Rectorem anno 1747 controversia orta est, de regimine Ecclesiae, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, quod Rector privative sibi ex antiqua consuetudine competere dicebat: Beneficiarii vero sibi ipsis una tamen cum Rectore, itaut omnes corpus unum constituerent, asserebant. Episcopus, ad quem Rector confugerat, epistolam dedit, qua vetuit, ne, lite pendente, molestias Beneficiarii inferrent Rectori.

(1) Cap. Sacerdotibus, ne Cleric. vel Monach. secular. negoc. se immisc.

(2) Benedict. XIV in Constit. incipien. *Apostolicae servitutis,* 25 Februarii 1741; Clemen. XIII in Constit. quae incipit: *Cum primum,* 17 Septembris 1759.

(3) Panimoll. decis. 71, n. 27; Clemen. VIII in Constit. cuius initium: *Inter multiplices*, 4 Decembris 1600; Redoan. de spol. eccles. quaest. 2, n. 14 et 42; Lopez ad Diaz. in pract. crim. canon. in addit. Verb. Negotiatores Litt. A.

(4) Ceccoper. lucubr. canon. lib. 3 tit. 12, n. 17; Amostaz de Caus. Piis lib. 5, cap. 6, n. 70 et seqq.; Crisp. Visit. pastor. part. 2, §. 13, n. 10.

15. Dum lis ageretur, decretum tulit Curia Urgellensis, quo decem dierum terminus praefixus fuit ad Testes examinandos. Appellarunt ab hoc Decreto Beneficiarii: sed haec appellatio, ut fieri debebat, reiecta fuit; et examini subiecti fuerunt, tam ipsi Beneficiarii, quam plures alii Testes, qui de consuetudine certiores esse poterant. Sed, cum interim Episcopus visitationis gratia Limianam Ecclesiam accessurus esset, curavit Rector, ut non solum haec lis, sed aliae omnes controversiae, quae ex ea, tamquam ex Equo Troiano, prodierant, arbitrio Episcopi componerentur. Episcopus igitur, partibus pluries auditis, de omnibus controversiarum capitibus laudum tulit: quod cum secundum Rectorem esset, Beneficiarii ab eo appellarunt. Reiecta quidem fuit appellatio a Curia Urgellensi, sed separata et reintegrata fuit a Curia Metropolitana Tarraconensi.

16. In hac igitur Beneficiarii biscentum septuaginta articulos composuerunt, atque in actis ediderunt, pro examinandis Testibus. Dum tamen cunctantur, et moras examini Testium, repetitis dilationibus, nectunt, moritur Procurator iudicialis a Rectore constitutus. Properare tunc Beneficiarii et Testes plurimos audiri curarunt, clam Rectorem, qui omnia ignorabat. Ubi, et mortem Procuratoris sui et examen rescivit, petiit et obtinuit circumscribi quodcumque actum gestumque fuerat post obitum Procuratoris, et Curia Metropolitana causam remisit ad Curiam Urgellensem, quae, in possessorio iudicio, secundum Rectorem, pronunciavit.

17. Adierunt Beneficiarii Signaturae Tribunal, a quo rescriptum fuit: - De appellatione a sententia Metropolitani, circumscriptis omnibus gestis, post appellationem a dicta sententia -. Proposito inde in Rota dubio: - An constet de nullitate actorum, factorum post obitum Procuratoris Bartholomaei Adot, itaut ea sint circumscribenda -, responsum fuit, - Negative - *in Urgellen. die 18 Septembris 1756* §. *Adierunt.*

18. Satius hinc censuit Bartholomaeus Adot Rector iudicio illi renunciare, ne diutius Causa principalis differretur. At Decreto Eminentissimi D. Pro-Auditoris Sanctissimi causa a Rota avocata fuit, ne lis in eo Tribunali fieret immortalis, et cognitio eiusdem Eminentissimis Patribus data fuit.

19. Itaque propositis dubiis: - I. An et cuius qualitatis sit Ecclesia S. Mariae in Caelum Assumptae Villae de Limiana, nempe Collegiata, Communitativa, aut simplex Parochialis?

II. An gubernium, regimen eiusdem Ecclesiae, tam quoad spiritualia, quam quoad temporalia, spectet ad Rectorem independenter a Sacerdotibus Beneficiatis?

VIII. An ius exigendi reditus et proventus eiusdem Ecclesiae spectet ad Rectorem privative, seu potius ad ipsum una cum Beneficiatis, itaut per Turnum sit quolibet anno eligendus Exactor?

IX. An et ad quem vel quos spectet ius recipiendi et retinendi pecuniam, in casu extinctionis alicuius census?

X. An in investimentis pecuniarum novisque creationibus census, liceat Rectori proprio libitu disponere, seu potius sit exquirendum et attendendum votum singulorum Beneficiatorum in Capitulo, ad hoc praecise convocando? -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Esse simplicem Parochialem. Ad secundum, Affirmative quoad spiritualia, quo vero ad temporalia, iuxta modum praescribendum. Ad octavum, Exactorem esse eligendum ab omnibus. Ad nonum, spectare ad Rectorem. Ad decimum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam - *in Urgellen. die 12 Martii 1757.*

20. Atque nedum qui onus dumtaxat sustinent aequalem eligendi vocem nanciscuntur, sed iidem actum huiusmodi ad normam observantiae et loco sibi beneviso explere possunt, quin interim cŏgi valeant, ut electos iam munere functos confirment *in Viterbien. Iuris eligendi die 30 Maii 1767.*

21. Siquidem ad servandos fontes aquarum Civitatis Viterbiensis, pro Civium commodo, expresse cautum est in eiusdem statutis: - Fons Sipalis, fons plateae Flaianae, et fons Castri S. Petri intra Civitatem Viterbii, eorumque aquaeductus sumptibus Communitatis reaptentur et conserventur; alii vero fontes Civitatis et aquaeductus, earum sumptibus Contradarum, in quibus positi sunt, et quibus inserviunt, reaptentur, spurgentur, et conserventur -. Extabat intra limites Ecclesiae Collegiatae et Parochialis SS. Faustini et Iovitae publicus fons, qui per duos *Sancteses* seu *Antepositos,* e Parochia eligendos, regebatur atque servabatur.

22. Quum vero his Sanctesibus ius esset no-

minandi Rectorem Capellaniae, ex dispositione Sernutii Ciccolini institutae in Altari Conceptionis B. M. V. eiusdem Ecclesiae Collegiatae, non levis quaestio orta est inter Capitulum, Priorem eiusdem Collegiatae Ecclesiae, ac Parochianos coram A. C. Simone, super eorumdem Sanctesium electione. Sed Prior et Capitulum succubuerunt, ac R. P. D. Simone die 22 Aprilis anni 1766 difinitiva sententia declaravit: - Ius eligendi et publicandi novos Sancteses a praecedentibus diversos in die SS. Innocentium, iuxta antiquissimam consuetudinem Viterbii, privative quoad omnes spectare ad Parochianos de Contrada Parochialis Ecclesiae SS. Faustini et Iovitae. - *in Viterbien. Iuris eligendi die 4 Aprilis 1767* §. *Extat.*

23. Sententia haec, ob non interpositam appellationem, transiit in remiudicatam, uti asserebatur; ac Parochiani, praevia edictorum affixione, sub die 4 Maii eiusdem anni devenerunt ad Sanctesium electionem in Conventu PP. Augustinianorum, intra Parochialem ambitum existente. Quum autem, instante Eminentissimo Episcopo et Capitulo dictae Ecclesiae Collegiatae, quaestiones super electione Sanctesium commissae fuerint ab Eminentissimo Pro-Auditore Sanctissimi iudicio S. Congregationis, quaesitum est, ad quem electio Sanctesium spectaret, quomodo, qua die facienda esset, qui eligi possent, et an electio facta anno 1766 in Conventu PP. Augustinianorum substineretur.

24. Proposito itaque dubio: - I. An cui et quomodo competat electio Officialium vulgo Sanctesium in Parochia Ecclesiae Collegiatae S. Faustini in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Ad primum, Electionem competere Parochianis, una cum Parocho - *in Viterbien. Iuris eligendi die 30 Maii 1767.*

25. In themate enim cautum erat, Parochianis onus ex Statuti litera esse manutenendi et conservandi fontes, expensas in id de proprio contribuendi, ipsis impendere poenam indictam in casu negligentium Sanctesium; eisdem proinde ius esse eligendi Sancteses, gerentes vices Parochianorum; ac absurdum esse, ut Parochiani quos sentirent, electio vero ad alium pertineret *in Viterbien. Iuris eligendi die 4 Aprilis 1767* §. *Contra*

26. Propterea nihil obstitit, quod deduxerunt Episcopus et Capitulum, nempe nulla hominis dispositione, nec iuris praescripto, electionem Sanctesium Parochianis debitam esse; hos nullum Collegium vel legitimam Universitatem constituere; ius proinde eisdem non esse eligendi Syndicos, Procuratores, aliosque Officiales (1) *in Viterbien. Iuris eligendi die 4 Aprilis 1767* §. *Ad I.*

27. Quum igitur ius hoc eligendi ad universos Parochianos spectaret, Parochus nullo speciali titulo, sed tantum qua Parochianus electioni Sanctesium interveniebat; aequalem idcirco vocem omnibus competebat (2) *in Viterbien. Iuris eligendi die 4 Aprilis 1767* §. *Ad II aiunt.*

28. Concurrente praesertim observantia, cum ceteroquin minime repugnet, ut Parochus, licet caput sit Parochianorum, unicam tantum vocem ad instar aliorum habeat (3) *in Viterbien. Iuris eligendi die 4 Aprilis 1767* §. *Ad II aiunt.*

29. In casu vero discordiae vel paritatis vocum, nova electio a iure decernitur (4), quin electio in themate ad Episcopum devolvi posset; cum, inspecta qualitate, tum personarum Sanctesium mere laicalium, tum officii, circa rem profanam versantis, et observantia, nunquam ille iurisdictionem hac in re exercuerit *in Viterbien. Iuris eligendi die 4 Aprilis 1767* §. *In casu.*

30. Idcirco, proposito dubio: - II. An et quam vocum ratam habeant, sive Parochus, sive Parochiani; et, in casu discordiae votorum, ad quem devolvatur electio in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad secundum, Parochum unam tantum vocem habere, ceteras Parochianos; et in casu discordiae, prout de iure, ad Iudices suos - *in Viterbien. Iuris eligendi die 30 Maii 1767.*

31. Ex eo praeterea, quod electio semper facta fuerit in festo SS. Innocentium, idque probatum extiterit, ex iteratis Episcoporum

(1) L. 1, §. Quibus, ff. Quod cuiusque Univ. nom.; Card. Petra ad Constit. 6 Martini V, tom. 4, n. 4; et Rot. in decis. 169, n. 1, part. 2 Recent.

(2) Rota in Tyrasonen. Primitiarum 28 Ianuarii 1735, §. Conniventia, coram Calcagnino.

(3) Rota in decis. 376, n. 12, coram Crispo.

(4) Cap. Cum terra, de elect.; Rot. in decis. 667, n. 12, coram Molines; in decis. 586, n. 11, coram Lancetta.

visitationibus, proposito dubio: - III. An et qua die electio ista facienda, et respective publicanda in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Ad tertium, In festo Sanctorum Innocentium - *in Viterbien. Iuris eligendi die 30 Maii 1767.*

32. Post haec Episcopus et Capitulum asseruerunt, ex iuris censura Officiales, ad annum tantum duraturos, ad alium annum recte confirmari in officio posse (1); idem proinde esse servandum etiam in officio Sanctesium; maxime, quia munus leve est, non utile, imo onerosum *in Viterbien. Iuris eligendi die 4 Aprilis 1767* §. *Ad IV* (2).

33. Parochiani vero adverterunt, pessimi exempli fuisse antiquorum Sanctesium confirmationem; saepius ob eorumdem negligentiam aquarum copiam defecisse: expedire idcirco, ut singulis annis renoventur, tum pro recta fontis administratione, tum pro uniuscuiusque Parochiani commodo *in Viterbien. Iuris eligendi die 4 Aprilis 1767* §. *Ad III aiunt.*

34. Proposito hinc dubio: - IV. An eadem electio possit ad libitum eligentium fieri anno sequenti, sive unius, sive utriusque ex Sanctesibus, qui officium exercuerunt anno praecedenti in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Ad quartum, Arbitrio eligentium - *in Viterbien. Iuris eligendi die 30 Maii 1767.*

35. Ceterum, si ex praescripto Synodi Diaecesanae non posset Administrator exercere munus ultra triennium, nemini eum liceret deputare ultra triennium *in Forolivien. die 11 Septembris 1784.*

36. Hoc enim in themate, proposito dubio: - XVII. An Communitati liceat deputare Administratorem eorumdem bonorum ac redituum ultra triennium in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Ad decimum septimum, Negative, et amplius - *in Forolivien. die 11 Septembris 1784.*

37. Demum Episcopus et Capitulum dixerunt, Parochianis, legitimum Collegium non constituentibus, ius non fuisse edicta promulgandi; sine auctoritate, et praesentia Capitis, nempe Rectoris, se convocandi, in loco insolito, et quidem exempto ab Episcopi iurisdictione, conveniendi; omnia proinde irritanda esse *in Viterbien. Iuris eligendi die 4 Aprilis 1767* §. *Ad V inquiunt.*

38. At Parochiani contenderunt, edictum diei 4 Maii 1766 affixum fuisse in vim reiiudicatae R. P. D. Simone, adiudicantis ius eligendi Sancteses Parochianis; itemque in vim eiusdem reiiudicatae ipsos ad electionem inde devenisse; perperam proinde de nullitatis vitio haec redargui. Nec obesse quod electio in loco insolito facta fuerit; tum quia iusta adfuit causa, ob Parochi contradictionem; tum quia locus non est de substantia electionis, et eiusdem variatio nullitatem inducere nequit (3) *in Viterbien. Iuris eligendi die 4 Aprilis 1767* §. *Ad V asserunt.*

39. Qua de re, proposito dubio: - V. An edicta seu notificationes, affixae ad eligendum Sancteses, et Parochianorum coadunatio, cum subsequuta electione, facta in Conventu Regularium, substineantur in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Ad quintum, Affirmative - *in Viterbien. Iuris eligendi die 30 Maii 1767.*

40. Quin immo, qui ius habent eligendi Exactorem, hunc in casu detectae fraudis removere, eidemque alium subrogare possunt *in Sutrina die 16 Martii 1782.*

41. Amplia, etiamsi eum elegisset Visitator Apostolicus, et reddita nondum administrationis ratio ac declarata esset dolose gesta *in Sutrina die 16 Martii 1782.*

42. Enimvero in Castro Triboniani Sutrinae Diaecesis quatuor existebant Loca Pia, quorum reditus cum inexactos invenisset cl. me. Cardinalis Pamphilius, tamquam Visitator Apostolicus totius Sutrinae Diaecesis die 5 Decembris 1772 in Praefectum, Ratiocinatorem, et Exactorem dictorum quatuor Locorum Piorum, pro illorum creditis inexactis tantum, elegit Bartholomaeum Berti, cum onere inter cetera reddendi rationem sui muneris anno quolibet Vicario Generali dictae Sutrinae Diaecesis. Verum, cum a Synodalibus Constitutionibus praescribatur, ut, quidquid pecuniarum ex reditibus Locorum Piorum exigitur, in communi Arca deponatur, excepta summa scutorum quinque, pro ipsorum usu, ab illorum Officialibus retinenda, et non ultra, sub poena privationis ab Officio; ideoque capsa constructa triplici clave

(1) L. Neminem, Cod. lib. 10, de suscept. praepos.; Antonell. de tempor. legal. lib. 2. cap. 23, n. 1.
(2) Antonell. loc. cit. n. 4; Carol. Anton. De Luc. ad decis. 264 de Franch. n. 3.
(3) Barbos. de iur. eccles. lib. 1, cap. 19, n. 176; Rot. in decis. 36, n. 7, part. 6 Recent.

obserata fuit, una scilicet retinenda a Vicario Foraneo, altera ab Archipresbitero dicti Castri, tertia demum a memorato Locorum Piorum Praefecto.

43. Praefatus sacerdos Berti nunquam onus redditionis suae administrationis adimplevit, tandem illam reddidit, sed informis, illegalis, atque dolosa inventa est. Recursum habuit Sacerdos Berti ad S. Congregationem, pro nova facienda redditione rationis, sed Episcopus Sutrinus retulit, Loca Pia redacta esse in miserrimum statum, retulitque tricas, quibus usus fuit ac utebatur Sacerdos Berti, pro effugienda redditione rationis gestae ab eo administrationis, attenta pecuniarum dispersione.

44. Iterum rediit Bertus ad S. Congregationem pro restitutione librorum et documentorum, pro reddenda ratione, rescriptumque fuit sub die 15 Ianuarii 1780: - Citetur Pars -. Vi cuius in Contradictorio coram Secretario decretum fuit: - Salvis exceptionibus et sine praeiudicio iurium Partium, mandavit praestari Instanti commodum et patientiam per Curiam Episcopalem inspiciendi Libros gestae administrationis Locorum Piorum et alia documenta, ad rem facientia, cum assistentia tamen Personae, per Reverendissimum Episcopum seu eius Vicarium deputandae, et praefixit terminum Instanti mensis unius, ad effectum incipiendi redditionem rationis, et admisit instantiam, loco protestationis hinc inde - *in Sutrina die 22 Februarii 1782* §. *Iterum.*

45. Hoc non obstante Decreto, adhuc ratio a Berto reddenda erat. Interea per Episcopum reserata Capsa, nihil in ea depositum repertum fuit. Congregatis autem Confratribus Locorum Piorum, ii per secreta suffragia ab administratione removerunt Sacerdotem Berti, eidemque sacerdotem Iosephum Parissium subrogarunt. De hac Administratoris subrogatione conquestus est Bertus, contendens se a munere removere non posse, reddita nondum ratione, neque declarata dolose gesta.

46. Propositis tamen dubiis: - I. An constet de legitima deputatione Praefecti et Collectoris redituum inexactorum quatuor Locorum Piorum Terrae Triboniani in personam Sacerdotis Bartholomaei Berti in casu etc. *Et quatenus affirmative.*

II. An sit praeservandus in collato munere dictus Sacerdos Berti, ita ut sint abroganda omnia et singula acta gesta in praeiudicium dictae deputationis, et signanter nuperrima substitutio Sacerdotis Iosephi Parissi in casu etc.

III. An constet de redditione rationis actae administrationis per ipsum Berti in casu etc.

IV. An sit locus traditioni syndicatoriae et restitutioni librorum ac documentorum, per Curiam Episcopalem retentorum in casu etc.-, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Negative. Ad tertium, Negative. Ad quartum, Vicarius Capitularis praefigat terminum Berto ad reddendam rationem, eique praestet commodum inspiciendi documenta, iuxta Decretum D. Secretarii, et successive pronunciet sententiam syndicatoriam - *in Sutrina die 16 Martii 1782.*

47. Quandoque vero ius eligendi Syndicum Piae administrationis cumulutive ex institutione seu observantia residet in persona Episcopi et alterius Viri *in Placentina Cooperturae die 19 Aprilis 1845* §. *Probato a iure.*

48. Hinc, probato iure Administrationis in utroque, Syndicus, qui nullam habet facultatem, sed totam delegatam, hanc recipere debet ab utrisque illis, quibus inest una et integra, vi institutionis, nec ab uno tantum eligi potest, quin ius alterius laedatur *in Placentina Cooperturae die 19 Aprilis 1845* §. *Probato.*

49. In casu autem dissensus inter Episcopum et alium Electorem, circa electionem Syndici et actus administrationis, recurrere debent ad Apostolicam Sedem, non retardata tamen exequutione resolutionis Episcopi *in Placentina Cooperturae die 25 Septembris 1847.*

50. Enimvero, ut Collegiatae Ecclesiae Deo sacrae in honorem SS. Martyrum Antonini et Victoris instaurationi et decori perpetuo consuleret, Placentinus Episcopus Sigifredus anno 1014 opus instituit, quod audit *Copertura;* ideo nempe, quod praecipue eius reditus destinabantur, ad operimentum ipsius Ecclesiae et ad funes tintinnabulorum. In id autem contulit bona plura, declarans: - hanc eleemosynam de mensa nostra tulimus, quae horum SS. est -; addiditque - in nostra reservamus potestate investituram Gastaldii seu Clientis -, quin aliquid aliud adiecisse nosceretur de legibus, in praefata bonorum administratione sectandis. Sub anno vero 1249 ex iisdem *Cooperturae* redditibus constitutam fuisse constabat praebendam canonicalem pro Sacerdote, qui ipsius Ecclesiae

servitio manciparetur, ab Episcopo Alberto Prandoni, ad preces Capituli; dispositumque ita fuisse circa eius electionem: - Volumus et statuimus, ut Episcopus Placentinus, qui pro tempore fuerit, et Praepositus S. Antonini in Beneficio praedicto, cum necesse fuerit, aliquem eligant Sacerdotem, qui in illa Ecclesia perpetuo Domino debeat famulari -.

51. Ex hoc tempore haud parum identidem sese immiscuisse Praepositum videre est in his, quae ad Cooperturam spectant, quae administrari suevit per Syndicum, ad id specialiter adlectum: et multa desuper data fuerunt decreta, sive in sacris Visitationibus, sive alias ab Episcopis Placentinis. Deinde factum est labente anno 1841, ut Episcopus, remoto a Syndici munere Canonico Moretti, ad idem Officium adlegerit Canonicum Comia, absque interventu Praepositi. Praeterea, cum actus esset, de domo quadam, ad Cooperturae bona spectante instauranda, accidit, ut duplex peritia, Episcopo iubente, concinnata fuerit. Episcopus autem, inaudito vel contradicente Praeposito, praetulerit unam ex illis, utpote magis utilem, eamque independenter a Praeposito executioni commiserit.

52. Idcirco Praepositus Daniel Selvatico, una cum eius Coadiutore Dominico Cigala, nedum Cooperturae damnum inde fuisse latum existimavit, sed et suis iuribus inflictum fuisse vulnus; quippe, nisi ex primaeva fundatione, ex posterioribus saltem dispositionibus et longaeva observantia administrationem sibi una cum Episcopo competere, quoad bona Cooperturae contendit: ac subinde ius Syndicum una cum illo nominandi, qui et de ipsius consensu necessarios administrationis actus explere deberet. Quare Sacrae Congregationi adstitit, ut iura sibi competentia vindicaret, ac insuper persona Iudicis determinaretur, quae dirimere posset quaestiones, inter ipsum et Antistitem exurgentes, circa electionem Syndici et actus administrationis, quia Episcopus propugnabat, sibi uti Ordinario hisce in controversiis iudicium esse servandum.

53. Propositis hinc dubiis: - I. An et quomodo Praepositus sancti Antonini ius habeat administrandi una cum Episcopo reditus Cooperturae in casu etc.

II. An idem Praepositus ius habeat eligendi una cum Episcopo Syndicum piae administrationis in casu etc.

III. An Syndicus in omnibus administrationis actibus assensum etiam Praepositi exquirere debeat in casu etc,

IV. An aedes in casu extructae servandae sint, seu potius diruendae et contra quem sit locus emendationi damnorum in casu etc.

V. An et quomodo sit providendum, quoad Iudicem in casu dissensus inter Episcopum et Praepositum, circa electionem Syndici et actus administrationis in casu etc. -, S. Congregatio, attenta praesertim longaeva seculari observantia, respondit: - Ad primum secundum et tertium, Affirmative; salvo iure Episcopi, ad formam Sacrosancti Concilii Tridentini - *in Placentina Cooperturae die 19 Aprilis 1845.*

54. Ad quartum vero dubium quod spectat, compertum erat, aedes diruere, vel demolire factas resarcitiones, repugnare indicto a natura sensui ac legibus, quae in ipsis Romanae Gentis initiis vetarunt, solvi aut vindicari ipsa furtiva tigna, ne hoc praetextu aedificia diruerentur *in Placentina Cooperturae die 19 Aprilis 1845* §. *Post haec* (1).

55. In casu praesertim, de quo agebatur; nam contra Episcopum institui non poterat actio damnorum, quia probatio deficiebat, ex ipsius culpa damnum evenisse; et quidem tale, ut, ea sublata, non contigisset damnum, nec potuisset contingere (2), quin imo nullum illatum fuisse damnum Cooperturae ostendebatur *in Placentina Cooperturae die 19 Aprilis 1845* §. *Post haec et* §. *Ast.*

56. Idcirco, etiamsi Episcopus id non recte, absque consensu Praepositi, demandasset, Sacra Congregatio praefato quarto dubio respondit: - Ad quartum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam - *in Placentina Cooperturae die 19 Aprilis 1845.*

57. Demum, in casu dissensus inter Episcopum et Praepositum, quoad Syndici electionem actusque administrationis, propugnatum est, recurrendum esse ad S. Sedem, quae tantum ius dicere valeret inter praefatos, ubi dissentirent, eo quod in ea Diaecesi alterius iurisdictioni non subiiciebantur; alias Episcopus pars esset, et Judex in propria causa *in Placen-*

(1) Arg. ex Leg. 5 et 7, ff. tit. ad exhibendum; et L. 1, tit. de tigno iuncto.
(2) L. Quoties, §. Qui dolo, ff. de prob.; L. Merito 51, ff. Pro socio.

tina Cooperturae die 19 Aprilis 1845 §. *Demum.*

58. Qua de re, praedicto quinto dubio, Sacra Congregatio respondit: - Ad quintum, Recurrant in singulis casibus ad Apostolicam Sedem, et providebitur - *in Placentina Cooperturae die 19 Aprilis 1845.*

59. Non obstitit propterea ratio illa, quod Episcopus ex iure (1) sit moderator Piarum Institutionum, quin esset discedendum ab huiusmodi iure ex eo, quod nemo sit iudex in causa propria; nam in iis, quae spectant ad dignitatem et honorem Ecclesiae, Episcopus iudex esse posset in causa propria *in Placentina Cooperturae die 19 Aprilis 1845* §. *Superfluum* (2).

60. Nec impedimentum paravit altera addita ratio, nimirum Episcopum, etiam dissentiente Praeposito, agere posse; non vero e converso, exemplo ducto ex eo, quod Episcopus in iis, quae communia sunt inter ipsum et Capitulum, agere possit, si Capitulares dissentiant, non vero agere possint Capitulares, si dissentiat Episcopus *in Placentina Cooperturae die 19 Aprilis 1845* §. *Superfluum* (3).

61. Iterandi periculum venia interim ab Antistite impetrata, ac definitioni quarti dubii Partibus acquiescentibus, ceteris in acerrima Patronorum contradictione repropositis, sub formula: - I. An et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis in primo dubio in casu.

II. An sit standum, vel recedendum a decisis in secundo dubio in casu.

III. An sit standum, vel recedendum a decisis in tertio dubio in casu.

IV. An et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis in quinto dubio in casu -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum secundum et tertium, In decisis. Ad quartum, Praevio recessu a decisis, Episcopus utatur iure suo, ad formam sacrorum Canonum, salvo recursu ad S. Sedem in devolutivo - *in Placentina Cooperturae die 4 Aprilis 1846.*

62. Et ideo recedere a decisis visa est Sacra Congregatio a praedicto quinto dubio, quia Defensor contendit, quod prima responsione iniuriose Episcopo Placentino auctoritas adimeretur cognoscendi et componendi dissidia in causa Cooperturae, cum ea iure polleat in Piis omnibus Causis suae Diaecesis *in Placentina Cooperturae die 4 Aprilis 1846.*

63. Quum autem rursum ad trutinam Partes praefata dubia enixe revocaverint, Praepositi Vindex in id enixe institit, quod reformandum omnino esset responsum postremo dubio datum, statuendumque, haberi recursum in singulis casibus dissensus ad Apostolicam Sedem, ceu iam optime definitum fuerat, ne secus, si permitteretur Episcopo auctoritas dirimendi suas cum eo contentiones, salvo huiusce tantum iure appellandi ad S. Sedem in devolutivo, iura eiusmodi omnia, quae ex observantia aequalia omnino et aeque efficacia cum iis Episcopi esse debent, irrita prorsus et inania redderentur iugisque aemulationi occasio praeberetur *in Placentina Cooperturae die 6 Martii 1847* §. *Hucusque.*

64. Nulla sane hoc in casu Episcopi necessitas superesset administrandi una cum Praeposito bona cooperturae: nulla eum rogandi, in quolibet actu administrationis, suumque assequendi consensum *in Placentina Cooperturae die 6 Martii 1847* §. *Hucusque.*

65. Quin appellationis devolutivae remedium quidquam proficeret Praeposito, hoc est, ubi Episcopus iam egerit aliquid in praeiudicium administrationis, inutilis prorsus evaderet Praepositi appellatio *in Placentina Cooperturae die 6 Martii 1847* §. *Nec.*

66. Nam, si praesertim res sit de contractibus aliisque id genus negotiis, etiam in hypothesi, qua illos improvidos iudicasset Praepositus, eo ipso tamen, quod perfecti altero assentiente fuerunt, firmi validique manerent, nec iura quaesita iam aliis, quibuscum contractum fuit, appellatio vel minimum praepedire posse *in Placentina Cooperturae die 6 Martii 1847* §. *Nec.*

67. Inde fiet, ut, comperta remedii inutilitate, re et facto ab administratione decideret Praepositus; ex quo, dum iuribus eidem ex lege fundationis competentibus vulnus infligeretur, principia etiam canonica maxime pessumdarentur *in Placentina Cooperturae die 6 Martii 1847* §. *Nec.*

(1) Uti colligitur ex Concilio Tridentino in cap. 9, sess. 22, de Reform.

(2) Cap. Romana, de poenis in 6; et Doctores penes Barbos. de Offic. et potest. Episcop. part. 3, Allegat. 87, n. 6.

(3) Can. *Scire debes*, Caus. 7, quaest. 2; cap. *Novit*, de his, quae fiunt a Praelat.; cap. *Cum non liceat*, de praescript.; Frances de Eccles. Cathedral. cap. 28, n. 168 et seqq.

68. Etenim, si controverti nequit, Episcopum Placentinum dicere hanc causam uti compatronum cum Praeposito, nec rem esse prorsus in ea de privilegiis ac facultatibus, quas ei leges Tridentinae concedunt; sequitur, ut nonnisi aequali efficacia et utilitate ipse agere posset cum altero compatrono Praeposito, non secus ac aequalia inter illos iura esse debent. Neque fas esset omnino, ipsum contendentem, qua mere patronum, patronique iura expereuntem, simul eodemque tempore uti etiam iuribus Episcopalibus; ad hoc, ut Praepositum unico patronatus iure decertantem vincat et excludat *in Placentina Cooperturae die 6 Martii 1847* §. *Nec* (1).

69. Itaque, hisce sedulo expensis, repropositis dubiis, sub formula: - I. An et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis in primo dubio in casu.

II. An sit standum, vel recedendum a decisis in secundo dubio in casu.

III. An sit standum, vel recedendum a decisis in tertio dubio in casu.

IV. An et quomodo sit standum in primo, seu potius in secundo loco decisis, in quinto dubio in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum secundum et tertium, In decisis; et amplius. Ad quartum, Praevio recessu a decisis, Episcopus utatur iure suo, ad formam sacrorum canonum, salvo iure appellationis - *in Placentina Cooperturae die 6 Martii 1847.*

70. Hanc autem iudicii variationem aegre ferens Episcopus, mox sibi novam comparavit audientiam, ac ipsemet enixe propria praetensa iura defendere studuit *in Placentina Cooperturae die 25 Septembris 1847* §. *Quapropter.*

71. Rationibus hinc prolixe expositis, ut Sacra Congregatio recederet a decisis in primo secundo et tertio dubio, suam conclusit orationem Antistes, observando, nec descriptis antea malis, nec assiduis controversiis, unde nascuntur, ullum fuisse obicem finemque paratum extremo EE. PP. oraculo, circa quarti dubii resolutionem *in Placentina Cooperturae die 25 Septembris 1847* §. *Suam*

72. Nam, etsi in casu dissensus, Iudicem agendi facultas, ad normam sacrorum canonum, sarcta tectaque fuerit reservata, ea tamen uti non posset, nisi ad illas dissensiones compescendas, quae vel mores respicerent, vel evidentes et minime remorandas Pii Operis utilitates *in Placentina Cooperturae die 25 Septembris 1847* §. *Suam.*

73. Nec eas etiam semper dirimere posset, sed tempore dumtaxat sacrae Visitationis; unde haec ipsi vel perpetuanda, vel ex tempore saepe saepius repetenda foret, quod neutrum facere vellet, ne iniquo animo opprimendi Adversarium id facere videretur *in Placentina Cooperturae die 25 Septembris 1847* §. *Suam.*

74. At, repropositis dubiis, sub consueta formula: - I. An et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis in primo dubio in casu.

II. An sit standum, vel recedendum a decisis in secundo dubio in casu.

III. An sit standum, vel recedendum a decisis in tertio dubio in casu.

IV. An et quomodo sit standum in secundo, seu potius in tertio loco decisis, in quinto dubio in casu -, S. Congregatio respondit: - Ad primum secundum et tertium, In decisis, et amplius. Ad quartum, spectare ad S. Congregationis iudicium in casu dissensus, non retardata tamen exequutione resolutionis Episcopi, ut delegati Apostolicae Sedis; et amplius - *in Placentina Cooperturae die 25 Septembris 1847.*

75. Quando vero controversia, circa electionem Administratoris et actus administrationis, vertatur inter alios, quibuscum Episcopus aequale ius ex fundatione vel observantia non habet, ea facile dirimitur, tribuendo praefato Episcopo ius huiusmodi eligendi seu administrandi, in casu etiam, quo extranei, contra mentem Testatoris, sibi ius administrationis arrogassent *in Ferrarien. die 16 Februarii 1788.*

76. Siquidem Romanus Boari legavit anno 1678 Ioanni eius Fratri nemus pro omni et toto eo, quod ab ipsius hereditate praetendere posset: Filios, quos sperabat, masculos in reliquis omnibus bonis, feminas in illorum medietate heredes instituit. His deficientibus, natu maiorem vocavit Ioannis Filium, qui vigesimum quintum attigisset annum, eique ceteros illius Filios et Descendentes, servata maioris aetatis praerogativa, substituit. Quaedam, suis vel Fratris existentibus Filiis, plura in eorum defectum Pia Legata, ex universa hereditate, reliquit.

77. Erigi ab ipsis mandavit intra triennium

(1) Ad rem Card. de Luc. de iurepatr. disc. 2, n. 25; et in adnotationibus ad Conc. Trid. disc. 20, n. 6; et de Benef. disc. 28, n. 11.

a suo obitu, in Oratorio nuncupato *di Marrara* Sacellum Sanctissimae Annuntiatae, ubi singulis diebus Dominicis celebrari deberet Sacrum, vel novum in honorem Sanctissimae Annuntiatae et S. Iosephi Oratorium, si neque Sacellum illud, neque Sacrorum celebratio in existente Oratorii Madrariae Sacello permitteretur: praecepitque, in casu, quod nec etiam novum construi posset Oratorium, ut eius dos eodem Sacrorum onere traderetur Capellano S. Nicolai *in Monasteriolo*. Iis vero deficientibus, hereditatem voluit sub perpetua administratione, deputavitque in Administratores Angelum Cavallini et Ioannem Franciscum Algarotti eorumque Filios et Descendentes, quorum ultimo potestatem fecit nominandi alium Administratorem bonae vitae ac famae habilem atque idoneum.

78. In hoc postremo, qui iamdiu evenit, administrationis casu, legem Administratoribus dedit, ut, annuis pro eorum stipendio retentis scutis quadraginta, reliquos omnes erogarent reditus in pluribus Piis Operibus. Hinc, Testatore absque Filiis defuncto, universam occupavit hereditatem Ioannes eius frater, licet Filiis etiam destitutus, suaque auctoritate Cavallinum et Algarottum administratione privavit. Alios hinc decedens nominavit Administratores, Carolum nempe Masi eius Medicum et testamentarium testem et Matthiam Manzali causidicum et Notarium, qui eius testamentum rogavit. Administrationis cessionem a Masio extorsit Manzalius, sibique Ludovicum eius filium in Coadministratorem assumpsit. Animum deinde ad perpetuam hereditariorum bonorum emphytheusim, quam vocant *livellum,* convertit: quam tandem ab Vicario Generali, inconsulta S. Congregatione, pro se suisque Filiis descendentibus in infinitum ac heredibus quibuscumque obtinuit.

79. Post haec S. Nicolai et Madrariae Populi, qui in Piis Operibus per Boarium relictis interesse habebant, postularunt ab EE. PP., ut rescissa investitura emphytheusis mandare dignarentur Archiepiscopo deputationem Administratorum, qui voluntatem Romani Boari exequerentur. Archiepiscopus, hac de re pro informatione monitus, retulit: - Si unquam iudicabitur emphytheusis irrita et inanis, meum consilium, ab Eminentiarum Vestrarum sapientia comprobandum, erit, de eligendis duabus Personis, a Romano Boari in testamento praescriptis, qui bona perpetuo administrent, sibique retenta ex reditibus annua summa scutorum quadraginta, quidquid reliquum erit in Piis Operibus atque eleemosynis vertatur, iuxta legem a Testatore traditam.

80. Manzalii interim iteratas postularunt et obtinuerunt dilationes, magisque praecisum a Parochis Madrariae et S. Nicolai flagitarunt mandatum Procurae, quod Parochiani nomine iam exhibebant. Quum autem animadverteretur, quod Parochi sint legitimi Piorum Legatorum, quae Paròchialibus Ecclesiis, vel Pauperibus Parochianis relicta fuerint, Administratores, absque ulteriori dilatione, propositis dubiis: - I. An et quomodo sustineatur instrumentum emphytheusis, sive usus in casu etc.

II. An et quomodo sint adimplenda Pia Opera ordinata a Romano Boari in casu etc.

III. An et quomodo sit providendum, quoad praeteritum in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Ad primum, Negative. Ad secundum, Affirmative, iuxta votum Eminentissimi Archiepiscopi. Ad tertium, Affirmative; iuxta liquidationem faciendam ab Eminentissimo Archiepiscopo - *in Ferrarien. die 15 Septembris 1787.*

81. Repropositis dein dubiis, sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, In decisis; et ad D. Secretarium cum Sanctissimo, iuxta mentem. Ad secundum, In decisis; iuxta modum, nempe in omnibus et per omnia, ad formam Testamenti Romani Boari, sed in iisdem Operibus Piis esse eroganda scuta quadraginta, quae sibi retinent Usuarii titulo administrationis, ac similiter nec posse sibi retinere scuta quadraginta pro Hospitio PP. Capuccinorum, sed eas solummodo impensas esse admittendas, quae vere in eorum alimoniam et Hospitium persolvuntur; et Archiepiscopum debere esse perpetuum Administratorem Operis Pii. Ad tertium, Praevio recessu a decisis, consulendum Sanctissimo, pro absolutione quoad praeteritum, et amplius - *in Ferrarien. die 16 Februarii 1788.*

82. Praeterea Sacra Congregatio, in casu etiam, quo de legitima Societatis erectione dubitabatur, mandavit, ut interim, lite pendente, Episcopus deputaret Oeconomum, qui Ecclesiae bona administraret *in Aesina die 18 Septembris 1723.*

83. Quandoquidem Ecclesia Ruralis S. Mariae Pladiarum Castro Plani eleemosynis Fidelium constructa fuit anno 1620, et maius accepit incrementum ex pio relicto Augustini et Lucretiae Tambini, qui eam heredem instituerunt, imposito nonnullarum Missarum onere, factaque subinde Capellanis congrua mercedis assignatione, et doctrinam christianam docerent, et diebus festis confessiones exciperent, pro commoditate Rusticorum, circa dictam Ecclesiam degentium.

84. In praedicta Ecclesia quaedam extabat Societas Beatae Mariae de Misericordia, de cuius tamen erectione legitima Episcopus dubitabat in sua informatione, et multo magis, cum deficerent cetera requisita, statutorum videlicet et usus sacci; exortaque controversia inter Promotorem Fiscalem et ei adhaerentes, et Priores Societatis et Sacerdotem illis adhaerentem, ad S. Congregationem ad eam dirimendam confugerunt.

85. Propositis hinc dubiis: - I. An Societas Beatae Mariae de Misericordia Pladiarum teneatur retinere secundum Capellanum.

II. An et ad quem spectet deputatio, tam primi, quam secundi Capellani, et respective eorum remotio.

III. An decretum Ordinarii, quoad destinationem bonorum et celebrationis Missarum, sustineatur -, Sacra Congregatio respondit: - Dilata, et interim serventur Decreta Episcopi, et, sine praeiudicio ambarum Partium, Episcopus nomine Sacrae Congregationis deputet Oeconomum, qui administret bona Ecclesiae, et Vicarius Foraneus praestet patientiam, ut libri videantur ab interesse habentibus, pro redditione rationis - *in Aesina die 18 Septembris 1723.*

86. Ac eo vel magis S. Congregatio deputationem novi Administratoris, arbitrio Episcopi peragendam, demandavit; cum actualis Administrator rem Pii Loci male gereret, contra mentem Testatricis *in Narnien. die 27 Februarii 1790.*

87. Requidemvera laicalem anno 1704 instituit Capellaniam Comitissa Martha Scotti, pluraque ei sub administratione Comitum Mancinelli heredem assignavit bona. Loca vero reliquit Montium quatuor sub administratione Societatum SS. Sacramenti et SS. Rosarii Castri S. Viti, ut in parvum Xenodochium, pro quo binas destinavit mansiones, infirmi reciperentur illarum Fratres et Sorores, voluitque, ut deponeretur in Monte Pietatis Narniae, ad effectum investiendi favore Xenodochii, quidquid ex annuis Locorum Montium fructibus superesset.

88. Huiusce Pii Operis administrationem permiserunt Societates Comitibus ipsis Mancinelli, et sub ea crevit fundus ad Loca montium 10. $\frac{35}{100}$ 54. In visitando tamen Xenodochio deficientia novit Delegatus Narniensis Episcopi utensilia, excepitque, accedere ad illud desuevisse Societatum Fratres et Sorores, eiusque sumptu Otricoli Medicum ad omnium incolarum curationem conduci. Societates hac de re ad redditionem rationis cogere tentavit; sed, ob allegatam Comitis Petri Mancinelli administrationem, re infecta, discessit. Statim vero exhibuit Comes administrationis librum, syngraphasque de recepto Sodalibus, subductisque rationibus ab anno 1705 ad totum annum 1787 exitum introitus superavit in scutis 379. 15. 4, quae ad formam testamenti investire despondit. Episcopo dein imperante, librum ei obtulerunt Sodales, ut rationes et ipse expungeret; sed, ob denegata a Comite iura, quae introitum exitumque comprobarent, rem aggredi non potuit.

89. Dum haec coram Episcopo agebantur, Sanctissimo supplicavit Populus Castri, ut Xenodochii reditus in dotalia converteret subsidia, pro filiabus Sodalium Sanctissimi Sacramenti, cui tamen utriusque Societatis Fratres et Sorores obstiterunt, ne Testatricis voluntas commutaretur. Episcopus favit Sodalibus, ac in sensu fuit, ut Comes Petrus Mancinelli cogeretur ad reddendam rationem, non retardato deposito, ad formam testamenti, eidemque interdicenda esset administratio huiusmodi redituum, ac respective deveniendum ad deputationem alterius Exactoris per Confratres et Sorores Societatum cum eiusdem approbatione.

90. Nisi enim haec demandarentur a suprema Sacrae Congregationis auctoritate, nullatenus exequi possent, tum quia Incolae Castri S. Viti numquam aliquid efficient contra voluntatem Comitis Petri Mancinelli, cui subiecti erant tamquam condomino eiusdem Castri, tum quia idem Comes a quocumque Decreto per ipsum ferretur auctoritate ordinaria, appellationem dubio procul interponeret, quin eiusdem appellationi legitimus Contradictor inveniri posset.

91. Sacra Congregatio ad haec, denegata merito commutatione voluntatis et coacto prae-

fato Comite ad reddendam rationem praedicto Episcopo, proposito dubio: - III. An sit locus deputationi alterius Administratoris in casu etc.-, responsum dedit: - Ad tertium, Affirmative, ad formam testamenti, arbitrio Episcopi - *in Narnien. die 27 Februarii 1790.*

92. Insuper Sacra Congregatio adprobavit deputationem Oeconomi ab Ordinario loci factam, pro administratione Beneficii, cum eius Rector onera eidem adnexa non impleret, ob malam corporis valetudinem et paupertatem, eiusque arbitrio praefati Oeconomi remotionem reliquit *in Mediolanen. Beneficii die 18 Augusti 1781.*

93. Iamvero Ioannes Aloisius et Franciscus fratres Vicecomites anno 1731 beneficium ecclesiasticum sub invocatione SS. Ioannis Baptistae et Aloisii fundarunt in Ecclesia ab eorum Maioribus constructa in loco de Albizate Plebis Galleratae Mediolanensis Diaecesis. Plura bona praedicti Fratres cesserunt, pro dote beneficii et pro congrua Beneficiati manutentione. Iuspatronatus seu ius nominandi Beneficiatum sive Capellanum sibi ipsis reservarunt, et subinde eorum filiis masculis, istorumque filiorum filiis maioribus masculis.

94. Voluerunt insuper Fundatores, quod Beneficiatus seu Capellanus pro tempore nominandus sit Sacerdos bonae famae, et in sacerdotio constitutus; quod teneatur residere in dicto loco de Albizate, nec obtinere possit aliud Beneficium ecclesiasticum, uno dumtaxat excepto simplici Beneficio, nullam habente seu requirente personalem residentiam; quod ipse quotidie, salva debita honestate et iusto impedimento cessante, Missam suam ad altare supradictae Ecclesiae celebrare teneatur; quod si, iusto impedimento cessante, per quindecim dies continuos Missam non celebraverit, tunc ipso iure cecidisse intelligatur a beneficio et ab omni alio iure eidem competente, liceatque Patronis alium eligere Beneficiatum seu Capellanum.

95. Anno 1761 vacato dicto Beneficio, Comes Laurentius Taberna, tamquam Pater et legitimus Administrator trium eius et Comitissae Annae Lunatae Vicecomitis Uxoris filiorum masculorum et Beneficii Patronorum, nominavit Comitem Ignatium Vicecomitem in Sacerdotali dignitate constitutum. Is, obtenta institutione ab Archiepiscopali Curia Mediolanensi, in malam incidit valetudinem, tum corporis, tum eius potentiae visivae, per quam necesse ei fuit residentiam deserere et Missarum celebrationem intermittere. Quamobrem anno 1776, instante Promotore fiscali dictae Archiepiscopalis Curiae, prodiit sententia, qua declaratum fuit, Comitem Ignatium teneri ad integrum implementum onerum Beneficii, deputato interim Oeconomo, pro eiusdem Beneficii bonorum administratione.

96. Anno vero 1778 Beneficiatus supplex adivit Eminentissimum Archiepiscopum, tria postulans; primum, quod eum absolute dispensaret a residentia; secundum, quod eum, ipsius attenta paupertate, ad compositionem admitteret, pro Missis non celebratis; ac tertium, quod revocaretur Oeconomi deputatio, paratum se offerens celebrare facere Missam quotidianam.

97. Remissis hinc precibus ad Sacram Congregationem, eadem declaravit quidem, non esse locum caducitati, concessitque indultum non residendi ad annum, et absolutionem ab onere Missarum non celebratarum usque ad diem 21 Iulii 1777, sed proposito dubio: - V. An sustineatur deputatio Oeconomi, seu potius sit locus eius remotioni in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad quintum, Arbitrio Archiepiscopi, et amplius - *in Mediolanen. Beneficii die 18 Augusti 1781.*

98. Immo Sacra Congregatio deputationem Administratoris ab Episcopo expletam, pro conservatione fructuum Capellaniae laicalis, donec dirimeretur controversia inter Patronos exorta, adprobavit in casu etiam, quo Fundator Episcopi alteriusve Iudicis auctoritatem expressis verbis excluserat *in Montis Alti Capellaniae die 22 Augusti 1795.*

99. Siquidem postremis tabulis anni 1718 instituit Petrus Andreas Marinucci Capellaniam laicalem favore Heredum, quin unquam Episcopus vel alter Iudex se eidem immiscere aut decretum ferre posset. Heredem deinde usufructuariam scripsit Mariam eius uxorem, proprietatorios vero Ioannem Antonium et Gregorium fratres Marinucci, pro duabus partibus, ac Martium Franciscum innuptasque puellas Christinam et Franciscam Antoniam Cherubini suos ex Catherina Marinucci sorore pronepotes, pro una dumtaxat parte, quibus facultatem dedit nominandi Capellanum, qui duas Missas singulis hebdomadis celebraret.

100. Tres ab institutione Capellaniae ex ordine fuerunt Capellani, Sacerdos nempe Ioannes Antonius Marinucci a Fundatore nominatus, Canonicus Michael illius nepos, et Canonicus Martius Franciscus Cherubini; integrosque perceperunt reditus Capellaniae. Novissimo eorum defuncto, orta est controversia, de patronatu; Capellaniae tamen bona occupavit unus Valentinus, filius Catherinae, post resolutam interpellationem, factam ad videndum - An velint in causa Legati Pii quondam Petri Andreae Marinucci se ipsos associari, alias declaratione non facta in termino statuendo a Sacra Congregatione, intelligatur omne ius devolutum, favore Instantis -. Supplicavit hinc Elisabeth Marinucci Sacrae Congregationi, ut declarare dignaretur, num res esset, de simplici Legato Pio Missarum, illudque a laico et femina retineri posset: illuc spectans, ut de possessione Valentinum turbaret.

101. Priusquam in id Episcopus Montis Alti referret, per epistolam mandavit die 11 Augusti 1793 Vicario Foraneo Castignani, ut administraret interim servaretque reditus Capellaniae, donec Sacra Congregatio decideret. Idque fortasse Elisabeth ignorans, petiit etiam a Sacra Congregatione Administrâtorem, et die 17 eius mensis EE. PP. rescripserunt: - Instet coram Episcopo, pro deputatione provisionalis Administratoris, prout et quatenus de iure, usque ad exitum promotae instantiae sub die 15 Iunii 1794 -. Verbis interea Vicarius Foraneus Administrator inhibuit Colonis praediorum Capellaniae et Valentino Marinucci traditionem et respectivam fructuum perceptionem, sibique mense Iulio anni 1794 tradi fecit frumentum. Contrariam eodem mense exequi curavit inhibitionem Valentinus coram Signatura Iustitiae, sumpsitque mense Octobris mustum. Qua de re institit Elisabeth coram Secretario Sacrae Congregationis, pro confirmatione Administratoris, purgatione attentatorum et restitutione fructuum, sed remissa fuit ad Sacram ipsam Congregationem instantia.

102. Itaque rationibus hinc inde expensis, Sacra Congregatio declaravit laicalem Capellaniam, non vero a persona laica vel femina retinendam, quin ideo Patronis liceret sibi retinere superextantes reditus, soluta Capellano eleemosyna Missarum, decrevitque ius nominandi competere Elisabethae Marinucci, pro duas ex tribus vocibus, excluso Valentino pro tertia voce, cum eiusdem Valentini damnatione ad purgationem attentatorum, per viam nullitatis, et fructuum perceptorum restitutionem, nec non proposito dubio: - IV. An sustineatur deputatio Administratoris, et cui in posterum administratio competat -, responsum tulit: - Ad quartum, Affirmative ad primam partem; et in posterum administrationem competere Capellano - *in Montis Alti Capellaniae die 22 Augusti 1795.*

103. Hinc Doctores sustinent, quod quidem Officialium electio pertinet ad Confratres, confirmatio vero ad Episcopum, sed imo et electio ad eumdem Episcopum spectat, si Confratres insufficienti numero per triplex scrutinium non convenerint *in Forolivien. die 21 Augusti 1784* §. *Pro examine* (1).

104. In terminis enim, proposito dubio: - An temporalis deputatio Capellanorum in discordia Confratrum spectet ad Episcopum, vel potius ad Gubernatorem et Officiales dictae Confraternitatis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Spectare ad Episcopum, post tertium scrutinium - *in Senogallien. Iuris suffragandi die 4 Iunii 1701 lib. 51 Decretorum pag. 306.*

105. Amplia, non solum id locum habet, cum in tertio scrutinio non convenerint, sed etiam in casu cuiusvis negligentiae is terminum praefigere potest *in S. Marci die 13 Aprilis 1726.*

106. Enimvero, licet Confratres Confraternitatis Sanctissimi Crucifixi, olim S. Mariae Pietatis Belvederii, Diaecesis S. Marci, tam ex Constitutionibus ab Ordinario approbatis, quam ex antiqua consuetudine et possessione suos eligerent Officiales, spatio quatuor mensium duraturos, Episcopus nihilominus Sancti Marci, sub obtentu negligentiae Confratrum in eligendo, itaut ius eligendi ad se devolutum fuisset, devenit ad electionem Officialium, qui ad annum durarent; et decrevit, eos per Confratres esse recipiendos: et quia memorati Confratres devenerunt ad electionem aliorum Officialium, ad normam Constitutionum, Promotor Fiscalis Curiae illis mandavit, assignato congruo termino, ut comparerent ad dicendam causam, quare

(1) Monacell. in Formul. legal. tom. 1, tit. 6, form. 11, n. 24, cum aliis ab eo allegatis.

*

non deberent excommunicari, ex quo in spretum mandatorum Curiae, sub poena excommunicationis, ausi fuerunt devenire ad electionem Officialium.

107. Contenderunt Confratres, non fuisse ius eligendi devolutum ad Episcopum; primo quia non probabatur ulla Confratrum negligentia in eligendo; tum quia non est in iure scriptum, quod intret devolutio favore Episcopi in casu, quo Confratres in primo, secundo, aut tertio scrutinio non sint in electione discordes.

108. His tamen non obstantibus, S. Congregatio ius quidem privativum eligendi favore Confratrum sanxit; decrevitque, censuras non substineri, sed ex eo, quod negligentia luculenter non probaretur, et Episcopus electionem contra constitutiones et antiquissimam consuetudinem fecisset, proposito dubio: - II. An dictum ius (eligendi) fuerit devolutum ad Episcopum in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Ad secundum, Praefigatur ab Episcopo terminus Confratribus ad eligendum, et quatenus non concordent in termino scrutinio, deveniat ad electionem Officialium, qui durent ad quatuor menses - *in Sancti Marci die 13 Aprilis 1726.*

109. Ac eo vel magis ad electionem devenire potest Episcopus, si Confratres electionem fecerint de indigno *in Civitatis Plebis die 26 Ianuarii 1760* §. *Minusque* (1).

110. Proposito enim dubio: - IV. An liceat Reverendissimo Episcopo removere Officiales et Ministros a Confratribus electos, quatenus non sint idonei et graves exceptiones patiantur, - Sacra Congregatio responsum dedit: - Ad quartum, Affirmative - *in Asculana die 24 Martii 1725.*

111. Hinc Episcopus edere potest decretum, ut Administrator seu Procurator non eligatur, nisi ille, qui sit facultate idoneus, vel qui praestet cautionem *in Aliphana Redditionis Rationis die 3 Decembris 1718* §. *Fundamentum.*

112. Item, ut electio fiat per secreta suffragia, utque per Administratorem praestetur iuramentum de fideliter administrando, et non eligatur, qui debitor remaneret in praecedenti administratione *in Aliphana Redditionis Rationis die 3 Decembris 1718* §. *Fundamentum.*

113. Hinc nulla censenda est electio seu deputatio Administratorum, nisi fiat, iuxta huiusmodi Episcopi decretum, quoad qualitates eligendorum *in Aliphana Redditionis Rationis die 17 Decembris 1718.*

114. Verum et nulla adhuc reputanda electio, per Episcopum ex eo expleta, quod Electores, iuxta decretum eius, Administratorem non elegerint *in Aliphana Redditionis Rationis die 17 Decembris 1718.*

115. Amplia, etiamsi persona ab Episcopo electa, a nonnullis Electoribus approbata fuerit, quin tamen consensus datus fuerit capitulariter, seu collegialiter, uti praescribitur in Constitutionibus *in Aliphana Redditionis Rationis die 3 Decembris 1718* §. *Et in eo.*

116. Idcirco deveniendum est ab Electoribus ad novam electionem Administratoris, iuxta Decretum Episcopi, quoad qualitates Eligendorum *in Aliphana Redditionis Rationis die 17 Decembris 1718, et die 18 Martii 1719.*

117. Proposito enim dubio: - II. An decretum super electione Procuratoris seu Administratoris bonorum Capellae S. Mariae de Carmelo, factum ab Episcopo, sustineatur, seu potius sustineatur electio facta a Sacerdotibus dictae Ecclesiae in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Ad secundum, Deveniendum esse a Presbiteris ad novam electionem Administratoris, iuxta Decretum Episcopi, quoad qualitates Eligendorum, iuxta modum; nempe, ut aboleretur poena suspensionis, una cum necessitate approbationis fideiussionis et confirmationis ab Episcopo faciendae - *in Aliphana Redditionis Rationis die 4 Martii 1719* §. *Factum.*

118. Reproposito subinde dubio, sub formula: - An et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - In decisis, et amplius; et fideiussio approbetur ab eisdem Presbiteris eligentibus, eorum risisico et periculo - *in Aliphana Redditionis Rationis die 18 Martii 1719.*

119. In casu vero detectae fraudis, vel negligentiae, ius habet Episcopus alterius Exactoris electionem demandare, sub idonea fideius-

(1) Monacell. in For. leg. tom. 1, tit. 6, adnot. 11, n. 24 et seqq.; Nicol. Verb. Confraternitas, n. 6 et 7.

sione *in Viterbien. Dotium die 11 Aprilis 1761* §. *Stipendium* (1).

120. Propositis enim dubiis: - VIII. An eisdem Curatis sit respective iniungendum onus annuatim revidendi computa Exactoris? IX. An rationes Exactoris, a Curatis expunctae, deferendae sint ad Episcopum, eidemque danda facultas illas iterum examinandi, et Exactorem removendi in casu detectae fraudis, alteriusque electionem demandare, sub idonea fideiussione?-, Sacra Congregatio respondit: - Ad octavum, Affirmative, ad formam Testamenti, salvo iure Eminentissimi Episcopi revidendi computa, et removendi Exactorem, prout de iure, et amplius. Ad nonum, Provisum in antecedenti - *in Viterbien. Dotium die 11 Aprilis 1761.*

121. Deputatio hinc in Admnistratorem irrita censenda, si facta sit ab illo, qui potestatem non habet deputandi alios, contra expressam Testatoris voluntatem *in Ferrarien. die 15 Septembris 1787* §. *Nullam* (2).

122. Praesertim, si facta fuerit in testamento, quod ipse rogaverat *in Ferrarien. die 15 Septembris 1787* §. *Nullam* (3).

123. Quin imo Episcopus intervenire ac interesse potest per se vel per alios Congregationibus Sodalium, ab ipso deputandos, quamquam suffragium ferre nequeat *in Asculana die 24 Martii 1725.*

124. Fas enim est Episcopo in Congregationibus intervenire per se vel per suum Deputatum *in Civitatis Plebis die 26 Iuanuarii 1760* §. *Ad ius* (4).

125. Propositis quippe dubiis: - II. An saltem Reverendissimus Episcopus in aliquo casu per se vel per alium ab ipso deputandum possit intervenire dictis Congregationibus generalibus. *Et quatenus affirmative.*

III. An Episcopus seu Persona per eum deputanda possit suffragium ferre -, Sacra Congregatio respondit: - Ad secundum, Affirmative. Ad tertium, Negative - *in Asculana die 24 Martii 1725.*

126. Secus enim nemo, praeter Sodales seu qui ius habent, interesse posset huiusmodi Congregationibus *in Forolivien. die 11 Septembris 1784.*

127. Nullo enim iure concurrente, proposito dubio: - XVI. An Priori vel Procuratori Servorum B. M. V. competat ius interessendi Congregationibus haberi solitis, super negociis respicientibus Capellam et Altare divi Peregrini, illiusque bona et reditus, ita ut Communitas teneatur illos interpellare in casu etc.-, Sacra Congregatio respondit: - Ad decimum sextum, Negative; et amplius - *in Forolivien. die 14 Septembris 1784.*

128. Non potest vero Episcopus deputare Personam, quae sit Confratribus suspecta *in Civitatis Plebis die 22 Martii 1760.*

129. Namque, proposito dubio: - IV. An deputatio ab Ordinario facta in personam R. D. Bartholomaei Volpini moderni Plebani Montis Ioveni substineatur, sive potius sit locus deputationi alterius Personae Confraternitati non suspectae in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Ad quartum, in casu de quo agitur, esse locum deputationi alterius - *in Civitatis Plebis die 22 Martii 1760.*

130. Confratres quippe contenderunt, nunquam per Episcopum posse deputari pro interessendo Congregationibus Confraternitatis Plebanum Bartholomaeum Volpini, cum hic esset suspectus Confratribus, et in praesenti iudicio infensissimus contradictor *in Civitatis Plebis die 26 Ianuarii 1760* §. *Hinc inferunt.*

131. Quum autem Episcopus Personam Confratribus suspectam non deputaverit, Confratres possunt valide coadunari et eligere Officiales, sed ante debent certiorare Episcopum vel Personam ab eo deputatam *in Civitatis Plebis die 22 Martii 1760.*

132. Proposito enim dubio: - III. An valide coadunari possint Confratres Societatis Mortis Castri Montis Ioveni absque interventu Parochi deputati ab Episcopo, et respective eligere Officiales, itaut sit locus etiam in hac parte moderationi edicti seu praecepti in casu etc.-, Sacra Congregatio responsum tulit: - Ad tertium, Affirmative, iuxta modum; idest, praevia certioratione Episcopi vel eius

(1) Barbos. in cap. Nos quidem, n. 7, de testam.; Passerin. in cap. Religiosus, §. Sane, quaest. unic. n. 49 et 50, eod. tit. in 6; Benedict. XIV de synod. diaeces. lib. 13, cap. ult. n. 1 et 3.

(2) Cap. Nemo potest 79, de regul. iur. in 6.

(3) L. Senatusconsulto 3, Cod. de his, qui sibi adscrib. in testam.

(4) Benedict. XIV in Instit. seu Notif. 105, §. 5, n. 9.

Deputati - *in Civitatis Plebis die 22 Martii 1760.*

133. Hinc, nisi Episcopus Personam iam deputaverit, licet Confratribus convocare Congregationes ac eligere Officiales, absque licentia et assistentia eiusdem seu Vicarii Foranei vel alterius Personae, per Episcopum deputandae *in Asculana die 24 Martii 1725.*

134. Etenim, proposito dubio: - I. An liceat Confratribus Confraternitatis suffragii Terrae Offidae convocare Congregationes, tam generales, quam particulares, ac devenire ad electionem Officialium, aliaque negocia Confraternitatis proponere ac determinare, absque licentia et assistentia Reverendissimi Episcopi seu Vicarii Foranei aut alterius Personae per Reverendissimum Episcopum deputandae -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Ad primum, Affirmative - *in Asculana die 24 Martii 1725.*

135. Hinc potest quidem Episcopus per se vel per suum Deputatum interesse Congregationibus, sed prohibere non posse videtur, quin habeantur Congregationes, vel Officiales eligantur, sine suo suique Deputati interventu, ut definivit Sacra Congregatio (1), et reprobando Pignatellium (2) de veriori testantur Ricciullius (3), Monacelli (4), Bassius (5), et Benedictus XIV (6) *in Civitatis Plebis die 26 Ianuarii 1760* §. *Ad ius.*

136. Propterea spernendae videntur Constitutiones Synodales et Decreta Visitationis, quae non possunt iuri communi derogare *in Civitatis Plebis die 26 Ianuarii 1760* §. *Ad ius* (7).

137. Hinc, proposito dubio: - VI. An extractio Officialium, facta die 6 Ianuarii 1758, absque interventu Plebani Montis Ioveni deputati ab Episcopo substineatur, itaut in hac parte etiam moderari debeat edictum Reverendissimi Ordinarii in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Ad sextum, Affirmative, petita venia ab Episcopo per Confratres - *in Civitatis Plebis die 22 Martii 1760.*

138. Nam eo in casu praesertim extractio ex urna non erat proprie electio, sed illam praecedenter factam supponebat, atque Episcopus deputaverat praefatum Plebanum, qui erat Confratribus suspectus *in Civitatis Plebis die 26 Ianuarii 1760* §. *Hinc inferunt.*

139. Non possunt Confratres vero confirmare veteres Officiales seu de novo eos eligere, qui recenter fuerint in officio, absque licentia Ordinarii *in Forolivien. die 21 Augusti 1784.* §. *Ad solutionem.*

140. Sane, proposito dubio: - V. An libere possint Confratres Mortis Castri Montis Ioveni, iuxta eorum statutum, confirmare veteres Officiales, seu de novo eos eligere, qui recenter fuerint in officio, absque licentia Ordinarii, itaut sit locus moderationi edicti etiam in hac parte in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Ad quintum, Negative; et amplius - *in Civitatis Plebis die 22 Martii 1760.*

141. Quare Episcopus decernere potest, ut, qui in Administratores assumuntur, singulis trienniis amoveantur, nec sine eiusdem consensu confirmentur *in Forolivien. die 21 Augusti 1784* §. *Ad solutionem.*

142. Id eo vel magis firmum haberi deberet, si in Synodo sancitum esset, quod Officiales quocumque nomine ii nuncupentur, ultra triennium munus exercere non praesumant, et absque peculiari Episcopi facultate ne confirmetur *in Forolivien. die 21 Augusti 1784* §. *Ad solutionem.*

143. Ac praesertim, si de confirmando Administratore ageretur, qui nondum rationem reddidisset, nec reliquatum persolvisset *in Forolivien. die 11 Septembris 1784.*

144. His enim concurrentibus, proposito dubio: - XVIII. An elapso triennio, liceat Communitati confirmare Administratorem in Officio absque licentia Ordinarii, et non reddita prius ratione ac reliquatu non persoluto in casu etc.-, Sacra Congregatio respondit: - Ad decimum octavum, Negative; et amplius *in Forolivien. die 11 Septembris 1784.*

145. Renuente imo vel differente Commu-

(1) Nimirum in Asculana die 3 et 24 Martii 1715 ad I dubium, lib. 75 Decretorum pag. 85 et 135.
(2) In Consult. 128, tom. 9.
(3) In Lucubrat. eccles. L. I, cap. 3, n. 1; et cap. 5, n. 5.
(4) In Formul. leg. tom. 1, tit. 6, annot. 11, n. 17 ad 22.
(5) In Quaest. 14, n. 7, de Sodalit.
(6) In Notif. 105, §. 4, ad dub. 30 et 32.
(7) Fagnan. in cap. Quod superbis, n. 26, de maiorit. et obedient.; Barbos. de Offic. Episcop. Alleg. 93, n. 29, part. 3.

nitate Administratorem eligere, potest Episcopus illum eligere et deputare ex officio atque independenter a Communitate *in Forolivien. die 11 Septembris 1784.*

146. Quandoquidem Ordo Servorum Beatae Mariae Virginis inter alios sanctitate et miraculorum fama insignes Viros numerat etiam divum Peregrinum Latiosum, qui civis est Foroliviensis, et cuius exuviae in Ecclesia eiusdem Ordinis, in ea Civitate, publice Fidelium venerationi asservantur. Ad augendum in terris huius sancti gloriam et cultum, communi omnium, tum Religiosorum, tum Civium studio, Beatificationis et Canonizationis causa instructa fuit. Deputata etiam de Episcopi consensu peculiari nonnullorum Foroliviensium Congregatione, cuius cura esset pias Fidelium oblationes excipere, illasque custodire, pro necessariis in eam Causam sumptibus.

147. Anno 1726 a S. M. Benedicto XIII Beatus Peregrinus in Sanctorum Album relatus fuit. Peracto solemni Canonizationis Festo, compertum est, contractum fuisse aes alienum cum Mensa nummularia S. Spiritus de Urbe in summa scutorum 5223. Ad illud dimittendum dissidia inter Communitatem et Religiosos Ordinis Servorum suborta sunt, et ut illa dirimerentur, placuit eidem Pontifici particularem Congregationem deputare. Placuit PP. Servitis secundam resolutionis partem eligere (1), et onus assumpserunt solvendi scutata 1200 et manutenendi Altare et Capellam. Quare Congregatio aliud edidit Decretum (2), et qui administrationi bonorum et redituum, tam Capellae, quam capitalium Causae Canonizationis praeerant, pro eximia erga divum Peregrinum devotione, obligationem emiserunt manutenendi Altare et Capellam, uti prius ab ipsis factum fuerat (3).

148. Cum autem Administratores praedicti, pro dimissione debiti non aliam tunc haberent summam, quam scutorum quingentorum, hinc Communitati Forolivii facultas ab eodem Pontifice impertita fuit vendendi tot Loca Montium Communitatis, sub expressa lege, quod Communitas reintegraretur ex reditibus et Capitalibus, ad patrimonium Causae Canonizationis pertinentibus. Vendita fuerunt Loca Montium, et Administratores promiserunt indemnem servare Communitatem, et in casu extinctionis alicuius census, ad illam Causam spectantis, sese obstrinxerunt, summam ab huiusmodi extinctione retrahendam in dimissionem Locorum Montium erogare.

149. Anno 1774 Congregatio, sub nomine divi Peregrini Forolivii erecta, nec non Communitas eiusdem Civitatis inter cetera petierunt, manuteneri in possessione administrandi quoscumque reditus, bona, et capitalia ad praedictam Capellam spectantia, cum onere tamen reintegrandi Communitatem de summis ab ea erogatis in Causam Canonizationis. Hinc Sacra Congregatio, denegato Communitati iure deputandi Administratorem huiusmodi bonorum ultra triennium, contra Episcopi praescriptum, nec non confirmandi, elapso triennio, eumdem in officio absque licentia Ordinarii, et non reddita prius ratione ac reliquatu non persoluto, proposito dubio: - XX. An, renuente vel diffe

(1) Siquidem Congregatio illa die 15 Iulii 1727 definivit: - Religionem Servorum Beatae Mariae Virginis teneri ad summam deficientem, pro complemento expensarum Canonizationis S. Peregrini, illisque pro effectu huiusmodi competere optionem, vel solvendi totam summam deficientem, quae est scutorum 5223, reportata ad sui favorem cessione omnium et singulorum Capitalium Forolivii existentium, tam pro ipsa Canonizatione, quam pro manutentione Altari et Capellae destinatorum, eorumque fructuum decursorum et decurrendorum, ac iuris cogendi Administratores multiplicis ad redditionem rationis, prout de iure, vel solvendi tantummodo summam scutorum 1200, relictis omnibus praefatis capitalibus eorumque fructibus penes Forolivienses, ut ipsi ex illorum venditione reliquatum dictae summae deficientis teneantur ad Urbem transmittere, pro complenda dictarum expensarum solutione, cum hoc tamen, quod utroque casu semper Religio in posterum teneatur ad manutentionem dicti Altaris et Capellae -. Et haec resolutio auctoritate Pontificis XIII fuit confirmata.

(2) Scilicet die 26 eiusdem mensis declaravit, ut - Attenta huiusmodi electione, omnia et singula Capitalia, tam in causa Canonizationis, quam in altera manutentionis Capellae, cantantia, eorumque fructus remaneant libere penes dominos Administratores Forolivii, quorum ideo incumbentia est transmittendi quam citius ad Urbem reliquam summam scutorum 4023, sicuti in vim praefatae resolutionis, et respective electionis transmittere teneantur -.

(3) Qua de re prefata Congregatio particularis die 27 Septembris eiusdem anni 1727 decrevit: - Manutentionem Capellae et Altaris praedictorum, ut prius, in posterum stare ad onus praefatorum Administratorum, quibus propterea facultas quoque administrandi capitalia et reditus memoratae Capellae eo modo, quo hucusque practicatum fuit et non alias, debebit pertinere -.

rente Communitate dictum Administratorem eligere, valeat Ordinarius illum eligere et deputare ex officio, atque independenter a Communitate in casu etc. -, responsum dedit: - Ad vigesimum, Affirmative; et amplius - *in Forolivien. die 11 Septembris 1784.*

150. Nullum igitur dubium, quod Episcopo etiam absolute competat deputatio Administratoris Legati Pii, si plurimis abhinc annis sit ille in quasi possessione eum deputandi *in Forosempronien. Subsidiorum Dotalium die 8 Augusti 1789.*

151. Hac enim quasi possessione concurrente, proposito dubio: - III. An et cui competat ius deputandi Administratorem ac exquirendi respective redditionem rationis de reditibus Constantiae Zerbinati in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad tertium, Affirmative in omnibus, favore Episcopi - *in Forosempronien. Subsidiorum Dotalium die 8 Augusti 1789.*

152. Abbas commendatarius vero iure prae Episcopo pollet in electione seu deputatione Administratorum rerum Ecclesiae sibi commendatae *in Hieracen. die 16 Martii 1743* §. *Ad haec.*

153. Amplia, etiamsi Antecessor Procuratorem per octo annos elegisset, pro colligendis, erogandisque oblationibus *in Hieracen. die 16 Martii 1743* §. *At vero.*

154. Nam Abbatia, olim regularis praesertim, eadem quemadmodum prius erat, ita et hodie manet ab Episcopi iurisdictione prorsus exempta, licet ad secularem statum redacta *in Hieracen. die 16 Martii 1743* §. *Ad haec* (1).

155. Proposito idcirco dubio: - An et ad quem spectet deputatio Capellanorum et Heremitarum, pro servitio Ecclesiae S. Mariae de Popsis, et respective Procuratoris, pro administratione eleemosynarum, oblationum, de quibus agitur in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Spectare ad Abbatem, sub obligatione tamen reddendi rationem Episcopo, a quo visitari etiam possit Ecclesia, iure saltem delegato, et quoties id sibi in Domino videbitur expedire - *in Hieracen. die 30 Martii 1743.*

156. Itaque electio Oeconomi seu Administratoris, pro gubernio, et, bonorum, eleemosynarum, oblationumque Sodalitii, in Capella Sanctissimi Sacramenti Ecclesiae Cathedralis erectae, administratione, spectat ad Sodales cum Episcopi adprobatione *in Sarnen. Confraternitatis die 11 Iunii 1712 ad VI dubium.*

157. Similiter electio Oeconomi seu Administratoris, pro gubernio et administratione bonorum, eleemosynarum, et Oblationum dictae Capellae Sanctissimi Sacramenti, ad Confratres cum Episcopi adprobatione spectat *in Sarnen. Confraternitatis die 11 Iunii 1712.*

Item *die 21 Ianuarii 1713 ad V dubium.*

158. Quin imo nedum electus a Confraternitate debet approbari seu confirmari ab Episcopo, sed ab eodem deputatus potest nomine eius assistere electioni Procuratoris seu Administratoris Confraternitatis *in Mileten. Iurisdictionis die 15 Iulii 1747.*

159. Non obstante enim, quod Capellani et Confratres Ecclesiae S. Mariae de Valle, in Oppido Galatri Diaecesis Militensis sitae, contenderent, praefatam Ecclesiam esse extructam in solo Lateranensi, ideoque se ab omni sive Episcopi sive Parochi iurisdictione immunem esse, proindeque non posse Episcopum electioni Procuratoris Sodalitii interesse, propositis dubiis: I. An deputatus ab Episcopo possit nomine ipsius assistere annuae electioni Procuratoris seu Administratoris Confraternitatis in Ecclesia S. Mariae de Valle erectae?

II. An dictus Procurator seu Administrator a Confraternitate electus debeat ab Episcopo approbari?-, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative in omnibus, et amplius - *in Mileten. Iurisdictionis die 15 Iulii 1747.*

160. Secus vero dicendum, cum revera de exemptione seu immunitate constaret. Enim vero inter Sanctimonialium Monasteria, quae Ferrariae existebant, Regularium Ordinum, quatuor erant Dominicanae Familiae. Duo Patri Provinciali utriusque Lombardiae; alterum nempe S. Catharinae martyris, alterum S. Catharinae Senensis: alia duo, alterum S. Rochi, alterum S. Monicae, P. Vicario Generali Congregationis S. Sabinae, subiecta extabant. In ultima Visitatione facta a P. Provinciale Lombardiae auditae sunt Monialium querelae, omnia nutu arbitrioque Syndici regi atque administrari, locationes, concessiones, renovationesque emphyteuticas, sine propositione edictorum,

(1) Pignatell. Consult. 152, n. 3, tom. 4; Piton. discept. eccles. 160, n. 39, tom. 4; et alii per eum congesti.

sine Beneplacito Apostolico, sine assensu, immo cum dissensu Monialium, sine interventu Praefecti Regularis fieri.

161. His auditis querelis, optimum esse censuit P. Provincialis rationes exigere a Ministris, sed, illis renuentibus, adiit Eminentissimum Archiepiscopum, ut eos cogeret; eum vero difficilem invenit, quod putaret, Regularium auctoritatem versari dumtaxat in directione spirituali Monialium, cetera ad Episcopos pertinere. Hinc orta est de iurisdictione controversia, quae ad Sacram Congregationem delata est, ut dirimeretur.

162. Propositis itaque dubiis: - I. An Superioribus Regularibus competat ordinaria iurisdictio in spiritualibus et temporalibus, super Monasteriis SS. Catharinae Martyris et Senensis, nec non SS. Monicae et Rochi, et signanter in procuranda recta administratione bonorum et redituum dictorum Monasteriorum sibi subiectorum, seu potius servanda sit in casibus particularibus praetensa consuetudo in casu etc.

II. An Vicarii Monasteriorum praefatorum instituti per Provincialem Lombardiae, et respective per Vicarium Generalem Congregationis S. Sabinae, vel, illis impeditis seu absentibus, Confessarii eorumdem Monasteriorum possint intervenire quibuscumque contractibus, incundis nomine eorumdem Monasteriorum.

VI. An electio cuiuscumque novi Ministri et Syndici, casu obitus, dimissionis Officii vel amotionis, spectet ad Priorissam et Moniales, vel potius ad Archiepiscopum.

VII. An dimissio Officiorum facienda sit in manibus Priorissae, vel potius in manibus Eminentissimi Archiepiscopi. *Et quatenus affirmative ad secundam partem VI et VII dubii.*

IX. An novus Minister vel Syndicus possit vigore literarum Patentium Archiepiscopi contractus inire, aliosque administrationis actus gerere, sine mandato Procurae Priorissae et Monialium? *Et quatenus negative.*

X. An Priorissa et Moniales possint novo Syndico tribuere in mandato Procurae facultates sibi benevisas, ac etiam alios Procuratores constituere ad certa negocia?

XI. An quaecumque instrumenta stipulari debeant coram Priorissa et Monialibus, capitulariter congregatis, cum interventu Superioris Regularis?

XII. An in quibuslibet instrumentis et scripturis, quibus interveniant Superior Regularis et Syndicus debeat praenominari et prius subscribere ipse Superior Regularis, seu potius Syndicus? -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative quoad primam partem, Negative ad secundam. Ad secundum, Affirmative. Ad sextum, Electionem spectare ad Priorissam et Moniales, cum interventu Superioris Regularis; ad Archiepiscopum vero spectare expeditionem Literarum patentium, iuxta solitum. Ad septimum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam. Ad nonum, Negative. Ad decimum, Affirmative, cum interventu Superioris Regularis. Ad undecimum, Affirmative. Ad decimum secundum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam - *in Ferrarien. Iurisdictionis die 28 Septembris 1754.*

163. In casu vero, quo agatur de eligendo Monasterii Deputato, qui primario ad custodiendam Monialium clausuram constituitur, licet secundario curam gerat honorariam et consultoriam in rebus temporalibus, eius electio pertinet ad Episcopum, quando praesertim concurrat immemorabilis consuetudo seu observantia, etiamsi res sit de eisdem Monialibus, Regulam S. Dominici profitentibus *in Viterbien. Iurisdictionis et Electionis die 7 Iunii 1760.*

164. Iamvero Moniales Monasterii S. Catharinae Civitatis Viterbii, quae Regulam Sancti Dominici profitentur, sub cura Regularium eiusdem Ordinis, de electione Deputati certarunt cum Eminentissimo dictae Civitatis Antistite, a se illam explendam esse autumantes, vigore privilegiorum Ordinis. Praefatus Antistes vero contendit, Deputatum non esse Officialem Monasterii, sed potius Ordinarii Subdelegatum ad custodiendam Monialium clausuram, licet secundario gerat honorariam et consultoriam curam in rebus temporalibus Monasterii; et ideo illius electionem spectare ad Episcopum, cui tantopere commendatur a Sacro Concilio Tridentino (1) vigilantia, super clausura Monialium etiam exemptarum, et cui datum est onus incumbere rectae administrationi Monasteriorum Monialium etiam Regularibus subic-

(1) In cap. 5, sess. 25, de Regul. et Monial.

ctarum (1); cum utramque facultatem possit Episcopus alteri subdelegare (2) *in Viterbien. Iurisdictionis et Electionis die 10 Maii 1760* §. *Moniales.*

165. Eamdemque suam potestatem defendit Eminentissimus Episcopus, etiam vigore immemorabilis consuetudinis, tum particularis praefati Monasterii S. Catharinae, tum universalis omnium Monasteriorum Viterbii, quae decem erant, praeter unum Conservatorium, et quorum quatuor suberant Regularibus, et inter haec duo extabant sub cura PP. Ordinis Praedicatorum *in Viterbien. Iurisdictionis et Electionis die 10 Maii 1760* §. *Eamdemque.*

166. Idcirco, proposito dubio: - An electio deputati Monialium, de quibus agitur, spectet ad Episcopum, seu potius ad Priorissam et Moniales in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam; et ad mentem - *in Viterbien. Iurisdictionis et Electionis die 7 Iunii 1760.*

§. IV.

ADMINISTRATOR QUOAD IURA ET POTESTATEM.

1. Iure quippe communi, Administratores Locorum Piorum aequiparantur Tutoribus et Curatoribus, et sunt loco Dominorum *in Placentina Cooperturae die 19 Aprilis 1845* §. *Iure* (3).

Item *in Romana Census et Redditionis Rationum die 24 Aprilis 1852* §. *Conditiones.*

2. Hinc bonorum Administrator quidlibet agere posse videtur, quod in rei curatae bonum cedat *in Callien. et Pergulana Paraeciarum die 26 Ianuarii 1837* §. *Quibus.*

3. Praesertim, si Episcopus ipse constitutus sit amplissimis facultatibus Administrator ab eodem Romano Pontifice, ad rem aliquam conficiendam; tum enim, etsi non adamussim eius gesta Pontificio mandato cohaereant, generaliter adprobantur in iis, quae ad bonum administrationis reique conficiendae conducunt *in Callien. et Pergulana Paraeciarum die 7 Septembris 1839.*

4. Siquidem a Pergulana Civitate duobus vel tribus millia passibus distant duo Oppida, quorum alter *Pantana,* alterum *Bellise* nuncupantur. Neutri cum esset Paraecialis Ecclesia, animarum quippe cura per Praepositum maioris Ecclesiae eiusdem Civitatis inibi exercebatur, nedum utile, sed et necessarium visum fuit, utrumque proprio donari Pastore, ad hoc, ut Incolae spiritualia auxilia facilius consequerentur, quibus, ob locorum distantiam difficilesque vias, hyberno praesertim tempore, saepius eos destitui inveniebat. Quapropter, quando fel. rec. Leonis XII pastoralis sollicitudo ad miserabilium Pontificiae Ditionis Paraeciarum paupertatem sublevandam nonnulla ecclesiastica bona destinaverat, factum est, ut Callii ac Pergulae Antistes, dum Calliensis Diaeceseos Paraeciarum Pontificis liberalitate indigentium notam exhibebat, et duarum Parochialium Ecclesiarum in praefatis Oppidis Pantana et Bellise erectionem et bona earumdemmet congrua dote Pontificem expostularet.

5. His votis benigne annuit munificentissimus Princeps, ceu patet ex Literis XXIII Kal. Decembris 1826 Episcopo datis a R. C. A. Thesaurario Generali, cui ecclesiasticorum bonorum partitio erat demandata. Hinc, pro supplemento Paraeciarum Diaecesis Calliensis assignata fuerunt scuta circiter 123. 09; pro duabus vero Paraeciis *Pantanae* et *Bellisii* erigendis Diaecesis Pergulanae concessa fuerunt scutata quinquaginta ex bonis ecclesiasticis, et alia scutata quinquaginta, ex Mensa Praepositi desumenda. Atque Episcopo facultas data est administrandi praefata bona, ut etiam meliorem conditionem contractuum locationum ceterorumque huiusmodi redderet. Quod inde Pius VIII ratum habuit, ac plene Gregorius XVI confirmavit.

(1) Ut in Constit. Gregorii XV, quae incipit: *Inscrutabili,* Bullar. Cherub. tom. 3, l. 18, §. 5, vers. Sed et administrantes bona.

(2) Ursaya Discept. Eccles. tom. 6, part. 1, discept. 27, n. 21 et seq. et 76.

(3) L. Qui fundum §. Si Tutor; Clemen. Quia contigit, §. Si autem, in verb. Ad instar Tutor. de relig. domib.; Rot. in decis. 433, part. 9, tom. 2 Recent.; Monacell. Formul. legal. lib. 1, form. 14, n. 9; S. Congregatio in Recineten. Refectionis Damnorum et Transactionis 29 Iulii 1837.

6. Processit post haec, aliquot elapsis annis, Episcopus ad erectionem dictarum Paraeciarum, excerpens ex bonis a Leone XII donatis fundos quosdam sistentes in quinque domibus, quae iuxta notulam Thesaurarii reditum suppeditabant scutorum 24, 07; iuxta locationes vero eo tempore initas reditum reperibilem suppeditabant scutorum 60. Porro hunc reditum scutorum sexaginta cumulative pro utraque Paraecia assignavit, itaut triginta pro Paraecia *Pantana* essent eroganda. Addidit autem ex Praepositura decimas - *a mosto* - aliasque, quas Praepositus ipse percipiebat *Pantanae,* pro animarum cura, et quas iam a die 23 Augusti 1829 idem Praepositus precario in Sodalitium transtulerat, cum obligatione, ut Capellanus Confraternitatis Infirmos illius Loci visitaret. Tandem, convocatis Oppidi ipsius Incolis, omnes unanimiter convenerunt, se tantum daturos, ut reditus pro Rectore ad scutata octoginta conscenderet. Mox vero Apostolicis facultatibus auctus Episcopus V Idus Septembris anno 1832, de Paraecia, in Oppido *Pantana* erigenda, edidit decretum. Ecclesiam inibi B. M. V. dicatam, quam una cum adnexa Canonica sacrisque supellectilibus concesserant Confratres Sodalitii Gonfalonis, Parochiale templum renuntiavit, in octoginta argenteis nummis dotem praefinivit. Quoad Paraeciam vero *Bellisii,* quoniam Paraecialis Domus nondum parari poterat, et Ecclesia ipsa pluribus indigeret reparationibus, supersedendum duxit Antistes a Paraeciae erectione, et interim Sacerdotem idoneum deputavit, qui congruo recepto stipendio Animarum curae studeret.

7. Haec cum ita se haberent, ineunte anno 1834 Prior et Confratres Sodalitii Gonfalonis ad Pontificem recursum habuerunt, ac de S. M. Leonis XII voluntate non rite exequuta primum conquesti, Pontificem rogabant, ut ipsis concederet ius nominandi Parochum, atque Episcopus eisdem traderet bona pro Paraecia assignata una cum fructibus decursis, ad Ecclesiam restaurandam. At Sacra Congregatio respondit: - Lectum ad instantiam et bene interim provisum per Episcopum, qui curet Parochi, cum primum poterit, deputationem, ac notificetur eidem Episcopo - *in Callien. et Pergulana Paraeciarum die 26 Ianuarii 1839 §. Quae.*

8. Verumtamen non acquievere praefati Sodalitii Confratres, sed cum veniam impetrassent, ut sibi copia fieret eorum, quae S. Congregationi Episcopus retulerat, novas volvente anno 1836 preces instaurarunt. Hinc tria efflagitarunt: Primum, ut tot bona ex iis a Pontifice donatis adiudicarentur Pantanensi Paraeciae, quod iuxta notulam a Thesaurario Generali traditam reditui respondeant Argenteorum quinquaginta. Certum namque illis erat, Parochiae Bellisii attribuenda fuisse absolute bona, ex Praepositura percipienda, Parochiae autem Pantanae bona, ex largitione Leonis XII derivata. Secundum, ut Pantanensi Parochiali Ecclesiae domorum divenditarum integrum pretium quoque adiudicaretur. Postremo in loco postularunt Sodales, ut Pantanensi Ecclesiae attribuerentur, tum fructus in summa argenteorum quinquaginta septem circiter, derivantes ex pretio habito ex venditione bonorum, quorum reditus in Thesaurarii notula in scutis 24. 07 aestimabatur; tum fructus, quos ferebant bona nondum alienata, quae ipsis, ut aiebant, attribui debuissent (in scutis 25. 93), ad eiusdem notulae computationem.

9. Propositis vero dubiis: - I. An quae bona et quomodo sint tribuenda Paraeciae Pantanae in casu.

II. An cui et quomodo sit tribuendum incrementum pretii fundorum alienatorum in casu.

III. An qui fructus et a quo tempore debeantur Paraeciae Pantanae in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum secundum tertium, Dilata; et scribatur Episcopo, qui accuratius referat de quantitate et qualitate decimarum, nec non de fundis Paraeciae Pantanae assignatis, et reditu taxarum, quas sibi Parochiani imposuerunt, ac causis retardatae consignationis dotis - *in Callien. et Pergulana Paraeciarum die 26 Ianuarii 1839.*

10. Hisce subinde per Episcopum relatis (1), Sacra Congregatio repropositis dubiis respondit: - Ad primum et secundum - Affirmative; et esse attribuendam annuam summam scutorum 40

(1) Siquidem Episcopus haec habuit: - Ita moderandam esse congruam novo Pantanensium Parocho existimarem. 1. Excerpantur ex Confraternitate Gonfalonis annuatim scuta 10. 31; 2. ex tributo sponte a Pantanensibus pollicito in Comitiis anni 1826 scuta 21. 69; 3. ex decimalibus certis praedialibus scuta 28; 4. ex Patrimonio a Sanctissimo Principe designatum scuta 40, In totum scuta 100-.

*

ex bonis donatis a S. M. Leonis XII, scuta 25 ex pensione desumenda a Praepositura, ex Confraternitate Gonfalonis scuta 10. 31, praeter oblationem decretam a Pantanensibus, et decimas de iure percipiendas. Ad tertium, satis provisum per Episcopum, erogatione iam facta- *in Callien. et Pergulana Paraeciarum die 7 Septembris 1839.*

11. Haec itaque, quin omnia corrigeret, statuit Sacra Congregatio, cum interim Episcopus ipse fateretur, quod ad S. M. Leonis XII mentis tramitem adamussim non stetisset, eo quod de Praepositurali praebenda bona prae eius tenuitate non dismembraverit; quia ei visum fuit, Parochi sustentationi posse providere, tum ex taxis a Populo assignatis, tum ex parte bonorum, quae ad hunc finem a Pontifice fuere attributa *in Callien. et Pergulana Paraeciarum die 26 Ianuarii 1839* §. *Ad sacram.*

12. Quum porro sit administratio rerum gubernatio, omnia fert, quae pro temporis, rerum, negotiorum necessitate, circumstantiis, opportunitate magis congruere censeat, qui gubernat; nimirum, qui administrat patrimonium, suae fidei concreditum *in Callien. et Pergulana Paraeciarum die 26 Ianuarii 1839* §. *Quibus.*

13. Ideoque Administrator omnia explere valet, quae concreditae sibi rerum gubernationi magis congruere ac expedire existimat *in Callien. et Pergulana Paraeciarum die 26 Ianuarii 1839* §. *Quibus* (1).

14. Hoc autem magis magisque valet, quoad Administratores Locorum Piorum, qui liberam habent administrationem, et possunt expedire etiam ea, quae mandatum speciale alias exigerent *in Callien. et Pergulana Paraeciarum 26 Ianuarii 1839* §. *Quibus.*

15. Ex eorum enim electione et deputatione censetur illis data omnis opportuna facultas, ne Contrahentes cum illis decipiantur *in Callien. et Pergulana Paraeciarum die 26 Ianuarii 1839* §. *Quibus* (2).

16. Siquidem, qui praesunt Operi Pio, a Testatore instituto, vices ipsas Heredis repraesentant *in Pisauren. Commutationis Voluntatis die 24 Aprilis 1852* §. *De cetero* (3).

17. Idcirco in casu etiam, quo Testatoris voluntas commutari expostulatur, eorum sententia maioris, quam Exequutorum reluctantia, ponderis facienda est *in Pisauren. Commutationis Voluntatis die 24 Aprilis 1852* §. *De cetero.*

18. Praesertim, si, ob illorum peritiam in agendis componendisque negociis, etiam Episcopi iudicium accedat *in Pisauren. Commutationis Voluntatis die 24 Aprilis 1852* §. *Sententiam et* §. *De cetero.*

19. Enimvero supremae voluntatis tabulae, quibus vitam die 9 Septembris 1850 desiit Aloisius Passeri, Cathedralis Ecclesiae Pisaurensis Canonicus, ubi primum sunt reseratae, quinque Testatoris Nepotes, ex Sororibus Barbara et Apollonia prognati, tamquam de laeso sanguinis iure, querelas movere. Scripsit nimirum Avunculus ex asse heredem Ven. Confraternitatem Sanctissimi Sacramenti inter concives erectam, cuius dum vixit, devotioni addictus quammaxime fuit. Legem vero adiecit, ut depurgati hereditatis fructus annui, iuxta ipsius Sodalitii indolem, erogarentur (4). Illos vero, quos ex praefatis Sororibus Apollonia et Barbara superstites habebat quinque Nepotes, Iacobum videlicet, Liviam et Amaliam Molinari, ac Franciscum et Ioachimum Rosa, constituit legatarios, unumquemque in summa scutorum bis centum. Testamenti tandem Exequutoribus, nominatim designatis, plenas agendi-*ut alter ego*-facultates tribuit.

20. Hinc itaque nimium gravati Nepotes statim supplices ad Sacrum Ordinem preces dederunt; quippe Avunculus, dum Causam Piam bonis Ecclesiasticis satis provisam ex asse, circiter 12,000 scutorum constanti, heredem vocaret, de sacro sanguinis vinculo praeter quam de canonica aequitate oblitus quodammodo fuerit. Quod si id nunquam Ecclesiae gratum extiterit, eo vel minus in praesenti casu, co-

(1) Rot. in Romana Administrationis 16 Iunii 1806 §. 3, coram Rusconi.

(2) Monacell. in formul. legal. tit. 12, lib. 1, n. 1; Rot. in decis. 432, n. 26 et seqq. part. 9 Recent.

(3) L. Quidem, ff. de leg.; Mantic. de coniect. lib. 12, tit. 6, n. 24, 25; Menoch. de praesumpt. praesump. 187, n. 18; Rot. in decis. 456, n. 34 coram Molin.

(4) Scilicet – parte in sostegno del culto esteriore del nostro Iddio, parte a suffragio dei Defonti, relativamente dei Confratelli già trapassati, parte in caritatevoli sussidii ai veri Poveri, e prelativamente ai Fratelli indigenti della Compagnia stessa, secondo il prudente parere degli adunati in generale Congregazione –.

clamarunt, quo ipsi Oratores partim omnino paupertate laborabant, partim sibi suaeque proli ex industria ac labore victum sane parcum atque casualem quaerebant. Summopere autem de misera neptis Amaliae conditione conquesti sunt, quam morbo quodam chronico infectam, nec opibus, nec labore manuum iuvari, addita Medici fide, dixerunt. Quare Apostolicam implorarunt Clementiam, ut commutata Testatoris voluntate, bona, quae etiam ex avito asse potissimum provenire asseruerunt, aequius inter ipsos dividerentur.

21. Rogatus de more Episcopus, quod scisitandum de viribus hereditatis, de mente Sodalium, et Exequutorum, nec non de iure vel paupertate Oratorum in mandatis erat, minime praetermisit. Et quidem iuxta inventarium substantiam hereditariam, deductis legatis, ad summam scutorum 4014. 88. 9 ascendere, eamque incrementi capacem iudicavit Episcopus, id innuente etiam Sodalitio.

22. Quin imo Sodales in comitia vocati formaliter quidem hereditatem acceptarunt; et, quoad petitionem, secluso Oratorum iure, aequitatis nihilominus esse putarunt, ut iisdem inopia pressis maior quaedam, praeter legatum scutorum bis centum, ratio haberetur: inde, faventibus quadraginta quatuor suffragiis contra sex, annuendum et subveniendum Nepotibus defuncti Canonici Passeri in genere quidem statuerunt, definitionem vero specialem relictam voluere sapientiae et supremae auctoritati S. Congregationis.

23. Sententiam hisce absonam licet testamenti Exequutores dixerint, Episcopus tamen certior factus rerum omnium, perpensisque rationibus, quae pro huius negotii aequitate exhibebantur a Sodalitio herede, in quo erant et cuius consilia dirigebant Viri probitate ac religione praeclari, simulque negotiorum omnium et maxime transactionum peritissimi, a sententia recedere non potuit, quam tulerunt Fratres eiusdem Sodalitii, remittendo cum ipsis benignitati Summi Pontificis praefiniendi subsidium postulantibus concedendum.

24. Quamobrem, non obstante Exequutorum reluctantia, proposito dubio: - An et quomodo annuendum sit precibus in casu -, Sacra Congregatio respondit: - Firmo in reliquis testamento, et retenta favore Amaliae annua praestatione scutorum octo (1) praeter legatum scutorum biscentum, superextantes reditus, eleemosynis destinati, dividantur aequis partibus inter Oratores, ad quinquennium, facto verbo cum Sanctissimo - *in Pisauren. Commutationis Voluntatis die 29 Maii 1852.*

25. Imo Sacra Congregatio absolutionem ab neglecta Missarum celebratione indulsit, etsi Administrator scienter fructus hereditatis, quam administrabat, in alimoniam Familiae Testatoris, gravibus pressae circumstantiis, erogavisset *in Ferrarien. Reductionis Missarum et Absolutionis die 20 Decembris 1788.*

26. Siquidem in exequutionem piae voluntatis Petri Antonii Ghedini, per privatam scripturam instituit anno 1752 Ignatius Maria eius Filius annuam celebrationem Missarum bis centum cum eleemosyna obulorum quindecim pro qualibet, solvenda ex fructibus Locorum Montium V. Erectionis Ferrariae, quae amplius non existebant. Hebdomadalem alteram in codicillis cum eadem eleemosyna legavit Missam anno 1781, suamque hereditatem alieno etiam aere gravatam reliquit. Universa eius substantia in annuis consistebat censibus scutorum centum sexaginta quatuor, modiis quatuor frumenti, incertisque cuiusdam praedii fructibus. Familia vero in personis decem.

27. In hisce difficillimis circumstantiis, unam Nicolaus Coghi, hereditatis Administrator, hebdomadalis Missae celebrationem, ut Familiam aleret, curavit: nec parum etiam in id de proprio impendit. Annuas vero Missas biscentum, ut diu Ignatius Maria Ghedinus fecerat, neglexit, earumque numerus ad totam diem 9 Februarii labentis anni 1788 erat 4065, ac summam constituebat scutorum 609. 75. Eminentissimos igitur Patres exoravit, pro absolutione a Missis non celebratis ac pro reductione utriusque legati ad annuas Missas triginta, cum synodali eleemosyna duodecim obulorum. Exposita confirmavit Eminentissimus Archiepiscopus, ac impares prorsus affirmavit hereditatis vires, tam pro praeterito, quam pro futuro adimplemento legati Missarum biscentum. Graves erant Familiae Ghedini circumstantiae: decem enim

(1) Siquidem Testator Amaliae scuta biscentum reliquit, addita hac conditione: - La Nepote nubile Amalia, se vuole ricevere tal legato, dovrà rinunziare all' annuo assegnamento di otto scudi, che le ho sempre pagato in forza di sentenza emanata da questa Curia, altrimenti s'intenderà come non fatto il legato a suo favore -.

in ea alendae erant Personae: paullo annui reditus scuta excedebant centum sexaginta quatuor.

28. Verum scienter Ignatius Maria Ghedini eiusque hereditatis Administrator Missarum celebrationem omiserunt. Proprium alter ignorare non poterat erecti Legati factum. Sua sponte fassus est alter, ob gravia onera tenuesque reditus, celebrationem neglexisse.

29. S. Congregatio vero, attenta huiusmodi praedictae Familiae conditione, quoad futuram suspensionem onerum ad quinquennium indulsit, et absolutionem a praeteritis omissionibus concessit, quin ipsum Administratorem ad supplendum damnaret.

30. Propositis enim dubiis: - I. An et quomodo sit locus reductioni Missarum in casu etc.

II. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo, pro absolutione quoad praeteritum in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative, pro suspensione ad quinquennium, firmo remanente onere Missae hebdomadalis, pro utroque Legato. Ad secundum, Affirmative, et ad D. Secretarium cum Sanctissimo - *in Ferrarien. Reductionis Missarum et Absolutionis die 20 Decembris 1788.*

31. Hinc Oeconomi et Gubernatores Ecclesiarum S. Catharinae et S. Mariae Novae a Civitate Aliphana electi et ab Episcopo adprobati, in legitimis sumptibus etiam extraordinariis, pro bonificatione, statu praestantiori, ac reparatione bonorum illarum peragendis, quando ducatos duos non excedunt, licentia Ordinarii non indigent *in Aliphana Administrationis Piorum Locorum die 18 Iulii 1705 ad III dubium.*

32. Enimvero potest quidem Episcopus edicere, ut a Confraternitatibus praeter retentionem libri Resolutionum, quae in Congregationibus capiuntur, conficiatur alius Codex administrationis oeconomicae, cum adnotatione facultatum ab Ordinario, pro faciendis sumptibus et investimentis, datarum; proposito enim dubio: - VII. An substineatur Edictum in ea parte, in qua iubetur Confraternitatibus, ut praeter retentionem libri Resolutionum, quae in Congregationibus capiuntur, conficiatur alius Codex administrationis oeconomicae, cum adnotatione facultatum ab Ordinario, pro faciendis sumptibus et investimentis, datarum -, Sacra Congregatio respondit: - Ad septimum, Affirmative in omnibus - *in Assisien. die 21 Ianuarii 1786.*

33. At idem Episcopus prohibere non potest, ne Administratores Sodalium ullam faciant impensam ordinariam, nisi pluralitas suffragiorum in comitiis accedat, nec praecipere, ut quoties impensa summam scutorum trium excedat, toties veniam ipsius compellantur exposcere *in Assisien. die 10 Septembris 1785* §. *Ad III et IV.*

34. Difficilis sane Sodalibus seu Administratoribus lex huiusmodi esset et ferme impossibilis, ut ad praxim redigi posset *in Assisien. die 10 Septembris 1785* §. *Ad III et IV.*

35. Neminem enim latet, in facultatibus esse Administratorum ordinarios facere sumptus minusculos, atque etiam extraordinarios, qui urgent *in Assisien. die 10 Septembris 1785* §. *Ad III et IV.*

36. Si quippe de obolis comitia evocanda forent, iam nulla Sodalibus requies, quotidieque exerceri adeo deberent, ut rebus incumbere nemo posset suis *in Assisien. die 10 Septembris 1785* §. *Ad III et IV.*

37. Omnibus idcirco Administratoribus arbitrium in iis donatur, quo si abuti contingat, in redditione rationum correctionem debent expectare, sive etiam emendationis pensum subire *in Assisien. die 10 Septembris 1785* §. *Ad III et IV.*

38. Atque difficilis quoque lex est, de tot petendis veniis, quot summam scutorum trium sumptus excedunt. Libera enim Sodalibus esse debet administratio, quoad expensas ordinarias *in Assisien. die 10 Septembris 1785* §. *Difficilem* (1).

39. Qua de re, propositis dubiis: - III. An substineatur Episcopi Edictum in ea parte, in qua vetitum fuit Administratoribus Confraternitatum facere expensas cuiuscumque generis usque ad scutata tria, sine collegiali consensu in pluralitate suffragiorum praestito.

IV. An substineatur Edictum in ea parte, in qua sancitum fuit, quod si expensae cuiuscumque generis excedant scuta tria, praeter approbationem maioris partis Confratrum, impetrari debeat Episcopi licentia -, Sacra Congregatio respondit: - Ad tertium et quartum, Affirmative, quoad extraordinarias tantum - *in Assisien. die 21 Ianuarii 1786.*

(1) Monacell. Formul. Legal. tom. 1, tit. 6, form. 11, n. 6; Bass. de Sodalit. quaest. 7, n. 7; et quaest. 15, n. 13; Pignatell. consult. 71, n. 4, tom. 6; Ferrar. Biblioth. Can. Verb. Confraternitas, art. 3, n. 23.

40. Id rursum sanxit S. Congregatio, quoad Oeconomos Capitulorum. Propositis enim dubiis: - VI. An sustineatur Episcopi praeceptum praesenti Oeconomo factum, ne absque illius assensu quidquam solvat in causam sumptuum extraordinariorum, exceptis solitis et consuetis sumptibus in Ecclesiae servitium in casu etc. *Et quatenus Affirmative.*

VII. An hoc idem praeceptum ab omnibus futuris Oeconomis servandum sit in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad sextum et septimum, Affirmative - *in Asculana die 12 Iulii 1788.*

41. Repropositis subinde dubiis, sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in sexto et septimo dubio -, Sacra Congregatio respondit: - In decisis, et amplius - *in Asculana die 7 Februarii 1789.*

42. Hinc Administratoribus Ecclesiarum et Locorum Piorum huiusmodi facta est quandoque potestas, ut etiam immobilia alienare potuerint, absque incursu censurarum *in Tudertina Iurisdictionis die 22 Septembris 1742.*

43. Siquidem S. M. Clemens VII amplissimam hanc facultatem concessit Confraternitati Laicorum, erectae in Ecclesia B. M. Virginis sub titulo de Consolatione, quae nedum Ecclesiam, sed et Hospitale ei adiunctum libere ac independenter, per Laicos ab eadem deputandos, administrare poterat. Quum autem Episcopus Tudertinus huiusmodi potestatem in dubium revocare censuerit, propositis dubiis: - III. An Rectores et Administratores Ecclesiae Consolationis subiaceant Extravag. *Ambitiosae*, de reb. Eccles. non alienandis, quoad alienationes bonorum, tam non subiectorum, quam subiectorum oneribus Missarum ex Testatorum voluntate, non obstante asserto Privilegio. *Et quatenus Affirmative.*

IV. An alienationes hucusque factae sine beneplacito Apostolico sustineantur in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad tertium, Affirmative, quoad bona subiecta oneribus Missarum tantum. Ad quartum, Provisum in tertio - *in Tudertina Iurisdictionis die 22 Septembris 1742.*

44. Imo in casu etiam, quo huiusmodi facultas concessa non fuerit, sed potius in ipso erectionis actu Ordinarius quamcumque alienationem bonorum sub excommunicatione ipso facto incurrenda prohibuerit, Administratores nec in censuras incurrunt nec a iurepatronatus et administratione cadunt, cum bona fide pecuniam depositam distrahant, pro suppositi debiti solutione, etsi reintegrationem subinde demandaverit S. Congregatio *in Camerinen. die 11 Iulii 1767.*

45. Enimvero, in Ecclesia Collegiata Sanctae Mariae Oppidi S. Genesii Camerinensis Diaecesis anno 1484, Ordinarii auctoritate et Canonicorum consensu, extructa fuit a Communitate eiusdem Oppidi Capella cum Altari, B. Mariae Virginis Gratiarum dicato, et in ea erectum contemporanee fuit Sodalitium, certis legibus et conditionibus, et praesertim, quod Communitati, quae sibi patronatum reservavit, ius esset eligendi quinque Conservatores eiusdem Altaris, quorum unus esset Parochus; itemque nominandi illius Capellanum et Rectorem ex Canonicis eiusdem Ecclesiae; quod oblationes et introitus a Conservatoribus distribuerentur in praescriptis operibus piis, fierentque insuper duo libri introitus et exitus, quorum alter a Priore, alter asservaretur a Conservatoribus, qui tenerentur reddere rationem coram tribus vel quatuor Civibus, a praedicta Communitate eligendis; ac demum, ut excommunicationis sententiam ipso facto incurrerent, quicumque ex bonis dictae Confraternitatis aliquid abstulissent, celassent, impendivissent *in Camerinen. die 16 Maii 1767* §. *In.*

46. Anno 1486 S. M. Innocentius VIII, Literis Apostolicis, Capellae et in ea constructi Altaris patronatum erga Communitatem confirmavit, eique commisit - curam, regimen et gubernationem, ita quod Divinis iuxta providam ordinationem vestram ibidem deserviatur, per deputandos ad id idoneos Sacerdotes, ad beneplacitum vestrum amovibiles, nec non de oblationibus et eleemosynis, et charitatis suffragiis eiusdem Capellae in praemissas pias causas dumtaxat perpetuis futuris temporibus disponere libere et licite valeatis, praefati et pro tempore existentis Episcopi Camerinensis, et cuiusque alterius licentia super haec minime requisita - *in Camerinen. die 16 Maii 1767* §. *Anno.*

47. Dira peste inde Populum divexante, solemnis fieri consuevit supplicatio in qualibet Dominica prima mensis Iulii, cum interventu universi Cleri tam secularis quam regularis, ususque invaluit praestandi ex reditibus dictae

Capellae seu Altaris certam eleemosynam Capitulo, ad illam intervenienti. Verum cum nulli extarent anno 1726 Capellae reditus, in eamdem eleemosynam erogandi, hinc Communitas publicis comitiis constituit, eam ex ipsius reditibus extraordinariis praestare, prout revera ad annum usque 1762 semper praestitit in summa scutorum 2. 95 *in Camerinen. die 16 Maii 1767* §. *Dira.*

48. Auctis vero Capellae reditibus, aliis publicis comitiis statutum est, ut in posterum dicta eleemosyna ex reditibus Capellae traderetur. Cumque in eiusdem Capellae creditum deposita extaret summa scutorum 120. 80, in successivis comitiis diei 20 Augusti 1762 resolutum est, ut investirentur scuta 60 in censu, favore Capellae; reliqua scuta 60. 80 consignarentur Camerario Communitatis, ut ratam scutorum quindecim circiter erogaret in sacrarum supellectilium emptionem, residuam credito Communitatis accenseret *in Camerinen. die 16 Maii 1767* §. *Hoc.*

49. Ob hanc appropriationem rumor invaluit in toto Oppido, Iudicem, qui comitiis praefuit, Consiliarios, qui suffragiis in eam consenserunt, ac Secretarium, qui acta Concilii et mandatum consignationis pecuniarum exaravit, censuras incurrisse. Preces hinc omnes dederunt, pro absolutione, quae primum cum reincidentia concessa fuit; sed inde Capitulum eiusdem Ecclesiae Collegiatae institit, pro declaratione incursarum censurarum et amissi iurispatronatus et administrationis, nec non pro coactione Communitatis ad Capellae reintegrationem *in Camerinen. die 16 Maii 1767* §. *Ob.*

50. Propositis vero dubiis: – I. An constet de incursu in censuras in casu. *Et quatenus affirmative.*

II. An sit locus absolutioni in casu.

III. An Consiliarii, aliique Officiales et Ministri Communitatis ceciderint a iurepatronatus et administratione Capellae S. Mariae Gratiarum in casu.

IV. An publica supplicatio fieri solita prima Dominica Iulii sit facienda ex reditibus Communitatis in casu.

V. An et cuius favore sit locus reintegrationi in casu –, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Negative; et amplius. Ad secundum, Provisum in antecedenti. Ad tertium, Negative; et amplius. Ad quartum, Spectare ad Capellam, quatenus vires suppetant. Ad quintum, Affirmative; favore Capellae - *in Camerinen. die 11 Iulii 1767.*

51. Hinc eo vel magis Canonicis, tamquam Administratoribus, ius competit conficiendi locationes bonorum Ecclesiae, usque ad triennium *in Asculana die 21 Iunii 1788* §. *Fieri* (1).

52. Itaque in locationibus bonorum, faciendis per Capitulum, pro maiori utilitate Ecclesiae est equidem audiendus Episcopus, quoad bona Fabricae, non vero quoad bona Capituli *in Asculana die 11 Iulii 1788.*

53. Quin imo, ubi etiam bona Fabricae sunt prorsus distincta a bonis Capituli, Episcopus non potest prohibere eorum locationem sub poena nullitatis, si ante ipse non audiatur *in Asculana die 7 Februarii 1789.*

54. Proposito enim dubio: - XIII. An in locationibus bonorum faciendis per idem Capitulum, pro maiori utilitati Ecclesiae sit audiendus Episcopus, sub poena nullitatis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad decimum tertium, quoad bona Fabricae Affirmative, quoad bona Capituli Negative - *in Asculana die 12 Iulii 1788.*

55. Reproposito deinde dubio, sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in decimotertio dubio in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Ad decimumtertium, In decisis, dempta poena nullitatis; et amplius - *in Asculana die 7 Februarii 1789.*

56. Quoties insuper Episcopo constet de praeiudiciali Capituli administratione bonorum Ecclesiae non licet ei, reluctantibus Canonicis, illico locare praefata bona, sed uti debet iure suo, ad formam Concilii Tridentini *in Asculana die 12 Iulii 1788.*

57. Namque, proposito dubio: - XIV. An et quoties Episcopo constet de praeiudiciali Capituli administratione bonorum Ecclesiae, liceat eidem bona locare, etiam reluctantibus Canonicis in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Ad decimum quartum, Episcopus utatur iure suo, ad formam Concilii Tridentini - *in Asculana die 12 Iulii 1788.*

58. Reproposito subinde dubio, sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in

(1) Card. de Luc. de locat. disc. 23, n. 4 et seqq.

decimoquarto dubio in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad decimumquartum, In decisis; et amplius - *in Asculana die 7 Februarii 1789.*

59. Nam S. Tridentina Synodus in cap. 9, sess. 22, de reform. statuit quidem Episcopum superiorem administratorem cuiuslibet Loci Pii, sed quatenus ei reddi debent rationes administrationis *in Placentina Cooperturae die 19 Aprilis 1845* §. *Iure.*

60. Administratores idcirco ius habent, imo impedire tenentur de iure contractum, quem putant Loco Pio perniciosum *in Firmana Emphytheusis die 12 Martii 1796* §. *Suam* (1).

61. Hinc emphytheusim impedire possunt bonorum, quae Peritorum iudicio in optimo sunt statu *in Firmana Emphytheusis die 12 Martii 1796* §. *Suam.*

62. Si evidens vero concurrit Ecclesiae, vel Loci Pii utilitas, Sacra Congregatio, etsi Administratores contradicant, emphytheusim permittit *in Balneoregien. Emphytheusis die 18 Iunii 1796* §. *Prae viribus.*

63. Praesertim, si Administratores malam gerant administrationem, et ex studio potius emphytheusi obsistant *in Firmana Emphytheusis die 12 Martii 1796.*

64. Amplia, etiamsi negent, quod ipsi Beneplacitum Apostolicum petierint, ad praefatam emphytheusim ineundam *in Firmana Emphytheusis die 12 Martii 1796.*

65. Quandoquidem supplicatum fuit Sacrae Congregationi nomine Administratorum Xenodochii S. Mariae Humilitatis et S. Ioannis Firmi, pro concedendis eiusdem Xenodochii bonis in emphytheusim, ablegataeque fuerunt preces die 12 Maii 1792 Archiepiscopo pro informatione et voto, et praevia affixione Edictorum, pro emphytheusi ad tertiam generationem masculinam, incipiendam expleta locatione, quatenus locata essent, tam coniunctim, quam divisim; ac eum in finem, ut praefatus Archiepiscopus referret de bonis in specie et de annuo reditu per decennium, nec non de idoneitate supervenientium Oblatorum.

66. Affixis ad praescriptum Edictis, obtulit Ioseph Silvestri annua scuta 1450, nulla alia adiecta conditione: Xaverius Mercanti 1242, sub pacto restituendi in fine emphytheusis aestimandas arbores vitesque: et Comes Antonius ex Ducibus Altemps scuta 1225. 95, sarcinasque decem paleae, hisce sub conditionibus: 1. quod incipere deberet emphytheusis a Filiis Iosephi de Petro Paulo Giberti; 2. immunis esset canon a qualibet imposita et imponenda collecta; 3. et solveretur de trimestri in trimestre; 4. restituere teneretur ultimus emphytheuta aestimandum armentum, si quod in bonis existeret; 5. eamdem quoque seminis quantitatem, quae initio contractus traderetur; 6. nec non arbores; 7. melioramenta omnia cederent Xenodochio; 8. sumptus Beneplaciti Apostolici, aliique fieri deberent ab emphytheuta; 9. denique, quod permitteretur subemphytheusis praediorum trium in regionibus *Vallasciano, Mossa, Pignotta,* firma remanente favore Xenodochii principali obligatione.

67. Praeter huiusmodi oblationes, transmisit Firmanus Archiepiscopus decennem calculum Rationatoris Xenodochii, ex quo annuus dictorum bonorum reditus in scutis constituebatur 795. 91. 2, omnibus detractis oneribus; notavitque, quod calculus hic, sicuti ad annos proxime elapsos, in quibus summa fuerunt rerum pretia, retulit, ita summam esse fructuum quantitatem, quae ex iisdem praediis proficisci poterat, tutissime dicendum videbatur. Hinc singulas expendens oblationes, dixit; quemadmodum oblatio Silvestri amplissima erat; ita idoneus quoque erat, aptusque solvendo, qui eam exhibuit.

68. At retulit etiam praefatus Archiepiscopus, emphytheusi in genere obsistere Moderatores Xenodochii, ea potissimum ratione, ne nimius cogeretur Hospitale ea emere, quae tunc ex suis praediis praesto erant. Quamquam haec ipse ad obiectionem reposuerit: - Verum hoc falsum in primis est, quum certum sit, fere omnia ab ipso Hospitalis Ministro divendi. Deinde, ubi pecunia suppetit, nihil est, quod prompte comparari non possit; ac propterea, ubi de contractu agitur, quo inito, fructus fere duplo cumulabuntur, ratio urget, ut omnimo absolvatur. Ceterum, qui obstant, quum id ex studio quodam agunt, sibi ipsis sane non cohaerent. Anno enim 1784 de locandis ipsis praediis ad viginti septem annos, et (quod est perpendendum) non alio convento canone, quam nummo-

(1) Cohell. ad Bull. Bon. Regim. cap. 31, n. 167.

rum 550 egerunt. Rursus idem ille, qui nunc consulendo dixit, ne hic contractus absolvatur, Comes nempe Eugenius Savini, idem ipse ad assumenda in emphytheusim haec praedia oblationem suam exhibuit. Non animo ergo rem utilem pro Hospitale gerendi, sed ex privato studio Moderatores eiusdem Hospitalis emphytheusim, de qua agitur, improbare videntur -.

69. Demum Archiepiscopus testatus est de mala bonorum Hospitalis administratione; unde palam et non semel Administratores de negligentia coarguit, addens : - Negotia autem eiusdem Hospitalis sic agunt, ut tamquam rem propriam agere videantur; quemadmodum, ceteris omissis, ostendit prorogatio longi temporis, quam ad conspicuas summas solvendas, me prorsus inconsulto, tribuerunt -. Hinc emphytheusi adversari videbantur, ne ampla privarentur administratione.

70. Qua de re, non obstante oppositione praedictorum Administratorum, qui plura exempla ad impediendam emphytheusim in medium protulerant, ac admodum conquesti erant de mentito eorum nomine in petenda emphytheusi, Sacra Congregatio, attenta Hospitalis utilitate, propositis dubiis: - I. An sit locus concessioni emphytheusis in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An quomodo et cuius favore sit concedendum Beneplacitum Apostolicum in casu etc. -, respondit: - Ad primum, Affirmative; et amplius. Ad secundum, Affirmative; favore Silvestri cum solidali obligatione eius Fratris, et cum solitis pactis et clausulis, salvo iure vigesimae et sextae - *in Firmana Emphytheusis die 12 Martii 1796.*

71. Hisce vero circumstantiis exulantibus, Administratores aliquando alienare possunt etiam bona, absque Beneplacito Apostolico, cum scilicet agatur de bonis mere laicalibus, et huiusmodi facultas ex Testatoris voluntate tributa fuerit *in Bononien. Redditionis Rationis et Beneplaciti Apostolici die 2 Martii 1839.*

72. Namque praefatum Beneplacitum necessarium minime esse videtur, cum res sit de Pio Opere mere laicali, ac nulla Episcopi vel Pontificis auctoritate erecto, sed a Laicis continuo gubernato, et Laicorum pietate sensim aucto *in Bononien. Redditionis Rationis et Beneplaciti Apostolici die 2 Martii 1839* §. *Quod.*

73. Siquidem ad Pia huius generis Loca minime protendi Extravag. *Ambitiosae* censuram tradunt Pichler (1) et Rota (2) *in Bononien. Redditionis Rationis et Beneplaciti Apostolici die 2 Martii 1839* §. *Quod.*

74. Nec ad bona, quae in simplices usus pios sunt destinata, ac laicalem retinent qualitatem *in Bononien. Redditionis Rationis et Beneplaciti Apostolici die 2 Martii 1839* §. *Quod* (3).

75. Itaque, ditissimum, quod Bononiae extat, Pium Opus, a Laicis Curatoribus perpetuum moderatum; nec ulla, quod constet, ecclesiastica auctoritate erectum, cui praecipua cura est Pauperibus Verecundis (vulgo *Vergognosi*) opem suppeditare, hereditate sua donavit supremo elogio suo, ad diem 8 Iunii anni 1830 recluso, Franciscus Pisarri Bononiensis. Postquam enim usufructuariam dixerit uxorem suam Geltrudem Certani, illud de universis bonis suis heredem instituit, ea tamen conditione, quod nulla omnino Auctoritas sive Laica sive Ecclesiastica ac etiam Regia se unquam in huiusmodi bonorum administratione immiscere possent; secus enim eius heredes universales illico instituti censendi essent Procuratores et Gubernatores praelaudati Pii Operis (4).

76. Aucti hinc praefati Procuratores et Gubernatores fuerunt etiam amplissimis facultatibus, prae iis etiam, quae spectabant ad constituenda Patrimonia, ab eodem pio Testatore reli-

(1) In Ius can. lib. 3, tit. 13, de reb. Eccl. non alienan. n. 3.

(2) In decis. 248, n. 18 et seq. part. 11; in decis. 313, n. 9, part. 10 Recent.

(3) Card. De Luc. in disc. 1, n. 15 de alienat.

(4) En verba Testatoris, ut in §. *In tutti* - ibi - Dichiaro e voglio, che tale erogazione da farsi pei suddetti Signori Procuratori e Governatori *pro tempore* sia indipendente affatto da chicchessia, a modo che, se per cosa non credibile, qualunque Autorità Ecclesiastica o Secolare, ed anche Sovrana volesse direttamente od indirettamente metter mano, sorvegliare, ingerirsi, o prender parte nella mia eredità, nell' amministrazione della medesima, nella distribuzione, ed applicazione delle sue rendite, o chiedere rendiconto ai suddetti Signori Procuratori e Governatori, in ciascuno di questi, od altri consimili casi, adesso e per allora, quando si avverasse qualunque de' casi stessi, istituisco e scrivo miei liberi Eredi i medesimi Signori Procuratori e Governatori della stessa Opera de' Poveri Vergognosi, o i loro Successori in loro rappresentanza -.

cta, pro Clericis inopia pressis, qui spem bonam operandi in Vinea Domini prae se ferrent. Demum eisdem ius nominandi ad praefata Clericorum patrimonia reliquit (1). Quum inde vita functa sit Vidua Passeri, adeoque testamentariae dispositioni favore Pii Operis Verecundorum locus factus fuerit, modernus Eminentissimus Archiepiscopus dubitavit, an bona, de quibus in casu, Beneplacito Apostolico, ut rite ac legitime alienari possent, indigerent ex eo, quod, cum ad usum Sacrum idest Sacra Patrimonia destinata sint, Ecclesiasticorum bonorum naturam viderentur induere *in Bononien. Redditionis Rationis et Beneplaciti Apostolici die 2 Martii 1839* §. *Quoad*.

77. Et sane bona assignata, pro Patrimonio Clericorum, de Laicorum catastro delenda, et inter Ecclesiastica bona describenda *in Bononien. Redditionis Rationis et Beneplaciti Apostolici die 2 Martii 1839* §. *Quoad* (2).

78. Propterea exempta sunt ab impositionibus, sicut cetera bona Ecclesiastica *in Bononien. Redditionis Rationis et Beneplaciti Apostolici die 2 Martii 1839* §. *Quoad* (3).

79. Pressius porro tradit Amostaz (4), etiam Hospitalia tantum Pia, absque Episcopi auctoritate fundata, iuris solemnitatibus, ad alienanda bona Ecclesiae requisitis, indigere in bonorum suorum alienatione *in Bononien. Redditionis Rationis et Beneplaciti Apostolici die 2 Martii 1839* §. *Pressius* (5).

80. Hinc etiam quoad locationes ultra triennium bonorum, quae ad Confraternitates laicales pertineant, requiritur Beneplacitum Apostolicum, etiamsi non sint fundatae cum auctoritate Episcopi *in Bononien. Redditionis Rationis et Beneplaciti Apostolici die 2 Martii 1839* §. *Pressius* (6).

81. His tamen per Promotorem Fiscalem et Archiepiscopum adductis non obstantibus, proposito dubio: - II. An iidem Administratores alienare possint bona eiusdem hereditatis Pisarri absque Apostolico Beneplacito in casu -, Sacra Congregatio respondit: - Ad secundum, Affirmative, attento testamento - *in Bononien. Redditionis Rationis et Beneplaciti Apostolici die 2 Martii 1839*.

82. Deficientibus vero facultatibus in fundatione tributis, Administratores nequeunt super bonis administratis contrahere *in Ferrarien. die 15 Septembris 1787* §. *Quantum* (7).

83. Propterea nulla ac irrita declarata fuit Emphytheusis, quam quidam Manzalius, administrationis cessione Legati Pii ab legitimis Administratoribus extorta, contraxit, non obstante diuturna octoginta annorum observantia *in Ferrarien. die 15 Septembris 1787*.

84. Nam Beneplacitum Apostolicum in alienationibus bonorum Ecclesiae aut Pii Operis non praesumitur, quam per completam centenariam *in Ferrarien. die 15 Septembris 1787* §. *Unicum*.

85. Quare, proposito dubio: - I. An et quomodo sustineatur instrumentum Emphytheusis, sive usus in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Ad primum, Negative - *in Ferrarien. die 15 Septembris 1787*.

86. Simplex quippe bonorum administratio

(1) Hisce verbis ius hoc eis tribuit, ut in §. *Allorchè* - ibi - Allorchè poi colle rendite saranno estinti i qualunque debiti, che si fossero incontrati, e saranno in florido stato i beni e bestiami, e sarà sufficiente cassa, ed insomma allorchè crederanno detti Signori Procuratori e Governatori, i quali anche in avvenire potranno sospendere la detta ed infrascritta erogazione tante volte, quante essi il reputeranno, nel caso le rendite della mia eredità verranno erogate ed impiegate nel provvedere di Patrimonii Ecclesiastici, da stabilirsi nell' annua somma, che verrà di tempo in tempo prescritto dall' Ordinario di questa Città e Diocesi, Giovani bisognosi, i quali diano speranza di riuscire buoni ed eccellenti operatori nella Vigna di Gesù Cristo... Concedo ai Signori Procuratori e Governatori *pro tempore* della ridetta Opera de' Poveri Vergognosi il diritto in perpetuo di nominare a detti Patrimonii -.

(2) S. Congregatio Immunitatis in Squillacen. 21 Ianuarii 1676 lib. 1 decretorum Altov. pag. 1203; Ferrar. verb. Patrimon. n. 55.

(3) Eadem S. Congregatio Immunitatis in Albanen. 14 Septembris 1626 lib. 1 decretorum Paul. pag. 15; Ferrar. ibidem. 46.

(4) In L. 4, cap. 21, n. 30, de Causis Piis.

(5) Auth. de non alienan. §. Nos igitur; Afflict. decis. 67 in fin.; Ricc. Collect. vers. quod quartam, tom. 1, resol. 37; Navarr. q. 34, n. 4; Nald. in Summa, Verb. Hospitale, n. 5.

(6) Pacion. de locat. conduct. cap. 14, §. 6, n. 26; Redoan. de reb. Eccles. non alienan. Rubr. An in materia alienation. n. 6; Ricc. resol. 45, n. 6, verb. Tertio sit conclusio.

(7) L. 5, ff. de auctorit. tutor.; L. 34, ff. de contrahen. empt.

*

ius Administratoribus non tribuit ad id, quod administrant *in Romana seu Spoletana Subsidiorum Dotalium die 20 Martii 1790* §. *Ponderandum* (1).

87. Unde nil sibi applicare possunt, sed omnia etiam caducata bona, iterum distribuere tenentur, ad formam fundationis *in Romana seu Spoletana Subsidiorum Dotalium die 20 Martii 1790* §. *Ponderandum.*

88. Potissimum, ubi ad certam Testator non respexit Puellam in specie, cui subsidium dotale tribui debet, sed ad Pium dotationis Opus in genere *in Romana seu Spoletana Subsidiorum Dotalium die 20 Martii 1790* §. *Ponderandum.*

89. In his namque terminis sibi per Locum Pium addici non possunt, sed iterum caducatae dotes sunt conferendae *in Romana seu Spoletana Subsidiorum Dotalium die 20 Martii 1790* §. *Ponderandum* (2).

90. Siquidem Augustinus de Augustinis heredem instituit anno 1629 Mariam eius Filiam, eique in Domino nubenti (quod non evenit) congruam per Tutores et Curatores praestari voluit dotem, sub lege investiendi reliquam summam ad scuta sex millia in Locis Montium, censibus, aut stabilibus, ut ex illius fructu vitalitium caperet, idemque post eam fructus inter pauperes Puellas Oppidi Montis Praecini nuncupati *il Castelluccio,* quae religiosum quoque assumere vellent statum, in Pium Subsidium partiretur. Prae ceteris vero legavit Sodalitio SS. Benedicti et Scholasticae Nursinorum Urbis scuta mille eodem modo investienda, ut ad nominationem primum suorum Heredum, deindeque Praeciniae Communitatis, unum Sodales in singulos annos conferrent dotale subsidium scutorum vigintiquinque Oppidanae Puellae, atque superextantes fructus ipsa Confraternitas pro libitu disponere, ac de eisdem id facere, quod sibi magis placeret, posset.

91. Defecta Testatoris Familia, Puellam nominare consuevit Communitas, dotem Sodales conferre. Sanctissimo dein supplicarunt Sodalitii Antistites, ut nonnullas ei applicare dignaretur dotes, quas morte praeventae, consequi non potuerant innuptae Puellae, aliasque ex eadem causa in posterum caducandas. Re ad Sacram Congregationem ablegata, editoque rescripto: - Eminentissimo Protectori, qui dignetur S. Congregationem instruere et votum suum aperire, auditis Heredibus vel Communitate -, is plene Sodalitio favit. Communitas vero obstitit, ponderandum rogans, nil aliud iuxta expressam Testamenti literam consequi Sodalitium debere, quam *il restante,* seu quod, annuo detracto dotali subsidio, superesset: ex quo enim fiebat, ut simplicem haberet subsidiorum administrationem.

92. Idcirco, proposito dubio: - An sit locus applicationi subsidiorum dotalium, seu potius sint iterum distribuenda in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam - *in Romana seu Spoletana Subsidiorum Dotalium die 20 Martii 1790.*

93. Id ex eo etiam in casu edixit Sacra Congregatio, quia pluries iam firmaverat distinctionem (3) inter dotes scilicet ante et post contractum matrimonium devolutas. Priori enim, in quo res agebatur, casu, quum adimpleta per solutionem non esset finalis praestandarum Dotium causa, pro non facta idcirco habebatur prima collatio, atque expleri debebat secunda. Non ita vero in secundo, in quo iam sequutus fuit effectus *in Romana seu Spoletana Subsidiorum Dotalium die 20 Martii 1790* §. *Scrupulose.*

94. Immo Tutoris instar vetitum est Administratori Loci praesertim Pii, sub poena nullitatis et quadrupli, cum eo contrahere, cuius bona administrat *in Ferrarien. et Setina die 23 Ianuarii 1790* §. *Alia* (4).

95. Et extat decretum Congregationis particularis, ab Innocentio XII deputatae; in quo, sub poena nullitatis reique amissione, contra-

(1) Rot. in Romana distributionis dotium 9 Martii, §. 8, coram Eño Zelada.

(2) Id firmant Card. De Luc. in disc. 10, n. 5, de dot.; Constantin. Vot. 298, n. 12, tom. 2; De Nigr. de nominat. part. 1, quaest. 49, lib. 1, n. 49; Rot. in decis. 500, n. 2, coram Buratt.

(3) Nimirum in Romana Dotium die 24 Septembris 1718; in Viterbien. Subsidiorum Dotalium die 2 Martii 1739; in Ravennaten. Subsidiorum Dotalium die 11 Ianuarii 1766; in Romana Subsidiorum Dotalium die 20 Ianuarii 1770; in Lucana die 21 Maii 1784; in Aesina Subsidiorum Dotalium die 27 Novembris 1784.

(4) L. 5, ff. de auctor. tutor.; L. 34 et 44, ff. de contrahen. empt.; Altimar. de nullit. contract. rub. 1, quaest. 14, sess. 3, n. 1, tom. 5; Rot. in Romana Laesionis et Nullitatis Contractus 26 Iunii 1754, §. 5, coram Vicecomite.

nere prohibentur Deputati aliique Officiales cum Locis Piis, quae administrant *in Terracinen. et Setina die 23 Ianuarii 1790* §. *Nec sibi* (1).

96. Licet autem praedictum Decretum respiciat dumtaxat Loca Pia Urbis, consentaneum tamen est dispositioni iuris ac ceteris etiam ex identitate rationis favere posset *in Terracinen. et Setina die 23 Ianuarii 1790* §. *Alia.*

97. Constitutio enim emanata in casu particulari, ad explicationem legis universalis, facit ius quoad omnes, et universaliter locum habet *in Terracinen. et Setina die 23 Ianuarii 1790* §. *Alia* (2).

98. Nonnulli vero opinantur, hoc Decretum tamquam poenale extendi non posse ad Civitates extra Urbis districtum *in Terracinen. et Setina die 23 Ianuarii 1790* §. *Nec* (3).

99. Hac tamen opinione non obstante, id locum etiam habet extra Urbis districtum, etiamsi in Instrumenti stipulatione reservatum sit Beneplacitum Apostolicum, sed priusquam superveniret, Ecclesia seu Locus Pius poenituit; cum, post rem etiam traditam, locus sit favore Ecclesiae seu Loci Pii poenitentiae (4) *in Terracinen. et Setina die 23 Ianuarii 1790.*

100. Amplia, etsi cum reservatione Beneplaciti Apostolici consensus etiam Cardinalis Protectoris Loci Pii accesserit *in Terracinen. et Setina die 23 Ianuarii 1790.*

101. Idcirco, ex rescissione contractus, debetur Loco Pio reintegratio ad bona, in permutationem tradita ac respective vendita, iis redditis, quae a Possessore accepit *in Terracinen. et Setina die 23 Ianuarii 1790* §. *Sequela* (5).

102. Locus hinc est reintegrationi et restitutioni fructuum et refectioni melioramentorum, necnon absolutioni a poenis in foro externo incursis, etiamsi contractus stipulatus fuerit de licentia Superioris seu Protectoris Loci Pii *in Terracinen. et Setina die 23 Ianuarii 1790.*

103. Iamvero Oblatarum Conservatorium, sub invocatione Sacrae Familiae in patria sua Setia fundavit cl. me. Cardinalis Petrus Marcellus Corradini, ut spirituali Puellarum ac temporali incumberent educationi. Pium Opus approbavit primum anno 1717 Clemens XI, ipsique Fundatori, ab ordinaria iurisdictione exemptum, subiecit; deindeque Clemens XII in perpetuum illius administratorem designavit anno 1731 Cardinalem pro tempore Protectorem Congregationis S. Ivonis, cum eadem privativa iurisdictione. Inter cetera bona, quae vivens Cardinalis Corradinus Conservatorio assignavit et per universalem institutionem moriens reliquit, ampla Setiae erat domus. Pluries frustra ad eam comparandam contendit Ioachim Benedictus Pacifici, qui proximam possidebat domum; sed anno 1785, quo alter erat ex Deputatis Monasterii, impleta sunt eius vota. De licentia enim cl. me. Cardinalis de Comitibus, et sub reservatione Beneplaciti Apostolici domum habuit Conservatorii, eique adnexum stabulum, oleariam molam, et domunculas pretio scutorum 2602. 72, suamque Monasterio permutationis titulo cessit domum et molam pretio scutorum 1521. 30, solutis ad aequandam summam scutis 1081. 42, quae promiserunt Moniales servare ac impendere, iuxta praescriptum praefati Eminentissimi ac Reverendissimi Protectoris.

104. Post exequutionem contractus petita fuit Monialium nomine ab Sacra Congregatione illius approbatio, editoque sub die 18 Iunii 1785 assueto Rescripto: - Eminentissimo Protectori, qui dignetur Sacram Congregationem instructam reddere, et votum suum aperire, auditis etc. -, sed de illius informatione non constitit. Renovatis precibus, aliud die 17 Iunii sequentis anni prodiit Rescriptum: - Eminentissimo Protectori, qui dignetur rem perpendere, et votum aperire, praevia Peritorum per ipsum deputandorum aestimatione, auditis etc. -, sed neque id ad obitum Cardinalis de Comitibus factum est. In eius tandem locum Eminentissimus Cardinalis Antonius ab Auria suffectus, contractus in actu Visitationis Conservatorii improbavit, obtinuitque post reditum in Urbem, ut in eius rescissionem conveniret Pacifici. Qua de re Eminentissimis Patribus supplicarunt Mo-

(1) Prostat apud Bass. de Sodalit. quaest. 6, n. 13.

(2) Cap. Ex multa, de vot. et vot. redempt.

(3) Rot. in Nuperr. decis. 261, n. 2, tom. 2; in Melevitana seu Avenionen. Commendae 4 Maii 1749, §. 13, coram Clemente.

(4) Card. de Luc. de alienat. disc. 1, n. 56 et seqq.; Petr. ad Constit. Pauli II, sect. 4, n. 4, sect. 5, n. 37, tom. 3.

(5) Card. De Luc. de alienat. disc. 1, n. 99 et seqq.; Petr. ad Constit. Paulinam, sect. 4, n. 15.

niales, pro facultate alienandi Loca Montium novem et centesima sexaginta quinque hereditatis Corradini, ut accepta redderent scuta 1081. 42, sub obligatione deponendi in eorum reintegrationem annua scuta 67. 20 activi eiusdem census.

105. Precibus die 9 Augusti 1788 ad Eminentissimum Protectorem ablegatis, ut suum aperire dignaretur votum -, auditis, transmisso supplici libello cum praecedenti Rescripto, et referre de facultate pro alienatione scutorum 1082 vel de obtenta absolutione -, voluntatem mutavit Pacificus rescindendi contractum, obtulitque ad rem componendam alia scuta centum sexaginta, quae tamen debita essent Conservatorio, pro rata scutorum centum, ob errorem calculi in peritia eius domus commissum. Hac igitur reiecta oblatione ad Eminentissimos Patres retulit vigilantissimus Purpuratus, ab ipsis Monialibus accepisse, contractum initum fuisse ad extinguenda debita, quibus Monasterium, ob captas hinc inde mutuo pecunias, ad victualia comparanda, gravabatur, necnon ad comparandum frumentum successive Monasterio necessarium. Triplici deinde ex capite illius nullitatem desumpsit: ex quo scilicet, de tempore stipulationis, Conservatorii deputatus erat Pacifici; ex neglecto ac nonnisi, post exequutum contractum, petito Beneplacito Apostolico; et ex defectu utilitatis: pluraque de reintegratione Conservatorii et restitutione addidit fructuum.

106. Propositis hinc dubiis: I. An sustineatur contractus permutationis et respective venditionis, itaut sit concedendum Beneplacitum Apostolicum in casu etc. *Et quatenus negative.*

II. An et quomodo sit locus reintegrationi et respective solutioni fructuum in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Negative in omnibus. Ad secundum, Esse locum reintegrationi, et quoad restitutionem fructuum et refectionem melioramentorum ad D. Secretarium pro liquidatione, iuxta mentem; nec non ad eumdem cum Sanctissimo, pro absolutione - *in Terracinen. et Setina die 23 Ianuarii 1790.*

107. Exploratum quippe in iure est, Administratores nec dominium, nec possessionem habere, sed in possessione esse pro Domino *in Pisauren. Substitutionis die 18 Decembris 1841* §. *Exclusa* (1).

108. Hinc a sacris Canonibus vetitum est Administratoribus rerum Ecclesiarum, illarum redituum in expensas non necessarias erogare, multoque minus Ecclesiam ipsam inusitato oneri subiicere, contra praescriptum in Extrav. *Ambitiosae* de reb. Eccl. non alienan. *in Romana die 3 Iulii 1819* §. *Nec.*

109. Quin imo tueri debent iura administrationis, cum praesertim designati fuerint a Testatore, donec fieret locus substitutioni *in Pisauren. Substitutionis die 18 Decembris 1841* §. *Adest.*

110. Unde et respectivum ius gerendi administrationem habent, nisi verificetur factum substitutionis *in Pisauren. Substitutionis die 18 Decembris 1841.*

111. Proposito enim dubio: - An sit locus administrationi patrimonii lineae Urbinati Narni, seu potius sit locus substitutioni favore PP. Oratorii, itaut sit danda possessio in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam - *in Pisauren. Substitutionis die 18 Decembris 1841.*

112. Hinc Administratores et commutationem voluntatis Testatorum efflagitant, dum causa legitima adsit *in Campanien. die 4 Maii 1743.*

113. Siquidem Sacra Congregatio Administratoribus sive Patronis Monasterii Sanctimonialium S. Iacobi Apostoli Civitatis Campaniae concessit facultatem cooptandi ibidem Puellas indigenas vel extraneas quascumque, ob defectum illarum, quae a Fundatore vocatae fuerant *in Campanien. die 4 Maii 1743.*

114. Proposito enim dubio: - An et quomodo sit providendum in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Esse providendum, iuxta petita - *in Campanien. die 4 Maii 1743.*

115. Ad quem itaque ex canone fundationis ius administrandi pertinere probatum fuerit, ad eumdem etiam spectare illud nominandi atque amovendi Presbiteros et Capellanos *in Ianuen. Literarum Apostolicarum die 24 Martii 1838* §. *Et re sane vera.*

Item *in Lucana Expensarum Fabricae et aliorum Iurium die 2 Martii 1844* §. *Binas* (2).

(1) Ulpianus in leg. 10, §. 1, ff. de acquiren. possession.; Cuiacc. observ. lib. 9, cap. 35.

(2) Pignatell. consult. canon. 143, n. 45, tom. 9.

116. Quia talis nominatio est de praecipuis iuribus, ac pars ipsius administrationis *in Ianuen. Literarum Apostolicarum die 24 Martii 1838* §. *Et re sane vera* (1).

117. Administratores Locorum Piorum conducere hinc possunt Presbiteros, alias approbatos ab Ordinario, eosque amovere, absque scitu, et licentia Episcopi *in Litteren. 1609 lib. 11 Decretorum pag. 72.*

118. Immo et eosdem mulctare subtractione partis stipendii, si servitium neglexerint *in Litteren. 1609 lib. 11 Decretorum pag. 72.*

119. Id enim expressis verbis statuit Sacra Congregatio, edicens: - Presbiteros autem huiusmodi, si ab Ordinario approbati fuerint et amovibiles sint, conducere, eosdemque amovere non prohiberi (Administratori), absque scitu et licentia Episcopi, eosdemque praeficere posse Officio mulctanti amissione partis stipendii eos, qui servitium, iuxta legem conventionis, Ecclesiae non praestiterint - *in Litteren. 1609 ad IV dubium lib. 11 Decretorum pag. 72 a tergo.*

120. Quod autem de Presbiteris et Capellanis statuitur, idipsum eo vel magis de Ecclesiae inferioribus Ministris asserendum est *in Ianuen. Literarum Apostolicarum die 24 Martii 1838* §. *Et re sane vera.*

121. Non debet enim cui plus licet, quod minus est non licere *in Ianuen. Literarum Apostolicarum die 24 Martii 1838* §. *Et re sane vera* (2).

122. Quum itaque Rector Ecclesiae sit eiusdem legitimus Administrator, ad eumdem facultatem pertinet deputandi Capellanos, aliosque Ecclesiae Ministros *in Hieracen. die 16 Martii 1743* §. *Utrumque* (3).

123. Praesertim, si agatur de Abbate, cui commendata sit Abbatia, olim Regularis *in Hieracen. die 16 Martii 1743* §. *Ad haec.*

124. Nam eadem Ecclesia, quemadmodum prius erat, ita et hodie manet ab Episcopi iurisdictione prorsus exempta, licet ad secularem statum redacta *in Hieracen. die 16 Martii 1743* §. *Ad haec* (4).

125. Hinc ad praedictum Abbatem Commendatarium spectat deputatio Capellanorum et Heremitarum pro servito Ecclesiae, non autem ad Episcopum, licet hic, eam iure saltem delegato et quoties sibi in Domino videbitur expedire, visitare potest *in Hieracen. die 30 Martii 1743.*

126. Proposito enim dubio: - An et ad quem spectat deputatio Capellanorum et Heremitarum, pro servitio Ecclesiae S. Mariae de Popsis, et respective Procuratoris, pro administratione eleemosynarum, oblationum, de quibus agitur -, Sacra Congregatio respondit: - Spectare ad Abbatem, sub obligatione tamen reddendi rationem Episcopo, a quo visitari etiam possit Ecclesia, iure saltem delegato, et quoties id sibi in Domino videbitur expedire - *in Hieracen. die 30 Martii 1743.*

127. Secus vero dicendum, si ex fundatione perspicuum non sit, quod Testator Administratoribus praesertim laicis huiusmodi facultatem eligendi ac amovendi Ecclesiae et Sacristiae inservientes concessisset, atque agatur de Ecclesia Collegiata in cuius erectione Pontifex Capitulo potestatem hanc indulsit *in Ianuen. Literarum Apostolicarum die 2 Iunii 1838.*

128. Iure ac regimine spirituali ceteroquin excluso, potest Administratoribus etiam laicis competere ius exigendi fidem de satisfactis Missarum oneribus nec non administrandi bona Ecclesiae et Sacristiae, atque fructus et distributiones vacantium Beneficiorum applicandi, ad formam fundationis *in Ianuen. Literarum Apostolicarum die 2 Iunii 1838.*

129. Siquidem, supremo voluntatis suae elogio anno 1650 exarato, Vir piissimus Ioannes Thomas Invrea Ianuensis disposuerat, ut ex omnibus bonis suis hereditariis Mons, titulo *S. Mariae de Remedio* nuncupandus, in Ianuensi Civitate erigeretur. De huius autem usu edixit, ut Ecclesia sub titulo *S. Mariae de Remedio* fundaretur, ibique tot Canonici Presbiteri atque Clerici pro eiusdem Ecclesiae servitio constituendi essent, quot constituere vellent Gubernatores et Administratores, his facultatem tribuens id faciendi disponendique, quod sibi magis

(1) Rot. in decis. 455, n. 2 et 3, coram Duran.; in Lucana Legati 15 Maii 1645, coram Peuttingerio; decis. 382, n. 1 et seqq. coram Lancetta.

(2) L. 121, ff. de Regul. Iur.

(3) Felix. in cap. *Cum accessissent*, n. 16 in fin. de constit.; Aliique relati per Farg. de iurepatronat. part. 2, can. 28, cas. 3, n. 5; Bass. de Sodalit. in miscellan. n. 11.

(4) Pignatell. consult. 162, n. 3, tom. 4; Piton. discept. eccles. 160, n. 59, tom. 4; et Alii per eum congesti.

placeret. Demum praefati Montis et Ecclesiae Rectores et Administratores Fratres suos, hisque vita functis, proximiores Patris sui descendentes ex masculina linea primum, ex feminina deinde, instituerat (1).

130. Pia Testatoris mens impleta fuit: hinc Marcus Antonius Gentile, Ioannes Baptista Ayrolius, Nicolaus Iosephus Spinola, ac Hyppolitus Vincentius Invrea, praedicti Montis Rectores et Administratores, ut ad unguem Testatoris adimpleretur voluntas, neque diutius piam animam eiusque Familiam piacularibus hostiis fraudari contigeret, primum tresdecim Presbiteros Capellanos ad Sacra litanda, Officia decantanda, ceterasque sacras Functiones explendas ea in Ecclesia deputarunt: postea supplicem Pio VI P. M. porrexere libellum, ut Apostolica Auctoritate Ecclesiam iam fundatam ad Collegiatae ac Parochiae honorem evehere dignaretur; quibus precibus benigne annuit Romanus Pontifex Apostolicis Literis, Ianuensi Archiepiscopo datis sexto Idus Iulii anno 1796, quas sequenti mense Augusti idem Archiepiscopus executioni mandavit.

131. Ex Pontificia erectione unica dignitas Abbatiae titulo designata est, eamque pro tempore obtinenti, praeter praerogativas abbatiales, concessum est, ut superioritatem iurisdictionem et correctionem in spiritualibus ac temporalibus in iis tantum, quae ad dictam Ecclesiam spectarent, supra Canonicos et alios eiusdem Ecclesiae Presbiteros, Clericos, et Ministros haberet et exerceret. Praefinito inde Canonicorum, Mansionariorum, Capellanorumque numero, quemadmodum etiam Fabricae Sacrariique expensas ac Personarum Ecclesiae inservientium stipendium ab iisdem Administratoribus suppeditari decretum est. Atque memoratis ac illis in posterum pro tempore existentibus Montis Rectoribus Pontifex iuspatronatus (quod laicale atque ex vera et reali fundatione ac dotatione esse declaravit) voluit reservatum, eosque legitima potestate frui, idoneas Personas ad Abbatiam et Canonicatus praesentandi, necnon Mansionarios et Capellanos ad eorum nutum amovibiles nominandi.

132. Quoad vero Capituli iura ita in ipsius Bullae erectione edixit supremus Pontifex: - Abbati et Canonicis praefatis, ut ipsi capitulariter congregati, pro ipsius Ecclesiae regimine nec non Sacristiae eorumque respective rerum, bonorum, ac iurium, tam spiritualium, quam temporalium prospero et felici statu, regimine et gubernio ac directione, et onerum illis pro tempore respective incumbentium supportatione, nec non divinorum officiorum, processionum, funerum, anniversariorum et suffragiorum celebratione, distributionumque quotidianarum et aliorum emolumentorum quorumcumque, ut praefertur, exactione, perceptione, divisione, nec non poenarum incursu per absentes ac divinis Officiis huiusmodi suis loco et tempore non interessentes, seu onera et ministeria eis et eorum cuilibet respective incumbentia subire negligentes incurrendarum dictaeque Ecclesiae Officialibus Ministris necessariis deputandis ac amovendis, ac ministeriis, per ipsos subeundis, salariis, ac stipendiis praestandis, ac quibuscumque aliis rebus in praemissis, et circa praemissa quomodolibet necessariis et opportunis, quaecumque statuta, ordinationes, capitula, et decreta, licita tamen et honesta ac per Ordinarium loci praedictum prius examinanda et approbanda edere libere et licite possint et valeant, liberam et omnimodam facultatem, potestatem, auctoritatem

(1) En verba Testatoris, ut in §. *Supremo*, - ibi - Voglio, che i frutti, che matureranno di dette annue entrate ed altri beni, che saranno nella mia eredità anno per anno si debbano spendere per erigere e fondare nella detta Città di Genova una Chiesa sotto il titolo di Nostra Signora del Rimedio. Voglio, che la detta Chiesa debba essere officiata e servita da tanti Canonici, Preti, e Chierici, che pareranno agli infrascritti Governatori ed Amministratori della detta Città di Genova, alli quali se li debba dare quelle provisioni, quali a detti Signori Governatori ed Amministratori parerà conveniente, con che detti Canonici e Preti in tutti i loro Officii e Sacrifici, quali ogni giorno celebreranno in detta Chiesa, li debbano applicare per l'Anima di me Testatore e di mia Famiglia Invrea; e soddisfatte le provisioni di detti Canonici e Preti e Chierici, delli restanti frutti del detto Monte che anno per anno matureranno, dedotti li pesi si debbano spendere in tutto quello sarà necessario per officiare detta chiesa, pel mantenimento e governo di essa. Ed adempite e soddisfatte le cose predette avanzando quantità di detti frutti, in tal caso ordino e voglio, che si abbia a fondare un Seminario di Figliuoli di quel numero, che parerà alli detti Signori Governatori ed Amministratori, siccome le forze di esse potranno soffrire: li quali debbano erigere, fondare, governare, ed amministrare detto Monte e chiesa: alli quali do e concedo ampia facoltà di poter fare ed eseguire tutto quello sarà necessario e siccome potrei fare io suddetto Testatore vivendo, senza decreto di Giudice, nè altra solennità Giudiziaria-

eadem Apostolica auctoritate pariter perpetuo concedimus et impertimur –.

133. Propositis hinc dubiis: – I. An et quomodo a Capitulo Collegiatae S. Mariae de Remedio exhibenda sit fides de Missarum satisfactione in casu etc.

II. An et cui et quomodo competat ius eligendi ac amovendi Ecclesiae et Sacristiae inservientes in casu etc.

III. An cui et quomodo competat Ecclesiae et Sacristiae gubernium, nec non administratio redituum pro utriusque expensis in casu etc.

IV. An et cui adiudicanda sit portio distributionum et fructuum praebendae Canonicatus in casu etc.

V. An et quae iurisdictio competat Abbati in casu etc. –, S. Congregatio respondit: – Ad primum, Per Canonicum Camerarium esse exhibendam fidem de regularitate libri, in quo Missae sint adnotatae. Ad secundum, Affirmative, favore Abbatis et Capituli. Ad tertium, Affirmative ad primam partem, favore Abbatis et Capituli, pro spiritualibus et cultum divinum respicientibus; quoad secundam partem, administrationem nempe redituum, favore Administratorum, ad formam voluntatis Fundatoris. Ad quartum, Affirmative in augmentum Montis, iuxta mentem Testatoris, expletis oneribus Missarum. Ad quintum, Affirmative quoad regimen internum, cum dependentia ab Ordinario – *in Ianuen. Literarum Apostolicarum die 2 Iunii 1838.*

134. Quum igitur iura huiusmodi deriventur ex tabulis fundationis, servanda sunt Administratoribus etiam laicis; nam et multae in toto orbe Ecclesiae extant, quae per Laicos administrantur, ac praesertim celeberrima et ditissima Ecclesia B. Virgini ab Angelo salutatae Neapoli dicata, cuius gubernio Laici praeficiuntur *in Ianuen. Literarum Apostolicarum die 24 Martii 1838* §. *Difficultas.*

135. Etenim quando Operarius vellet benedicere seu consecrare vestimenta et vasa sacra, vel alias in eorum spirituali usu ac administratione se ingerere, aut oblationes, aut legata sibi vel in prophanos usus applicare, tunc intraret prohibitio, sed nulla dignosci videtur prohibitio circa meram temporalem administrationem providentialem, ut vestimenta et vasa sacra bene custodiantur atque non applicentur, nisi usibus ipsius Capellae seu Ecclesiae, cui destinata sunt *in Ianuen. Literarum Apostolicarum die 24 Martii 1838* §. *Difficultas* (1).

136. Canonicae quippe non vetant leges, quin etiam unam vel plures SS. Reliquiarum claves Patroni laici retineant *in Forolivien. die 28 Iulii 1787* §. *Ex his* (2).

137. Nam in sequelam iurispatronatus nedum Patronis laicis debetur retentio clavium Ecclesiae patronalis, sed clavium etiam SS. Reliquiarum, Imaginum, Oblationum, et eleemosynarum, quae ipsis fiunt *in Forolivien. die 28 Iulii 1787* §. *Ex his* (3).

138. Imo ius hoc Patronis laicis nedum ex fundatione et dotatione, sed etiam ex consuetudine quaeritur *in Forolivien. die 28 Iulii 1787* §. *Plura* (4).

139. Maxime, si de Reliquiarum agatur Patronis Civitatis *in Forolivien. die 28 Iulii 1787* §. *Plura* (5).

140. Quin obstet resolutio Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium, quam refert Pignatellius (6), quod nempe – Claves Reliquiarum, quae sunt in Ecclesiis Regularium non debent remanere apud Seculares, licet Dominos Capellarum, ubi custodiantur –; una enim huic legi est limitatio, si – Laici ex consuetudine claves retinerent per modum simplicis custodiae et assistentiae (7) – *in Forolivien. die 28 Iulii 1787* §. *Despicienda.*

141. Hinc, proposito dubio: – I. An claves aperientes Ribaldas exterius claudentes urnam, in qua Sacrum Divi Peregrini Latiosi Corpus as-

(1) Card. De Luc. in Miscell. disc. 35, n. 9 et seqq.

(2) Monacell. Formul. legal. part. 1, form. 5, n, 39; Bass. de Sodalit. quaest. 20, n. 2; Torr. de pact. futur. succes. lib. 3, cap. 1, n. 318; Barbos. in Summ. Apost. Dec. Collect. 646, n. 9.

(3) Fargn. de iurepatronat. part. 1, Can. 4, cas. 6, n, 6.

(4) Pax Iord. elucubrat. can. lib. 7, tit. 1, n. 129, tom. 2; Scarphant. ad Ceccoper. elucubrat. Can. lib. 3, tit. 12; Card. De Luc. in Miscell. disc. 35, n. 10.

(5) Pax Iord. loc. cit. vers. Sed in his; Bass. de Sodalit. quaest. 20; n. 2.

(6) In Consult. 50, n. 7, tom. 1.

(7) Ut per haec verba notat Scarphant. ad Ceccoper, elucubrat. Can. lib. 3, tit. 12.

servatur in Ecclesia Patrum Servorum B.M.Virginis Forolivii, retinendae sint ab iisdem Patribus, seu potius Communitati competat ius retinendi alteram ex illis in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit : - Ad primum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam - *in Forolivien. die 11 Septembris 1784.*

142. Si vero inde die 21 Ianuarii 1785 praelaudata Sacra Congregatio recedere censuit a decisis, et die 28 Iulii 1787 stetit in secundo loco decisis cum clausula amplius, id ex eo peregit, quod praefati Patres Regulares probaverint, Communitatem nullum iuspatronatus acquisivisse, cum Capella constructa esset ex alienis oblationibus *in Forolivien. die 28 Iulii 1787* §. *Pluribus* (1).

143. Eo hinc progredi potest ex fundationis vel consuetudinis iure potestas Administratoris laici, ut is expensas etiam Officii choralis persolvat, et agere possit, ne huiusmodi expensae multiplicentur, absque iusta causa, occasione Ministrorum choro inserventium, ac ius sibi nominandi Organorum Modulatorem vindicare valeat *in Lucana Expensarum Fabricae et aliorum Iurium die 30 Martii 1844.*

144. Enimvero iam a seculo decimo sexto in Ecclesia SS. Paulini et Donati in Civitate Lucana erat simul Paraecia et Collegiata, coalescens Priore, cui imminet cura animarum, nec non decem Canonicis et duodecim Capellanis. Iam tum separata erat administratio, quae Parochiae oneribus et expensis satisfaciebat, Lucano vocabulo *Opera* nuncupata, et alia quae rebus ad Capitulum pertinentibus prospiciebat.

145. Collegiata tum primum exiguis dotata reditibus exiguum etiam chori servitium Capitularibus imposuit: sed anno 1679 cum Capitulo pinguissimum ducentorum de Camera ducatorum beneficium perpetuo unitum ab Innocentio XI fuisset, insimul statutum est, ut dimidia Capitularium pars singulis cuiusque mensis quindecim diebus per vicem choro inserviret, omnes omnibus per annum festis diebus, qui tamen communes dies sub anno 1784 a Sacra Congregatione ad solemniores tantum reducti sunt.

146. Sic se res habebant in postrema Gallorum irruptione, qua in communem ruinam SS. Paulini et Donati Collegiata correpta fuit. At pace iterum restituta, Apostolicae Literae, incipien. *Summus Pontifex,* ad Archiepiscopum a S. M. Pio VII datae sunt die 8 Aprilis 1820, quibus Lucanae Diaecesis Collegia in pristinum statum revocata fuerunt per haec verba: - Nos tibi tamquam Apostolico Delegato mandamus, ut bona reditusque praedictos in dotationem Capitulorum et Capellanorum Cathedralis Ecclesiae et Collegiatarum Ecclesiarum Coenobiorum utriusque sexus, nec non in supplementum congruae Parochorum, et pro expensis necessariis ad divinum cultum in respectivis Ecclesiis Parochialibus (quas expensas praefinire reditusque in eas erogandos administrare ad eos pertineat, qui institutionibus illis vulgo *Opere* nuncupatis praesunt) aequa et convenienti proportione assignes et attribuas, iuxta inferius indicandam instructionem nostram, decernentes, ut singulae Paraeciae et Regularium utriusque sexus Communitates, tam reditus et bona, quam Coenobia et Monasteria de novo Regularibus praedictis respective adsignanda, tamquam sua possideant et retineant -.

147. Antequam vero in eadem Collegiata functiones Chorales persolvi cepissent, statim quaestio suborta erat, cui onus competat exolvendi expensas Officii choralis, utrum videlicet *Operae* Administratori, vulgo *Operario*, an Capitulo, per aequam Capitularium contributionem. Hinc ab Archiepiscopo tunc temporis ad scandala removenda precaria lex interim statuta fuit, qua is edixit, ut *Opera* expensas Officii choralis persolveret, cum iure eas repetendi, quatenus easdem persolvendas non esse inde legitime dignosceretur.

148. Nunquam vero inter Operae Administratorem et Capitulum eo res perductae fuerunt, ut huiusmodi controversia componeretur. Interim anno 1823 sub die 24 Ianuarii laica Potestas, consentiente ecclesiastica, aliquas leges evulgavit, quibus sacra Lucanae ditionis

(1) Siquidem Rota in Aesina Manutentionis super bono iure 11 Iunii 1781 §. 4, coram P. D. Flangini idem statuerat in simillimo casu - ibi - Nullum Communitati (Mosciani) quaesitum esse Aediculae iuspatronatus; nam qui Ecclesiam seu Capellam aedificat piis oblationibus non suis, sed alienis, is de ecclesiastico peculio aedificat; proptereaque ex ea constructione in illa Ecclesia in illa Capella nullum prorsus iuspatronatus eidem acquiritur -. Id etiam adstruunt Vivian. de Iurep. art. 1, lib. 1, cap. 2, n. 58; Panimoll. decis. 9, n. 12 et seqq.

res regeretur (1). Quae quidem leges ortam iamdiu controversiam magis implicarunt, auxeruntque. Tandem Collegii Prior Bartholomaeus Bartelloni S. Congregationi eamdem detulit, ut sapientissimo Eminentissimorum Patrum iudicio dirimeretur: eoque mox ad aliam dignitatem translato, instantiam instauravit modernus Operae Administrator, addiditque alia quaestionum capita; scilicet, an liceret e Capellanorum coetu Vicarios curatos eligere, an Capitulum omnibus diebus posset alterius ex Capellanis personam adhibere, ut caeremoniarum Magistri munus exerceret, tandem cui competeret ius nominandi eum, qui in divinis Officiis agendis organa pulsat, ad Capitulum, seu potius ad Operarium.

149. Hinc lis, quoad expensas, praecipue fuit circa expensas, quae propius tangunt functiones in choro celebrandas. Huiusmodi erat cera pro Missis conventualibus, et pro aliquibus ex horis canonicis, nec non thus, quando eo opus erat; merces iis tradenda, qui tintinnabula pulsant, et Acolythis, qui in chorali Officio Capitulo inserviunt, quique pro maiore functionum dignitate aliquoties extra ordinem invitantur; tandem intorticia in die Purificationis B.M.V. et palma Priori dari solita in Dominica Olivarum.

150. Non obstante vero, quod Operarius ad huiusmodi expensas vitandas constitutiones et antiquam in medium protulisset observantiam, Capitulum eas facile reiecit, cum iam nullum habere possent robur; namque per Bullam Pontificiam et patrias Leges ius vetus fuerit abrogatum et novum inductum *in Lucana Expensarum Fabricae et aliorum Iurium die 2 Martii 1844* §. *Quoad*.

151. Ex eo etiam, quod in casu ad huiusmodi expensas procurandas existebat Opera, quae idem erat ac Fabrica *in Lucana Expensarum Fabricae et aliorum Iurium die 2 Martii 1844* §. *Quoad*.

152. Nomine autem Fabricae veniunt ornamenta, servitio Ecclesiae necessaria: ut sunt calices, luminaria; et alia, sine quibus, divina Officia celebrari nequeunt *in Lucana Expensarum Fabricae et aliorum Iurium die 2 Martii 1844* §. *Quoad* (2).

153. Idcirco, proposito dubio: - I. An et cui inhaereat onus persolvendi expensas, pro officio chorali et Capituli functionibus necessarias in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Ad primum, Affirmative Operae, traditis tamen a Capitulo eidem Operae, tum frumento, tum summa assignata in supplemento cum oneribus - *in Lucana Expensarum Fabricae et aliorum Iurium die 30 Martii 1844.*

154. Quin imo, etiamsi Operarius institisset, ut ius sit assumere duos Vicarios Curatos nec non Aedituum Collegiatae e coetu Capellanorum; aliter enim, si Sacerdotes exteros adsciscere cogeretur, maiorem pinguioremque iisdem mercedem, ad quam Opera tenebatur, adsignare oporteret, nihilominus id non expedire statuit Sacra Congregatio, non obstante, quod praedictus Operarius probare adniteretur, Vicariorum huiusmodi ministerium non esse beneficium; adeoque eisdem applicari non posse canonicas de incompatibilitate regulas *in Lucana Expensarum Fabricae et aliorum Iurium die 2 Martii 1844* §. *Sequitur.*

155. Propositis enim dubiis: - II. An et quomodo Capellani Collegiatae eligi queant in Vicarios Curatos in casu etc.

III. An et quomodo iidem Capellani eligi queant in Aedituos eiusdem Ecclesiae in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad secundum et tertium, Non expedire; et servandum esse decretum Archiepiscopi diei 18 Februarii 1838 (3) - *in Lucana Expensarum Fabricae et aliorum Iurium die 30 Martii 1844.*

156. Operarius eadem inde ratione, ne scilicet Opera maiori graveretur expensa conten-

(1) Inter quas hae habentur, *ut in* §. *Numquam* - ibi - Cap. 1. Dei Patrimonii delle Opere e dell'oggetto a cui sono destinate. Art. 1. Le Opere Parrocchiali hanno generalmente un patrimonio distinto e separato dagli altri beni della Chiesa. Questo Patrimonio è destinato al mantenimento delle sacre fabbriche e delle spese del sacro culto. Art. 2. Non è permesso all' Operario d'introdurre nelle Chiese nuove feste, nè di fare veruna spesa, che o per un giusto titolo, od anche per antica consuetudine gravasse il Parroco, una Confraternita, o Congregazione, e chiunque altri. Art. 3. Il presente Decreto viene esteso a tutte le Opere delle Chiese del Ducato, eccetto soltanto l'Opera di S. Croce etc. -.

(2) Frances. de Eccles. Cathedr. cap. 20, n. 31.

(3) Hoc sane Decretum praefatus Archiepiscopus die 18 Februarii 1838 tulerat, ut in §. *Tertio* - ibi - È la necessità, che ci obbliga a non fare per adesso cambiamenti intorno ai Curati addetti al servizio del Coro. Ciò non pertanto essendo disapprovato questo uso da S. Alfonso M. Liguori nella istruzione e pratica dei Confessori al cap. 4, p. 4,

*

dit, neminem ex Capellanis caeremoniarum Magistrum agere posse, nisi diebus festis tantum solemnioribus; alias enim privari deberet distributionibus *in Lucana Expensarum Fabricae et aliorum Iurium die 2 Martii 1844* §. *Quaeritur.*

157. Propterea, praefata ratione despecta, quum, iuxta sacrorum Canonum dispositiones, Magistri Caeremoniarum Episcopo et Capitulo in propria Ecclesia inserviant, gaudere possunt distributionibus (1), propositis dubiis: - IV. An et quomodo ius competat Canonicis eligendi Capellanos in Caeremoniarum Magistros in casu etc. *Et quatenus affirmative.*

V. An et quomodo praefati Capellani distributiones lucrari valeant, dum caeremoniarum Magistri munere perfunguntur in casu?-, Sacra Congregatio respondit: - Ad quartum et quintum, Affirmative in omnibus - *in Lucana Expensarum Fabricae et aliorum Iurium die 30 Martii 1844.*

158. Ultimo loco contenderunt inter se Capitulum et Operarius, utri eorum competeret ius nominandi Organi Modulatorem. Non obstante vero, quod Capitulum probare studuisset, pluries eum nominasse ac mercedem persolvisse, contrariam tamen observantiam probavit Operarius, addens simul, ad Operam spectare Organum eidemque incumbere onus restaurationis *in Lucana Expensarum Fabricae et aliorum Iurium die 2 Martii 1844* §. *Binas.*

159. Qua de re, proposito dubio: - VI. An et cui ius competat nominandi Organorum pulsatorem in casu?-, Sacra Congregatio responsum tulit: - Ad sextum, Affirmative Operario - *in Lucana Expensarum Fabricae et aliorum Iurium die 30 Martii 1844.*

160. Animadvertendum vero, quod, licet Laici etiam iure administrandi bona fabricae Ecclesiae Cathedralis pollere valeant, non ideo omnia in ea gerere pro lubitu possunt, praesertim cum de iurepatronatus eorum favore non constet, sed imo cogi etiam valent ab Episcopo ad conficiendum inventarium omnium bonorum, iuxta formam Constitutionis Benedicti XIII, cuius initium: *Maxima vigilantia,* intra tempus ab eo praescriptum *in Savonen. die 29 Februarii 1744.*

161. Iamvero, cum primum ad Ecclesiae Savonensis electus fuit Franciscus Costa, id sibi credidit negocii datum fuisse, ut ad novam Cathedralem construendam animum appelleret. Igitur, coacta publica privataque pecunia, splendidissimum opus tandem explevit; nam et Communitas Savonae et Cives et Collegia et Corpora Artium, praeter dictum Episcopum, pecuniam contulerunt. In hoc itaque templo extructa fuere Sacraria, quorum alteri praeerat Aedituus, qui a Capitulo eligebatur; alteri vero praeerant Administratores fabricae Ecclesiae, qui Massarii appellabantur, quique singulis annis Comitiis publicis eligebantur. Horum munus et cura erat servandis sacram supellectilem et vasa aurea atque argentea, et reditus aliasque obventiones oblationesque Ecclesiae factas administrandi.

162. Hoc rerum ordine ventum est ad annum 1740, quo Savonensis Episcopus die 22 Februarii officii sui esse censuit Edictum proponere, cuius tria erant capita. Primum vetabat, ne ab Administratoribus sive Massariis Cathedralis Ecclesiae removerentur, quae in ea erant, sedilia seu scamna, neve loca novis collocandis in eo Templo venderentur, ne sedes Confessionibus Sacramentalibus excipiendis removerentur, vel aliae substituerentur, inconsulto Episcopo.

163. Iubebat alterum, ut Massarii sese intra fines sui muneris officiique continerent, et Synodales Constitutiones observarent, quibus cautum erat, ut Massarii singulis annis de eorum administratione rationem redderent. Tertium demum iubebat, ut iidem repertorium sive inventarium facerent bonorum, sive mobilium, sive immobilium Ecclesiae, iuxta Constitutionem Benedicti XIII Pontificis Optimi Maximi, cuius ini-

n. 55, per essere il servizio corale difficilmente combinabile con quello della Parrocchia, stabiliamo, che avvenendo che qualcuno degli attuali Curati rinunzii, o in altra guisa cessi di essere Curato, vengano le cose regolate in modo, che in avvenire, se non tutti due, almeno uno de' Curati non sia addetto al Coro. Parimenti nel tempo successivo, cioè alla prima vacanza del Sagrestanato, si procuri, che il Sagrestano non sia del numero de' Cappellani Beneficiati - Quod Decretum et ipse Operarius invocaverat in casu, quo Sacra Congregatio eius petitionem non excepisset.

(1) Ut hic ceteris praetermissis sanxit Sacra Congregatio in Pisana Iurisdictionis et Iurium 27 Iunii 1839, ubi proposito dubio: - An et quomodo caeremoniarum Magistris Archiepiscopo et Capitulo inservientes gaudere possint distributionibus in casu -, Sacra Congregatio, licet in facti narratione exponeretur, huiusmodi Officiales mercedem pro eo munere percipere, responsum dedit: - Affirmative in omnibus, dummodo in Metropolitana tantum munus exerceant -.

tium est: *Maxima vigilantia,* statuto ob id certo tempore.

164. Appellarunt ab hoc Decreto Massarii, et sibi, nomine Communitatis, iuspatronatus totius Ecclesiae Cathedralis vindicare studuerunt. Sacra Congregatio vero, denegato illis seu Communitati iurepatronatus, proposito dubio - II. An Edictum Episcopi publicatum die 22 Februarii 1740 sit exequendum in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad secundum, Affirmative-*in Savonen. die 29 Februarii 1744.*

165. Multo minus Administratores Laici ampliare ac in elegantiorem formam redigere Ecclesiam praesertim Cathedralem possunt, inconsulto Episcopo et Capitulo, etiamsi oeconomicam et providentialem administrationem habeant a Romano Pontifice, cum ministerialis penes Episcopum et Capitulum resideat *in Urbevetana Iurisdictionis die 15 Aprilis et 2 Decembris 1758.*

166. Immo omnia, inconsulto Episcopo et Capitulo facta, redigenda sunt ad pristinum statum, expensis huiusmodi Administratorum *in Urbevetana Iurisdictionis die 15 Aprilis 1758 et die 10 Februarii 1759.*

167. Et re quidem vera, splendidissimum Urbevetanae Ecclesiae Cathedralis Opus, animo conceptum fuit seculo XIII, ab Episcopo Urbevetano Francisco Balneoregiensi. Difficultatibus iniectis a Capitulo Collegiatae Ecclesiae S. Constantii superatis, manus operi admovit anno 1290; unde inceptum opus perductum fuit ad annum 1295 sub cura eiusdem Episcopi et Capituli. Sed, cum nimis a divinis distraherentur, curarunt, ut a Capitaneo Populi et Consulibus septem artium, a quibus Civitas eo tempore regebatur, eligerentur, prout electi fuerunt Laici quidam aptiores, qui fabricae praecessent, vulgo nuncupati *Soprastanti.* Horum cura et pecunia Episcopi Capitulique atque oblationibus Fidelium ita excrevit opus, ut anno 1300 pene absolutum sit; ideoque Summus Pontifex Bonifacius VIII prae oculis habens immanem impensam, quam fecerant Episcopus et Capitulum, eorum mensis univit Monasterium S. Mariae in Sylva Ordinis Camaldulensis ea lege, ut pars dimidia fructuum redituumque eiusdem per quinquennium in opus fabricae eiusdem Cathedralis Ecclesiae erogaretur.

168. Perfecto tandem absolutoque opere, cessavit cura Laicorum, qui eius fabricae praecerant, et per annos centum viginti et octo administratio eius redituum et oblationum fuit penes Episcopos et Capitulum. Sed anno 1419, vacante Sede Episcopali, Conservatores Civitatis, adito Summo Pontifice Martino V, et narrantes, aere publico et oblationibus Civium extructam fuisse Cathedralem Ecclesiam, ab eo impetrarunt, ut, exclusis Episcopo et Capitulo, administratio eiusdem fabricae et redituum et oblationum in eius causam factarum ipsis Conservatoribus tribueretur, qui duos vel plures eligerent, ut administrationi praeessent.

169. Hanc Martini dispositionem revocavit immortalis ille Pontifex Leo X, qui voluit, ut Episcopus et duo Canonici eligerent eos, qui administrarent, quos vocarunt Camerarios, quique etiam rationem reddere tenerentur. Sed, defuncto inde Episcopo, Conservatores Civitatis pristinum ius recuperarunt, revocato ab ipso Leone suo Brevi; atque ita Camerarii laici reditus omnes fabricae administrarunt, ipsius fabricae Curatores fuerunt ad annum usque 1528, quo anno, cum Clemens VII in ea Civitate esset, lata Constitutione iussit, ut unus annalis esset Camerarius, qui in generali Concilio Civitatis eligeretur, quique rationem redderet Revisoribus, inter quos esset Episcopus.

170. Quum autem ex his Summorum Pontificum Constitutionibus Episcopo et Capitulo adempta fuisset oeconomica et providentialis cura et administratio fabricae eiusque bonorum, non vero ministerialis; ideo Camerarii nihil in Ecclesia agere posse censuerunt sine venia et consensu Episcopi et Capituli. Diversum tamen visum est Camerario moderno, qui, cum proposuisset ampliare Capellam Sacratissimi *Corporalis,* monitorium accepit a Tribunali A.C., ut custodiretur in possessione - proprio lubitu et arbitrio, in elegantiorem formam redigendi, ampliandi, et augendi Ecclesiam Cathedralem, in quacumque eius parte, prout domino Camerario visum fuerit et placuerit, sine alicuius dependentia -.

171. Praesidio huius monitorii, quod et Promotori Fiscali Curiae Episcopalis et Capitulo praesentatum fuit, novi Operis fundamenta effodit, spretis omnibus etiam iudicialibus actis appositis ab Episcopo et Capitulo, donec eius impetus repressus fuit Decreto Eminentissimi Domini Cardinalis Pro-Auditoris Sanctissimi, qui causae huius notionem dedit Sacrae Congrega-

tioni. Cum autem in Congregatione habita die 17 Septembris 1757 idem Camerarius postulasset provisionem, Eminentissimi Patres responderunt: - Nihil de provisione petita, et interim scribatur Episcopo, qui auctoritate Sacrae Congregationis provideat, ne fabrica Ecclesiae detrimentum patiatur, sumptibus pro nunc fabricae, et deinde cuius de iure -.

172. Propositis subinde dubiis: - I. An Camerarius seu Administrator bonorum fabricae Ecclesiae Cathedralis Urbisveteris valeat opus, de quo agitur, vel aliud quodlibet moliri in et circa eamdem Ecclesiam, sine licentia Episcopi et participatione ac consensu Capituli in casu etc. *Et quatenus negative.*

II. An constet de sufficienti consensu Episcopi, ita ut sit locus prosequutioni Operis incepti, seu potius omnia sint reducenda in pristinum statum et cuius expensis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Negative. Ad secundum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam, expensis Camerarii - *in Urbevetana Iurisdictionis die 15 Aprilis 1758.*

173. Repropositis dein dubiis, sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, In decisis; et amplius. Ad secundum, Iterum proponatur - *in Urbevetana Iurisdictionis die 2 Decembris 1758.*

174. Demum, reproposito secundo dubio, sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis, quoad secundum dubium in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - In decisis, et ad mentem: et mens est, quod eligatur Peritus de consensu utriusque Partis, qui referat iuxta Instructionem dandam a D. Secretario - *in Urbevetana die 10 Februarii 1759.*

175. Quod eo vel magis dicendum, cum res sit de Administratoribus Loci Pii, in quem Episcopus ordinariam semper exercuit iurisdictionem, tam quoad spiritualia, quam quoad temporalia, ac adhuc exercere ius nanciscitur. Hoc enim in casu nedum ipsi ius competit edendi decreta convocandique Congregationem et in ea praesidere per se vel eius Deputatum, sed absque eius consensu et approbatione non licet Administratoribus ibidem introducere pias Mulieres ad ministrandum et inserviendum *in Vasionen. Iurisdictionis die 11 Augusti 1753.*

176. Iamvero extabat in Oppido Malaucenae Vasionensis Diaecesis vetustissimum Hospitale, cuius fundationis nulla erat memoria, sed procerto constabat, Episcopos Vasionenses in eo semper iurisdictionem exercuisse. Hinc reditus erogati fuerunt, ubi Episcopis magis visum est, qui, praesentibus, imo aliquando postulantibus ipsis Oppidi Consulibus et Hospitalis Rectoribus, decreta tulerunt, quae rectam Hospitalis, eiusque redituum curam et administrationem, vel personas, quae aut in eo recipi, aut ab eo reiici deberent, vel eleemosynas Peregrinis, Mendicantibus, et Verecundioribus Oppidi Familiis distribuendas, vel subsidia dotalia ab Hospitali Puellis praestanda, vel alienationes aut emptiones bonorum ab Hospitali faciendas, respiciebant.

177. Quo tempore et a quibus Hospitalis Rectores antiquitus eligerentur ignotum erat. Constabat solum, bona ab Exconsule Oppidi uti Rectore Hospitalis arbitratu suo anno 1696 administrata fuisse. Abusum hunc censuit et sustulit, qui tunc temporis praeerat, Episcopus, instituta pro regimine et administratione Hospitalis Congregatione, quae constaret Parocho, Consule, Exconsule, aliisque, qui pridem in numero Rectorum erant, latoque simul decreto, quo vetabatur, nullam solvi posse pecuniarum quantitatem, nisi mandatum a Parocho et ab altero Rectorum subscriberetur. Confirmavit hanc Congregationem, paucis quibusdam mutatis, qui Ecclesiae Vasionensi praeerat, Episcopus anno 1714, voluitque Congregationem constitui a Parocho, primo Exconsule et novem aliis Personis, a publico Concilio Oppidi quotannis eligendis.

178. Congregatio haec appellari cepit *le Bourreau,* et confirmata fuit ab alio Episcopo anno 1741, qui, pluribus latis decretis, quibus administrationi Hospitalis consulebatur, numerum tantum eligendorum a publico Concilio diminuit. Inde vero nomine Communitatis aliqui Cives contenderunt, Hospitale laicum exemptum esse ab Episcopi iurisdictione in iis, quae spiritualia non respiciunt. Hinc nedum episcopalia decreta neglecta fuerunt, sed administratio, quam ad id temporis habuerat Congregatio *le Bourreau* et cuius caput erat Parochus, data fuit Oppidi Concilio, a quo duae ex Professis Hospitalariis Puellis Lugduno Malaucenam accitae fuerunt, quae infirmis servitium praestarunt in Hospitali. Id ubi rescivit Episcopus,

iis praecepit, ne in Hospitali versarentur, priusquam ipse de religione et moribus earumdem certior fieret. Obtemperassent fortasse Puellae, nisi Concilium prohibuisset. Acta quoque incepta fuerunt coram R. P. D. Prolegato, contra Promotorem Fiscalem Curiae Vasionensis, sed Prolegatus rem breviter confecit, expulsis non ab Oppido tantum, sed ab universa legatione Puellis.

179. Propositis hinc dubiis: - I. An constet de exemptione Hospitalis Malaucenae a iurisdictione ordinaria Episcopi in casu etc.

II. An liceat Episcopo in Visitatione et extra, tam quoad spiritualia, quam quoad temporalia decreta edere in casu etc.

III. An eidem Episcopo ius competat convocandi Congregationem dicti Hospitalis, et in ea per se vel per eius Deputatum praesidendi in casu etc.

IV. An Rectores aliique Administratores bonorum dicti Hospitalis eidem Episcopo rationes reddere teneantur in casu etc.

V. An Administratio et gubernium eiusdem Hospitalis spectet ad Congregationem eiusdem Hospitalis denominatam *Bourreau,* seu potius ad Concilium dictae Civitatis in casu etc.

VI. An Parocho Civitatis Malaucenae competat ius interveniendi dictis Congregationibus, primum locum inter Rectores occupandi, et suffragium ferendi in casu etc.

VII. An liceat Administratoribus Hospitalis, sine consensu Episcopi, pias Mulieres introducere ad ministrandum et inserviendum dicto Hospitali in casu etc.

VIII. An ad expensas factas pro introductione dictarum piarum Mulierum in dicto Hospitali teneatur idem Hospitale, seu potius Communitas seu Deputati in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Negative; et amplius. Ad secundum tertium et quartum, Affirmative; et amplius. Ad quintum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam; et amplius. Ad sextum, quoad primam partem, Arbitrio Episcopi: in reliquis, Affirmative; et amplius. Ad septimum, Negative; et amplius. Ad octavum, Ad mentem - *in Vasionen. Iurisdictionis die 11 Augusti 1753.*

180. Hinc multo minus Administratores Locorum Piorum possunt, absque licentia Episcopi, concedere ius sepeliendi, Capellas, Altaria, quae species sunt alienationis *in Litteren. 1609 lib. 11 decretorum p. 72.*

181. Nec possunt commutare ultimas voluntates, absque Sedis Apostolicae licentia *in Litteren. 1609 lib. 11 decretorum p. 72.*

182. Porro Sacra Congregatio sanxit: - Ius sepeliendi, Capellasque, et Altaria, aliaque similia, quae species alienationum sunt, concedere non esse permissum Administratoribus, absque licentia Episcopi, minusque ultimas voluntates commutari, quod pertinet ad Sedem Apostolicam - *in Litteren. 1609 ad IV dubium lib. 11 decretorum p. 72 a tergo.*

183. Ceterum Administratores alicuius Ecclesiae sive Hospitalis, quibus a Testatore impositum est onus et cura celebrandi, potestatem habent per se ipsos Missas celebrare, vel eligere quos maluerint ad earum celebrationem in illis Ecclesiis adimplendam *in Tiburtina Celebrationis Missarum die 10 Septembris 1735* §. *Fratres* (1).

184. Quando enim Testator legatum Missarum non contulerit in aliquam designatam Ecclesiam, seu Administratoribus non imposuerit onus et curam, ut celebratio ibidem fieret, plena ipsi potiuntur potestate Missas per se ipsos celebrandi, aut eligendi quos maluerint ad earum celebrationem in designata Ecclesia, etiamsi Regularis fuerit, ac petendi indultum translationis *in Tiburtina Celebrationis Missarum die 24 Septembris 1735.*

185. Siquidem, propositis dubiis: - I. An celebratio Missarum, de quibus agitur, spectet ad Fratres Dominicanos et Minores Observantes, vel potius sit in arbitrio Fratrum Ordinis S. Ioannis de Deo eas celebrare per se ipsos vel per alios. *Et quatenus Negative quoad primam partem, et Affirmative quoad secundam.*

II. An onera earumdem Missarum sint transferenda ad Ecclesiam dictorum Fratrum S. Ioannis de Deo in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Negative quoad primam partem, Affirmative quoad secundam. Ad secundum, Affirmative; facto verbo cum Sanctissimo, exceptis tamen Missis celebrandis ad certum Altare, vel in Ecclesia, in qua Testatores fuerunt tumulati - *in Tiburtina Celebrationis Missarum die 24 Septembris 1735.*

(1) Card. De Luc. de Legat. disc. 25; Rot. in decis. 294, part. 9 Recent.

186. Non aliter Administratoribus Fabricae S. Petri ius est transigendi super Legatis ad Pias Causas relictis, quam si et dies vel conditio adimplendae voluntatis Morientium advenerit, et certum temporis spatium Heredibus aliisque gravatis, pro eiusmodi piae voluntatis exequutione, vel pro impetranda ab Apostolica Sede illius commutatione, si ea nequeat exequutioni mandari, per Iudicem praefiniatur *in Nullius Terrae Pontiani Commutationis Voluntatis die 5 Maii 1742* §. *Inquiunt* (1).

187. Praesertim, si per Oratorem exposita adamussim veritati minime cohaereant; tunc enim quaevis compositio seu transactio sic ab illis peracta nulla ac irrita censeri debet *in Nullius Terrae Pontiani Commutationis Voluntatis die 5 Maii 1742.*

188. Siquidem Martinus de Dominis, Canonicus Ecclesiae Collegiatae Sancti Nicolai Terrae Pontiani, scripto sibi Herede in postremis tabulis, sub annum 1722 exaratis, Ioanne Baptista de Dominis Clementis Fratris sui Filio, edixit, quod si praefatus Heres moriretur absque filiis masculis ex propriis bonis hereditariis erigi deberet Monasterium Monialium (2). Vix biennio a die obitus Testatoris exacto praedictus Ioannes Baptista de Dominis adiit Sacram Congregationem Fabricae S. Petri eique in effuso libello exposuit, se Patrui hereditatem adivisse cum beneficio legis et inventarii, ne sibi praeiudicium, propter rationes eidem competentes super bonis paternis atque maternis, inferret; demandatum vero Monasterii opus pro feminis dumtaxat ex Seniore Ioanne Baptista de Dominis ipsius Testatoris Patre descendentibus adimpleri nequire, tum quia fere impossibile videretur, eum semper Puellarum numerum ex genere vocato fore exiturum, qui ad efformandam Monasterii Communitatem sufficeret; tum etiam, quia universa bona hereditaria longe minora essent, quam ut ex iis novum posset extrui Monasterium congruisque cumulari reditibus, dum ex tota hereditate, valorem scutorum 15000 non excedente, plurium censuum capitalia et debitorum nomina summam usque scutorum 6672. 52 conflantia, ob eorumdem debitorum inopiam, inania prorsus effecta detrahi debebant.

189. Hinc sola supererat summa scutorum 8551, et haec veluti constans, partim ex nonnullis domibus aliisque paucis aedificiis in Terra Pontiani sitis non uberem fructum reddentibus, partim ex praediis ecclesiasticae emphytheusi suppositis, aut nullo pacto ex concessionis lege, aut sine solutione quindennii haudquaquam in manus, ut aiunt, mortuas transire permissis, par minime esset designatae novi Monasterii constructioni; addensque praeterea, se nondum spe Prolis ab Uxore sua suscipiendae destitui, qua utique superveniente, conditionalis Monasterii substitutio evanesceret, supplex idcirco petiit, ut ad tenuem aliquam et aequam compositionem super negocio huius piae voluntatis una cum absoluta iurium omnium Reverendae Fabricae competentium cessione admitteretur.

190. Id vero ut impetraret, paratum se obtulit, explicatam in eodem stipulandae compositionis Instrumento obligationem emittere, de erigendo post sui obitum, etiamsi cum Filiis Masculis decederet, Canonicatu in Ecclesia Collegiata S. Nicolai Terrae Pontiani,

(1) Ventrigl. in Prax. For. eccles. part. 2, annot. 28, §. 2, n. 6, 7, 8 et 25; Marant. respons. 41, n. 13; Vespignan. in Compend. privileg. R. Fabricae, pag. 36, §. 7.

(2) Hisce verbis Testator substitutionem demandavit, ut in §. *Martinus* - ibi - E morendo detto Giovanni Battista Domini mio Erede quandocumque, che Dio non voglia, senza figli maschi legittimi e naturali, nati di legittimo matrimonio da principio contratto, e non legitimati per susseguente matrimonio o rescritto o grazia del Principe, quali così legittimi escludo dalla mia Eredità, ordino e comando, che detti frutti di tutta la mia Eredità, e beni ereditarii senza alcuna detrazione di Trebellianica o altra detrazione legale, che espressamente proibisco, si eriga e istituisca colle necessarie e opportune licenze, nella Terra di Ponziano mia Patria un Monastero di Monache dell' Istituto e Regole di S. Francesco d'Assisi de' Minori Conventuali, per comodo e beneficio solamente di tutte le discendenti del quondam Giambattista Domini mio Padre, tanto per linea Mascolina, quanto Feminina in infinitum, e che le medesime discendenti, che vorranno monacarsi in detto Monastero, debbano essere ammesse con pagare ciascheduna di esse soli scudi 200 a detto Monastero per dote o sia elemosina dotale; per uso poi ed abitazione di dette Monache debba servire la mia casa, che possiedo dentro detta mia Patria. E perchè detta mia casa non sarà capace per detto monastero, vi sarà bisogno di essere ampliata, perciò per detto effetto, e anco per mettere assieme quella somma di danaro, che sarà necessaria per provvedere detto Monastero di suppellettili ed altre cose, ordino che, durante la vita di detto mio Erede, debba mettere a moltiplico ogni anno scudi 50 a beneficio dei Figli di detto mio Erede, se gli averà; e non avendo Figli a beneficio ed augumento del Monastero sostituisco come sopra etc. -.

deque illi assignando in dotem annuo reditu scutorum quinquaginta, reservato tamen sibi suisque Heredibus iure praesentandi ad eumdem Canonicatum, ac imposito eius Possessori onere duplicis Missae singulis hebdomadis in suffragium animae Testatoris celebrandae. Hisce autem precibus Congregatio Reverendae Fabricae ita rescripsit: - Ad D. Commissarium Romanelli, qui, attentis et veris existentibus narratis, ac facto prius per Oratorem in Banco Reverendae Fabricae deposito scutorum biscentum, ad commodum et beneficium ipsius Reverendae Fabricae, eumdem Oratorem super expositis etiam ante adventum conditionis et cum cessione iurium Reverendae Fabricae in forma consueta ad compositionem admittat, facta insuper per praedictum Oratorem obligatione erigendi post eius obitum Canonicatum, ut in precibus, et ad formam Instrumendi stipulandi, et non alias etc.-.

191. Ad tramites istius Rescripti composita subinde res fuit, et exaratum est instrumentum, in quo dictus Commissarius Romanelli expresse testatus est, compertam habuisse precum veritatem. Sic autem compositione peracta, erectus paulo post fuit etiam Canonicatus, qui ditatus censibus annui reditus scutorum octo supra octuaginta, ad nominationem praefati heredis Ioannis Baptistae de Dominis, praefato Romanelli deinde collatus asserebatur.

192. Post haec vero Descendentes ex altero Ioanne Baptista de Dominis seniore supplicem Sanctissimo porrexere libellum, quo rogarunt, ut commutare dignaretur voluntatem praefati Canonici Martini de Dominis, ut nempe loco Monasterii extruendi plures erigerentur Canonicatus, et aliqua constituerentur annua subsidia dotalia, pro Puellis ex se descendentibus, quae in Domino vellent nubere. Hoc autem ut assequeretur, praedictam compositionem tum ex defectu potestatis Administratorum Reverendae Fabricae, tum ex falsitate exposita a praedicto herede Ioanne Baptista, oppugnarunt. Nam is falso exposuit, sibi competere ius detrahendi bona paterna ac materna ex hereditate Patrui, ac summam scutorum 6672, quae exigi non poterat, in ipso instrumento transactionis liquido apparere, haud maiorem esse scutis 6485, atque ex his praeter scuta biscentum plurimos census ab ipso Ioanne Baptista traditos fuisse in dotem Canonicatus ab eo erecti, neque illud veritati accedere potuisse, quod casus substitutionis Monasterii adhuc penderet ab incerto eventu nativitatis filiorum, quum is, post trigenariam cum Uxore cohabitationem, nullos unquam filios susceperat, atque id temporis septuagesimum ferme aetatis annum agebat, ab omni profecto spe gignendae Prolis decidisset.

193. Propositis hinc dubiis: - I. An substineatur compositio cum cessione iurium facta a Reverenda Fabrica Sancti Petri, favore quondam Ioannis Baptistae de Dominis? *Et quatenus Negative.*

II. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo, pro commutatione voluntatis quondam Canonici Martini de Dominis? -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Negative. Ad secundum, Dilata; et firmetur status hereditatis Canonici Martini de Dominis coram Vicario Apostolico, qui procedat etiam pro redditione rationis adversus Heredes Ioannis Baptistae de Dominis Iunioris – *in Nullius Terrae Pontiani Commutationis Voluntatis die 5 Maii 1742.*

194. Reproposito dein primo dubio, sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.-, Sacra Congregatio responsum dedit: - In decisis, et amplius - *in Nullius Terrae Pontiani Commutationis Voluntatis die 21 Iulii 1742.*

195. Praeterea Administratores Ecclesiarum nequeunt aliquid retinere ex Missarum eleemosynis, ratione utensilium, nisi quando Ecclesiae et Loca Pia careant aliis reditibus, quos in praedictam causam erogare valeant – *in Nucerina Paganorum die 17 Iulii 1726* §. *Adduntur.*

Item *in Romana Utensilium die 28 Ianuarii 1736* §. *Et quamvis.*

196. Id tamen eo solummodo in casu servatur, cum de Missis manualibus et adventitiis agatur, non autem de quotidianis *in Romana Utensilium die 28 Ianuarii 1736* §. *Et quamvis.*

197. Habetur quippe cautum ex Decretis Urbani VIII, ab Sacra Congregatione editis, - permittendum non esse, ut Ecclesiae ac Loca Pia, seu illorum Administratores ex eleemosynis Missarum celebrandarum ullam utcumque minimam portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in Missarum celebratione, nisi cum Ecclesiae et Loca Pia alios non ha-

beant reditus, quos in usum earumdem expensarum erogare licite possint, et tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quae pro ipsomet tantum Missae Sacrificio necessario sunt subeundae, et nihilominus eo etiam casu curandum esse, ut ex pecuniis, quae supersunt, expensis ut supra deductis, absolute tot Missae celebrentur, quot praescriptae fuerint ab Offerentibus eleemosynam -, attamen huiusmodi Decreta loqui dumtaxat videntur de Missis manualibus et adventitiis, non autem de quotidianis et perpetuis (1) *in Romana Utensilium die 28 Ianuarii 1736* §. *Et quamvis.*

198. Tunc enim quidquam pro utensilibus ex Missarum eleemosynis detrahi potest *in Romana Utensilium die 28 Ianuarii 1736* §. *Et quamvis* (2).

199. Idcirco, proposito dubio: - An pro Capellaniis erectis anno 1709 in Ecclesia S. Agnetis debeantur ab earum Possessoribus eidem Ecclesiae utensilia, pro celebratione Missarum in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative, et amplius - *in Romana Utensilium die 24 Martii 1736.*

200. Hinc et Administratores Montis Pietatis exigunt a Pignorantibus ad rationem quinque, pro centenario *in Casalen. Montis Pietatis die 12 Martii 1718* §. *Absque eo.*

201. Duo enim sunt, pro Ministrorum salario et reliqua tria exigunt, pro emendatione damni emergentis, cui Mons subiectus est summam recipiendo ad rationem trium pro centenario *in Casalen. Montis Pietatis die 12 Martii 1718* §. *Absque eo* (3).

202. Quinimo ipsis Montis Pietatis Administratoribus solet Sacra Congregatio impartiri licentiam mutuas accipiendi pecunias, ad rationem interusurii trium pro centenario, et exigendi a Pignorantibus, ad rationem quinque pro centenario, sub clausulis tamen, quod interusurium non exigatur, nisi ad rationem quinque, quodque intra certum tempus fiat restitutio summae, ad usum acceptae *in Casalen. Montis Pietatis die 12 Martii 1718* §. *Pauperum.*

203. Enimvero Administratores Montis Pietatis Civitatis Casalensis anno 1692 supplicarunt pro facultate accipiendi pecunias ad rationem interusurii trium pro centenario, et exigendi a Pignorantibus ad rationem quinque pro centenario, et die 19 Aprilis Sacra Congregatio, praevia Episcopi relatione, petitam facultatem concessit pro scutis 3000, dummodo pro eadem dumtaxat summa exigi posset interusurium ad rationem quinque, et dummodo intra triennium, et tunc decurrendum, fieret dictae summae restitutio *in Casalen. Montis Pietatis die 12 Martii 1718* §. *Administratores.*

204. Pauperum indigentiae, quae fuerunt causa recursus habiti ab Administratoribus Montis Pietatis, excreverunt; iisdemque Administratoribus supplicantibus pro nova facultate accipiendi duplas 6000 ad rationem trium et exigendi ad rationem quinque, eadem Sacra Congregatio, attenta relatione Episcopi Casalensis, et veris existentibus narratis, et praesertim quod facta fuisset restitutio scutorum 3000, licentia impartita est recipiendi summam scutorum 3000 sub annuo interusurio trium pro centenario, nec non exigendi a Pignorantibus, pro eadem dumtaxat summa scutorum 3000, ad rationem quinque pro centenario, renovataque clausula, quod summa recipienda intra triennium a die receptionis decurrendum restitueretur (4); et paulo post, die videlicet 7 Iulii 1708 ampliata fuit a Sacra Congregatione facultas usque ad summam scutorum 6000, ita tamen, ut haec summa intra triennium, a die receptionis decurrendum, restitueretur *in Casalen. Montis Pietatis die 12 Martii 1718* §. *Pauperum.*

205. Facultates ab Sacra Congregatione concessae Administratoribus Montis Pietatis non fuerunt sufficientes, ut occurri posset necessitatibus Pauperum, qui egestate pressi confugere inceperunt ad Hebraeos, a quibus mutuas acceperunt pecunias ad rationem decem et octo, pro quolibet centenario et anno; ad quod inconveniens de modo tollendum, cum saepe memorati Administratores supplices iterum preces exhibuerint, pro licentia accipiendi duplas decem

(1) Uti notavit Rota in decis. 463, n. 5 et 6, coram Molin.

(2) Rot. in decis. 463, n. 5 et 6, coram Molin.

(3) Nimirum ad terminos Textus in L. Unica, Cod. de Sentent. quae pro eo quod interest; et iuxta communem doctrinam Theologorum, duce D. Thoma in 2, 2, quaest. 78, art. 11 ad 1.

(4) Uti colligitur ex Decreto 28 Ianuarii 1708.

mille ad rationem trium pro centenario, et quinque exigendi a Pignorantibus: Episcopus Casalensis requisitus, pro informatione et voto, nedum asseruit calamitates esse certissimas, sed ulterius in ea fuit opinione, ut petita facultas pro summa expressa concedi valeret *in Casalen. Montis Pietatis die 12 Martii 1718* §. *Facultates.*

206. Proposito hinc dubio: - An et pro qua summa et quomodo Oratorum precibus sit annuendum -, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative, pro aliis scutis 6000, cum iisdem cautelis et conditionibus appositis in praecedentibus concessionibus, et ad mentem - *in Casalen. Montis Pietatis die 12 Martii 1718.*

207. Nulla quippe amplius esse valet dubitatio, quin sacri Montes Pietatis aliquid ultra sortem, pro necessariis Ministrorum impensis exigere possint *in Casalen. Montis Pietatis die 12 Martii 1718* §. *Concessioni.*

208. Antiqua enim celebrisque controversia magnis animorum motibus agitata inter Inquisitorem Mantuae et Beatum Bernardinum Feltrensem, uti legitur in vita huius Beati scripta a Morastico, et pro qua hinc inde pugnatum est inter Theologos et Canonistas, resoluta fuit in Concilio Lateranensi a Summo Pontifice Leone X, quemadmodum legitur in eius Constitutione (1), ita ut reprobentur nonnullorum paucorum assertiones, qui post Concilium Lateranense improbare ausi sunt, quod Sacri Montes Pietatis aliquid moderatum ultra sortem recipient pro necessariis impensis *in Casalen. Montis Pietatis die 12 Martii 1718* §. *Concessioni.*

209. Itaque Administrator seu Exequutor Operis Pii ius habet ad integram refectionem expensarum, quae in utilitatem eiusdem Pii Operis cesserunt *in Feretrana Applicationis super Expensis Litis die 31 Septembris 1800* §. *Ut* (2).

210. Amplia, iis etiam refici debent expensae, qui litem legitime sustinuerunt, ut Legata Pia iuxta Testatoris voluntatem adimplerentur *in Ferrarien. die 13 Septembris 1787.*

211. Aequum namque non est, ut illas de proprio subeant, qui nullum ex lite compendium habent *in Ferrarien. die 15 Septembris 1787* §. *A primo* (3).

212. Iamvero Romanus Boari anno 1678 in casu, quo Heredes scripti deficerent, hereditatem voluit sub perpetua administratione, deputavitque in Administratores Angelum Cavallini et Ioannem Franciscum Algarotti eorumque Filios et Descendentes, quorum ultimo potestatem fecit nominandi alium Administratorem bonae vitae et famae atque idoneum. In huiusmodi casu, qui iamdiu evenit, legem Administratoribus dedit, ut, annuis pro eorum stipendio retentis scutis quadraginta, reliquos omnes erogarent reditus, 1. in construendo et dotando Sanctissimae Annuntiatae Sacello vel Oratorio; 2. In amplianda, cum casus exigeret, Parochiali Ecclesia Villae S. Nicolai, ubi sepulti fuerunt Mater ac Frater eius, ac idem sepeliri edixit; 3. In celebrationem Officii Defunctorum Sacrorumque vigintiquinque in Ecclesia S. Nicolai quotannis in mense Maii vel Septembris; 4. In perpetuam subministrationem panis, vini, lignorum, obsonii, pro RR. PP. Capuccinis, qui occasione itineris vel transitus in Hospitio nuncupato di Marrara subsistent; 5. In annuam solutionem scutorum decem Capellano Ecclesiae S. Nicolai, pro duodecim Missis quolibet mense; Ac 6. tandem in distributionem subsidiorum dotalium Puellis, quae in Domino nubere vellent, nec non in alia Opera Pia, pro anima ipsius Testatoris.

213. Etsi casus administrationis contigisset, nihilominus Frater Testatoris illico post eius obitum hereditatem occupavit, praefatos Cavallinum et Algarottum auctoritate privavit, ac ipse decedens alios nominavit Administratores. Inde quidam Manzalius administrationis cessionem a Mario per Fratrem praedicti Testatoris Boari nominato extorsit, atque illicite sibi bona omnia titulo emphytheusis applicavit. Quum autem eius Heredes Pia Opera negligerent, interpellati fuerunt anno 1783 pro redditione rationis a Curia Archiepiscopali: re-

(1) Relata in Bullar. tom. 1, n. 11.

(2) Gloss. in cap. *Cum inter* 3, de elect.; ibique Abb. n. 4 et seqq.; Barbos. de Can. et Dignit. cap. 24, n. 24 et seqq.; Scarfant. ad Ceccoper. lucubrat. Can. lib. 4, tit. 13, n. 1 et seqq.; Rot. in Giennen. seu Boestien. Reintegrationis massae communis super exhibitione 20 Ianuarii 1738 §. Neque ullum, coram Bussio.

(3) Bellet. disquisit. cleric. de Clericor. debit. §. 3, n. 40 et seqq.; Antonell. de iur. et oner. Clericor. lib. 2, part. 6. cap. 12, n. 2.

que interim cognita, ab Eminentissimis Patribus postularunt S. Nicolai et Madrariae Populi, ut, rescissa investitura anni 1703, mandare dignarentur Archiepiscopo deputationem Administratorum, qui voluntatem Romani Boari exequerentur.

214. Itaque Parochi Madrariae et S. Nicolai penes Sacram Congregationem nomine Parochianorum ac veluti legitimi Administratores Piorum Legatorum, quae Parochialibus Ecclesiis et Pauperibus Parochianis relicta erant, ob id enixe institerunt, ut voluntas praefati Romani adimpleretur. Idcirco expensas, ad id obtinendum factas, merito expostularunt, ac sustinere contenderunt, subeundas esse huiusmodi expensas litis ab hereditate Boari, seu a Piis Operibus, quorum iura defensaverunt.

215. Et reapse, nulla ac irrita declarata investitura emphytheusis anni 1703, ac modo simul, quo adimplenda essent Pia Opera ordinata a Romano Boari, praescripto, nec non restitutione fructuum quoad praeteritum demandata, proposito dubio: - IV. An et cuius sumptu sint faciendae expensae praesentis litis, favore Operis Pii in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad quartum, Affirmative sumptibus Operis Pii - *in Ferrarien. die 15 Septembris 1787.*

216. Reproposita dein causa, etsi Sacra Congregatio absolutionem quoad praeteritum Heredibus Manzalii indulserit, ac rursum cetera vel iuxta mentem vel modum sanxerit, praedicto dubio, sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in quarto dubio in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - In decisis, et amplius - *in Ferrarien. die 16 Februarii 1788.*

217. Quin imo expensae Litis, favore Pii Operis factae, eo etiam in casu Administratori seu Exequutori testamentario sunt reficiendae, quum alter Administrator seu Exequutor testamentarius et plerique interesse habentes Sacram Congregationem adierint, ut in alium usum reditus Pii Operis ex gratia convertere dignaretur *in Feretrana Applicationis super Expensis Litis die 24 Ianuarii 1801.*

218. Amplia, etiamsi praedictus alius Administrator seu Exequutor testamentarius protestatus fuerit, se non posse ac velle iudicio contendere, dum ex gratia tantum rem postulavit, atque Episcopus eiusdem instantiae gravibus rationum momentis favere mordicus censuerit *in Feretrana Applicationis super Expensis Litis die 24 Ianuarii 1801.*

219. Iamvero fructus hereditatum Gratiosi et Sacerdotis Angeli Remigii Calbini erogandi erant in eleemosynas et subsidia dotalia, favore Pauperum Maceratae Feltriae; Piique Operis executio ex ultima Testatorum voluntate incumbebat Praetori et Parocho loci pro tempore. Horum unus, Parochus nempe Dominicus Antonius Ravogli, Sacrae Congregationi supplicavit anno 1796, pro illorum applicatione pauperi suae Parochiae, et facultate distrahendi hereditarium praedium *Persena* ad reparandam ex pretio Parochialem Ecclesiam; eiusque instantiae plerique adhaeserunt Oppidani, dummodo alternis annis inter Pauperes distribueret eleemosynam scutorum quindecim et dotale subsidium scutorum vigintiquinque: obstitit tamen cum nonnullis aliis Oppidanis Exequutor alter Franciscus Masini, qui eiusdem Oppidi Praetor erat; reque ad folium remissa, citata Parte, sustinere nolle declararunt Parochus eiusque Fautores formalem litem de re, quam ex gratia postulabant.

220. Solus propterea Masinius causam cum gravi sumptu egit: congruisque propositis dubiis: - I. An et quomodo sit locus applicationi hereditatum Calbini? II. An et quomodo sit providendum praesenti reparationi aedium et Ecclesiae Parochialis? -, Sacra Congregatio respondit die 27 Augusti eiusdem anni 1796: - Ad primum, Negative. Ad secundum, Affirmative ex pecunia cumulata, et quatenus opus sit, aliis etiam remediis a Sacro Concilio Tridentino praescriptis - *in Feretrana Applicationis super Expensis Litis die 13 Septembris 1800* §. *Fructus.*

221. Hinc post dimissum Praetoris et Exequutoris testamentarii Officium Eminentissimis Patribus supplicavit Masinius sequenti anno 1797, pro reintegratione expensarum Litis in summa scutorum 99. 63, per Peritum Curialem taxata, ex reditibus hereditatum, eique novus favit Praetor, dummodo reservaretur Pio Operi actio contra quos de iure. Aliter vero in sua informatione Episcopus Feretranus sensiit *in Feretrana Applicationis super Expensis Litis die 13 Septembris 1800* §. *Fructus.*

222. Is quippe haec deducere contendit coram Sacra Congregatione: - Ego pro meo sensu tan-

tum dicam, iniuste Oratorem Masini expensarum refectionem petiisse ac petere; tum, quia Pauperes sunt protestati, ut ex folio meae obsequentissimae relationi Idibus Martii 1796 adiuncto, hocque Masini bene sciebat; tum, quia Archipresbiter ex gratia petiit unionem Paraeciae suae legatorum praedictorum, quam facere cum Eminentiae Vestrae nullimode censuerint, immo ut poneretur in folio decreverint, ipsemet se non posse ac velle iudicio contendere fuit protestatus. Quapropter sibi imputet Masini, si impenderit in scriptura, nimis Archipresbitero mihique iniuriosa, aliisque in actis ab eo emissis. Gravi esset Pauperibus praeiudicio harum expensarum, proprio marte factarum et ex pravo animo, refectio. Sufficiat Oratori illa, quam ubique decantavit ostensione scripturae ac decantat, obtenta victoria, contra intentionem ac Archipresbiteri petitionem, meumque votum - *in Feretrana Applicationis super Expensis Litis die 13 Septembris 1800* §. *Fructus.*

223. His tamen non obstantibus, proposito dubio: - An in qua summa et a quibus sint solvendae expensae Litis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative, in summa liquidanda a D. Secretario, reservato iure Pio Operi, contra quos de iure - *in Feretrana Applicationis super Expensis Litis die 24 Ianuarii 1801.*

224. Idcirco nec alia deducta in casu difficultas obstitit, quod tanto forsan opus non fuisset Procuratoris et typis sumptu, ad oppugnandam declarati Contumacis petitionem, sed compendiosa cum exhibitione documentorum exsuperassent scripta *in Feretrana Applicationis super Expensis Litis die 13 Septembris 1800* §. *Quae.*

225. Etenim diluenda erant, quae in supplici libello deduxerat Parochus, circa assertam praesertim Parochiae inopiam: ea omnia rursum, quae illius Fautores Oppidani addebant; et gravia tandem rationum momenta, ex quibus favebat Episcopus instantiae *in Feretrana Applicationis super Expensis Litis die 13 Septembris 1800* §. *At.*

226. Iusta propterea horum omnium confutatio melius fieri posse videbatur, per allegationem typis impressam, quam scriptis *in Feretrana Applicationis super Expensis Litis die 13 Septembris 1800* §. *At.*

227. Id sane integram suadere poterat refectionem expensarum, quae dubio procul, ex praemissis Sacrae Congregationis Rescriptis 27 Augusti 1796 in utilitatem Pii Operis cesserunt *in Feretrana Applicationis super Expensis Litis die 13 Septembris 1800* §. *At.*

228. Quum autem Masinius, rebus sic stantibus, potuisset in notulam expensarum exhibitam referre praeter necessarias etiam superfluas expensas, merito Sacra Congregatio demandavit, ut solverentur expensae in summa liquidanda a D. Secretario *in Feretrana Applicationis super Expensis Litis die 13 Septembris 1800.*

229. Cuilibet enim Administratori refici quidem debent necessariae, non item superfluae expensae *in Feretrana Applicationis super Expensis Litis die 13 Septembris 1800* §. *Quae* (1).

230. Non possunt vero Administratores conficere sumptus litium, quae non tangunt interesse rei administratae, sed potius proprium *in Asculana die 12 Iulii 1788.*

231. Non licet idcirco Capitulo conficere sumptus litium, quae non tangunt interesse Ecclesiae vel Fabricae, quam administrat *in Asculana die 12 Iulii 1788.*

232. Proposito enim dubio: - I. An liceat Canonicis et Capitulo Ecclesiae Cathedralis Asculi ex pecuniis seu reditibus Fabricae eiusdem Ecclesiae conficere sumptus litium aliarumque rerum, quae spectant ad ipsum Capitulum et non tangunt interesse ipsius Ecclesiae vel Fabricae, seu potius fieri debeant ex reditibus ipsius Capituli et Canonicorum in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam - *in Asculana die 12 Iulii 1788.*

233. Reproposito dein dubio, sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - In decisis, et amplius - *in Asculana die 12 Iulii 1789.*

234. Hinc Administrator Legati Pii non potest sibi applicare praeter id, quod est taxatum a Testatore *in Dubio ad Cap. 9 sess. 22 de reform. Posit. 41 pag. 614.*

235. Quando vero taxatio, per Testatorem

(1) Id tradit Barthol. in Leg. *Qui sub conditione* 110, ff. de condit. et demonstrat., quam probavit Rota in decis. 431, n. 11, part. 13 Recent.

facta, obscura vel certe non satis aperta sit, benigna interpretatio fieri debet, favore Administratoris, cum praesertim consuetudo et observantia concurrant *in Florentina Administrationis Legati die 16 Septembris 1854.*

236. Quandoquidem, inter plura Legata Pia quorum administratio Capitulo Metropolitanae Ecclesiae Florentinae concredita est, illud etiam recensetur, quod a pio Benefactore Zanobi Mazzinghi nomen habet. Testamento enim diei 23 Aprilis 1660 Legatum Pium instituit Mazzinghius, cuius administrationem praefato Capitulo tribuit, cum iure percipiendi, deductis expensis necessariis, decimam partem redituum, pro curis atque labore servandi bona et libros (1) *in Florentina Administrationis Legati die 16 Septembris 1854* §. *Inter.*

237. Ex hisce testamenti verbis arguebat Iurisconsultus Congregationis *dei Buonuomini* S. Martini, in suo voto hac in quaestione, quae nunquam definita fuit, edito, decimam redituum partem legatam Capitulo fuisse compensationis titulo, oneris nimirum eidem iniuncti administrandi bona Legati: unde consequi sibi videbatur, honorarium Ratiocinatori et Arcario debitum in hac decima supputandum esse, non ex integris Legati reditibus detrahendum (2) *in Florentina Administrationis Legati die 16 Septembris 1854* §. *Ad tertium.*

238. At in eadem testamentaria dispositione insistens Iurisconsultus Capituli, huic propitium pandidit votum, cui prorsus adhaesit Archiepiscopus. Perpendit enim, Capitulum pro recta Legati administratione opus habere Ratiocinatore et Arcario, expensisque ad id necessariis praegravari. Quum id non ignoraret Testator, profecto praesumi nequit, cum de expensis necessariis ex integra massa redituum detrahendis verba fecit, eum nullam de expensis a Capitulo perferendis rationem habuisse, quas quidem necessarias esse nemo non videt *in Florentina Administrationis Legati die 16 Septembris 1854* §. *In eadem.*

239. Praesertim vero, cum decima pars Capitulo debita esse debeat libera; ac talis plane non esset, ubi ab ea huiusmodi deducendae forent expensae, quae quartam emolumenti partem absorbent; decima enim pars, qua Capitulum fruebatur, scutata quadraginta circiter attingebat *in Florentina Administrationis Legati die 16 Septembris 1854* §. *In eadem.*

240. Nec obstare causam Legati finalem, nimirum *per le brighe e fatighe di tenere e mantenere detti beni e tenerne le scritture.* Ex quibus postremis praesertim verbis contenderunt ex adverso, Capitulo onus saltem inesse honorarii Ratiocinatoris et Arcarii. Huic sane difficultati occurrit Archiepiscopus ex eo potissimum, quod id nullatenus menti Testatoris cohaereat (3) *in Florentina Administrationis Legati die 16 Septembris 1854* §. *Nec.*

241. Ceterum, ubi dubia nihilominus testamentaria dispositio videatur, notandum est, hoc in casu plurimum deferri consuetudini et observantiae (4); quae, etsi ius novum non constituat, per eam dubiae et obscurae Defunctorum

(1) En verba Testatoris, nimirum decima pars redituum, ut in §. *Inter* – ibi – Dedotte le spese necessarie, spettasse liberamente al detto Capitolo, per le brighe di tenere e mantenere i beni di quello e tenerne scrittura –.

(2) Siquidem ita Vir ille disserebat, ut in §. *Ad tertium* – ibi – Poichè se i Componenti il Reverendissimo Capitolo per eseguire le incombenze relative ad una tale amministrazione hanno bisogno di prevalersi, e di fatto si prevalgono di Ministri subalterni, come che l'opera di questi è diretta a sgravare il Capitolo da quelle brighe appunto in correspettività delle quali fu lasciato al medesimo dal Testatore il decimo dell' Entrate, così essendo il Capitolo quello che risente tutto il vantaggio che deriva dall' opera e servizio di tali Ministri, deve altresì il Capitolo esser quello che deve pagare loro il conveniente onorario, e quindi non sottoporre chi ha interesse nel patrimonio amministrato a soffrire doppiamente le spese dell' amministrazione –.

(3) Haec praelaudatus Archiepiscopus deduxit, ut in §. *Nec* – ibi – Non si notò abbastanza, che ivi non è fatta parola di spese, alle quali era già stata pensato innanzi, ordinandone la detrazione sulla massa delle rendite; ma solamente di brighe e fatiche, che son ben altra cosa, perchè significano i pensieri, e le cure, e le sollecitudini dell' amministrare un qualunque siasi patrimonio, non tanto per conservarlo e vantaggiarlo, quanto anche in questo caso per impiegarne, secondo certi determinati fini e modi, le rendite... Il che si fa più chiaro, quando si rifletta, che ove sotto le voci *brighe e fatiche di tenerne scrittura* si volesse intendere comprese le spese, sarebbe giocoforza conceder lo stesso rispetto al tenere e mantenere i detti beni, e per conseguente tenere obbligato il Capitolo alle spese di acconcimi, di dazii, di esazione, di atti civili ecc. –. Quod quidem expressae Testatoris voluntati omnino repugnat.

(4) Observantia quippe favore Capituli; unde petiit, ut in §. *Nunc* – ibi – 3. Se la provisione del Computista e Cassiere del Capitolo, la quale è di scudi dodici in tutto debba considerarsi, *come è stato fin qui,* fra le spese necessarie da detrarsi sulla somma delle rendite lorde, oppure come pretesero una volta i Buonuomini sopportarsi dal Capitolo sul decimo legatogli –.

voluntates interpretantur *in Florentina Administrationis Legati die 16 Septembris 1854* §. *Ceterum* (1).

242. Insuper in obscura disponentis voluntate illam sumendam esse interpretationem, quae rationi congruit, atque magis benigna est, et verosimilis toto inspecto dispositionis contextu, adeo ut, si quid per errorem non bene scriptum aut minus dictum sit, benigna interpretatione suppleatur, prout passim disponunt Leges (2) *in Florentina Administrationis Legati die 16 Septembris 1854* §. *Ceterum.*

243. His itaque expensis, proposito dubio: - III. An honorarium Ratiocinatoris et Arcarii detrahendum sit ex quota legata Capitulo in casu -, Sacra Congregatio respondit: - Ad tertium, Negative - *in Florentina Administrationis Legati die 16 Septembris 1854.*

244. Propterea, cum honorarium Ratiocinatoris et Arcarii detrahendum non esset ex quota legata Capitulo, merito Capitulum sibi reditus respectivos applicavit; adeoque nec locus esse poterat condonationi. Idcirco, proposito dubio: - IV. An et pro qua summa sit locus condonationi, quoad reditus indebite perceptos in casu -, Sacra Congregatio respondit: - Provisum in praecedenti - *in Florentina Administrationis Legati die 16 Septembris 1854.*

245. Ex dictis dubitari hinc vix posse videbatur, quin exactionis expensae ex integra redituum massa detrahendae essent. Licet enim de *scriptura* in testamento fieret mentio quoad Capitulum, nullum tamen de exactione verbum occurrebat. Quod quidem iuris communis dispositioni consentaneum est. Administrator enim quaecumque facit, facere censetur sumptibus Domini, non autem propriis (3). Ideoque ratio postulabat, ut huiusmodi expensae, quas Capitulum ex errore sustinuit, in diminutionem conferrentur debiti, quo Capitulum ipsum erga Administrationem tenebatur *in Florentina Administrationis Legati die 16 Septembris 1854* §. *Ad quintum.*

246. Et revera, proposito dubio: - V. An et quomodo detrahendae sint expensae, pro exactione pensionum in casu -, Sacra Congregatio respondit: - Ad quintum, Affirmative ex reditibus Legati - *in Florentina Administrationis Legati die 16 Septembris 1854.*

247. Constitui hinc debet Oeconomus cum salario, pro cura bonorum Piae Hereditatis *in Aquen. Erectionis Capellaniae die 2 Augusti 1760* §. *Conveniunt.*

248. Huiusmodi enim curam Exequutores, nullum percipientes lucrum ab hereditate, gratuito ferre non debent *in Aquen. Erectionis Capellaniae die 2 Augusti 1760* §. *Conveniunt* (4).

249. Quare Sacra Congregatio permittere suevit, ut Oeconomis seu Administratoribus ab Exequutoribus testamentariis deputandis stipendium tribueretur; id imo in casu etiam sanxit arbitrio Episcopi taxandum; quo ex commutatione voluntatis Testatorum vitari poterat *in Aquen. Erectionis Capellaniae die 2 Augusti 1760.*

250. Siquidem Canonicus Carolus Antonius et Constantinus Nicolaus Fratres Marenchi in testamento, quod simultanee condiderunt anno 1740 Heredes in usufructu sese ad invicem instituerunt, et, electa sepultura apud Ecclesiam PP. S. Francisci Civitatis Aquensis, mandarunt post utriusque obitum distrahi mobilia, pretiumque investiri in Capitalibus, quorum reditus cum aliis proventibus ex bonis hereditariis inservire deberent, pro celebratione Missarum, in suffragium animarum eorumdem in perpetuum, cum eleemosyna manuali ad Altaria privilegiata. Et huius piae voluntatis exequutionem commiserunt Comiti Alberto Lupi eiusque Filiis et Descendentibus masculis et Canonico Archidiacono Ioanni Dominico Thea Filiisque Octavii Thea eius ex Fratre Nepotis.

251. Defunctis Testatoribus, Exequutores anno 1746 supplicarunt S. M. Benedicto XIV, pro erectione perpetuae Capellaniae unius Missae quotidianae ex bonis hereditariis facienda, de ipsorum iurepatronatus in publico Oratorio

(1) Cap. *Cum dilectus* 8, de Consuetud.; L. Si de interpret. 137, ff. de Legib.; Rot. in decis. 279, n. 12, coram Royas.

(2) Nimirum L. *Cum testamento* 34, ff. de reb. dub.; L. *Cum res* in princip. ff. de Legat. 1; L. *Non aliter*, §. 1, ff. de leg. 3.

(3) Rot. in decis. 70, part. 18, tom. 1 Recent.

(4) Amostaz de Caus. Piis, tit. de Missis et earum stipen. cap. 4, n. 39 et seqq..

Confraternitatis Sancti Iosephi dictae Civitatis. Et, remissis precibus ad S. Congregationem, Episcopus retulit, Exequutores nondum expresse munus acceptasse, hereditatem pluribus oneribus et litibus esse obnoxiam: hinc, agnita exequutionis Testamenti difficultate, insinuavit, ut munus Exequutoris Capitulo iniungeretur, cum facultate eligendi de consensu Episcopi unum vel plures Administratores, et ex fructibus celebrare faciendi in Cathedrali tot Missas certis designatis horis, iuxta numerum ab Episcopo et Canonico Capituli deputato taxandum.

252. Attamen in Congregatione habita die 28 Ianuarii 1747 rescriptum fuit: - Lectum, et Episcopus mandet, quamprimum firmari statum hereditarium activum et passivum illumque transmittat; et quatenus Oratores, praevia iudiciali intimatione, munus Exequutorum acceptare nolint, alios deputet sibi benevisos arbitrio Sacrae Congregationis, interim vero nonnullas celebrari curet Missas ad Altaria privilegiata, in suffragium animarum Testatorum - *in Aquen. Erectionis Capellaniae die 2 Augusti 1760* §. *Defunctis.*

253. In sequelam itaque huius Rescripti, expresse munus Exequutorum acceptarunt Comes Lupi et Archidiaconus Thea, qui, omnibus rite adimpletis, preces renovarunt, pro erectione Capellaniae, quorum instantiae et ipse modernus Episcopus adhaesit. Alias enim in casu non erectionis Capellaniae urgeret necessitas constituendi salarium Oeconomo praestandum saltem in annuis scutis viginti quatuor, pro cura bonorum. Unde, his ceterisque in medium prolatis, contenderunt, ob concurrentem necessitatem et probabilem utilitatem facile commutandas esse ultimas voluntates *in Aquen. Erectionis Capellaniae die 2 Augusti 1760* §. *Conveniunt.*

254. Sacra Congregatio vero, denegata merito erectione Capellaniae contra dispositionem Testatorum, melius censuit, assignandum esse Oeconomis seu Administratoribus stipendium, arbitrio Episcopi, qui curam haberent bonorum, quam eorum voluntatem commutare. Proposito enim dubio: - III. An et quale stipendium sit assignandum Oeconomis ab iisdem Exequutoribus testamentariis deputandis in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Affirmative, arbitrio Episcopi - *in Aquen. Erectionis Capellaniae die 2 Augusti 1760.*

255. Ceterum Exactori statuenda esse videtur merces ad rationem quatuor vel quinque, pro quolibet centenario exactionis *in Viterbien. Dotium die 11 Aprilis 1761* §. *Stipendium.*

256. Nam, sicuti nimis exigua quandoque est merces illi relicta a Testatore, ita excessiva esse potest summa, quae inde soluta sit Exactori a testamentariis hereditatis Administratoribus *in Viterbien. Dotium die 11 Aprilis 1761* §. *Stipendium.*

257. Quamobrem, sive a Testatoribus nulla relicta sit merces, sive relicta, sed exigua, sive excessiva soluta sit Exactori, Sacra Congregatio, attentis locorum rerumque circumstantiis rescripsit, huiusmodi mercedem solvendam esse arbitrio Episcopi; expresse tamen prohibuit, ne augeretur merces ab ipso Testatore Administratoribus taxata, quin interim amitterent lucrum unius ex illis nominatis suppressi *in Viterbien. Dotium die 11 Aprilis 1761.*

258. Ipsi enim maiorem laborem ferre tenentur ex defectu Collegae, post obitum Testatoris suppressi; adeoque eisdem iuxta solitum et non aliis emolumentum accrescere debet *in Viterbien. Dotium die 11 Aprilis 1761.*

259. Siquidem Dominicus Guglielmi in testamento, quod in Oppido Balneariae condidit die 4 Iulii 1728 heredem usufructuariam instituit Sentiam Uxorem suam, post obitum eius vero, vel in casu eiusdem transitus ad secunda vota, substituit in hereditate suosque heredes nominavit Presbiteros Curatos, qui tres erant, Ecclesiae Parochialis S. Ioannis Oppidi Balneariae, illorumque pro tempore Successores, cum onere distribuendi ex fructibus hereditatis subsidia dotalia, iuxta legem ab eodem praescriptam. Consuluit inde rectae suorum bonorum administrationi, iniungens praefatis Curatis, ut Exactorem eligerent, qui cum stipendio scutorum quatuor singulis annis fructus hereditatis exigeret, atque iidem annuatim computa reviderent: constituitque quotannis pro illorum labore stipendium unius scuti.

260. Defuncto Testatore et purificata substitutione, suscepta fuit a Presbiteris Curatis hereditatis administratio. Sed in Visitatione Pastorali visum fuit Eminentissimo Episcopo Viterbiensi, officium ex fide ab illis non impleri, et plures irrepsisse abusus. Duo enim cum essent Parochi, tertio suppresso, tria nihilomi-

nus percipiebat scuta quolibet anno, praeter iulios quinque, pro confectione Indicis, quem vocabant *il Tabellino*. Exactori tradebant annua scuta viginti, pro mercede tenuis exactionis annuorum scutorum centum sexaginta circiter, licet in Civitate Viterbii locisque finitimis consueta merces similium exactionum statueretur ad rationem quatuor, pro quolibet centenario.

261. His aliisque malis cupiens occurrere Promotor Fiscalis Curiae Episcopalis preces obtulit Sacrae Congregationi, quibus postulabat inter alia, ut stipendium pro singulis Administratoribus seu Curatis excedere non posset scutum unum, iuxta legem Testatoris. Et licet post obitum praefati Testatoris tres essent Presbiteri Curati, quorum singuli scutum unum percipiebant; attamen, quia deinde alterum ex tribus Beneficiatis Curatis supprimi contingit, subrogatis duobus Capellanis Oeconomis Coadiutoribus, autumavit idem Promotor Fiscalis, nequaquam accrescere duobus superextantibus Curatis defecti Curati stipendium, ut ad id temporis fieri consuevit, sed scutum unum deberi singulis ex Curatis Coadiutoribus, quia Testator indistincte vocavit Curatos praesentes et futuros, et quia plurium cura et industria magis conduceret ad accuratiorem Operis Pii administrationem. Atque eidem Exactori statuendam esse mercedem insinuavit, ad rationem quatuor vel quinque, pro quolibet centenario exactionis arbitrio Episcopi, quia sicuti nimis exigua est merces scutorum quatuor illi relicta a Testatore, ita excessiva videbatur summa scutorum viginti, quae ad id temporis soluta fuit Exactori a Curatis heredibus.

262. Datis hinc de more Literis ad Eminentissimum Episcopum, ab eo auditi fuerunt Parochi, qui scripto responderunt, tertium aureum iuste repartiri inter superstites, quibus auctus est labor tertii Collegae suppressi anno 1649; grave non videri emolumentum obulorum septuaginta quinque; quod ipsi percipiebant in revisionibus computorum, pro quibus Antecessores Episcopi mercedem Ratiocinatoribus statuerunt scutorum octo supra decem aut viginti, et etiam salarium Exactoris auctum fuisse decreto ipsius Curiae Episcopalis anno 1697, cuius tamen autographum non reperiri in Archivio Episcopali testatus est Eminentissimus Episcopus.

263. Propositis itaque dubiis: - VII. An sit permittenda, tam Presbiteris, quam duobus Coadiutoribus nunc positis in locum alterius eorum, merces aequalis annui scuti unius pro quolibet a Testatore praefixi in testamento, seu potius illis sit augenda?

X. An sit statuenda merces Exactoris sive Oeconomi praedictae hereditatis Dominici Guglielmi ad rationem vel quatuor vel quinque, pro quolibet centenario redituum exactionis, seu potius in qua summa? -, Sacra Congregatio respondit: - Ad septimum, Negative; et servetur solitum. Ad decimum, Affirmative; arbitrio Episcopi - *in Viterbien. Dotium die 11 Aprilis 1761.*

264. Hinc Administratori Xenodochii, cum si gratis serviat inveniri non potest, assignanda est congrua merces ab Ordinario, inspecta qualitate personae, redituum Hospitalis, laboris et aliarum circumstantiarum *in Dubio ad Cap. 8 sess. 25 de reform. Posit. 147.*

265. Propterea, si Xenodochium habet tenues reditus, tenue pariter salarium est assignandum *in Dubio ad Cap. 8 sess. 25 de reform. Posit. 147.*

§. V.

ADMINISTRATOR QUOAD ONERA IN GENERE.

1. Nequeunt Administratores onus expresse vel tacite susceptum libere dimittere *in Faventina Administrationis Pii Relicti die 29 Ianuarii 1848 §. Neque.*

2. In iure siquidem de Exequutoribus testamentariis cautum est, ut is, cui a Testatore munus exequutoris, sive ad Pias Causas sive ad prophanas demandatum est, regulariter loquendo compelli haud potest ad illud suscipiendum *in Faventina Administrationis Pii Relicti die 29 Ianuarii 1848 §. Ast* (1).

3. Attamen postquam tacite vel expresse

(1) Ut post Text. Institut. §. Mandatum, tit. de mandat. perpendit Pirhing. de testib. lib. 3, tit. 26, sect. 5, cap. 8. num. 113.

illud acceptavit, omnino etiam invitus cogi potest, nec ei amplius liberum est munus semel susceptum iterum recusare *in Faventina Administrationis Pii Relicti die 29 Ianuarii 1848* §. *Ast* (1).

4. Immo aliquando, ob causam rationabilem, potest etiam Episcopus Clericum Exequutorem denominatum cogere, ut munus suscipiat etiam citra acceptationem *in Faventina Administrationis Pii Relicti die 29 Ianuarii 1848* §. *Ast* (2).

5. Hinc non adeo facile ab onere Legati Pii administrandi liber dimittendus est Administrator *in Faventina Administrationis Pii Relicti die 29 Ianuarii 1848* §. *Ast.*

6. Namque Sacra Congregatio firmos voluit in Administratorum munere permanere eos, quos Testator nominaverat *in Faventina Administrationis Pii Relicti die 29 Ianuarii 1848* §. *Viderint.*

7. Amplia, in casu etiam, quo ex concordia Administrator a Testatore nominatus administrationem ei tribueret, cui praefatus Testator ius distribuendi fructus piae hereditatis seu nominandi Puellas ad subsidia dotalia reliquerat, exequutorem constituerat, et curam dederat faciendi repertorium seu inventarium et bona hereditaria administrandi, donec expungerentur debita et legata praestarentur *in Romana die 21 Maii 1757.*

Item *die 28 Ianuarii 1758.*

8. Enimvero Iulius Silvaggio supremis tabulis, quas scripsit anno 1748, post data plurima legata, edixit, ut quod ex hereditate superesset in subsidia dotalia Puellis per nominationem Pauli Francisci et Comitis Philippi Antamori Nepotum eorumque Heredum ac Successorum distribuerentur. Administratorem hereditatis suae esse voluit Praefectum Domus PP. Ministrantium Infirmis, dato in hanc causam legato annuorum scutorum centum, iubens, ut idem Praefectus triennio quolibet rationem suae administrationis redderet Exequutoribus testamentariis, qui erant iidem duo Fratres Antamori, eorumque Heredibus et Successoribus in infinitum, quibus accrescere deberent scuta quinquaginta ex centum pro administratione legati, si ratio non redderetur.

9. Alter ex his Exequutoribus Comes Philippus, cui Testator curam dederat faciendi repertorium seu inventarium et bona hereditaria administrandi, donec expungerentur debita et legata praestarentur, cuique tres erant Filii masculi duae feminae, preces obtulit Sacratissimo Principi, quibus postulabat, ut, ob tenuitatem opum suorum, annuae dotes, a Testatore relictae, applicarentur pro congrua quantitate Filiabus suis, utque sibi suisque Heredibus et Successoribus daretur administratio hereditatis, a qua pendebat dotium distribuendarum quantitas. Data fuit ab Optimo Principe postulationis huius cognitio Amplissimis Patribus, a quibus rogatus fuit Eminentissimus Dominus Cardinalis Urbis Vicarius, ut animi sui sententiam aperiret. Auditi ab eo Patres Ministrantes Infirmis nullam de dotibus controversiam moverunt : obstiterunt postulationi administrationis, et idem Eminentissimus Dominus in eadem fuit sententia.

10. Post haec Antamorius et Patres transegerunt, et reservato Sacrae Congregationis assensu, convenerunt (missis aliis capitibus, quae ad rem parum pertinebant), ut administratio hereditatis esset apud Antamorium eiusque Heredes ac Successores, qui, loco scutorum centum pro administratione legatorum a Silvaggio relictorum, praestare tenerentur PP. annua scuta quadraginta, ut pro implemento Legatorum Piorum, quae Silvaggius perpetuo instituerat, teneretur Antamorius assignare iisdem Patribus tot Loca Montium aut bona immobilia hereditaria, ex quibus percipi posset annuus reditus scutorum 245. 20, quae respondebant oneribus perpetuis a Testatore relictis, ut denique Patres consensum praestarent applicationi dotium.

11. Hac inita transactione, postulavit Antamorius ab Sacra Congregatione eiusdem approbationem, et iterum rogatus fuit Eminentissimus Dominus Cardinalis Vicarius, ut de ea probanda vel reiicienda sententiam suam aperiret, qui, audito P. Procuratore Generali Ordinis, a quo longa epistola rationes omnes initae transactionis collectae fuerunt, eam in omnibus capitibus probari posse censuit. Hinc Antamorius disputavit, transactionem esse probandam,

(1) Abbas in Cap. Ioannes 19, de testam. n. 3; Pirhing. de testib. lib. 3, tit. 26, sect. 5, §. 8, n. 113; Reiffenst. lib. 3, tit. 26, §. 23, n. 184.

(2) Pirhing. lib. 3, tit. 26, sect. 5, §. 8; Reiffenst. lib. 3, tit. 26, §. 23, n. 185.

quia utilis erat Patribus, utilis Hereditati, sarcta tectaque servabatur Testatoris voluntas, mutata dumtaxat Persona Administratoris, quae mutatio ad substantiam voluntatis non pertinebat. Res erat de Familia Antamorii, cui Testator ius dederat nominandi Puellas.

12. His ceteroquin non obstantibus, proposito dubio: - I. An sit approbanda concordia in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Negative - *in Romana die 21 Maii 1757.*

13. Reproposito dein dubio, sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - In decisis, et amplius - *in Romana die 28 Ianuarii 1758.*

14. Luculentius etiam id iuris sancitum reperitur in quadam *Eugubina die 12 Augusti 1758*, in qua licet Sacra Congregatio septennio ante sub die 31 Iulii facultatem Episcopo dedisset eligendi per se Administratorem, contra testamenti literam, ubi Municipii Schiggiae Prior, sive Syndicus explicite nominatus fuerat, attamen eadem Sacra Congregatio melius instructa de fideli Syndicorum procuratione, ad dubium: - An administratio hereditatis Vitalis Angeli spectet ad Priores quotannis eligendos a Communitate Schiggiae, ad formam testamenti, sive potius ab Episcopo, itaut sit standum, vel recedendum a decisis in casu -, respondit: - Praevio recessu a decisis, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam - *in Faventina Administrationis Pii Relicti die 29 Ianuarii 1848* §. *Luculentius.*

15. Neque contrariam observantiam, licet a limine inchoatam, officere Testatorum voluntati docuit eadem Sacra Congregatio *in Ferrarien. die 15 Septembris 1787*, ubi quum Frater et Heredes cuiusdam Romani Boari, contra istius voluntatem credidissent administrationem Legatorum Piorum, quam ille anno 1678 reliquerat, Personis alienis potius, quam Angelo Cavallini ac Francisco Algarotti a Testatore designatis, ad secundum dubium: - An et quomodo sint adimplenda pia onera ordinata a Romano Boari in casu -, responsum dedit: - *Affirmative, iuxta votum Eminentissimi Archiepiscopi*, cuius consilium fuerat, - de eligendis duabus Personis a Romano Boari in testamento praescriptis, qui bona perpetuo administrent - *in Faventina Administrationis Pii Relicti die 29 Ianuarii 1848* §. *Neque.*

16. Quod eo vel magis dicendum videtur, ubi agatur de Parochis, qui aliquando Legati administrationem acceptarunt, tenueruntque, quique insuper in iure habentur veluti legitimi Administratores Legatorum, quae Parochialibus Ecclesiis seu Pauperibus parochianis relinquuntur *in Ferrarien. die 15 Septembris 1787* §. *Ad haec.*

Item *in Faventina Administrationis Pii Relicti die 29 Ianuarii 1848* §. *Usum* (1).

17. Verum obstare quodammodo videtur dispositio Testatoris, si ideo alios Parochis primo loco vocatis substituerit, ut hisce liberum remaneret arbitrium administrationem dimittendi *in Faventina Administrationis Pii Relicti die 29 Ianuarii 1848* §. *Utrum.*

18. Quod si fieri haud potest, ut substituti, attenta eorum aetate ac infirmitate, saltem in praesens dictum ferant officium, illud necessario sequitur, ut ad novi Administratoris nominationem deveniendum sit *in Faventina Administrationis Pii Relicti die 29 Ianuarii 1848* §. *Utrum.*

19. Porro quod huiusmodi facultas devolvatur Loci Ordinario, utpote qui ex iure Piarum Causarum exequutor natus est, profluit ex sanctione Tridentini Concilii in Sess. 22, Cap. 8 et 9, et Sacra Congregatio millies idipsum docuit *in Faventina Administrationis Pii Relicti die 29 Ianuarii 1848* §. *Utrum.*

20. Ceteris enim missis, in Forolivien. 11 Septembris 1784, ubi ad vigesimum dubium: - An renuente vel differente Communitate dictum Administratorem eligere, valeat Ordinarius illum eligere, et deputare ex officio independenter a Communitate in casu -, responsum fuit: - Affirmative, et amplius - *in Faventina Administrationis Pii Relicti die 29 Ianuarii 1848* §. *Utrum.*

21. Semel autem devoluta Ordinario facultate Administratorem deputandi, ob renuentiam praesentium Administratorum, peremptum non videturius, quoad Successores *in Faventina Administrationis Pii Relicti die 29 Ianuarii 1848* §. *Verum.*

22. Iuris enim tralatitii est, quod factum

(1) Ceccoper. lucubr. canon. lib. 3, tit. 12, n. 17; Amostaz de Caus. Piis, lib. 5, cap. 6, n. 70 et seqq.; Crisp. de Visit. Pastor. part. 2. §. 13, n. 10.

Antecessoris haud officere, aut praeiudicium afferre valet Successori, iure proprio venienti *in Faventina Administrationis die 29 Ianuarii 1848* §. *Verum* (1).

23. Quadrat hanc in rem sententia pandita a Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium *in Firmana Administrationis Legati Pii 17 Septembris 1842;* quae, postulantibus Parochis S. Zenonis et S. Petri, ut a resumenda administratione cuiusdam Pii Legati eximerentur, quam durante Gallica perturbatione dimiserant, dedit responsum: - Pro nunc Affirmative, reservato in posterum iure Parochorum, iuxta mentem Testatoris - *in Faventina Administrationis Pii Relicti die 29 Ianuarii 1848* §. *Verum.*

24. Quod iuris principium adamussim in duriori facti specie firmavit Sacra Congregatio, cum praeter alias graviores circumstantias et ipse Testator ante vero susceptum munus facultatem fecerit non amplectendi onus; ac ideo proprio ore alios substituerit *in Faventina Administrationis die 29 Ianuarii 1848.*

25. Siquidem postremo suae voluntatis elogio, quod die 5 Maii 1709 signaverat Michael Sangiorgi Faventinus, perpetuo Pio Legato scutatorum centum quinquaginta Heredes suos oneravit; illudque trifarium distribuendum edixit: scilicet scutata quinquaginta, pro tot Missarum suffragiis eleemosynae manuali respondentibus; alia scutata quinquaginta, pro duobus subsidiis dotalibus binis pauperrimis Puellis Paraeciarum S. Salvatoris et S. Bartholomaei, ex aequa parte tribuendis; reliqua demum scutata quinquaginta in Pauperum eleemosynas eroganda.

26. Huiusce voluntatis Exequutores dixit Parochos et Rectores pro tempore praefatarum Ecclesiarum S. Salvatoris et S. Bartholomaei: quibus tamen quovis tempore id oneris respuentibus, vel in ipsius Testatoris mente exequenda dissidentibus, substituit Decanum et Subdecanum pro tempore R. Collegii Parochorum; et ut impensius creditum exercerent officium, reliquit scutata duodecim quotannis in perpetuum.

27. Vita functo Testatore, dicti Parochi illius mentem religiose exequutioni commiserunt, adeo ut Missae celebratae, dotalia subsidia Puellis, ac eleemosynae Pauperibus distributae iugiter fuerint ad annum usque 1790. Sed post id temporis Parochi nonnisi nomine tenus Legati Administratores fuerunt. Nam ex quo, eodem videlicet anno 1790, Summi Pontificis venia, Pii Relicti suspensa distributio fuit, atque subsequentibus indultis ad futurum usque annum 1856 prorogata, applicatis reditibus Feminis ab Institutore descendentibus, Heredes, qui ad legati persolutionem tenebantur, bona per se administrarunt, et rite fideliterque oneribus implendis incubuerunt.

28. Mox supervento Gallico Gubernio, duo ab Italiae tunc Pro-Rege edita sunt decreta; primum scilicet sub die 5 Septembris 1807, quo articulo primo cavebatur, ut, ex institutione Congregationis Charitatis, in singulis Communitatibus, cessare deberent administrationes et inspectiones, quae ante, tum a Collegiis, tum a Privatis, exercebantur (2); alterum vero sub die 25 Novembris sequentis anni, ita se habebat: quum constet Praetori seu Praefecto Rubiconis (cui hac in re Faventia suberat), quod Administratores patronatuum Familiarum et Exequutores testamentarii Piarum Institutionum non impleant voluntates Testatorum, et abutantur administratione sibi concredita, haec delegatur Congregationi Charitatis, ut abusui consuli possit (3).

29. Porro ad huiusce Decreti tramites tutoria Auctoritas a Faventina Congregatione Charitatis petiit, ut sibi panderetur quidquid reliquerat Sangiorgius; quod vix cognitum a dicta Auctoritate fuit, sub die 29 Martii eidem Congregationi Charitatis mandavit, ut rectam curaret administrationem (4). Ex quo decreto

(1) Card. de Luc. de regal. disc. 136, n. 8; Menoch. Cons. 83, n. 81; Mans. consult. 18, tom. 1, n. 39.

(2) En verba praefati articuli 1, ut in §. *Mox* – ibi – All'attivazione in ciascun comune della rispettiva Congregazione di Carità, cessano le parziali amministrazioni ed ispezioni, che anche precedentemente erano esercitate dalle Corporazioni e dai Privati –.

(3) Siquidem his verbis id statuit, ut in §. *loc. cit.* – ibi – Costando all' Autorità tutoria, che gli Amministratori dei padronati di Famiglia e gli Esecutori testamentarii di pie istituzioni non adempiono la volontà dei Testatori ed abusino dell' amministrazione, viene questa delegata dopo le convenienti diffidazioni alla Congregazione di Carità per verificare lo stato delle sostanze, e mettere l'Autorità tutoria nel caso di provvedere alla sua conservazione –.

(4) Mandavit nimirum, ut in §. *Porro* – ibi – di occuparsi, onde sia garantito tutto quanto può appartenere al patrimonio di quasta beneficenza, amministrando e disponendo la conversione dei redditi relativi nelle vie regolari –.

factum est, ut ipsa Congregatio Charitatis Parochos demandato munere expoliaret, et Legati reditus per se colligens, iuxta Sanctissimi Rescriptum Feminis Sangiorgi traderet.

30. Res ita se habuit usque dum in ditione Pontificia Gallicae obtinuerunt Leges. Ast reddita Romae ac Italiae pace, iterumque Summo Pontifice in sui imperii regimine restituto, die 26 Septembris 1821 per Eminentissimum Virum ab arcanis Status eius temporis decernebatur, quod ex die prima Novembris 1821 hae duae institutiones S. Georgii et S. Ioannis Baptistae erunt separatae ac divisae a Congretione Charitatis, et simul collectae sub unica administratione, quae appellari deberet Administratio Beneficentiae (1).

31. Haec sane Pontificis sanctio, num Parochos sua in iura redintegrare, vel exequutionem Legati Sangiorgi praedictae administrationi Beneficentiae committere voluerit, a Parochis atque ab Administratoribus ipsis disceptatum utrinque fuit coram Antistite Faventino. Sed is, quin rem dirimeret, Oratoribus iniunxit, ut potius sapientissimum Oraculum Sacrae Congregationis scisciterentur, quod reapse Beneficientiae Administratores haud cunctati sunt per supplicem libellum, quo postulabant, ut resolvere dignaretur, ad quem exequutio praefati Legati Pii spectaret, utrum scilicet Parochis, an Administratoribus Beneficentiae, nec non praecipere quid et quomodo esse providendum.

32. Hinc acriter Administratores et Parochi institerunt, ut onere Legati Pii administrandi liberi dimitterentur. Administratores enim toti in eo fuerunt, ut voluntates Testatorum modis omnibus servandae essent, et adstruerent prae primis, Gallicum Imperantem, praefata legis sanctione, Sangiorgi piam dispositionem, neque afficere potuisse, neque voluisse. Primum quippe deduxerunt ex eo, quod laica potestas esset incompetens, in rebus, quae Pia Legata respiciunt. Alterum vero ex dictorum Decretorum lectione colligere curarunt *in Faventina Administrationis Pii Relicti die 29 Ianuarii 1848* §. *Hisce.*

33. Addiderunt, non posse Parochos validius adiumentum sibi mutuari ex sanctione Eminentissimi Cardinalis ab arcanis Status anni 1821: siquidem in ea illud tantummodo stabilitum fuit, ut duo Pia Loca S. Georgii et S. Ioannis, quae ex Charitatis Instituto, prout alia grassante regimine seiungebantur, in unum copularentur, novumque efformarent Institutum, nuncupandum Beneficentiae. Quin ceteroquin assignari causa posset, cur Legati Sangiorgi administratio huic novo Instituto aggregata remanserit, quae qualiscumque fuerit, meram ignorantiam facti portenderet, nullamque Beneficentiae Instituto administrandi Legatum ablationem induceret. Nec maior huius Pii Relicti utilitas obtenderetur, si a Beneficentia procuraretur *in Faventina Administrationis Pii Relicti die 29 Ianuarii 1848* §. *Neque.*

34. E contra Parochi propugnarunt, Gallum Imperantem per Decreta anni 1807 1808 et potuisse et voluisse Legatum, de quo res erat, in Charitatis Institutum coacervare. Quidquid autem esset de ratione, cur id factum fuerit, haud immorandum diutius duxerunt in ea expiscanda, simul ac reapse constabat, id factum fuisse ab eo, qui tunc temporis rerum summa potiebatur. Atque haec validiora fieri dixerunt, ubi animadvertatur, confirmationem a Pontificio regimine accessisse simul ac restitutum istud fuit. Nam ex actu diei 30 Decembris 1815 constabat, iniunctum fuisse ab Administratoribus Angelo Strocchi, ut suum hic lueret debitum favore Sangiorgi Legati. Ex alio actu diei 29 eiusdem mensis et illud ipsum mandatum legitur Laurentio Ancharoni. Demum die 6 Decembris 1816 eidem illud repetitum fuit *in Faventina Administrationis Pii Relicti die 29 Ianuarii 1848* §. *E contra.*

35. Ut autem refellerent, seiunctum fuisse ab praedicta Congregatione, quod eadem complectebatur, usi sunt et ipsi exemplo dotium Pini, quas iisdem fere de causis ac Sangiorgi Legatum coniunctas Congregationi esse dixerunt. Addiderunt praeterea, quod, licet Pontifex ob Rescriptum anni 1819 editum favore Theresiae Sangiorgi existentiam Legati, de quo agebatur, rescivisset, hoc tamen prae aliis laudato Instituto coniunctum reliquit: tenendum proinde, quod a Beneficientiae Instituto illud minime dissociatum fuerit *in Faventina Ad-*

(1) Haec sunt Decreti verba, ut in §. *Res* – ibi – Col giorno primo di Novembre 1821 questi due stabilimenti (di S. Giorgio e di S. Giovanni Decollato) saranno separati dalla così detta Congregazione di Carità, e riuniti sotto una sola Amministrazione, che sarà chiamata amministrazione di Beneficenza –.

ministrationis Pii Relicti die 29 Ianuarii 1848 §. Ut.

36. Animadverterunt postremo, ipsis facultatem inesse dimittendi onus administrationis eiusdem Legati, in vim testamenti. Nam Testator, postquam hortatus fuit Exequutores, ut commissum munus susciperent, pergit: et si unquam aliquo tempore daretur casus, quo praedicti Parochi munus suscipere renuerent, tunc substituo RR. Decanum et sub-Decanum pro tempore Venerabilis Collegii Parochorum (1). Ex quibus sane eruere statuerunt, quocumque ipsis libuerit tempore, munus impositum dimittere posse. Et admisso etiam, quod onus illud ipsis incumberet, id tamen locum tunc habere posse, quum Legatum in suo robore adhuc maneret. Verum, quum saepius repetita Pontificum Rescripta illi vulnus inflixerint, nil iuris amplius eis superesse clamarunt. Dotales enim largitiones iam ab anno 1790 ad annum usque 1856 cedere debent in beneficium Familiae Institutoris; proinde, quum nil erogandum Exequutoribus superesset, illorum munus cessasse consequens erat. Satis demum ac utilius esse concludere studuerunt Pio Legato, ut reditus ab publica curarentur Administratione, et in communi Arca asservarentur.

37. His tamen non obstantibus, propositis dubiis: - I. An et ad quem spectet onus administrandi Legatum Pium Sangiorgi in casu, *seu potius*.

II. An et quomodo providendum sit in casu -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Providebitur in secundo. Ad secundum, Affirmative; et Episcopus utatur iure suo, ad formam sacrorum Canonum, reservato in posterum iure Parochorum, iuxta mentem Testatoris - *in Faventina Administrationis Pii Relicti die 29 Ianuarii 1848.*

38. Episcopus quippe in casu praedicto notaverat, quoties Administratorum petitionem ac Parochorum observationes excipere placuerit: - locum saltem in praesens fieri haud posse substitutis Decano ac sub-Decano Collegii Parochorum; quoniam sunt iidem provecta aetate constituti, et ex iis unus pluribus abhinc annis domo exire nequit, cum chronico laboret morbo, quo ad se e sede movendum impotens redditur, et aliunde administratio Sangiorgi, praeterquamquod intricatior est, prudentiam exigit et dexteritatem - *in Faventina Administrationis Pii Relicti die 29 Ianuarii 1848 §. Ad Episcopum.*

39. Hinc Administratori incumbit etiam librorum custodia *in Aquinaten. die 5 Aprilis 1851 §. Quod quidem* (2).

40. Quum igitur de bonis agatur, quae ad Collegium vel Universitatem pertinent, ambigi nequit, quin administratio, ad quam certo certius spectant libri, scripturae, seu Archivium, non penes unum ex iis, qui Collegium vel Universitatem constituunt, sed penes integrum Coetum vel eiusdem Repraesentantem manere debeat *in Aquinaten. die 5 Aprilis 1851 §. Porro.*

41. Nam omnes, communiter possidentes, dicuntur habere partem in qualibet rei communis gleba atque periculo *in Aquinaten. die 5 Aprilis 1851 §. Porro* (3).

42. Siquidem de Capitulis loquens Cardinalis De Luca (4), ait: Capitulum est Dominus bonorum Capitularium, et deputat Administratorem, remanente apud ipsum dominio *in Aquinaten. die 5 Aprilis 1851 §. Porro.*

43. Et quod de Capitulo dicitur valere ex paritate rationis pro quavis etiam Universitate vel Collegio docet Ferraris (5) *in Aquinaten. die 5 Aprilis 1851 §. Porro.*

44. Itaque ab Ecclesia Collegiata differt Ecclesia Communitativa, quod in Ecclesia Communitativa nequeunt esse Dignitates: verum, quoad ea, quae sua requirit unaquaeque Communitas, non differt Ecclesia Communitativa ab Ecclesia Collegiata. Sigillum, stallum, communis massa, communis arca, archivium commune, locus certus, et alia id genus, utpote propria uniuscuiusque Communitatis, non solum conveniunt Ecclesiae Collegiatae, sed et Eccle-

(1) Haec sunt verba Testatoris, ut in §. *Postremo* - ibi - E se mai in alcun tempo si desse il caso, che i detti Parrochi si ricusassero, allora sostituisco li RR. Signori Decano e sotto Decano *pro tempore* del Venerabile Collegio dei Parrochi -.

(2) Gratian. discept. Forens. cap. 11, n. 1, tom. 1.

(3) Zanch. tract. de Soc. part. 1, cap. 7, n. 15.

(4) In disc. 7, n. 5, de Canonic.

(5) In Biblioth. addit. ad V. *Collegium*, n. 11 et seqq.

siae communitativae *in Aquinaten. die 5 Aprilis 1851* §. *Porro* (1).

45. Amplia, dum uni, ex Capitulo, Collegio, seu Communitate, nulla prorsus ex fundatione seu institutione distinctio vel iuris potioritas tribuitur, omnibus ceteroquin directe et aequaliter eadem officia, iura, onera, ac praerogativae conferuntur *in Aquinaten. die 5 Aprilis 1851* §. *In deteriori*.

46. His enim concurrentibus, quamvis omnes non costituant Collegium proprie dictum, Universitatem tamen sibi constituere videntur, ex quo habent massam communem, onera communia officiaturae, Archivium, et Rectorem, quae omnia verae Universitatis sunt propria *in Aquinaten. die 5 Aprilis 1851* §. *Gradum* (2).

47. At Universitas leges sibi dicere potest, quae bonorum suorum administrationi et publicae necessitati, vel utilitati prospiciunt *in Aquinaten. die 5 Aprilis 1851* §. *Gradum* (3).

48. Nam hoc in casu, etiamsi Universitatis vel Collegii qualitas excludi vellet, ex aperta nihilominus Fundatoris seu Institutoris voluntate, nec non Iuris ministerio, administratio etiam manere penes omnes in solidum deberet *in Aquinaten. die 5 Aprilis 1851* §. *In deteriori* (4).

49. Praesertim, si observantia concurreret, qua res facti esset, quod administratio semper penes omnes indistincte mansit, absque ullo speciali respectu ad unum; omniaque collegialiter discussa atque constituta fuere, quae inter Procuratoris nominatio, nec non honorarium ipsi assignandum, auctoratio eidem facta ad summas extraordinarias impendendas, electio Collegarum ad computa Procuratoris revidenda, idque non semel, sed quotannis absque interruptione factum; permutatio domus, mulcta infligenda Collegae in suo munere socordi, gratificatio Sacristae elargienda, legati acceptio, aliaque huiusmodi *in Aquinaten. die 5 Aprilis 1851* §. *Iniuria*.

50. Ac eo vel magis, si etiam transactio ad lites super hisce exortas componendas unanimi consensu inita in promptu esset *in Aquinaten. die 23 Aprilis 1853* §. *Hinc omnia*.

51. Enimvero pientissimus Vir Marchio Felix Amati, commiseratus paupertatem Paraeciae sub titulo S. Margaritae loci *Roccasecca* Diaecesis Aquinatensis, ut divinus cultus promoveretur, octo Capellanias laicales in eadem Ecclesia paraeciali erigendas curavit. Hinc ad praedictas Capellanias laicales vocavit Parochum, qui Rectoris munere fungeretur, et septem alios Sacerdotes naturales eiusdem loci. Ius nominationis praefato Parocho cum duobus Capellanis antianis attribuit, quin ullatenus se ingerere posset Curia Episcopalis. Atque pluribus praescriptis oneribus, quae, tum ad chori servitium, tum ad Missarum celebrationem, referuntur, in casu vacationis edixit, ut, quemadmodum onera, ita emolumenta Capellani vacantis, inter se aequa lance distribuerentur.

52. Hisce sub legibus Capellanis institutis, res brevi quidem feliciter processere. Vix enim elato pio Institutore, quaedam Parochum inter et Capellanos praedictos exarsit controversia, super administratione bonorum et asservatione scripturarum et documentorum, ad Capellanias spectantium, quae, ad S. Congregationem delata, ut dirimeretur, in Comitiis diei 5 Aprilis 1851 proposita fuit, sub dubio: - An Administratio Capellaniarum una cum asservatione scripturarum ac documentorum easdem Capellanias respicientium spectet privative ad Abbatem Parochum, seu potius ad ceteros cumulative Capellanos -, cui responsum dare placuit: - Dilata, et exhibeantur documenta, praesertim fundatio -. Dum ea de re Literae datae essent Episcopo Aquinatensi, interim factum est, ut nuncium liti remitterent dissidentes, ac, iussa transactione, unanimi consensione, nonnulla statuta, pluribus sub articulis comprehensa, confecerint: unde inter cetera sancitum est, ut etiam documenta, quae administrationem redituum respiciunt, in Archivio servarentur (5).

(1) Rot. in Celsonen. Admissionis 5 Iulii 1751 §. 4, coram Migazzi.

(2) Arg. L. 1, ff. Quibus quod quisque Universitatis; et docet Vinnius Instit. part. 1, lib. 2, tit. 1, de rebus; consonat Fagnan. lib. 3, Decret. cap. Respons. de sent. excommunic. n. 35; Card. De Luc. de Canonic. part. 2, disc. 19, n. 4.

(3) L. ult. ff. de Colleg. et Corpor.; Richerius Iurispr. univ. lib. 1, tit. 2, part. 1, cap. 4, sect. 1, §. 269.

(4) Rota in decis. 2, n. 2, part. 2; decis. 124, n. 2, part. 5; et decis. 276, n. 2, part. 15 Recent.

(5) Siquidem in art. 17 haec statuta reperiebantur ceu in §. *Statuta* - ibi - Art. 17. Il Segretario Archivista è incaricato della corrispondenza epistolare delle cose riguardanti il Collegio: è obbligato a registrare in libro apposito tutti gli atti, e le risoluzioni collegiali; è inoltre custode dell'Archivio, ove saranno gelosamente conservate le carte

53. Inde vero Abbas Parochus obstitit, ne statuta per transactionem sua manu obsignatam iam condita admitterentur, neve approbarentur, cum eam metu ac precibus importunis extortam diceret, nullumque hinc effectum sortiri posse arbitraretur. Quum autem in themate supramemoratae circumstantiae concurrerent, propositis dubiis: - I. An sit procedendum ad ulteriora, seu potius obstet concordia in casu.

IV. An et quomodo sint confirmanda statuta condita per Capellanos et Abbatem Parochum in casu -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam. Ad quartum, Affirmative in omnibus, iuxta modum; nempe correcto articulo quarto, ad formam petitionis Parochi et demandatis Capellano seniori functionibus, de quibus in articulo sexto *in Aquinaten. die 23 Aprilis 1853*.

54. Nedum hinc Administratores munus seu onus susceptum nequeunt regulariter dimittere, et libros custodire debent, sed officii sui ratione pecuniam investimento collocare debent, secus ad interesse erga Dominum tenentur, et ad id, quod potuisset hic superlucrari *in Florentina Administrationis Legati die 16 Septembris 1854* §. *Ad postremum* (1).

55. Praesertim eo in casu hac tenentur obligatione Administratores Legati, ubi pecunia ex Laudemiis retracta dispositione legum non fructuum sed sortis rationem habet *in Florentina Administrationis Legati die 16 Septembris 1854* §. *Ad postremum*.

56. Idcirco, proposito dubio: - VIII. An sit locus absolutioni et sanationi ob omissum investimentum Laudemiorum in casu -, S. Congregatio respondit: - Ad octavum, Negative; deductis tamen ex debito Capituli augmentis ex fructuum investimento ob Locorum Montium acquisitionem et ob insolutorum fructuum in caput conversionem - *in Florentina Administrationis Legati die 16 Septembris 1854*.

57. Id igitur sanxit S. Congregatio, etiamsi Capitulum deduxisset bonam fidem et compensationem, quam ex aliorum redituum vel voluntario vel necessario investimento Pia Causa consequuta erat; adeoque sanatoria concedenda videbatur *in Florentina Administrationis Legati die 16 Septembris 1854* §. *Ad postremum*.

58. Coterum, reproposito dubio, sub formula: - II. An sit standum, vel recedendum a decisis in octavo dubio in casu -, S. Congregatio ex gratia respondit: - Ad secundum, Recedendum a decisis, facto verbo cum Sanctissimo - *in Florentina Administrationis Legati die 31 Martii 1855* (2).

59. Siquidem Administratores diligenter implere debent onus susceptum; alias enim ad damnum propter omissionem rei faciendae favore Loci Pii illatum tenentur *in Ripana Redditionis Rationis die 30 Maii 1829* §. *Huic*.

60. Nam Administratores Piorum Locorum tenentur etiam ad interesse, et quidem in solidum, si plures sint, propter moram irregularem *in Ripana Redditionis Rationis die 30 Maii 1829* §. *Progredior* (3).

61. Enimvero explorati iuris est, Administratores, licet gratuitam operam impendant teneri ad omne damnum, quod ab ipsorum culpa lata proficiscatur *in Ripana Redditionis Rationis die 30 Maii 1829* §. *Huic*.

62. Quapropter ambigi nequit, quominus Administratores, etiamsi gratuitam impendant operam, teneantur periculum suscipere universae pecuniae, quam non repetierunt, eamque illico solvere, pro dimittendo praesertim aere alieno *in Ripana Redditionis Rationis die 30 Maii 1829* §. *Huic*.

63. Hinc Administratores incusari possunt ex capite negligentiae et arbitrii, cum fines mandati excedant *in Ripana Redditionis Rationis die 30 Maii 1829* §. *Maior*.

64. Omnibus idcirco iuris et facti remediis ad solvendas summas inexactas cogi possunt,

spettanti ai comuni interessi e titoli delle possidenze ed acquisti, i conti resi dai Procuratori, ed ogni altro documento, che serva di tutela e difesa ai diritti ed obblighi de' Capellani, comprensivamente al presente Statuto -.

(1) Rota in decis. 382, n. 6, part. 9, tom. 1; et decis. 38, n. 10 Recent.

(2) Observandum vero, ut in §. *Quoad* - ibi - Che i Canonici Camerlinghi non domandavano sanatoria di debito, che avesse il Capitolo Amministratore col Pio Legato; avvegnachè il danno, che per avventura era stato recato al patrimonio di questo coll' omettere il rinvestimento di alcuni Laudemii, fosse non pur compensato, ma superato d'assai dalla capitalizzazione de' frutti per le cause nella domanda esposte, e per conseguente più presto creditore che debitore debba riconoscersi questo Capitolo; ma sì assoluzione e sanatoria di colpa, per aver già esso Capitolo commessa questa irregolarità -.

(3) Leotard. de Usur. quaest. 22, n. 26 et seqq.; Gratian. discept. forens. cap. 241, n. 53 et seqq.; Ursell. conclus. 56.

reservato interim eis iure agendi contra Debitores; nec non excludi possunt a condonatione expensarum extra fines mandati factarum, quamquam Sacra Congregatio, attentis rerum circumstantiis, quandoque eas condonare censuit, coactis etiam aliquibus Debitoribus vel Heredibus ad solvendum, quod debent *in Ripana Redditionis Rationis die 30 Maii 1829.*

65. Quandoquidem, fatiscente Ecclesia Parochiali et Matrice S. Ioannis Baptistae in Oppido Cryptarum ad Mare, ob eamque causam in Sacra Visitatione anni 1791 ab Episcopo interdicta, pro illius restauratione actum in Comitiis Sacrae Congregationis die 21 Novembris 1801, tria concinnata fuere dubia: - I. An et quomodo prospiciendum sit reparationi Ecclesiae Parochialis S. Ioannis Baptistae. II. An et quomodo facienda sit translatio Beneficii SS. Andreae et Iacobi. III. An et cui danda sit administratio redituum Beneficii SS. Andreae et Iacobi -; ac datum fuit responsum: - Ad primum, Affirmative; iuxta votum Episcopi, facto verbo cum Sanctissimo. Ad secundum, Negative; et esse providendum, iuxta votum Episcopi, facto verbo cum Sanctissimo (1). Ad tertium, Dandam esse administrationem Personae ecclesiasticae, ab Episcopo eligendae -. Factaque relatione die 25 eiusdem mensis, Sanctissimus annuit super primo et secundo dubio.

66. Mediis hinc per Episcopum exhibitis et approbatis, electi fuerunt in Fabricae Deputatos Comes Ioannes Baptistae Palmaroli, et Ioseph Guerrieri, quibus piam hanc Operam gratuitam praestare se velle spondentibus, mandatum fuit, ut ad modulam peritiae Petri Maggi Architecti aedificaretur Ecclesia, et omni iuris remedio incumberent exactioni pecuniarum ab omnibus, qui eas conferre in hoc opus iussi sunt, praecipue vero insisterent census venditioni, nomine Ecclesiae faciendae. Verumtamen res voto non cessit. Nam data opera aedificationi Ecclesiae, quamvis supervenerit largitio scutorum centum ex pia liberalitate Episcopi Bacher, et pactum initum esset aliorum scutorum centum cum Familia Palmaroli, pro fenestra eius commodo aperienda in Ecclesia, triennio nondum expleto, necesse fuit a Fabrica cessare, illamque infectam diu relinquere, duplici praesertim ex causa, sicut retulit die 30 Iulii 1807 laudatus Episcopus.

67. Prima fuit eorum negligentia et socordia, quibus demandata est cura ea exigendi, quae attribuere assensae sunt Sodalitates, eo vel maxime, quod nondum reperta esset summa scutorum sexcentum a Beneficiatis, et ipsis Sodalitatibus foenore sumenda. Altera vero inducebatur ab Eminentissimo Praefecto Boni Regiminis, qui, animadvertens in veteri regione extare Ecclesiam Collegiatam, ecclesiasticis functionibus et Populi commodo satis aptam, satius putabat, perficiendam potius in nova regione Ecclesiam S. Pii, adhibitis quoque ad hoc opus lateribus supradictae fabricae destruendae, in eamque transferre Canonicos Collegiatae, ut ipsorum Ecclesia cederet Parocho S. Ioannis Baptistae. Interim tamen de incepto opere complendo Deputati cogitabant. Quamobrem eodem anno 1807 sub die 15 Septembris Indultum Reductionis Missarum ad aliud quinquennium a S. Congregatione consecuti sunt; ac falso persuasi sibi fas esse pecunias colligere ex quolibet Loco Pio eiusdem Oppidi et in Fabricam insumere, tandem aliquando Parochialem Ecclesiam numeris omnibus absolvere potuerunt.

68. Anno itaque 1821 rationem gestae administrationis Deputati reddiderunt apud duos Canonicos Ripanae Cathedralis, ab Episcopo Amariensi Vicario Apostolico designatos; sed

(1) Episcopi votum media complectebatur, quibus haberi poterat pecunia scutorum bismille ad reparandam Ecclesiam et Coemeterium construendum necessaria. Eam taliter partiebatur, ut Parochus Bernardini tribueret scuta sexcentum imposito censu super fundis Parochialibus: alius census in capite scutorum sexcentum imponeretur nomine Ecclesiae; ad hunc censum extinguendum et solvendos interim fructus, Missae in eadem Ecclesia celebrandae a diversis Capellanis, quae pertingebant ad numerum 1150, ad medietatem reducerentur, et Sodalitates de Planctu et Sanctissimi Sacramenti singulae annuatim solverent scuta decem: denique pro reliqua summa scutorum octingentum, quae ad implendam expensam scutorum 2000 deficiebant, applicarentur Fabricae tum eleemosynae Missarum, quae inadimpletae manebant, et pecuniam conflabant scutorum 60, tum reditus Beneficii SS. Andreae et Iacobi. Ut autem prospiceretur Vicanis novi Fabricati, idem Antistes monebat, sumi posse ex reditibus eiusdem Beneficii scuta 350, ut ex fructibus haberi posset stipendium, pro uno Sacerdote, qui in Ecclesia S. Pii secundam Missam singulis diebus celebraret, absque onere tamen applicationis, sed cum altero audiendi Incolarum confessiones. Pro utraque summa colligenda censebat, nominationem ad idem Beneficium differendam esse ad septennium, si rerum pretia, ut erant anno 1801, permanerent; sin minus ad annos quatuordecim -.

horum iudicio, tam iisdem Deputatis, quam Heredibus Parochi Bernardini minime acquiescentibus, ad electionem Peritioris oportuit devenire, post quem S. Congregatio Vicarium Apostolicum semel iterumque requisivit, ut de controversia accurate edoceri posset.

69. Deputati venditionem census scutorum sexcentum nomine Ecclesiae haud fecerunt, sed in emptione domus Familiae Agnelli, pro ampliori Ecclesiae forma, onus trium censuum susceperunt, idest scuta centum quinquaginta cum Aloisio Palmaroli, scuta quinquaginta cum Simpliciano Cantalamessa, et scuta centum cum Capitulo Collegiatae in Oppido Castri Guardiae italice *Garassai*, additis scutis quinquaginta pro fructibus non solutis. Insuper exactionem eleemosynae, pro Missis non adimpletis, penitus omiserunt, et a Capellanis pro reductione Missarum nonnisi scuta 150. 27 repetierunt. Ex adverso plus aequo exegerunt a Sodalitatibus et a Beneficio SS. Andreae et Iacobi, itemque scuta biscentum acceperunt a publico Infirmorum Xenodochio, quin unquam exequuti sint pactam census venditionem.

70. Praepostera haec agendi ratio plures peperit quaestiones : prima respicit Heredes Parochi Bernardini. Nam is censum scutorum sexcentum super fundis Parochialibus minime imposuit, quemadmodum a Sacra Congregatione statutum fuerat, sed scuta tercentum Cambio accepta a Francisco Ravenna inter cetera suppeditavit. Affinis est altera quaestio, quam movit Parochus Agnelli, immediate Bernardini successor. Ob factum Praedecessoris arbitratus est, Paraeciam sibi collatam, sicuti nullo censu, ita nullo onere affectam, proindeque nihil debere Fabricae repraesentare : unde vel minimum quadrantem solvere Deputatis iugiter renuit. Maior quaestio vero exarsit pro Fabricae Deputatis.

71. Triplici siquidem ex capite incusati fuerunt, negligentiae nimirum, arbitrii, et imperfectae redditionis rationis. Negligentia notati sunt, ob curam intermissam exigendi pecunias, quas repraesentare debebant Capellani, ob Missas non adimpletas, vel ex decreto reductionis non adimplendas, et Parochus pro onere eidem iniuncto : arbitrio vero, quia excesserunt fines mandati, insumendo scuta 159. 25 in emptione organi pneumatici, ornamentorum altaris ac pictae tabulae S. Ioannis Baptistae : imperfecta tandem redditione rationis, eo quod ante mandatum S. Congregationis distinctae notulae deficiebant, tam accepti a Beneficio SS. Andreae et Iacobi necnon a Beneficiatis Capellanis, quam expensi in fori iudiciis.

72. Itaque propositis dubiis : - I. An Cambium scutorum tercentum cum Francisco Ravenna afficiat Heredes Parochi Bernardini, seu potius Parochialem Ecclesiam S. Ioannis Baptistae in casu etc.

II. An et in qua summa iidem Heredes sint debitores fabricae memoratae Ecclesiae in casu etc.

III. An et quam summam Heredes Parochi Agnelli pendere teneantur fabricae eiusdem Ecclesiae in casu etc.

IV. An Capellani solvere debeant eidem Fabricae summam proficiscentem ex Missis tam non celebratis, quam reductis in casu etc.

V. An scutata 91. 75 sint restituenda Sodalitatibus, seu potius in Fabricam Ecclesiae S. Ioannis Baptistae eroganda in casu etc.

VI. An sit probanda solutio scutorum 159. 25, pro emptione organi et ornamentum in casu etc.

VII. An bona Paraeciae S. Ioannis Baptistae sint oneranda tribus censibus in sorte scutorum tercentum contractis, pro emptione domus Agnelli in casu etc.

VIII. An eadem bona sint oneranda censu scutorum biscentum, favore Nosocomii in casu etc.

IX. An et cuius sumptibus sint eidem Nosocomio pendendi fructus scutorum biscentum in casu etc.

X. An et quae damna sint Fabricae Ecclesiae S. Ioannis Baptistae rependenda a Deputatis Ioanne Baptista Palmaroli et Francisco Guerrieri in casu etc. -, S. Congregatio respondit : - Ad primum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam. Ad secundum, Affirmative, iuxta modum; nempe, solutis fructibus Cambii Ravenna toto eo tempore, quo Parochus Bernardini possedit Paraeciam Sancti Ioannis Baptistae. Ad tertium, Affirmative; et ab Heredibus solvendos esse fructus Cambii Ravenna pro tempore, quo Parochus Agnelli possedit Paraeciam. Ad quartum, Affirmative. Ad quintum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam, facto verbo cum Sanctissimo. Ad sextum, iuxta votum

Eminentissimi Relatoris (1). Ad septimum, Affirmative; iuxta votum Eminentissimi Relatoris, facto verbo cum Sanctissimo. Ad octavum, Affirmative. Ad nonum, Nosocomium utatur iure suo, contra proprios Administratores. Ad decimum, Affirmative, et Deputatos intra currentem annum cogendos esse omnibus iuris et facti remediis ad solvendas Ecclesiae summas a Capellanis non exactas, iuxta votum Eminentissimi Relatoris, reservato eisdem Deputatis iure agendi, contra Debitores - *in Ripana Redditionis Rationis die 30 Maii 1829.*

73. At eo vel magis Administratores restituere tenentur quod indebite perceperunt *in Florentina Administrationis Legati die 16 Septembris 1854.*

74. Proposito enim dubio: - VII. An et quomodo probanda sit proposita redituum restitutio in casu -, Sacra Congregatio respondit: - Ad septimum, Affirmative; subductis tamen expensis a Capitulo toleratis, pro exactione pensionum infra terminum ab Episcopo praefiniendum, non ultra quinquennium - *in Florentina Administrationis Legati die 16 Septembris 1854.*

75. Siquidem, uti iustitia postulabat, ut Capitulum Administrator ad restitutionem indebite perceptorum cogeretur, ita eo in casu aequitati omnino consentaneum erat, ut ex hac restitutione Capitularis administratio grave non pateretur damnum, cum praeter bonam fidem, qua Antecessores Capitulares reditus de quibus agebatur fecerunt suos, nemo ex modernis Canonicis de huiusmodi participavit reditibus; ab anno enim 1788 usque ad annum 1854 aliter se res habebat *in Florentina Administrationis Legati die 16 Septembris 1854* §. *Ad septimum* (2).

76. Immo, si Administrator mercedi sibi assignatae nuncium miserit, ac aliquod praestare Causae Piae rite promiserit, tenetur onus administrationis nedum gratis sustinere, sed etiam tribuere quod promisit, etiamsi Syndicus, ab eodem Episcopo electus ad rationes administrationis expendendas, ab huiusmodi onere eumdem solvere censuerit *in Terracinen. et Privernen. die 5 Augusti 1782.*

77. Iamvero erectus est ab antiquo tempore in Arcisgurgae Terra Privernensis Diaecesis pius quidam frumentarius Mons, cuius Administratori, iuxta maiorem vel minorem rei frumentarii annonam, maior vel minor suae operae merces in quadam frumenti quantitate constituebatur.

78. Anno 1758, quo pro mercede duo rubra Administratori dabantur, cum illud officium vacasse contingerit, electus in Administrum fuit a bo. me. Episcopo Odoardi Petrus Paulus Trentacarlini. Hic vero per publicum instrumentum duplicem in se obligationem suscepit, alteram sacro Monti cedendi et donandi eam frumenti quantitatem, quae pro mercede Administratori dabatur, alteram vero tradendi quotannis eidem Monti de proprio rubrum unum frumenti, declarans, se contentum esse solitis incrementis naturalibus, quae ex frumentorum exactione augmentari posset. A praedicto Episcopo anno 1762 electus fuit Syndicus, qui, rationibus administrationis expensis, praecepit, ut praefato Trentacarlini trina frumenti rubra condonarentur, quae tribus suae administrationis annis eidem Monti tradere neglexerat, voluit insuper idem Syndicus, praedictum Administratorem absolutum ab onere quotannis tradendi conventum rubrum, suamque operam in posterum gratis esse praestandam.

79. Post decennium idem Episcopus Odoardi in actu S. Visitationis Syndici ordinationem tacite revocando mandavit, obligationem servandam esse a Trentacarlino anno 1758 susceptam: quae

(1) Siquidem Eminentissimus Relator haec deduxerat in §. *In talibus* - ibi - De hac exceptione sic loquitur praelaudatus Vicarius Apostolicus: - Trattandosi di spese fatte pel decoro della Chiesa e pel servizio del Signore, non si dissente dall' abbuono di questa somma, semprechè così piaccia alla Sagra Congregazione del Concilio, e semprechè i Deputati facciano costare in modo concludente l'importo specifico dell' Organo, dubitandosi, che non portasse realmente la spesa di scudi 126 -. Dubitatio super quantitatem expensae evanescit, ex specimine, quod Deputat ultimo loco exhibuerunt. Pro condonatione autem harum expensarum, quamvis stricto iuri adversetur, haud spernenda videtur ratio a Vicario allata. Accedit, novam picturam S. Ioannis Baptistae fuisse efformatam, veteri ob loci humilitatem vitiata, et scandalum fortasse oriturum, si Organum et Altaris ornamenta e loco suo amoverentur. Nihilominus affirmare non ausim, quid hac in re expediat magis eligere.

(2) Postularunt nimirum, ut in §. *Quibus* - ibi - di concederne la composizione in tante rate annue, in quante secondo l'importare di esso, giudicheranno gli Esponenti potersi riparare, senza grave sconcio dell' Amministrazione Capitolare -.

Episcopi sententia, cum in eiusdem Trentacarlini cognitionem devenisset, supplicem hic Antistiti porrexit libellum, in quo, ut in officio detineretur, ratihabuit suam obligationem anni 1758, promittendo non solum se traditurum rubra, quae pro tempore praeterito non dederat, sed etiam pro tempore futuro quotannis traditurum fore rubrum unum, ad formam pacti conventi.

80. Quibus sic compositis, Trentacarlini in officio confirmatus fuit. Modernus Episcopus inde in actu visitationis cum comperiisset, praedictum Administratorem suae reiteratae obligationi minime satisfecisset (duodeviginti enim annorum spatio unicum tantum rubrum praestiterat), eumdem ad aliorum septemdecim rubrorum traditionem damnavit.

81. Ab hoc Episcopi Decreto recursum habuit Trentacarlinus ad Sacram Congregationem, se consecuturum sperans exemptionem ex ea ratione, quod incaute obligationes ab ipso susceptae fuerint; et praeterea, quia ipse non solum nullum praemium referret ex opera sua, quod damnatur ex Constitutione Leonis X incipien. *Inter multiplices,* sed etiam damnum sentiret, et pro se tandem haberet Syndicatoris sententiam.

82. Proposito vero dubio: - An servandum sit Decretum Episcopi latum die 17 Iunii 1777, seu potius Sententia Syndicatoris diei 28 Iunii 1762 in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam; et amplius - *in Terracinen. et Privernen. die 3 Augusti 1782.*

83. Incauta propterea dici non potest obligatio, quae a Viro et firmae aetatis et iudicii inita fuerit, neque Constitutio praefata Leonis X respicere videtur eos etiam, qui, favore Piae Causae ultronee et nullo impellente, sese obstrinxerint ad gratis praestandam operam vel ad aliquid etiam de proprio, favore Pii Operis, tribuendum *in Terracinen. et Privernen. die 13 Iulii 1782* §. *An vero.*

84. Quamvis imo nil Administratores polliceantur, de natura tamen rei venit, ut, qui rerum etiam communium administrationem, quam mixtam vocant, suscipiunt, ex quasi contractu cavere debeant, ne facto suo damnum interesse habentibus inferant *in Murana Relaxationis Iuramenti die 30 Martii 1844* §. *Verum* (1).

85. Nil ergo dubium, quod Administratores etiam expensas litis reficere teneantur, cum iniustae eam susceperint ac intentaverint *in Viterbien. Capellaniae die 4 Aprilis 1767* §. *Demum.*

86. Aequum enim est, ut huiusmodi litis expensae in ipsorum damnum cedant *in Viterbien. Capellaniae die 4 Aprilis 1767* §. *Demum.*

87. Itaque, si lis inter Canonicos vel inter Loci aut Pii Operis Administratores acta fuerit super praeeminentia aut alio iure, quod nullam Ecclesiae, Loco, aut Pio Operi utilitatem attulerit, tunc expensae propriis Litigantium sumptibus persolvi debent *in Cavallicen. Residentiae et Distributionum die 30 Septembris 1702 lib. 51 Decretorum pag. 371.*

Item *in Eugubina Canonicatus die 7 Iulii 1770* §. *Si vero.*

88. Propterea nec Beneficiati seu Canonici extrahere valent ex massa communi expensas, adeoque Massam reintegrare tenentur, cum non agitur de lite contra tertium vel pro interesse Communitatis, sed de lite inter ipsos, unum, idemque corpus constituentes *in Gerunden. Expensarum die 7 Decembris 1720* §. *Cum.*

89. Iamvero, inter Beneficiatos Cathedralis Ecclesiae Gerundensis, nonnulli reperiebantur Beneficiati graduati, Laurea videlicet Doctorali insigniti, quique utebantur veste nobiliori, et alii reperiebantur non graduati. Inter Beneficiatos graduatos et non graduatos exorta est controversia super delatio Vexilli et Astarum Baldachini, occasione associationis Sanctissimi Viatici ad Infirmos, contendentibus graduatis, id ad se spectare, et sustinentibus non graduatis, id ad eos non pertinere. Cum autem Beneficiati graduati deprehenderint, non graduatos extraxisse ex massa communi expensas huiusmodi factas pro lite sustinenda, et ulterius ex eadem massa extrahere velle alias expensas in posterum pro eadem causa faciendas, examen huius instantiae remitti obtinuerunt ad Sacram Congregationem, cum causa penderet penes S. Rituum Congregationem.

90. Proposito hinc dubio: - III. An Beneficiati non graduati teneantur reintegrare massam de pecuniis extractis in casu etc. -, Sacra

(1) Donnell. de iur. civ. lib. 15, cap. 25, n. 7.

Congregatio respondit: - Ad tertium, Affirmative; et amplius - *in Gerunden. Expensarum die 11 Ianuarii 1721.*

91. Ac eo vel magis ad reintegrationem tenentur, si massa constituitur ex variis Legatis Piis, habentibus annexum considerabile onus Missarum lectarum ascendentium ad numerum fere duodecim mille circiter, quae pro rata inter Capitulares dividuntur; nec non plurium Anniversariorum numero biscentum tresdecim circiter, et pro quolibet est taxata eleemosyna ducatorum trium, nonnisi inter praesentes, attenta S. Concilii Tridentini dispositione, dividendorum. Quod imo superest de huiusmodi Massa communi, deductis supradictis et aliis oneribus, puta decimarum, Spolii, Advocati, Procuratoris, et similibus, per modum quotidianarum distributionum a Capitularibus, ne alias chori et Ecclesiae servitium deseratur, percipitur. In eadem inde massa computantur emolumenta ex funeralibus seu exequiis provenientia, quae in fine cuiuslibet anni per Procuratorem inter Capitulares, qui funeralibus interfuerunt, dividuntur *in Ruben. Expensarum die 11 Septembris 1734* §. *Massa.*

92. Quum siquidem ita esset massa Capitularis, Archipresbiter et unus ex duobus Canonicis, qui vocantur Primicerii, ac alii quidam ex antiquioribus Presbiteris participantibus Ecclesiae Cathedralis, adversantes erectioni Praebendarum Theologalis et Poenitentiariae ab Episcopo factae sub annum 1731 nec non duobus Decretis ab eodem Episcopo promulgatis, altero nempe, quo iubentur omnes, Clerum Cathedralis constituentes, interesse congressibus statuta die cuiuslibet hebdomadae super casibus conscientiae in Sacrario Ecclesiae, coram ipso Episcopo habendis, altero vero, quo praecipitur omnimoda observantia Caeremonialis Episcoporum, interdictis quibusdam usibus eidem Caeremoniali contrariis, pariterque reclamantes a quadam praefati Episcopi sententia; redintegrationem duarum Praebendarum Canonicalium de iurepatronatus laicorum demandantes, ut lites omnes, super hisce capitibus excitatas (quarum binae respicientes erectionem Canonicatuum Theologalis et Poenitentiariae, et observantiam Edicti, pro interventu ad congressus, super casibus conscientiae, Sacrae Congregationi fuerunt commissae) promovere valerent, arbitrati sunt, licitum sibi esse pro sumptibus ad eas necessariis pecunias ex massa communi detrahere.

93. E converso alii Capitulares, qui praemissis litibus non assentiebantur, aegreferentes hoc Massae communis detrimentum, resolutionem controversiae, num id admitti deberet, ab Eminentissimis Patribus efflagitarunt.

94. Idcirco, proposito dubio: - An pecuniae necessariae, pro expensis faciendis in causis pendentibus et discutiendis in S. Congregatione, vel in aliqua earum sumi possint ex Massa Capitulari Ecclesiae Cathedralis Rubensis in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Negative; et Episcopus mandet, reintegrari Massam Capitularem, de pecuniis extractis - *in Ruben. Expensarum die 25 Septembris 1734.*

95. Reproposito dein dubio, sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - In decisis, et amplius - *in Ruben. Expensarum die 20 Novembris 1734.*

96. Qua de re, si expensae litis fiant in Ecclesiae utilitatem et commune totius Capituli commodum detrahi quidem ex communi Massa debent; non vero, si eas iniuste faciant Contradictores *in Troiana Praebendarum die 6 Decembris 1738.*

97. Siquidem, cum ingens terraemotus, qui Civitatem Fogiam sub annum 1731 concussit, plerasque domos, quarum annui proventus ad praebendas Collegiatae Ecclesiae S. Mariae spectabant, graviter quatefecerit ac pene prostraverit, ad consulendum Canonicis, qui aut omnino aut magna ex parte luctuosam suorum redituum iacturam subierant, et nihilominus assiduum Ecclesiae servitium praestabant, haec inter Capitulares Episcopo officia sua prudenter interponente, inita fuit deliberatio; nimirum, ut universi reditus, tum qui ex praebendis percipiebantur, tum qui pertinebant ad Massam communem, distributionibus quotidianis destinatam, in unum conferrentur acervum, indeque primum sumerentur ducati mille in reparationem domorum impendendi, quidquid vero fructuum reliquum esset, detractis necessariis Ecclesiae sumptibus, inter Canonicos, qui divinis Officiis intersunt, ex aequo repartiri deberet, atque ita tamdiu servaretur donec aedes, quae ruinam passae sunt, reparatae forent: absoluta autem reparatione, tertia pars ex toto annuorum redituum cumulo deinceps separaretur,

eaque cederet in distributiones quotidianas, reliquae vero duae partes, itidem ex aequo partiendae, singulorum Canonicorum praebendas constituerent.

98. Deliberationem hanc laudavit approbavitque Sacra Congregatio: discussis quippe, ad petitionem trium ex dictis Canonicis recusantium suas praebendas, quae salvae et incolumes ab omni terraemotus damno evaserant, ad sublevandam aliarum praebendarum inopiam et calamitatem conferre, binis hisce dubiis: - I. An omnia bona tam Massae communis, quam praebendalia coacervari debeant ad effectum deinde dividendi reditus, iuxta modum ab Episcopo et maiori parte Capituli approbatum. *Et quatenus negative.* II. An et quomodo sit providendum, tam Ecclesiae, quam Dignitatibus et Canonicis, quorum fundi praebendales vel omnino vel in parte perierunt in casu etc. -, die 6 Decembris 1732 rescriptum fuit: - Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Provisum in primo - *in Troiana Praebendarum die 6 Decembris 1738.*

99. Reproposita dein Causa, sub consueto dubio: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. -, die 10 Ianuarii 1733 prodiit Resolutio: - In decisis, iuxta modum; videlicet, ut, durante provisionali coacervatione redituum, quidquid erit de iure solvendum pro pensionibus solvatur ex acervo eorumdem reddituum; quo vero ad damnum, quod proveniat a culpa et facto Canonicorum, ad Episcopum pro extraiudiciali illius cognitione; quo demum ad prorogationem temporis et quantitatem annuae summae erogandae in reparationem domorum, ad eumdem Episcopum, pro suo arbitrio et prudentia - *in Troiana Praebendarum die 6 Decembris 1738* §. *Deliberationem.*

100. Consentanee ad praemissas Resolutiones Episcopus decretum exequutionis edidit (1). Quia vero decem Canonici, maiorem Capituli partem constituentes, quorum Praebendae nullo gravabantur pensionis onere, posthabitis tum S. Congregationis Resolutionibus, tum praefato Episcopi Decreto, curarunt memoratas domus impetu terraemotus concussas restaurari non quidem ex fructibus omnium praebendarum simul cumulatis, sed ex pluribus capitalibus censuum in summa ducatorum mille a Debitoribus Capituli interea restitutis; deindeque, facta aequali divisione, unusquisque Canonicus propriam retinuit Praebendam in annuo reditu ducatorum centum (ante recensitam quippe terraemotus calamitatem, quaelibet ex dictis Praebendis ducatos centum viginti septem circiter reddebat), Canonicus Franciscus Garzillo perpendens, quod, si detrahatur summa ducatorum centum, pro cuiusque Canonici Praebenda, parum aut nihil fructuum superesset, pro quotidianis distributionibus et pro solvendis pensionibus, quodque non omnes domus antedictae, sed aliquae dumtaxat ex parte fuerunt ad id temporis ex enunciatis censuum capitalibus restauratae, ad consulendum servitio Ecclesiae, quod facile, deficientibus quotidianis distributionibus, imminueretur; itidemque ad reparandum detrimentum, quod sibi obveniret, si redituum coacervatio non fieret, et pensio, quae in viginti duobus ducatis gravabatur, ex eorumdem reddituum cumulo non persolveretur, Sacram Congregationem adire statuit, postu-

(1) Quo siquidem decreto haec edixit, ut in §. *Consentanee* - ibi - Nos huiusmodi Decreto, ut par est, inhaerentes, mandamus, idem Decretum ad unguem exequutioni demandari, et pro nunc, ut ad effectum deveniatur, decernimus, quod a prima die proximi mensis Maii omnia bona Massae communis, tam corpora, ut aiunt, volantia, quam Praebendae omnium Canonicorum cum effectu coarcerventur, nec non pro coacervatis haberi volumus omnino, itaut unum corpus et unus acervus ex omnibus reditibus efficiatur: inhibentes interea cuicumque ex Canonicis et Procuratoribus sub poenis nostro arbitrio etc., ne quid sibi exigant et appropriet ex hisce coacervatis reditibus statim ac praedicta dies mensis Maii advenerit, qua constituta coacervatione, separamus ducatos septingentos et viginti aequaliter dividendos inter Canonicos pro chori servitio et punctatura: itidem alios ducatos centum quadraginta novem et asses quadraginta pro solvendis pensionibus, iuxta tenorem eiusdem Decreti Sacrae Congregationis Concilii, quibus pensionibus subiaceant nonnulli Canonicatus: itidem quidquid erit impendendum pro praecisis oneribus, veluti subsidiis annuorum censuum Capituli eiusdem; reliquum vero explicitum, et ab omni solutum pondere, quod superest, erogare in reparationem stabilium, mandamus: praeterea mandamus, omnes fructus provenientes ex bonis supradictis coacervatis exigi debere a duobus Canonicis seu Procuratoribus in pleno Capitulo eligendis, qui sic electi teneantur deponere tantum As penes Dominum Archipresbiterum Collegiatae Ecclesiae, cui erit curae pro reparationum opportunitate dictam summam superstitem ab omnibus enunciatis oneribus tradere. Absoluta demum reparatione integrali omnium stabilium, sive Massae communis, sive Praebendalium, sive Corporum, quae vocant volantia, reservamus peraequationem Praebendarum ab eadem Sacra Congregatione Concilii in citato Decreto demandatam -.

lans executioni demandari memoratas Resolutiones.

101. Praeterea contendit idem Garzillo, non solum sex Canonicos, qui ad hanc litem agendam mandatum procurae exararunt, verum etiam totum Capitulum teneri ad sumptus huiusce litis, quippe quae in Ecclesiae utilitatem et commune totius Capituli commodum esset cessura.

102. Propositis hinc dubiis: - I. An Resolutiones huius Sacrae Congregationis diei 6 Decembris 1732 et die 10 Ianuarii 1733 sint in omnibus exequendae, seu potius asserta divisio noviter facta sustineatur in casu etc.

II. An et qui teneatur ad expensas huius litis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative quoad primam partem, Negative ad secundam. Ad secundum, Expensas, quae fiunt pro exequutione Resolutionum detrahendas esse ex communi Massa Capitulari; ad reliquas vero teneri de proprio Canonicos contradictores - *in Troiana Praebendarum die 6 Decembris 1738.*

103. Id eo etiam locum habet, cum plures ex Canonicis Administratoribus insistant, pro exequutione voluntatis Testatoris, dum interim alii obsistunt - *in Eugubina Canonicatus die 7 Iulii 1770.*

104. Quandoquidem Collegiatam Ecclesiam sub titulo S. Christinae erigi iussit in Civitate Eugubii Ioannes Baptista Cristini, eamque sex Canonicis constare voluit, quorum singulis suam Praebendam assignavit. Plures edixit leges, et praecipue quoad Canonicorum electionem mandavit, ut, eorum aliquo decedente, alius per suffragia secreta ab ipsis Presbiteris praefatae Ecclesiae eligeretur. Heredem postea ex Asse instituit Hospitium pauperum Puellarum tertii et alterius inferioris gradus eiusdem Civitatis Eugubii, quod quidem Hospitium patronatui curae et regimini Canonicorum commendavit. Collegiatae erectionem ratam habuit probavitque S. M. Urbanus VIII anno 1641, a quo tempore in quibuscumque vacationibus, ius conferendi Canonicatus, in mensibus etiam Apostolicae Sedi reservatis, Capitulum exercuit.

105. Accesit Capitulo anno 1754 hereditas Gabrielis Triangoli, qui, post obitum Thomae fratris et heredis usufructuarii, Collegiatam S. Christinae proprietariam instituit, cum onere augendi duos Canonicatus, qui eiusdem naturae, tum quoad obligationes, tum quoad electionem, essent ac illi ex hereditate Cristini fundati extabant. Iuspatronatus passivum reliquit Descendentibus a quatuor sibi affinibus Familiis. Quo vero reliquum esset ex suae hereditatis fructibus, detractis Praebendis scutorum quadraginta in singulos Canonicatus a se institutos, deferri voluit Puellis, uno vel altero earum favore constituto dotali subsidio.

106. Defuncto Testatore, anno 1759 erecti iuxta eius dispositionem fuerunt duo novi Canonicatus sub iisdem legibus et conditionibus, quoad modum praesertim eligendi novos Canonicos, quibus erecti iam fuerant Canonicatus fundationis Cristini, quas quidem conditiones legesque anno 1763 confirmavit S. M. Clemens XIII, mandavitque electiones fieri a Capitulo debere etiam in mensibus Apostolicae Sedi reservatis, - ad instar aliorum antiquorum Canonicorum et Praebendarum eiusdem Collegiatae Ecclesiae, et iuxta praefatum indultum et privilegium dicti Urbani -; electiones autem seu nominationes aliter factas nullas atque irritas fore declaravit.

107. Per obitum Canonici Angelini vacavit Canonicatus antiquae institutionis Cristinae, ad quem iure optionis promerito transiit Canonicus Brunellus. Is Canonicatum possidebat novae institutionis Triangoli. Hic autem Canonicatus ab eo dimissus die 30 Maii 1769 unanimi Capitularium suffragio collatus fuit Clerico Carolo Sanfigi ex Familia a Testatore passive vocata et praelata, qui tamen paulo post suae electioni renunciavit. Interim Sacerdos Ubaldus Mattioli S. Sedem adiit, dictum Canonicatum impetraturus; sed expeditioni Literarum Apostolicarum obstitit maior Capituli pars, contendens novi Canonici electionem ad se pertinere. Hinc Eminentissimus Pro-Datarius controversiam hanc iudicio Sacrae Congregationis censuit ablegandam; proindeque Capitulari sententia, cui quatuor tantum ex septem Canonicis adhaeserunt, statutum fuit, litem ad tuenda Capituli iura et exequendam Testatoris voluntatem agendam esse sumptibus hereditatis Triangoli, qua de re eiusdem hereditatis Administro mandatum est, ut, quidquid pecuniae esset necessarium, persolveret. Verum pauperes Puellae conquestae sunt penes S. Congregationem, expilari Arcam hereditatis subsidiisque dotalibus parari perniciem, si hereditariis sumptibus lis a Capitulo institueretur.

108. Quatuor Canonici vero, maiorem Capituli partem constituentes, contenderunt, expensas fieri debere ex reditibus hereditatis Triangoli, iuxta Capituli resolutionem, cum Testator Cristini, cui Triangolus quoque adhaesit, mandaverit, ut, si quae dubietas circa interpretationem suae dispositionis inter Capitulares Administratores irreperet, a secretis eorum suffragiis definiretur, eorumque definitio ac si esset Testatoris mandatum inviolabiliter exequeretur *in Eugubina Canonicatus die 7 Iulii 1770* §. *Quo vero.*

109. Adverterunt insuper, hic non tam agi de tuendo activo Patronatu ad Capitulum pertinente, sed de adimplenda Testatoris voluntate; Capitulum Collegiatae seu Canonicos, illud componentes, constitutos esse hereditatis Triangoli Administros, quin ullum ex hac administratione compendium perciperent. Idcirco inferre studuerunt, non teneri propriis sumptibns prosequi litem, pro implemento voluntatis Testatoris *in Eugubina Canonicatus die 7 Iulii 1770* §. *Quo vero* (1).

110. Diversimode autem arbitrari oportere sustinuerunt, quoad expensas litis, quam Prior et duo Canonici instituerunt. Nec habendam esse rationem Puellarum, cum istae non essent in Causa; immo adversus eos, qui hanc litem earum nomine agebant, obstrepebant, quemadmodum resultabat ex declaratione subscripta a quadraginta quatuor Puellis, qui numerus omnes fere Civitatis Puellas hac in re interesse habentes complectebatur. Idcirco concludere enixe curarunt, de Puellis ita sentiendum, ac si nulla de iis in dubio habita fuisset mentio; proindeque a Priore et duobus Canonicis expensas reficiendas esse hereditati Triangoli, ut hoc modo reintegrari valerent quatuor Canonici, qui pro tuenda Testatoris voluntate illas impenderunt *in Eugubina Canonicatus die 7 Iulii 1770* §. *Diversimode.*

111. Contra haec insurrexerunt hinc Prior Collegiatae et duo Canonici, ne permitteretur fieri expensas sumptibus hereditatis Triangoli. Dixerunt enim, Testatorem demandasse, ut, soluta Praebenda duobus Canonicis detractisque expensis, quidquid ex fructibus hereditatis superesset in unum vel plura dotalia subsidia erogaretur; proindeque iniquum esset, ut id in sustinenda lite contra Mattiolum impetrantem impenderetur. Maxime, quia lis instituta fuit a quatuor Canonicis, ut simoniae vitium a se averterent, idque cum rediret in ipsorum proprium commodum et interesse, ipsorum quoque sumptibus fieri debebat *in Eugubina Canonicatus die 7 Iulii 1770* §. *Praeter* (2).

112. Nec attendendam declarationem Puellarum deponentium, se nunquam consensisse, cum nonnullae ex his Puellis allectae fuerint spe consequendi dotale subsidium, aliae autem dolo ac fraude deceptae fuerint, quemadmodum testati sunt illarum Consanguinei et Parentes, quibus potius fides est adhibenda, quam dictarum Puellarum improvidae subscriptioni *in Eugubina Canonicatus die 7 Iulii 1770* §. *Nec* (3).

113. Et quamvis nihil fraudis irrepsisset, addiderunt nihilominus despiciendam esse declarationem earum, quae numero pauciores erant et aliis longe pluribus praeiudicium afferre nequibant; attento praesertim detrimento, tum Puellarum, tum Canonicorum, qui privarentur iure conferendi dotalia subsidia, quousque lis non fuisset absoluta *in Eugubina Canonicatus die 7 Iulii 1770* §. *Nec.*

114. Perperamque proponi dixerunt exempla litium, quae sumptibus hereditatis actae erant, cum in iis casibus non adessent circumstantiae et rationes, quae in praesenti concurrebant. Ceterum de his exemplis non constare affirmarunt; quia Notarii, qui libros Collegiatae perlustrarunt, invenire non potuerunt expensas pro tuendis litibus erogatas; immo contrarium desumebatur ex Testibus de facto proprio, atque ex ore Canonicorum deponentibus *in Eugubina Canonicatus die 7 Iulii 1770* §. *Perperamque.*

115. His tamen non obstantibus, reiecta merito supplicatione Sacerdotis Ubaldi Mattioli, propositis dubiis: - II. An expensae litis fieri debeant ex reditibus hereditatis Triangoli, itaut sint exequendae resolutiones Capitulares dierum 24 Iulii et 24 Septembris 1769, seu potius a quatuor Canonicis in casu etc.

III. An expensae, quae fieri debeant a Priore, duobus Canonicis, et Puellis, sint reficiendae ab hereditate Triangoli, seu potius ab ipsis

(1) Rot. in Calaguritana seu Toletana Capellaniae super sumptibus litis die 4 Iulii 1742 §. Certum, coram Millino.
(2) L. *Omne*, ff., pro Soc.; Rot. in decis. 263, n. 4, coram Lùdovis.; decis. 115, n. 4 et 5, coram Lancetta.
(3) Cap. *Nostra* 2, de testib.; Rot. in decis. 297, n. 20, part. 19 Recent.

Priore, Canonicis, et Puellis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad secundum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam; et amplius. Ad tertium, expensas fieri debere a Priore et duobus Canonicis; et amplius - *in Eugubina Canonicatus die 7 Iulii 1770.*

116. Quemadmodum idcirco ad reintegrationem expensarum tenentur Administratores, qui eas iniuste vel in proprium commodum fecerunt; ita ab onere huiusmodi solvuntur, qui expensas facere coacti sunt, ut exequutioni mandaretur Testatoris voluntas; namque expensae litis ex reditibus hereditatis Testatoris, Capellaniae seu Loco Pio assignatis, sunt detrahendae *in Viterbien. Capellaniae die 4 Aprilis 1767* §. *Ad IX.*

Item *in Viterbien. Capellaniae die 19 Septembris 1767* §. *Ad IX.*

117. Enimvero quidam Sernutius Ciccolini civis Viterbiensis Capellam, quam Conceptioni Beatae Mariae Virgini dicatam extruxerat in Collegiata Ecclesia S. Faustini et Iovitae eiusdem Civitatis, in suo testamento diei 22 Ianuarii 1426 heredem universalem instituit expressa lege, - quod dicta Capella non possit adiungi, communicari, vel incorporari cum aliqua alia Capella, Canonicatu, vel Beneficio per Priorem et Capitulum dictae Ecclesiae S. Faustini seu quamvis aliam personam aliqua ratione, cui Capellae reliquit Patronos et bonorum Administratores Antepositos dictae contradae S. Faustini, qui tunc et pro tempore erunt: qui Patroni cum consensu Capituli dictae Ecclesiae S. Faustini habeant et debeant eligere unum bonum et honestum Sacerdotem in Capellanum dictae Capellae -.

118. Inde ex decretis Ordinarii orta est controversia, de natura et indole praefatae Capellaniae, de eiusdem iuribus et oneribus, ac de bonorum administratione. Propterea Capitulum et Sancteses contenderunt, litem hanc agi, ut exequutioni mandaretur Testatoris voluntas, quae vel temporum iniuria, vel Capellanorum studio, vel Sanctesium negligentia despecta fuit: nec ideo Capitulum vel Sancteses mulctari posse, quod exequutionem voluntatis Testatoris urgerent; expensas proinde ex reditibus Capellaniae faciendas esse, de cuius interesse praecipue agebatur.

119. Quare, proposito dubio: - IX. An ad expensas praesentis litis quoad Capellanum et Capellaniam, teneatur Capitulum sive Sancteses, vel potius sint faciendae ex reditibus Capellaniae in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Ad nonum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam - *in Viterbien. Capellaniae die 30 Maii 1767.*

120. Reproposito dein dubio, sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis quoad IX dubium in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - In decisis, et amplius - *in Viterbien. Capellaniae die 21 Novembris 1767.*

121. Itaque de expensarum onere regulariter statutum est, eas detrahi ex reditibus piae hereditatis seu Capellaniae, de cuius interesse agitur, ut passim firmavit Rota (1), et saepius Sacra Congregatio declaravit. Siquidem in una *Imolen. subsidii dotalis,* contendentibus Mansionariis Ecclesiae Cathedralis, ex pecuniis hereditariis detrahendas esse expensas litis, respicientis exequutionem voluntatis pii Testatoris ipsorum curae commissae, proposito dubio: - III. An litis sumptus per Congregationem Mansionariorum sustentae debuerint et debeant desumi ex reditibus piae hereditatis et in qua summa? -, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative, in summa liquidanda per D. Secretarium - *in Montis Falisci Expensarum Litis die 20 Augusti 1768* §. *De.*

122. Amplia, etiamsi agatur de lite pro tuendo iurepatronatus *in Eugubina Canonicatus die 7 Iulii 1770* §. *Quo vero.*

123. Nam Patronatus eodem iure ac modo censetur ac Fideicommissa *in Eugubina Canonicatus die 7 Iulii 1770* §. *Quo vero* (2).

124. In lite autem pro tuendis iuribus Fideicommissi, expensae ex ipso Fideicommisso sunt detrahendae *in Eugubina Canonicatus die 7 Iulii 1770* §. *Quo vero* (3).

125. Praesertim, si etiam de recuperandis bonis Capellaniae, a tertiis Possessoribus retentis, res esset *in Montis Falisci Expensarum Litis die 17 Septembris 1768.*

(1) Praesertim in Calaguritana Capellaniae super sumptibus litis 4 Iulii 1742 coram Millino.

(2) Piton. de controv. patronat. allegat. 10, n. 6; Allegat. 26, n. 3.

(3) Molin. de Primogenit. lib. 4, cap. 27, n. 2; Card. De Luc. de feud. disc. 76, n. 8; Ferdinand. de Valent. de ultim. volunt. vot. 4, n. 259.

126. Enimvero ex bonis Barbarae Alfonsi erigendam iussit die 20 Septembris 1760 Sacra Congregatio Capellaniam in Ecclesia S. Blasii Terrae Martae, cum reservatione iurispatronatus, ad formam testamenti Gabriellae Fanelli. Erecta Capellania, Philippus aliique Fratres de Monte, ad Patronatum secundum Gabriellae voluntatem vocati, in Capellanum praesentarunt Clericum Ioannem Vincentium de Monte, ab Ordinario etiam institutum. At cum bona Barbarae Alfonsi Capellaniae assignata detinerentur a nonnullis tertiis Possessoribus, hinc Patroni pro immissione Capellani egerunt in Curia Episcopali; infeliciter tamen, nam Vicarius Generalis, lata sententia, Possessoribus retentionem concessit, eosque a petita immissione absolvit.

127. Et idipsum in gradu appellationis placuit etiam A. C., - reservatis tamen iuribus dicto D. Ioanni Vincentio de Monte petendi in suo congruo iudicio firmationem status hereditarii quondam Barbarae Alfonsi, ad effectum obtinendi immissionem ad ratam bonorum excedentem detractionem, tum dotium, tum legitimae, tum etiam quascumque alias detractiones, de iure tamen competentes. - Delataque ulteriori appellatione ad Rotam, die 5 Maii anni 1767 propositum fuit dubium: - An sit danda immissio in casu etc. -, prodiitque Rescriptum: - Dilata, et ad Dominum Ponentem, pro deputatione Periti Curialis, ad effectum formandi statum hereditarium Barbarae -.

128. Perspicientes ideirco Patroni, quanta vis sumptuum futura esset necessaria, ut lis ad exitum perduceretur, preces obtulerunt Sacrae Congregationi, ut declararet, ipsis deinde licitum fore eosdem sumptus repetere ex bonis recuperandis. Rogatus propterea Episcopus Montis Falisci, ut hac de re sententiam, auditis interesse habentibus, aperiret, respondit, Oratoribus nequaquam competere hoc ius repetitionis, quin ipsi - litem sustineant principaliter super existentia Capellaniae, nec non pro tuendo iurepatronatus eorum favore, ideoque pro tuendo iure proprio -. Deinde animadvertit, quod si per rem iudicatam S. Rotae revocari contingeret sententias suae Curiae et Tribunalis A. C., - tunc coram eadem Sacra Rota in taxatione expensarum poterunt iidem Fratres in eodem Tribunali promovere instantiam, pro praetensa expensarum restitutione -.

129. Suae vero relationi folium etiam inseruit sibi traditum a detentoribus bonorum excipientibus, huiusmodi expensarum repetitionem detrimento futuram illis de Imperiis, post extinctam lineam masculinam de Monte, ad Iuspatronatus vocatis: addideruntque, eamdem detractionem redituum frustraneam reddere Testatricis dispositionem, quum, deductis dotibus et legitima Ioannae et Gabriellae filiarum Barbarae, nihil reliquum esset pro Capellania, si detrahendae erunt expensae litis, quae levissimae esse debebunt; quia Philippus de Monte, quamvis Martae degat, per se tamen in causa scribat, nec ulla mercede donari debeat.

130. Additum inde fuit in eodem folio, litem calumniosam esse; idque enim contendebatur ab ingenua confessione Philippi profitentis, legitimam Filiis Barbarae non posse denegari, nec rito litem eamdem sustineri posse, repugnantibus illis de Imperiis aliisque in iuropatronatu institutis, cum Testatricis voluntas fraudaretur, eiusque animae suffragia detraherentur.

131. Contra vero Fratres de Monte observandum proposuerunt, litem in S. Rota pendentem, super immissione Capellani ad bona hereditaria Barbarae, nullatenus respicere proprium Capellani commodum, seu Patronatum, cum lis de eo fuerit absoluta anno 1760 decreto Sacrae Congregationis, illamque unice pertinere ad Capellaniam eiusque utilitatem, cum tendat ad recuperationem illius bonorum, et propterea expensas, ex bonis recuperandis, esse deducendas (1).

132. Quo vero ad rationes in folio expressas, responderunt, maius esse praeiudicium, quod Capellania ex facto Collitigantium bona occupantium dote careat, quam quod subsistat cum dote diminuta ex causa expensarum litis. Et maius etiam futurum esse praeiudicium illorum de Imperiis, si Capellania ad eos nunquam perveniret, quam si eam habeant cum dote diminuta.

133. Sustinuerunt, perperam dici litem calumniosam, cum non sine probabili fundamento fuerit promota. Nunquam quidem fuisse negatam legitimae detractionem, sed contra iure

(1) Constantin. ad Stat. Urb. annot. 59, art. 7, tom. 2, n. 188; Gratian. discept. 257, n. 3.

probatam; dotem Ioannae et Gabriellae, quae innuptae obierunt, propter statutum Castri feminarum exclusivum, detrahi debere a triente, non autem a reliquis duabus partibus, ad substitutos pertinentibus (1).

134. Huiusmodi vero expensarum detractionem necessariam dixerunt, cum Defensor mercedem consequi deberet, et pro ea super bonis recuperatis ex iuris dispositione praelationem haberet (2). Inutiliter autem consensum interesse habentium requiri in re, quae ex iuris dispositione promanat.

135. Proposito hinc dubio: - An expensae litis per Patronos sint detrahendae a bonis recuperandis pro dote Capellaniae in casu etc.-, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative - *in Montis Falisci Expensarum Litis die 17 Septembris 1708.*

136. Multo magis idcirco Administratores detrahere debent expensas pro exactione pensionum, etiamsi Testator pro labore administrationis compendium assignaverit, sed nullum tamen de exactione verbum fecerit - *in Florentina Administrationis Legati die 16 Septembris 1854* §. *Ad quintum.*

137. Unde ratio postulat, ut huiusmodi expensas, quas Administrator ex errore sustinuit, in diminutionem conferantur debiti, quo Administrator ipse erga administrationem tenetur *in Florentina Administrationis Legati die 16 Septembris 1854* §. *Ad quintum.*

138. Proposito hinc dubio: - V. An et quomodo detrahendae sint expensae pro exactione pensionum in casu -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Ad quintum, Affirmative ex reditibus Legati - *in Florentina Administrationis die 16 Septembris 1854.*

§. VI.

ADMINISTRATOR QUOAD REDDENDAS RATIONES.

1. Administratores, tam ecclesiastici, quam laici, Fabricae cuiusvis Ecclesiae etiam Cathedralis, Hospitalis, Confraternitatis, eleemosynae Montis Pietatis, et quorumcumque Piorum Locorum, singulis annis tenentur reddere rationem administrationis Ordinario *in Eugubina Iuris Visitandi die 21 Iunii 1783* §. *Alterum.*

Item *in Forolivien. die 21 Augusti 1784* §. *Quod respicit; in Asculana die 21 Iunii 1788* §. *Versatur; in Placentina Cooperturae die 6 Martii 1847* §. *Et sane; in Romana Census et Redditionis Rationis die 24 Aprilis 1852* §. *Conditiones; in Reatina Montis Frumentarii die 22 Septembris 1860* §. *De annuali* (3).

2. Neque excipiuntur Canonici Ecclesiae Cathedralis *in Arboren. die 28 Augusti 1847* §. *Casus* (4).

3. Hinc Depositarii et Oeconomi Ecclesiae Cathedralis tenentur reddere rationem Episcopo singulis annis, quoad reditus Fabricae *in Asculana die 21 Iunii 1788* §. *Versatur.*

4. Amplia, etiam intra et extra annum, concurrente tamen in hoc posteriori casu legitima causa *in Asculana die 12 Iulii 1788.*

5. Proposito enim dubio: - X. An Depositarius, et Oeconomus teneantur reddere rationem Episcopo singulis annis, ac etiam intra et extra annum, concurrente tamen in hoc posteriori casu legitima causa in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad decimum, quoad reditus Fabricae Affirmative, quo vero ad reditus Capituli, Episcopus utatur iure suo, ad formam Concilii Tridentini - *in Asculana die 12 Iulii 1788.*

6. Reproposito dein dubio, sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in decimo dubio in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit -: Ad decimum, In decisis; et amplius - *in Asculana die 7 Februarii 1789.*

7. Idcirco, quoad reditus Capituli, Episcopus utitur iure suo, ad formam Concilii Tridentini *in Asculana die 12 Iulii 1788.*

8. Hinc Presbiteri Ecclesiae tenentur red-

(1) Constantin. ad Statut. Urb. annot. 35; art. 2, tom. 2, n. 117 cum aliis ibidem allegatis.

(2) Idem loc. cit. annot. 30, art. 2, n. 270 et 277.

(3) Concil. Tridentin. in Cap. 9, Sess. 22, de Reform.; Card. Petra ad Constit. I Anastasii V. Sect. 2, n. 35, tom. 6; Fermosin. ad tit. et Cap. unic. de Corpor. vitiat. quaest. 4, n. 22, tom. 3.

(4) Crisp. de Visit. pastoral. p. 2, §. 28, n. 9; Nicol. Man. Verb. Conti.

dere rationem, quoad reditus, quibus est aliquod onus annexum, non autem quoad reditus qui libere dividi debent inter Presbiteros, cum praesertim concurrat observantia *in Aliphana Redditionis Rationis die 17 Decembris 1718.*

Item *die 18 Martii 1719.*

9. Siquidem contendit Curia Episcopalis Aliphana, quod Presbiteri Ecclesiae S. Antonii extra Partem nuncupati Terrae Pedemontis tenerentur reddere rationem bonorum et redituum, ad eamdem Ecclesiam pertinentium. Fundamentum praetensionis redditionis rationis bonorum et redituum, ad Ecclesiam S. Antonii spectantium potissimum constituit in Cap. 9 Sess. 22 de Reformatione Concilii Tridentini, in quo derogatur consuetudinibus et privilegiis, quae in contrarium allegari possent.

10. Adversus haec Sacerdotes exceperunt, quod Ecclesia Sancti Antonii fuit a suis Praedecessoribus fundata, cum reservatione iurispatronatus, ab Episcopis tunc temporis approbata, et quod semper a se et a suis Praedecessoribus fuit electus Administrator seu Procurator, qui rationem reddidit in manibus Sacerdotum eligentium, facta ab anno 1653 usque ad id temporis divisione fructuum et redituum inter ipsos. Hinc sustinuerunt non habere locum in themate allegatam Concilii Tridentini dispositionem, quae non procedit in ordine ad fructus et emolumenta, quae inter ipsos Sacerdotes seu Capellanos sunt dividenda.

11. Quo itaque stante, Sacra Episcoporum et Regularium Congregatio die 16 Iulii 1717 Sacerdotes Ecclesiae Sancti Angeli eiusdem Diaecesis absolvit a praetensa redditione rationis, quae resolutio firmare videbatur statum etiam in praesenti casu.

12. Idcirco, proposito dubio: - An Decretum Episcopi seu illius Vicarii Generalis super redditione rationis fructuum et redituum Ecclesiae S. Antonii Castri Pedemontis sustineatur in casu -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative quoad reditus, quibus est aliquod onus annexum, Negative quoad reditus, qui libere dividi debent inter Presbiteros - *in Aliphana Redditionis Rationis die 17 Decembris 1718.*

13. Reproposito dein dubio, sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - In decisis, et amplius - *in Aliphana Redditionis Rationis die 18 Martii 1719.*

14. Quum itaque administratio redituum Ecclesiae, cui inserviunt plures Sacerdotes ad libitum Rectoris admissi, cum participatione certorum emolumentorum ad ratam servitii praestiti, spectet privative ad Rectorem, ab eodem reddenda est ratio administrationis coram Episcopo, quoad concernentia interesse tantum Presbiterorum participantium *in Barchinonen. Erectionis Communitatis die 1 Aprilis 1702 ad II dubium lib. 52 decretorum.*

15. Ac eo vel magis Administratores tenentur reddere rationem Episcopo, si ab eodem fuerint electi *in Aliphana Administrationis Piorum Locorum die 18 Iulii 1705 ad II dubium.*

16. Iamvero Oeconomi et Gubernatores Ecclesiarum S. Catharinae et S. Mariae Novae in Civitate Aliphae, electi ab Episcopo, tenentur reddere rationem eorum administrationis eidem Episcopo *in Aliphana Administrationis Piorum Locorum die 18 Iulii 1705 ad II dubium.*

17. Hinc et Canonicus subcollector rationem administrationis Ecclesiae reddere debet Episcopo *in Dubio die 10 Februarii 1624 lib. 12 decretorum pag. 158.*

18. Siquidem Sacra Congregatio respondit, - rationes administrationis Ecclesiae reddendas esse a Canonico, quamvis subcollectore, coram Episcopo - *in Dubio die 10 Februarii 1624 lib. 12 decretorum pag. 158 a tergo.*

19. Quapropter Administratores Locorum Piorum, etiamsi officium subcollectoris exerceant, possunt cogi ab Episcopo ad reddendam rationem administrationis ab eis peractae *in Melphien. die 12 Martii 1650 ad cap. 9 sess. 22 de Refor. Posit. 80 pag. 610.*

20. Amplia, itaut nec eis suffragentur privilegia exemptionis *in Melphien. die 12 Martii 1650 ad cap. 9 sess. 22 de reform. Posit. 80 pag. 610.*

21. Insuper Administrantes bona, ad Monasteria Sanctimonialium, etiam Regularibus subiectarum, pertinentia, sive Regulares extiterint, sive Seculares quomodolibet exempti, Episcopo Loci, adhibitis etiam Superioribus Regularibus, singulis annis rationes administrationis reddere tenentur *in Pharaonen. Iurisdictionis die 19 Septembris 1733 §. Quo vero.*

Item *in Constantien. Iurisdictionis die 31 Martii 1770* §. *Ad quintum.*

22. Hinc licet Episcopo petere rationes administrationis bonorum Monasteriorum Monialium exemptarum *in Constantien. Iurisdictionis die 31 Martii 1770* §. *Et in terminis.*

23. Siquidem, cum oborta fuerit controversia hac de re inter Superiores Regulares Monasteriorum vulgo *del Senatore e della Pusterla* et Curiam Episcopalem, proposito dubio: - IX. An Episcopus possit a Monialibus praedictis exquirere redditiones rationum in casu etc. - Sacra Congregatio responsum tulit: - Ad nonum, Affirmative - *in Papien. die 16 Martii 1743.*

24. Praeterea, ortis inter Episcopalem Curiam Wormatiensem et P. Abbatem Eberbacensem Ordinis Cisterciensis, causa Monialium *Marien-Munster* eiusdem Ordinis, pluribus controversiis, oblati fuerunt libelli S. Congregationi Episcoporum et Regularium, a qua auditus fuit Episcopus Eminentissimus Elector Trevirensis uti Episcopus Wormatiensis; sed, delata Causae cognitione ad S. Congregationem, auditus fuit Vicariatus Wormatiensis.

25. Proposito hinc dubio: - III. An liceat eidem Eminentissimo Ordinario petere rationes administrationis bonorum ipsiusmet Monasterii? -, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative - *in Wormatien. Iurisdictionis die 9 Iulii 1746.*

26. Reproposito subinde dubio, sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 9 Iulii anni currentis 1746? -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Ad tertium, In decisis; et amplius - *in Wormatien. Iurisdictionis die 17 Septembris 1746.*

27. Amplia, non obstante etiam non usu, licet Ordinario loci, ad formam Constitutionis Gregorii XV, exigere rationes administrationis bonorum Monialium, Regularibus subiectarum *in Constantien. Iurisdictionis die 31 Martii 1770* §. *Hinc.*

28. Proposito enim dubio: - An, non obstante praetenso non usu, liceat Eminentissimo Archiepiscopo, ad formam Constitutionis Gregorii XV, exigere rationes administrationis bonorum Monialium Regularibus subiectarum? -, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative - *in Neapolitana Exactionis die 11 Martii 1673 lib. 28 decretorum pag. 140.*

Item *in Constantien. Iurisdictionis die 31 Martii 1770* §. *Hinc.*

29. Idcirco, si rationes reddere renuant, iuris remediis cogi possunt *in Pharaonen. Iurisdictionis die 19 Septembris 1733* §. *Quo vero.*

Item *in Constantien. Iurisdictionis die 31 Martii 1770* §. *ad quintum.*

30. Cautum quippe est in Bulla Gregoriana: - Sed et Administrantes bona ad huiusmodi Monasteria Sanctimonialium etiam Regularibus subiectarum pertinentia, sive Regulares extiterint sive Seculares quomodolibet exempti, Episcopo Loci, adhibitis etiam Superioribus Regularibus, singulis annis rationes administrationis, gratis tamen exigendas, reddere teneantur, ad idque iuris remediis cogi et compelli queant - *in Constantien. Iurisdictionis die 31 Martii 1770* §. *Ad V* (1).

31. Qua de re, in huiusmodi Administratores bonorum temporalium Monasteriorum exemptorum Monialium delinquentes, animadvertere potest Ordinarius Loci, illosque ad reliquatum solvendum cogere *in Omolucen. Iurisdictionis die 2 Augusti 1755.*

32. Iamvero usque ab anno 1665 Episcopus Omolucensis Sacram Congregationem consuluit, pluribus propositis dubiis, quae respiciebant iurisdictionem suam circa Monasteria Sanctimonialium, Regularibus Ordinibus subiecta, ad intellectum cognotissimae Constitutionis Gregorianae, cuius initium est: *Inscrutabili:* respondit Sacra Congregatio, dubiaque proposita definivit, sed non exequi potuerant. Praecipui, qui inter Ordines Regulares sese opponebant Episcopi iurisdictioni, in Moravia Benedictini erant, Cistercienses, et Praemonstratenses. Multa fuerunt, quae illi, praesidio exemptionum, ad id temporis gesserunt.

33. Ea itaque ferre non amplius valens Eminentissimus Dominus Cardinalis De Troyer, Episcopus Omolucensis, narravit omnia in Visitatione sacrorum Liminum, ita ut necesse fuerit etiam auctoritate Sanctissimi plura adhibere remedia, quibus in ordinem redigeretur Regularium illorum adversus Episcopalem iurisdictionem licentia.

(1) Gregorius XV in Constit. incipien. *Inscrutabili*, §. 5, Bullar. Tom. 4.

34. Inter cetera, proposito hinc dubio: - X. An competat Episcopo rationes exigere ab Administratoribus bonorum temporalium dictorum Monasteriorum exemptorum Monialium, et in Administratores delinquentes animadvertere, illosque ad reliquatum solvendum cogere, et prohibere, ne Dotes alienentur sine Indulto Pontificio, et Episcopi licentia? -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Ad decimum, Affirmative - *in Omolucen. Iurisdictionis die 7 Iunii 1755.*

35. Reproposito dein dubio, sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - In decisis - *in Omolucen. Iurisdictionis die 2 Augusti 1755.*

36. Nequit vero Episcopus Administratores redituum Monasterii exempti ad redditionem rationis compellere, non vocatis Superioribus Monasterii *in Pharaonen. Iurisdictionis die 19 Septembris 1733 §. Circa.*

Item *in Constantien. Iurisdictionis die 31 Martii 1770 §. Necesse.*

37. Namque praefati Superiores Regulares et ipsi assistere redditioni rationum ac imo eas exigere possunt, quin Episcopus, iisdem irrequisitis, praedictas rationes exigere valeat *in Ferrarien. Iurisdictionis die 28 Septembris 1754.*

38. Siquidem, inter alia Sanctimonialium Monasteria, quae Ferrariae extabant, Regularium Ordinum, quatuor erant Dominicanae Familiae, duo P. Provinciali utriusque Lombardiae, alterum nempe S. Catharinae Martyris, alterum S. Catharinae Senensis; alia duo, alterum S. Rochi, alterum S. Monicae P. Vicario Generali Congregationis S. Sabinae, subiecta manebant. In ultima visitatione facta a P. Provinciali Lombardiae auditae fuerunt Monalium querelae, omnia nutu arbitrioque Syndici regi atque administrari, locationes, concessiones, renovationes emphytheuticas, sine propositione edictorum, sine Beneplacito Apostolico, sine assensu, immo cum dissensu Monialium, sine interventu Praefecti Regularis fieri, libros accepti et impensi non intra Claustra Monasteriorum, sed apud Ministros servari.

39. His auditis querelis, optimum esse censuit P. Provincialis rationes exigere a Ministris, eisque indixit, ut libros ederent: cum hi renuissent libros edere et rationes reddere, adiit P. Provincialis Eminentissimum Archiepiscopum, ut eos cogeret; sed eum difficilem invenit, quod putaret, Regularium auctoritatem versari dumtaxat in directione spirituali Monialium, cetera ad Episcopos pertinere. Hinc orta est de iurisdictione controversia, quae ad S. Congregationem delata fuit, ut eam dirimeret.

40. Itaque Sacra Congregatio, declarata favore Superiorum Regularium ordinaria iurisdictione in spiritualibus et temporalibus super praefatis Monasteriis, nec non iure Vicariorum eorumdem Monasteriorum interveniendi quibuscumque contractibus, ineundis nomine praedictorum Monasteriorum, propositis dubiis: - III. An iidem Vicarii, vel, illis absentibus aut impeditis, Confessarii, possint ac debeant assistere redditioni rationum seu revisioni computorum, ut praetenditur, faciendae, de trimestre in trimestre?

IV. An Provincialis utriusque Lombardiae et P. Vicarius Generalis S. Sabinae possint et debeant visitare dicta Monasteria, circa administrationem bonorum et redituum, et sic revidere libros introitus et exitus, ac exigere rationum redditionem a Ministris aliisque Officialibus eorumdem Monasteriorum?

V. An Eminentissimus Archiepiscopus possit, irrequisito Superiore Regulari, exigere et recipere rationum redditionem a dictis Ministris et Officialibus? -, respondit: - Ad tertium et quartum, Affirmative. Ad quintum, Negative - *in Ferrarien. Iurisdictionis die 28 Septembris 1754.*

41. Quatenus tamen iidem Superiores interpellati id renuant facere, potest Episcopus Administratores compellere ad rationes administrationis reddendas *in Pharaonen. Iurisdictionis die 19 Septembris 1733 §. Circa.*

Item *in Constantien. Iurisdictionis die 31 Martii 1770 §. Necesse.*

42. Siquidem, proposito dubio: - An possit Episcopus Administratores redituum Monasterii exempti ad redditionem rationis compellere, non vocatis Superioribus Monasterii, eosdemque Administratores removere, quatenus iidem Superiores interpellati id facere renuant? -, Sacra Congregatio respondit: - Quoad primam partem Negative, quoad secundam Affirmative - *in Colimbrien. die 16 Iulii 1639.*

Item *in Hieracen. Visitationis die 26 Ia-*

nuarii 1692 lib. 12 decretorum pag. 46; in Constantien. Iurisdictionis die 31 Martii 1770 §. Necesse.

43. Hinc non obstat, quod Sodalitas in Regularium Ecclesia existat, ac Regularibus ipsis subiecta sit; nam Sacra Congregatio pluries declaravit, etiam Sodalitates ordinariae Episcoporum iurisdictioni subesse *in Civitatis Castelli Visitationis Sacrorum Liminum die 18 Iulii 1857 §. Ita.*

44. Namque Sacra Congregatio id expresse declaravit, edicens: - Confraternitates Laicorum, in Ecclesiis Regularium exemptorum institutas, subesse iurisdictioni et visitationi Episcopi, illasque ab eo visitari posse, nec non illorum Capellas, in iisdem Ecclesiis Regularium existentes; in his tamen, quae Confraternitatum administrationem respiciunt. Et si Confraternitati incumbit onus manutenendi Altare ad illius cultum, Episcopum posse visitare circa ea, quae respiciunt ipsam manutentionem, cultum, et ornamenta Altaris seu Capellae, onera Missarum, atque divinorum Officiorum ibidem celebrandorum, et circa ea, quae ad obligationem eorumdem Confratrum relationem habent - *in Nucerina Paganorum die 23 Iunii 1629.*

Item *in Perusina Visitationis Sacrorum Liminum die 26 Augusti 1854 §. Quoad; in Civitatis Castelli Visitationis Sacrorum Liminum die 18 Iulii 1857 §. Re enim vera.*

45. Quod quidem Decretum, tamquam regulam generalem, a Sacra Congregatione habitum fuisse, tradit Benedictus XIV (1) *in Perusina Visitationis Sacrorum Liminum die 26 Augusti 1834 §. Quam.*

Item *in Civitatis Castelli Visitationis Sacrorum Liminum die 18 Iulii 1857 §. Re enim vera.*

46. Itaque, proposito subinde dubio: - An Capella et Altare S. Antonii *(cui laicalis Sodalitas addicta erat)*, sita in Ecclesia PP. MM. de Observantia Ravennae, subsint visitationi Reverendissimi Archiepiscopi, responsum prodiit: - Affirmative, ad formam Nucerinae - *in Perusina Visitationis Sacrorum Liminum die 26 Augusti 1854 §. Quam.*

Item *in Civitatis Castelli Visitationis Sacrorum Liminum die 18 Iulii 1857 §. Re enim vera.*

47. Similiter, cum in Ecclesiis, Oratoriis, et Claustris Regularium Civitatis Mediolanensis, erectae reperirentur nonnullae Confraternitates Laicales, quae ibi habebant peculiarem Capellam et Locum, in quo congregari solebant, et contentiones essent exortae inter Archiepiscopum et Regulares, disputatum fuit sequens dubium: - An Regulares teneantur praestare patientiam, ut Eminentissimus Archiepiscopus dictarum Confraternitatum Capellas seu Loca visitare possit, et in ipsis Capellis et Locis revidere computa administrationis bonorum earumdem Confraternitatum -, responsum fuit: - Affirmative - *in Cosentina Visitationis et Censurarum die 17 Septembris 1722 §. Die.*

48. Nec aliter edixit Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium die 20 Iulii 1663, occasione controversiae inter Episcopum Ventimiliensem et Fratres Observantes Reformatos, super puncto Visitationis Capellae seu Oratorii Confratrum, siti in Coemeterio unito Ecclesiae dictorum Religiosorum *in Cosentina Visitationis et Censurarum die 17 Septembris 1722 §. Sacra.* (2).

(1) In Instit. 105, §. 2, n. 87 et seqq.

(2) Ita quippe praelaudata Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium respondit: - Questi Eminentissimi miei Signori mi hanno comandato di scriverle, che quando si tratta di Confraternite o Oratorii laicali esistenti dentro le Chiese o Chiostri de' Regolari, Ella secondo i decreti della medesima Sagra Congregazione può come Ordinario visitare i loro beni ed entrare e rivedere i conti e l'amministrazioni, se l'elemosine, che si danno per adornare e mantenere la Cappella e suppellettili, siano sempre fedelmente impiegate in benefizio degli Altari, e conoscere, se sono soddisfatti gli obblighi spettanti ai Fratelli ascritti senza visitare Cappella o Oratorio, nè fare altri atti positivi più delli circoscritti -. *Ita habetur apud Lantuscam in Theatro Regularium,* Verb. *Confraternitas, n.* 13.

Ac rursum eadem Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium die 14 Novembris 1698 ita scripsit Episcopo Teracensi: - Questi Eminentissimi miei Signori mi hanno comandato di significarle, che da questa Sagra Congregazione de' Vescovi e Regolari è stato più volte risoluto, che gli Ordinarii possono visitare le Confraternite dei Laici erette nelle Chiese de' Regolari e di altre persone esenti, non solo in quanto ai beni ed entrate loro, con rivedere i conti, ma anche le Cappelle stesse, in quanto quello che riguarda l'amministrazione ed obblighi personali, che spettano alla Compagnia e Confrati ascritti a quella, cioè in riconoscere, se l'entrate ed elemosine, che si danno per adornare e mantenimento della Cappella e per accrescere ivi il culto divino e la divozione del Popolo,

49. Amplia, id etiam edicendum, non obstante praesumpto privilegio et consuetudine nec non arctissima Sodalitii cum Regularibus unione, qua simul unum corpus efficere praetenditur *in Civitatis Castelli Visitationis Sacrorum Liminum die 18 Iulii 1857.*

50. Iamvero Episcopus in relatione status suae Ecclesiae haec exposuit. Inter pias Sodalitates in Civitate existentes, illa recensetur sub titulo Beatissimae Virginis Gratiarum in Ecclesia Servorum B. M. V. erecta, quae a qua-vis Episcopi iurisdictione reputabatur immunis. Coram illius Conventus Priore suos coetus agebant, quaevis Decreta etiam ad divinum cultum spectantia Confratres edebant, et nunquam approbationi Episcopi subiiciebantur, administratio redituum et eleomosynarum Episcopo non exhibebatur, nec simul cum Revisoribus, ut rationes perpenderet, ullo modo vocabatur, contra ea, quae in Cap. 8 et 9 sess. 22 Concilii Tridentini decernuntur.

51. Requisito, tam Conventus, quam Sodalitatis Priore, de privilegiis, si quae forent, edendis, quorum virtute Fraternitas tanta exemptione gauderet, invocata fuit consuetudo. Circa vero Sodalitii statuta nihil potuit haberi. Vestigium tantum Episcopalis iurisdictionis habebatur, visitatio Oratorii ipsi Religiosorum Ecclesiae adnexi, quin tamen ullum ferretur Decretum; frustra enim quandoque datum esset. Nam ignorabat Episcopus Instituti vires ad perficienda Decreta, nec media in promptu erant, ut, renuentes si forte adessent, cogerentur. Postulavit igitur idem Episcopus, ut certa hac in re sibi norma traderetur.

52. Ex paucis documentis, quae post incensum tabularium Conventus et Sodalitatis anno 1797 supererant, colligi potuit, Sodalitatem ipsam iam inde ab anno 1514 erectam ac institutam fuisse (1). Momenta rationum praecipua, quibus nisa est Sodalitas, ad exemptionem probandam, haec fuerunt; ac praeprimis consuetudo trium seculorum, ab anno 1514 usque ad id temporis perpetuo vigens ac nunquam intercepta, cum constaret, vel a suae fundationis initio Sodalitatem, non quidem Episcopo, sed Generali Moderatori Ordinis Servorum, fuisse subiectam: hinc ex documentis colligebatur, ipsum Generalem Moderatorem paulo post erectionem constitutiones seu regulas in Sodalitio, tum adhuc vigentes, sola auctoritate sua confirmasse.

53. Quae quidem consuetudo eo magis in pretio habenda videbatur, quia ex tot Episcoporum silentio pene probata ac sancita comperiretur; quod sane argumento erat, Sodalitium privilegio Apostolico auctum fuisse; secus enim praesumere absurdum foret, Ordinarios cum Episcopalis iurisdictionis detrimento ratam habere voluisse exemptionem, quae nullo legitimo titulo fulciretur. Ceterum vel ipsa tam diuturna observantia huiusce tituli praesumptionem secumferebat. Ac reapse quamvis, incenso tabulario, exhiberi nequiret Apostolicum pri-

siano spese fedelmente, e con effetto s'impieghino ad utilità ed in benefizio della stessa Cappella, e non in altri usi, non toccando però il restante, che spetta alla cura e totale amministrazione de' Frati Regolari, che sono padroni di tutto il corpo della Chiesa, dove sono dette Cappelle e Confraternite, come gli Altari, immagini, ed altre cose materiali e utensili sacri applicati a quelle, sopra de' quali ne i Vescovi, nè altri Ordinarii hanno da ingerirsi, nè usare alcuna giurisdizione o sopraintendenza, a segno tale, che non gli è permesso usare alcun' atto giurisdizionale nelle suddette Chiese de' Regolari, fuori di quanto si è detto di sopra –. *Uti habetur apud Mattheuccium in Offic. Curiae, C.* 14, *sub. n.* 6.

(1) Promotor Fiscalis hisce verbis indolem ac leges praefatae Confraternitatis pandidit, *ut in* §. *Ex* – ibi – Essa (Compagnia) risulta da un'aggregato di Laici e Preti secolari, e di Regolari dell'Ordine de' Servi di Maria. Nei Capitoli generali intervengono coi Secolari tutti i Religiosi Sacerdoti: nei Capitoli particolari, detti dei Dodici, intervengono quattro Religiosi e otto Secolari. Il Priore del Sodalizio è sempre un Secolare (intendiamo sotto questo titolo comprendere anche gli Ecclesiastici del Clero secolare); e l'amministrazione è presso i Confratri secolari; ma il Priore del Convento presiede ai Capitoli, ove dà i segreti suffragii, insieme co' suoi Religiosi, rivede i conti, quali si esibiscono anche al P. Provinciale in S. Visita. Si fanno le questue per la Diocesi con permesso dell'Ordinario, ed una terza parte di queste in via di fatto si cede a beneficio del Convento. La sagra prodigiosa immagine appartiene ai Frati, ma la Confraternita ha il carico della soddisfazione dei Legati e delle sagre Funzioni. Nella processione del Corpus Domini la Confraternita va tra gli Ordini Regolari, precedendo cioè immediatamente le file de' suoi Religiosi. Ma ad onta che manchino gli atti di prima istituzione ed erezione, egli è evidente, che questo Corpo morale è una Confraternita laicale eretta nella Chiesa de' Regolari Servi di Maria, Confraternita aggregata ai Religiosi e da essi nell'enunciato modo dipendente, ma al tutto distinta, avendo Capi ed Officiali da sè, e faciente corpo da sè stessa, con separata amministrazione e separate funzioni –.

vilegium, quod post diligentissimas peractas perquisitiones adhuc reperire datum non fuit, memoriae tamen proditum tradebant Sodales, illud revera extitisse ex Rescripto S. Congregationis Episcoporum et Regularium, ac in vivis adhuc agebat, qui eiusdem *datam* se vidisse meminit.

54. Nec officere sibi putarunt, quod Episcopi aliquando in Sodalitii negociis pertractandis aliquam habuerint partem. Id enim contigisse affirmarunt, non ex ordinaria facultate, qua aucti essent Episcopi, sed ex delegata ab S. Congregatione Episcoporum et Regularium, vel ex libero Sodalium placito et Religiosorum consensu ad lites dirimendas, ceu probare contenderunt ex quodam Rescripto eiusdem Sacrae Congregationis diei 10 Decembris anni 1735, quo Episcopo necessariae et opportunae facultates tributae fuere, ut controversiam per id tempus inter Confratres laicos et Religiosos exortam conciliaret: hinc praesumi non poterat, ex delegatione id Episcopum acturum fuisse, quod auctoritate ordinaria perficere potuisset. Quin potius non deesse documenta, ex quibus patebat, exemptionem hanc Confratres nunquam non vindicasse contra Episcopos ipsos, ubi aliquem iurisdictionis actum exercere pertentaverint (1).

55. Addiderunt, Sodalitium unum idemque cum Religiosis corpus censeri, ceu ex iis deprehendi poterat, quae ipse Promotor Fiscalis enarrabat, quoad eius indolem et vigentes Constitutiones; ac ex more praesertim, ut Sodales in processione Sacratissimi Corporis Domini, cui dumtaxat interveniebant, non inter alias Sodalitates incederent, sed inter Ordines Religiosos, illum Servorum B. M.V., ad quem pertinebant, immediate praeeundo; quod quidem singulare erat ac maxime notandum. Tandem haud silentio praeteribant, in Sodalitii Constitutionibus cautum expresse legi, quod Prior Sodalitatis debeat singulis annis revidere computa administrationis Depositario, ac inde ea exhibere P. Provinciali occasione Visitationis, pro eorum approbatione. Idemque statutum, quoad Legatorum adimplementum, quin ulla de Episcopo mentio fieret.

56. E contra Promotor Fiscalis contendit, Episcopo, nisi ex ordinaria iurisdictione, saltem ex potestate, quam habet tamquam Apostolicae Sedis delegatus, integrum ius inesse visitandi Sodalitium, nec non exigendi singulis annis (una saltem cum Revisoribus deputatis) redditionem rationum administrationis eiusdem, ex dispositione Concilii Tridentini in cap. 8 et 9 sess. 22 de Reformatione. Ex qua arguit Promotor, nec consuetudinem quantumvis diuturnam ac etiam immemorabilem, nec privilegium ab Ordinarii, tamquam Apostolicae Sedis delegati, visitatione ac iure exigendi rationes eximere Sodalitia, nisi privilegium concessum fuerit post Tridentini publicationem, et cum expressa derogatione relatae sanctioni eiusdem Concilii; huiusmodi autem privilegium non praesumi, utpote laesivum iurisdictionis delegatae Episcopi, sed probandum omnino esse. Attamen, cum de consuetudine constaret, ut rationes aliis etiam reddantur, hinc iuxta Caput 9 non inficiabatur, quin et isti admitti deberent, dummodo tamen etiam Ordinarius adhiberetur.

57. Nec omnino consistere perpendit, quod ex adverso asserebatur, nimirum ita Sodalitium cum Religiosis coniunctum esse, ut unum idemque cum ipsis Corpus constituere censendum esset. Non enim huiusmodi Sodalitium tamquam Regulare haberi poterat, cui omnia deerant extrema, quae Regularium Institutorum propria sunt. Simplex autem aggregatio Ordini Regulari haud quidem privilegiorum, sed bonorum tantum spiritualium communicationem secumfert, ac adeo exemptionem ab Episcopi iurisdictione non tribuit, ceu declaravit Clemens VIII in Constitutione, quae incipit: *Quaecumque*, nisi expresse et in specie privilegia ipsa communicentur; uti aeque de Sodalitiis inter se aggregatis docent Doctores (2).

(1) Haec siquidem deducere curarunt, ut in §. *Nec* – ibi – Ed invero nel 1770 Monsignor Vescovo domandò alla Compagnia il pagamento del Cattedratico, e ne ricevè in risposta non doversi pagare, perchè questa Compagnia non fu mai soggetta all' Ordinario. Similmente nel 1782 i Religiosi unitamente ai Fratelli Laici replicando ad una memoria avanzata a Monsignor Vescovo, dichiararono che a lui ricorrevano pregandolo a mettersi mediatore, ma che per questo non intendevano di acconsentire in alcun modo alla giurisdizione Vescovile; ma come persone esenti intendevano avanzare la loro istanza avanti il Reverendissimo Procuratore Generale e alla S. Congregazione de' VV. RR. ai quali dichiaravano essere soggetti i Religiosi e la Compagnia, come risulta dai libri dei Capitoli di detto anno –.

(2) Bass. de Sodalit. quaest. 2, n. 4, Ursaya discep. eccles. tom. 1, part. 2, discept. 21, n. 8; Antonell. de Iur. Cler. in append. decis. 43, n. 8; et Benedictus XIV in Instit. 105, §. 2, n. 89, ubi plures S. Congregationis Resolutiones allegat.

58. Hisce in medium hinc inde deductis, proposito dubio: - An constet de exemptione, seu potius de bono iure Episcopi visitandi Sodalitium Beatissimae Virginis Gratiarum, ac exigendi administrationis rationes ab eiusdem Officialibus in casu -, Sacra Congregatio respondit: - Negative ad primam partem, Affirmative in omnibus ad secundam - *in Civitatis Castelli Visitationis Sacrorum Liminum die 18 Iulii 1857.*

59. Amplia, in casu etiam, quo Congregatio deputata esset ad colligendas oblationes, in causam Canonizationis alicuius Sancti Ordinis Regularium erogandas, atque Administratores Capellam et Altare in ipsa Ecclesia eorumdem Regularium erexissent, nedum praefati Administratores, sed etiam iidem Regulares rationem reddere tenentur Episcopo *in Forolivien. die 11 Septembris 1784.*

60. Iamvero deputata fuit de Episcopi consensu peculiaris nonnullorum Foroliviensium Congregatio, cuius cura esset pias Fidelium oblationes excipere illasque custodire, pro necessariis sumptibus in causam Canonizationis Divi Peregrini Ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis, qui Civis est Foroliviensis, et cuius exuviae in Ecclesia eiusdem Ordinis publice Fidelium veneratione asservantur. Peracto solemni Canonizationis Festo, Administratores, pro eximia erga Divum Peregrinum devotione, obligationem emiserunt manutenendi Capellam et Altare, uti prius ab ipsis factum fuerat. Quum interim Administratores praedicti, pro dimissione debiti non etiam tunc haberent summam, quam scutorum quingentorum, hinc Communitati Forolivii facultas a Pontifice Benedicto XIII impertita fuit vendendi tot Loca Montium Communitatis, sub expressa lege, quod Communitas reintegraretur ex reditibus et Capitalibus, ad Patrimonium Causae Canonizationis pertinentibus.

61. Anno 1774 Congregatio sub nomine Divi Peregrini Forolivii erecta nec non Communitas eiusdem Civitatis in iudicium coram A. C. vocarunt PP. Servitas, et manuteneri petierunt in possessione manutenendi et ornandi Capellam et Altare Divi Peregrini in Ecclesia eorumdem Patrum erectam, conquirendi, tam intra, quam extra Civitatem eleemosynas et oblationes, quae a fidelibus in honorem eiusdem Sancti exhiberentur, administrandi quoscumque reditus, bona, et capitalia ad eamdem Capellam spectantia, cum onere tamen reintegrandi Communitatem, de summis ab ea erogatis in Causam Canonizationis. Petitiones huiusmodi ac aliae a Sanctissimo ad Sacram Congregationem ablegatae fuerunt.

62. Propositis hinc dubiis: - IX. An et cui et quibus in locis competat ius colligendi quaestuas, eleemosynas, atque oblationes, in Sancti eiusque Altaris honorem et venerationem a fidelibus exhibitas, et exhibendas in casu etc.

X. An quando quomodo sub quibus conditionibus dependentiis atque licentiis, eaedem quaestuae, eleemosynae, atque oblationes, usum tam certum, quam incertum habentes, sint colligendae et respective erogandae in casu etc.

XI. An et a quo retinenda sit clavis capsulae eleemosynarum in honorem Divi Peregrini colligendarum, et in pariete eiusdem Capellae existentis in casu etc.

XII. An et cui PP. Servorum B. M. Virginis Conventus Foroliviensis teneantur reddere rationem de quaestuis et eleemosynis, oblatis in honorem et cultum Divi Peregrini, eiusque Altaris per eos collectis in casu etc.

XIII. An et cui a quo tempore et coram quibus ab Administratoribus Communitatis reddenda sit ratio bonorum, capitalium, et redituum, quomodolibet spectantium ad Altare et Capellam Divi Peregrini, in supradicta Ecclesia Patruum Servorum erectam in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad nonum, Ius colligendi eleemosynas intra Ecclesiae ambitum competere Religiosis, extra Ecclesiam vero competere Administratoribus Capellae, de licentia Episcopi; et amplius. Ad decimum, Eleemosynas ab Administratoribus Capellae, colligendas esse, iuxta modum et formam ab Episcopo praescribendam, et eas erogandas esse vel iuxta mentem Offerentium vel iuxta decretum anni 1727 (1); quae vero colliguntur a Religiosis in honorem Sancti Peregrini intra ambitum Ecclesiae consignandas esse Depositario eiusdem Capellae; et amplius. Ad undecimum, Retinendam esse ab Administratoribus. Ad decimum secundum, Teneri reddere rationem Episcopo; et amplius. Ad decimum tertium, Ra-

(1) Nimirum pro solutione expensarum in causa Canonizationis factarum.

tionem reddendam esse Episcopo ab anno 1781 tantum; et amplius - *in Forolivien. die 11 Septembris 1784.*

63. Superior Regularis vero, in locum alterius subrogatus, non tenetur reddere rationem de omnibus et singulis eleemosynis Missarum, oblatis tempore administrationis Antecessoris *in Ordinis Minorum Observantium die 17 Iunii 1713.*

64. Siquidem Sacra Congregatio statuit, quod Fr. Antonius de Rosara, in locum Fr. Bernardini Guardiani Conventus Annuntiatae Asculi, officio suspensi ob coniectas in se criminationes, tamquam Praeses subrogatus, non tenetur reddere rationem de omnibus et singulis eleemosynis Missarum, oblatis tempore administrationis Guardiani sui Antecessoris *in Ordinis Minorum Observantium die 17 Iunii 1713 ad I dubium.*

65. Nam is tenetur tantum reddere rationem de eleemosynis Missarum, receptis tempore sui regiminis *in Ordinis Minorum Observantium die 17 Iunii 1713 ad II dubium.*

66. Immo, etiamsi Sodalitium ac alia Loca Pia eorumque bona, per unionem a Summo Pontifice factam, extent sub cura protectione et dominio Regularium, nedum visitari possunt ab Episcopo tamquam Delegato Apostolico, sed computa revideri; unde, quamquam ad normam Conventionis, inter Sodales seu Loca Pia initae, rationes reddi debent Priori Conventus, salvum tamen Episcopi ius remanere debet *in Derthonen. Visitationis die 26 Ianuarii 1760.*

67. Siquidem in Oppido Vigueriae Derthonensis Diaecesis erat Hospitale nuncupatum S. Rochi, pridem vero S. Henrici, quod proprium habebat Rectorem, quem Universitas praesentabat. Hoc Hospitale summus Pontifex Alexander VI anno 1497 univit Monasterio S. Mariae Pietatis, Familiae Dominicanae, quod est extra idem Oppidum, unionis Literae habebant hanc formulam: - proviso tamen, quod propter unionem, connexionem, et incorporationem praedictas, Hospitale praedictum debitis non fraudetur obsequiis, sed eius congrua supportentur onera consueta -.

68. Dum PP. Dominicanis administratio fuit, hospitati fuerunt Peregrini, et si quando defecerunt, Episcoporum Decretis animadversum in eos est *in Derthonen. Visitationis die 12 Maii 1759* §. *In Oppido.*

69. Erectum fuit anno 1577 in Oratorio S. Rochi Sodalitium Laicorum, nuncupatum SS. Nominis Iesu: huic Sodalitio PP. Dominicani concesserunt anno 1621 situm quemdam et domum sub hac lege, ut Sodales tenerentur propriis expensis reaedificare domos Hospitalis, ac necessariis utensilibus perpetuo instruere (1) *in Derthonen. die 12 Maii 1759* §. *In Oppido.*

70. Neque unio, neque erectio Sodalitii Derthonenses Episcopos revocarunt a Visitationibus plenariis, quas ante unionem et erectionem explere solebant. Proponebantur Visitationis plures factae ab Episcopis post unionem Hospitalis, Oratorii, et Montis Frumentarii, quem Sodales administrabant. Sed anno 1604 Visitationi restiterunt Dominicani Patres, ratione unionis: Sodales vero, quia Sodalitium erectum fuisset in Ecclesia Regulari et exempta *in Derthonen. Visitationis die 12 Maii 1759* §. *In Oppido.*

71. Sodales quippe acriter resistentes exceperunt, Ecclesias subiective unitas Regularibus, uti erat Ecclesia S. Rochi, nequaquam subesse Visitationi Episcopi, etiamsi eisdem deserviatur per Seculares: et idem esse quoad Hospitalia Regularibus subiecta, iuxta censuram Concilii Tridentini (2); quin imo defenderunt, nec ipsum Sodalitium visitari posse, quia ex conventionibus initis cum PP. Dominicanis, quibus Ecclesia S. Rochi subiective unita erat, nudum ministerium tribuebatur Sodalibus, sine ulla participatione dominii vel proprietatis *in Derthonen. Visitationis die 12 Ianuarii 1760* §. *Primum.*

72. Propositis hinc dubiis: - I. An Episcopus Derthonensis possit tamquam Delegatus Apostolicus visitare Hospitale S. Rochi Oppidi Vigueriae Diaecesis Derthonensis, ac etiam Montem Frumentarium et Sodalitium sub invocatione Sanctissimi Nominis Iesu in eodem Oratorio erectum, ac etiam Capellam S. Annae et integram Ecclesiam, seu potius Visitatio facta anno 1754 sit circumscribenda in casu etc.

(1) Edixerunt quippe, ut in §. *In Oppido* - ibi - Che li Fratelli sieno obbligati di riedificare quelle case dell' Ospedale, tutte a loro spese, e far l'Ospedale provvedere di letti, ed altri utensili necessarii per albergare li Pellegrini, e questo non solo per ora, ma successivamente per sempre -.

(2) Nimirum in cap. 8 sess. 25 de reform. quod exornat Fagnan. in cap. *Ad haec,* a n. 47 ad 54, de Relig. Domib.

V. An, tam Ecclesia et Hospitale S. Rochi Oppidi Vigueriae, quam Sodalitium in dicta Ecclesia erectum, ac Mons frumentarius ibidem pariter extans, nec non bona et reditus eorumdem, sint sub cura, protectione, et dominio Conventus S. Mariae Pietatis dicti Oppidi in casu etc.

VI. An ministerium, quod Confratres habent dictae Ecclesiae Hospitalis Confraternitatis ac Montis Frumentarii eorumque bonorum et redituum, sit omnino dependens, subordinatum, et famulativum Patribus dicti Conventus in casu etc.

XIV. An Administratores redituum dicti Hospitalis, Oratorii ac Montis Frumentarii teneantur reddere rationem de administratis Priori dicti Conventus S. Mariae Pietatis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam; et amplius. Ad quintum, Affirmative; ad formam Conventionum, salvo iure Episcopi visitandi, et revidendi computa. Ad sextum, Provisum in quinto. Ad decimum quartum, Affirmative; ad formam Conventionis, salvo iure Episcopi - *in Derthonen. Visitationis die 26 Ianuarii 1760.*

73. His tamen exulantibus circumstantiis, animadvertendum, quod Concilium Tridentinum, loquens de redditione administrationis ab Administratoribus Locorum Piorum, non comprehendit proprie Regulares *in Burgen. et Ipren. Lib. 1 decretorum pag. 56.*

74. Ceterum, si Administratores Locorum Piorum in Ecclesiis Regularibus erectorum tenentur reddere rationem Episcopo, multo magis Procurator seu Administrator Sodalitii, erecti in Ecclesia S. Mariae de Valle Oppidi Galatri, quam constructam in solo Lateranensi praetendebatur, annuatim Episcopo de administratione per ipsum gesta rationem reddere tenetur *in Mileten. Iurisdictionis et Iurium Parochialium die 15 Iulii 1747.*

75. Proposito quippe dubio: - III. An dictus Procurator seu Administrator, a Confratribus electus, teneatur annuatim reddere rationem Episcopo, de administratione per ipsum gesta in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Affirmative, et amplius - *in Mileten. Iurisdictionis et Iurium Parochialium die 15 Iulii 1747.*

76. Itaque administrationis Hospitalis, in suburbiis Civitatis Notabilis Melitae existentis, rationes reddendas esse Episcopo et Iuratis Civitatis tantum in domo eiusdem Civitatis adhibito Notario Episcopali tantum rescripsit S. Congregatio *in Melevitana Hospitalis die 30 Martii 1700 Lib. 50 Decretorum.*

77. Ac eo vel magis, vindicata Episcopi iurisdictione, statutum fuit, quod Ministri Sodalitii Sanctissimae Annuntiatae, existentis in Ecclesia S. Ioannis Baptistae, extra moenia Civitatis Foggiae sita, quae Ecclesia Religionis Hierosolymitanae iurisdictioni subiecta dicebatur, rationem admistrationis reddere tenentur, ad formam Concilii *in Troiana Iurisdictionis die 24 Augusti 1709 ad IV dubium.*

78. Similiter Episcopo Triventino, in actu Visitationis vel extra, licet inire rationes et respective exigere redditionem computationum a Procuratoribus seu Administratoribus oeconomicis redituum Ecclesiae parochialis S. Nicolai Castri de Sangro, exceptis bonis spectantibus ad Commendam Hierosolymitanam Ecclesiae S. Thomae de Aquila. Commendatarius enim illam Ecclesiam esse commendae Granciam seu membrum dictitabat *in Triventina Iurisdictionis die 9 Septembris 1713.*

79. Quin immo administrationis ratio est Episcopo reddenda ab Administratoribus Locorum Piorum, etiam sub immediata Regum protectione existentium, ad effectum redditionis rationis *in Leyrien. die 13 Septembris 1636 lib. 15 decretorum pag. 413.*

80. Siquidem S. Congregatio per haec verba id edixit: - Quo vero ad Domus Pias in aliquibus Oppidis sub Regia protectione, ut dicitur existentes, alias pluries eadem S. Congregatio censuit, Decretum cap. 8 sess. 22 de Reform. in illis verbis: *non tamen quae sub Regum immediata protectione sunt,* quae non acquiritur per simplicem receptionem in protectionem, et in eodem cap. 8 non esse in aliquo derogatum aut detractum iurisdictioni Episcoporum, et in Locis, quae sunt sub immediata Regum protectione, sed tantum illis non fuisse novam attributam facultatem, quoad huiusmodi Loca; ideoque rationes administrationis ab Administratoribus exigere omnino debere - *in Leyrien. die 13 Septembris 1636 lib. 15 decretorum pag. 413.*

81. Nam Hospitalia et Confraternitates, quae sunt sub immediata protectione Regum, ea quidem sunt exempta a visitatione Episcopi, iuxta cap. 8 sess. 22 de Reformatione, sed haec im-

mediata Regum protectio, quae eximit a visitatione, iuxta citatum cap. 8, non eximit a redditione rationis *in Senogallien. die 18 Maii 1726* §. *Quoad.*

82. Quocirca in sequenti cap. 9, in quo agitur de redditione rationis, nulla fit mentio dictae Regiae protectionis *in Senogallien. die 18 Maii 1726* §. *Quoad* (1).

83. Sane Concilium Tridentinum ampliorem facultatem tribuit Episcopis in rationibus exigendis, quam in visitatione: nam in redditione rationum citatum cap. 9 ne quidem Pia Loca, quae sub immediata Regum protectione sunt, exemit *in Civitatis Castelli Visitationis Sacrorum Liminum die 18 Iulii 1857* §. *Denique* (2).

84. Idcirco eo vel magis Deputati a Pro-Rege sunt cogendi ad reddendam rationem eorum administrationis Episcopo, etiam per censuras *in Neapolitana die 12 Iulii 1631 lib. 14 decretorum pag. 468.*

85. Praeterea Regia protectio debet implorari in limine erectionis, ut suffragetur etiam quoad exemptionem Visitationis *in Senogallien. die 18 Maii 1726* §. *Quoad Hospitalia* (3).

86. Ita siquidem respondit Sacra Congregatio Episcopo Leyriensi Sacra Limina visitanti *in Senogallien. die 18 Maii 1726* §. *Quoad Hospitalia.*

87. Quum enim Sacra Congregatio edixerit, quod immediata Regum protectio non acquiratur per simplicem receptionem, id etiam censuit merito, nimirum - Hospitale alias non exemptum non ideo esse immune ab Ordinarii iurisdictione, quod acceptum fuerit a Rege sub immediata eius protectione; ac propterea hoc non obstat, quominus ab Archiepiscopo visitari valeat - *in Dubio die 10 Decembris 1621 lib. 12 decretorum pag. 80.*

88. Et quamvis nonnulli existimaverint, Conciliarem exemptionem, quae loquitur de Regibus, extendi etiam ad sublimes Principes, qui Regalia in suis ditionibus possident, etiamsi Regis titulum non gerant (4), alii nihilominus existimant, Concilium esse taxative intelligendum de Regibus, ex quo quando voluit comprehendere Reges et alios sublimes Principes, iura Imperii in suis dominiis habentes, id scivit exprimere, uti habetur in Cap. 9 sess. 25 de Reformatione *in Senogallien. die 18 Maii 1726* §. *Quoad Hospitale.*

89. His etiam Sacra Congregatio adhaesisse videtur, quae respondit, Episcopum Eugubinum posse visitare Hospitale Maius dictae Civitatis, licet illud a Sede Apostolica privilegium obtinuisset, quod gubernari et regi deberet a septem Civibus eligendis, et a Duce Urbini confirmandis (5) *in Senogallien. die 18 Maii 1726* §. *Quoad Hospitale.*

90. Episcopi propterea iurisdictio, circa redditionem rationis, locum sibi vindicat etiam quoad Administratores Locorum Operumque mere Piorum, nec non Hospitalium, licet laicalium et privatorum, quamvis omni qualitate ecclesiastica sint destituta *in Civitatis Castellanae Hospitalis die 13 Februarii 1773* §. *Arguit* (6).

91. Qua de re Oeconomi seu Administratores S. Mariae Constantinopolitanae et aliarum Societatum Terrae Pedemontis mere laicalium tenentur reddere rationem eorum administrationis Episcopo *in Aliphana Administrationis Piorum Locorum die 8 Maii 1706 ad II dubium.*

92. Siquidem Concilium Tridentinum, loquens in Cap. 9 sess. 22 de reformatione de redditione rationis, intelligitur etiam in casibus a iure non expressis; et sic Episcopus potest exigere rationem administrationis peractae a Laicis mere laicis et privatis *in Mediolanen. lib. 1 decretorum pag. 71.*

93. Quum enim supplicatum fuit declarari: - An ex cap. 9 sess. 22 de Reformatione Concilii Tridentini liceat Ordinariis exigere rationem ab Administratoribus Locorum Piorum mere laicorum et privatorum, et licet ex mente

(1) Uti ponderat Fagnan. in Cap. *de Xenodochiis,* n. 17 et seqq. de Relig. domib.; et firmavit Rot. in decis. 193, n. 7 et 8, coram Cerro.

(2) Pignatell. consult. Canon. 43, n. 46 et seqq. tom. 1; Barbos. in collect. apost. decis. 13, Verb. Administrator, n. 3; Ferrar. in Biblioth. Canon. verb. *Confraternitas,* art. 3, n. 9 et seqq.

(3) Id late ostendunt Cavalc. de Brach. Regio, part. 9, n. 3; Menoch. Cons. 721; Ricciul. Lucubr. Eccles. lib. 4, cap. 15, n. 10; Rot. in decis. 1025, coram Seraphino.

(4) Uti habetur penes Barbos. ad cap. 8, n. 28, sess. 22, de Reformatione.

(5) Quod plene habetur apud Fagnan. in cap. *Ad haec,* n. 15 et seqq. de Religiosis Domibus.

(6) Fagnan. in Cap. *Cum ad haec,* n. 57, de Religiosis domibus; Panimoll. decis. 88, n. 23.

dicti Decreti, quod absolute et sine ulla distinctione loquitur, pro Ordinariis esse respondendum videatur, tamen ut cautius agat, resolutionem S. Congregationis expectare intendit -. His itaque precibus exhibitis, S. Congregatio censuit: - Dictum cap. 9 sess. 22 intelligi generaliter et in casibus a iure non concessis - *in Mediolanen. lib. 1 decretorum pag. 71.*

94. Nec ideo obest, quod administratio penes Communitatem resideat, quia nullo modo excludit Episcopi iurisdictionem et inspectionem *in Civitatis Castellanae Hospitalis die 13 Februarii 1773* §. *Iniuria.*

95. Iamvero, etsi Gubernatores et Deputati a Civitate Caietae, ad quam pertinebat iuspatronatus Capellae, eligerentur, ut invigilarent, tam super fabrica et ornatu eiusdem, quam super conservatione et erogatione redituum ad illam spectantium, propositis dubiis: - III. An et quo iure Episcopus cogere possit Deputatos et Gubernatores dictae Capellae ad reddendam rationem pecuniae, ad eos perventae ex reditibus et legatis dictae Capellae nec non ex Gabellis et aliis effectibus assignatis eidem Capellae per Consilium Civitatis in casu etc.

IV. An Episcopo competat deputandi personam idoneam pro exactione Gabellae *Quartutii* piscationis, concessae dictae Capellae, et exigendi ab Exactoribus computa exacti in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad tertium, Affirmative; ad formam Concilii Tridentini Sess. 22 Cap. 9 de Reformatione. Ad quartum, Committendam esse Deputatis exactionem et administrationem Gabellae *Quartutii* piscationis, cum onere erogandi et reddendi Episcopo rationem, ad normam Decreti Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium diei 28 Augusti 1643 - *in Caietana die 2 Iulii 1718.*

96. Iurisdictio et cura Locorum Piorum adeo connexa quippe est Episcopali dignitati, ut nunquam exclusus censeatur Episcopus, etiamsi illorum administratio penes Laicos resideret, et Fundatores speciatim Administratores et Exequutores Laicos designaverint, imo etiam Episcopum generaliter reiecerint *in Civitatis Castellanae Hospitalis die 13 Februarii 1773* §. *Evidens.*

97. Quamvis itaque aliis, quam Episcopo reddenda sit ratio, ex fundatione vel consuetudine, salva tamen eius iura esse debent, si praesertim haec passim exercuerint *in Civitatis Castellanae Hospitalis die 13 Februarii 1773.*

98. Enimvero in Oppido *Carboneani* Diaecesis Civitatis Castellanae antiquissimum erectum est Hospitale sub invocatione S. Antonii Abbatis, cuius administratio penes Communitatem extabat, et eius nomine exercebatur a quatuor Prioribus et sex Deputatis, ab illius Consilio electis. Hospitalis initium ac erectionis monumentum inter antiquitatis latebras delitescebat, constabat tamen usque ab anno 1682 bo. me. Episcopi Altini statuta et ordinationes, pro recto eiusdem Hospitalis regimine et administratione, praescripsisse. Quaestio inde exorta est, an administratio et regimen dicti Hospitalis ecclesiasticae vel laicali subesset potestati, et an dicta statuta et ordinationes essent exequendae.

99. Sacra Congregatio, firmato iure Laicorum administrandi ad formam Synodi Diaecesanae, ac demandata praedictorum statutorum et ordinationum observantia, proposito dubio: - II. An et a quo sit approbanda electio Officialium eiusdem Hospitalis, et cui sit reddenda ratio in casu etc. -, responsum dedit: - Ad secundum, Negative ad primam partem, et quoad secundam, Rationem reddendam esse duobus Syndicis a Consilio eligendis cum interessentia Vicarii Foranei, salvis iuribus Episcopi - *in Civitatis Castellanae Hospitalis die 13 Martii 1773.*

100. Quum interim Episcopo competat ius visitandi edendique Decreta in visitatione et extra, tam quoad spiritualia, quam quoad temporalia, ne dubium quidem, quod et eidem reddenda sit ratio administrationis Loci Pii seu Hospitalis. Hoc enim in casu, proposito dubio: - IV. An Rectores aliique Administratores bonorum dicti Hospitalis eidem Episcopo rationes reddere teneantur in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Ad quartum, Affirmative; et amplius - *in Vasionen. Iurisdictionis die 11 Augusti 1753.*

101. Idcirco, quum Communitas laicalis nequeat independenter ab Episcopo gerere administrationem Piorum Locorum, Administratores eorumdem reddere tenentur rationes Episcopo, qui tamen una cum Syndicatoribus, a praefata Communitate electis, eas exigere debet *in Montis Alti die 25 Ianuarii 1755.*

102. Hoc enim in themate, proposito dubio: - VI. An Episcopus possit exigere redditionem rationis ab Administratoribus Piorum Locorum Montis Elpari, Hospitalis scilicet, Montis Pietatis, et Montis Frumentarii, independenter a Syndicatoribus a Communitate electis? -, Sacra Congregatio respondit: - Ad sextum, Affirmative una cum Syndicatoribus - *in Montis Alti die 25 Ianuarii 1755.*

103. Episcopo imo competit privative exequutio sententiae Syndicatoriae adversus Administratores, et inquisitio contra Debitores *in Montis Alti die 25 Ianuarii 1755.*

104. Proposito quippe dubio: - VII. An Episcopo privativa competat exequutio sententiae Syndicatoriae adversus Administratores, et inquisitio contra Debitores dictorum Locorum Piorum? -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Ad septimum, Affirmative - *in Montis Alti die 25 Ianuarii 1755.*

105. Non movet propterea, quod Montis administrationem gerat Municipalis Magistratus; ac proinde, cum ille sit Corpus morale, habeatur uti semper vivens; nec locum habeat visitatio ante mortem ipsius Fundatoris *in Reatina Montis Frumentarii die 22 Septembris 1860* §. *Nec.*

106. Nam Montes Frumentarii pene omnes a Communitatibus erecti sunt, et nihilominus cum institutio ad Pauperum levamen intendat, receptum perpetuo fuit, illos Ordinariorum vigilantiae et visitationi esse obnoxios *in Reatina Montis Frumentarii die 22 Septembris 1860* §. *Nec.*

107. Ac eo vel magis id proinde dicendum, si Mons Frumentarius ad levamen Pauperum a pio Benefactore erectus fuerit *in Reatina Montis Frumentarii die 22 Septembris 1860* §. *Nec.*

108. Ex quibus enim infertur merito, pecuniam vel triticum relictum Civitatibus pro erectione horum Montium, non esse datum vel relictum Civitatibus vel Civibus ad commodum eorum, quatenus tales, sed ad commodum Pauperum: et si perirent aut imminuerentur, illis solis perirent aut imminuerentur et non aliis. Nam secundum ius est, ut ad illum pertineat custodia, ad cuius commodum custoditur, et cui perit aut lucri sit *in Reatina Montis Frumentarii die 22 Septembris 1860* §. *Nec.*

109. Ne autem, culpa Regentium seu Administratorum, pecunia et triticum pereat vel minuatur, hos Montes Episcopis tamquam S. Sedis Apostolicae Delegatis, etiamsi illorum cura et administratio ad Laicos pertineat, et exemptionis privilegio muniti sint, ius visitandi concessum est, ut omnia, quae ad Dei cultum aut animarum salutem seu Pauperes sustendandos instituta sunt, ipsi ex officio suo, iuxta sacrorum Canonum statuta, cognoscant et exequantur, non obstantibus quacumque consuetudine et immemorabili privilegio et statuto *in Reatina Montis Frumentarii die 22 Septembris 1860* §. *Nec.*

110. Quum itaque huiusmodi Montes ad Pauperes sublevandos erecti sint et quotidie ea lege erigantur, quamvis a privata persona et absque Episcopi auctoritate fiant, nihilominus, cum negari non possit, quin sint Opus Pium et bona ad hoc in unum collata distrahi non possint, neque in alium usum converti, quam in Pauperum sublevationem, non videtur negari posse in illis Episcoporum superioritas et visitatio *in Reatina Montis Frumentarii die 22 Septembris 1860* §. *At paulo post* (1).

111. Siquidem Sacerdos Ioannes Gentili, Romae decedens anno 1851, testamento iussit Pia quaedam Legata institui, ac Montem Frumentarium in Sabinae Provinciae Oppido vulgo *Monte S. Giovanni* erigi, cum iure Episcopi eumdem inspiciendi ac visitandi, sed regimen et administrationem Exequutoribus ad id vocatis concredidit. Anno vero elapso et sequuta Montis erectione, Delegati Apostolici Literae narrarunt, administrationem, deputationem gestorum, ac regimen a Municipali auctoritate, absque Episcopi contradictione, susceptum fuisse.

112. At Episcopus hanc sibi privative administrationem vindicandam esse ratus, petitionem Sacrae Congregationi porrexit. Nam Reatina et Sabina Apostolica Praefectura ius omne in dictum Montem sibi arrogabat, contendebatque, non ecclesiasticum, sed laicalem esse, nec ulla ratione poterat adduci, ut sub Ecclesiastica potestate relinqueret.

113. Causa hinc ad Sacram Congregationem delata, praefata Apostolica Praefectura animadvertit, Montis Frumentarii regimen, ex testa-

(1) Cohell. ad mater. de bono Regim. cap. 22, n. 10, et 15.

mento, Municipali Consilio creditum fuisse, quod Apostolicae tutelae subiicitur; ac proinde institutionem huiusmodi omnino laicalem haberi. Nam, nec ex voluntate Testatoris, nec in ipso erectionis facto, Ordinarii auctoritas intercessisse videtur. Siquidem Testamento erectionis cura Municipali Consilio committitur, Episcopi vero fundatio alio in casu praecipitur; nempe, si Municipes erectionis Officium recusarent.

114. Nec obstare contendit, quod Episcopus de iure sit veluti supremus Testamentorum Exequutor; regula haec enim limitationem patitur, cum Exequutores fuerint a Testatore delegati.

115. Itaque Episcopi non sunt generaliter et indistincte Exequutores piarum voluntatum, sed ad iuris communis praescriptum, et sic in subsidium, idest cum nulli sunt Exequutores a Testamento deputati, vel si sunt, tamen moniti, voluntatem Testatoris renuant adimplere: nisi in hunc quoque eventum Testator providerit sibi de alio Exequutore, ut dictum est supra, licet indistincte ius habeat morosos Exequutores compellendi (1).

116. At praeter ordinariam administrationem, de aliis Episcopi iuribus quaeri potest, quae sancta Tridentina Synodus in Cap. 8 et 9 de Reformatione protuetur, sive de annali rationum redditione, sive de iure sacrae Visitationis. Apostolica Delegatio ius huiusmodi in genere admisit, quamquam nonnulla animadvertit, quibus illud removeri posset. Ceterum hoc ius Episcopis etiam in Montes Frumentarios competere passim in iure traditur ac docet Instructio S. Congregationis, super modo conficiendi relationes statuum Ecclesiarum, edita iussu Benedicti XIII (2).

117. Proposito hinc dubio: - An et cuius favore constet de iure moderandi administrationem Montis Frumentarii in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative, favore Municipii, salvo iure Episcopi, ad formam Concilii Tridentini Sess. 22 Cap. 8 et 9 de Reformatione - *in Reatina Montis Frumentarii die 22 Septembris 1860.*

118. Hinc et Administrator Animalium legatorum Capellae, qui est etiam Heres Testatoris, tenetur reddere rationem Episcopo extraiudicialem tantum de quantitate Animalium, eorumque annuo fructu, mediante notula iurata *in Larinen. Administrationis die 10 Maii 1710 lib. 60 decretorum.*

119. Amplia, non obstante generali prohibitione, facta a Testatore praedicto Administratori et Heredi, nulli reddendi rationem suae administrationis *in Larinen. Administrationis die 10 Maii 1710 lib. 60 decretorum.*

120. Unde Administratores quolibet anno dare tenentur Episcopo etiam notam frumenti, bladarum, et similium *in Pisauren. die 15 Novembris 1653 lib. 19 decretorum pag. 287.*

121. Nam Administratores et Exequutores testamentarii hereditatis, licet exempti, compellendi sunt ad reddendam Episcopo rationem gestae administrationis *in Asculana Commutationis Voluntatis die 20 Ianuarii 1776 §. Alterum* (3).

122. Idcirco et Administratores Confraternitatis Laicorum, erectae in Ecclesia Hierosolymitanae Religioni subiecta, tenentur et cogi possunt ad reddendam rationem administrationis *in Tranen. Administrationis die 27 Ianuarii 1663 lib. 23 decretorum pag. 413.*

123. Et non aliter respondit Sacra Congregatio, quoad Administratores bonorum Seminarii *in Spoletana die 5 Aprilis 1636 lib. 15 decretorum pag. 339.*

Item *in Civitatis Castelli die 16 Iunii 1646 lib. 18 decretorum pag. 139.*

124. Siquidem - Sacra Congregatio censuit, Administratores bonorum Seminarii posse ac debere via iuris per Episcopum adstringi ad reddendam rationem - *in Spoletana die 5 Aprilis 1636 lib. 15 decretorum pag. 339 a tergo.*

125. Unde expressis verbis praelaudata Sacra Congregatio declaravit: - Rationes redituum et administrationis Seminarii esse excipiendas singulis annis, ad praescriptum Sacri Concilii Tridentini in cap. 8 vers. *Rationes autem*, sess. 23 de Reformatione - *in Civitatis Castelli die 16 Iunii 1646 lib. 18 decretorum pag. 139.*

126. Nullum idcirco dubium, quod nec Capitulum Ecclesiae Cathedralis potestatem sibi

(1) Fagnan. in cap. *Tua nobis*, de Testam.

(2) Extat post Concilium Romanum anno 1725, §. 7, art. 4.

(3) Rot. in decis. 672, n. 32; in decis. 673, n. 7 et 8, coram Molin; in Barchinonen. Administrationis Causae Piae 4 Maii 1742, §. 6, coram Nunez.

exigendi rationes administrationis Seminarii vindicare valeat, cum hac in re semper memorata notissima Concilii Tridentini dispositio servari debet *in Arboren. die 25 Septembris 1847.*

127. Iamvero Capitulum Ecclesiae Cathedralis Arborensis duo penes S. Congregationem petiit (1): primo nimirum; ut ipsi ius sit ambos Deputatos, excluso Episcopo, eligere, qui rationes administrationis Seminarii recipere deberent, ad normam Concilii Tridentini Sess. 23 cap. 18 §. *Rationes:* in quo perpendendum est, huiusmodi deputationem pro aliis casibus in eodem capite institui, inque iis omnibus semper declarari, unum e Deputatis Capitularibus eligendum ab Episcopo, alterum a Canonicis; idemque de binis a Clero Deputatis sancitur. Hoc autem loco de Episcopo nullum verbum fit: quamquam e contra perspicue sermo sit de duobus a Capitulo Deputatis ac totidem a Clero *in Arboren. die 28 Augusti 1847* §. *Quibus.*

128. Petiit deinde Capitulum, ut ipsi ius sit, inconsulto Episcopo, et sine ulla subiectione rationes ipsas recipere. At Concilium iubet, potius rationes ab Episcopo accipi, praesentibus Deputatis; et, contra Tridentini dispositionem, consuetudinem non admitti passim definitum est, et docet Benedictus XIV (2), ac late disserit Pitonius (3). Praeterea, cum Seminarium inter Loca Pia numeretur, sanctioni subiicitur Sess. 22 cap. 9, qua ius recipiendi rationum redditiones Episcopo tribuitur *in Arboren. die 28 Augusti 1847* §. *Petit.*

129. His itaque expensis, proposito dubio: - IV. An et quomodo sit ius Arborensi Capitulo super Seminarii rationibus excipiendis in casu -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Ad quartum, Servetur dispositio Concilii Tridentini Sess. 23 cap. 18, et amplius - *in Arboren. die 25 Septembris 1847.*

130. Animadvertendum tamen est, quod valeat quidem Episcopus administrationis rationem exigere ab Administratoribus Confraternitatum et Hospitalium Laicorum, non vero iubere, ut magis in unum, quam alium pium usum reditus impendantur, nisi piis Testantium voluntatibus aliter cautum esset; quia tunc eas adamussim observari oporteret *in Ariminen. die 29 Augusti 1595 lib. 8 decretorum pag. 145.*

131. Secus vero quoad redditionem rationum; nam ultra Clementinam *Quia contigit* de Religiosis domibus, Sacrum Concilium Tridentinum in Sess. 22 cap. 8 de Reformatione dat Episcopis tamquam Sedis Apostolicae Delegatis ius visitandi Hospitalia et Pia Loca omnia, etiamsi praedictorum Locorum cura ad Laicos pertineat, et etiamsi sint exempta, non obstantibus quacumque consuetudine etiam immemorabili, privilegio, aut statuto; et Cap. 9 idem Concilium praescribit, quod Administratores, tam ecclesiastici quam laici Hospitalium et quorumcumque Piorum Locorum singulis annis tenentur reddere rationem administrationis Ordinario, consuetudinibus et privilegiis quibuscumque in contrarium sublatis *in Senogallien. die 18 Maii 1726* §. *Quoad ius.*

Item *in Eugubina Iuris Visitandi die 21 Iunii 1783* §. *Alterum; in Forolivien. die 21 Augusti 1784* §. *Quod; in Arboren. die 18 Iulii 1835* §. *Nunc; in Bononien. Redditionis Rationis et Beneplaciti Apostolici die 2 Martii 1839* §. *Cum pastoralis.*

132. Amplia, itaut nec ullum mutuari possit praesidium a centenaria consuetudine *in Faventina Redditionis Rationis die 8 Augusti 1772* §. *Perperam.*

133. Namque Concilium Tridentinum, in Cap. 9 sess. 22 de Reformatione, quamcumque contrariam consuetudinem vel privilegium sustulit, per haec verba: - consuetudinibus et privilegiis quibuscumque in contrarium sublatis - *in Faventina Redditionis Rationis die 8 Augusti 1772* §. *Perperam.*

(1) Siquidem haec Episcopus exposuit, ut in §. *Reliquum* - ibi - Il Capitolo elegge ogni anno due Canonici Contadori, i quali volcano indipendentemente dall' Arcivescovo, ed anche alla sua insaputa prendere i conti dall' Amministratore del Seminario. L'Arcivescovo rimise in vigore il decreto del Concilio Tridentino formandosi un Consiglio, quale viene descritto nel Capo 18 sess. 23. Ma non fu finora possibile indurre il Capitolo all' elezione de' suoi Deputati, allegando esser ciò contrario alla sua consuetudine, e pretendendo fondare le sue ragioni in quelle parole del citato Capo: *Rationes autem redituum huius Seminarii Episcopus annis singulis accipiat, praesentibus duobus a Capitulo Deputatis ac totidem a Clero Civitatis Deputatis;* nei quali due Deputati esso riconosce i suoi Contadori, e pretende, che l'elezione di questi appartenga esclusivamente al Capitolo.

(2) Instit. eccles. 60, n. 7.

(3) Allegat. 5, de controv. patronor.

134. Quibus imo verbis quaelibet etiam centenaria et immemorabilis consuetudo sublata fuit *in Faventina Redditionis Rationis die 8 Augusti 1772 §. Perperam.*

135. Ea quippe sunt universalia, indefinita, omniaque complectuntur *in Faventina Redditionis Rationis die 8 Augusti 1772 §. Perperam* (1).

136. Praesertim, quia alibi minori verborum amplitudine immemorabili consuetudini derogatum fuisse a Concilio non ambigitur *in Faventina Redditionis Rationis die 8 Augusti 1772 §. Perperam* (2).

137. Ac etiam, quia in Literis confirmatoriis Concilii Tridentini a Pio IV editis, ultra clausulam *sublatam,* adiectum quoque reperitur decretum irritans, quod cuilibet Concilii Capitulo inesse consetur *in Faventina Redditionis Rationis die 8 Augusti 1772 §. Perperam* (3).

138. Decreti vero irritantis ea vis est, ut resistat, impediatque, ne centenaria vel immemorabilis consuetudo valeat inchoari *in Faventina Redditionis Rationis die 8 Augusti 1772 §. Perperam* (4).

139. Unde - Sacra Congregatio censuit, eiusmodi consuetudinem etiam immemorabilem esse sublatam Decreto cap. 8 sess. 22 eiusdem Concilii; ac proinde per eam nequaquam excludi Ordinarium a iure Hospitalia visitandi - *die 10 Decembris 1621 lib. 12 decretorum pag. 80.*

140. Non est insuper praetereundum, quod contraria consuetudo foret ab iis concludenter probanda, qui illam allegant, et habent contra se iuris praesumptionem *in Faventina Redditionis Rationis die 8 Augusti 1772 §. Ceterum* (5).

141. Et cum agatur de observantia negativa probanda esset, eo probationis genere, quod negativam coarctatam dicunt *in Faventina Redditionis Rationis die 8 Augusti 1772 §. Ceterum* (6).

142. Vel eo modo, quo omnis in oppositum possibilitas exclusa remaneat *in Faventina Redditionis Rationis die 8 Augusti 1772 §. Ceterum* (7).

143. Itaut sola sufficiat possibilitas, Episcopum alias ad redditionem rationis adegisse Administratores *in Faventina Redditionis Rationis die 8 Augusti 1772 §. Ceterum.*

144. Unde indubium est, quod Administratores, non obstante consuetudine immemorabili, privilegio, et sententia, ad eorum favorem allegata, teneantur reddere rationem administrationis Episcopo *in Corduben. ad Cap. 9 sess. 22 de Reform. Posit. 41.*

Item *in Forolivien. die 21 Augusti 1784 §. Monet* (8).

145. Itaque S. Congregatio, teneri reddere rationem administrationis Episcopo, non obstante privilegio, quo generaliter Administratoribus a Sede Apostolica concessum est, quod nulli teneantur reddere rationem, rescripsit *in Barchinonen. ad Cap. 9 sess. 22 de Reformatione Posit. 41.*

146. Propterea Administratores Confraternitatis Laicorum possunt compelli ab Episcopo ad reddendam rationem administrationis, non obstante Brevi Apostolico, quo prohibetur singulis quacumque dignitate fulgentibus, ne libros et scripturas ex archivio Confraternitatis extrahant, sub quovis praetextu *in Tarraconen. die 10 Iunii 1684 lib. 34 decretorum pag. 131.*

147. Enimvero - Archiepiscopus exponens, Confratres Societatis B. M. Virginis, qui revisioni computorum et redditioni rationum semper obstiterunt, nuper obtinuisse Apostolicum Breve, quo prohibetur omnino et singulis quacumque auctoritate fungentibus, ne libros et scripturas ex Archivio sub quovis praetextu extrahere habeant, supplicat declarari, ipsum non comprehendi in prohibitione praedicta, maxime ad effectum revisionis computorum -. Supremus Pontifex supplicem hunc libellum ad Sacram Congregationem remisit, quae - censuit,

(1) L. *Iulianus* 66, ff. de Legat. 3; Rot. in decis. 2, n. 5, coram Molines; in decis. 379, n. 5, part. 15 Recent.

(2) Garz. de Benef. part. 3, cap. 2, n. 197, 211 et 224; Piton. de Controv. patron. Allegat. 5, n. 5.

(3) Gonzalez ad regul. 8 Cancell. gloss. 15, n. 35; Piton. de Controv. Patron. Allegat. 5, n. 19; Rot. in decis. 1279, n. 17, coram Emerix.

(4) Piton. de Controv. patron. Allegat. 5, n. 6; discept. eccles. 150, n. 4.

(5) Menoch. de praesumpt. lib. 1. praesumpt. 32, n. 5; Piton. de Controv. patron. Allegat. 45, n. 19.

(6) Rot. in decis. 97, n. 17, part. 13.

(7) Rot. in decis. 7, n. 33, de Union. Benef. coram Falconerio; in decis. 129, n. 15, coram Lancetta.

(8) Fagnan. in Cap. *Cum ad haec,* de Religios. Domibus, n. 31 et 32.

Archiepiscopum non comprehendi in prohibitione praefata, maxime ad effectum revisionis computorum, de qua agitur - *in Tarraconen. die 10 Iunii 1684 lib. 34 decretorum pag. 131 a tergo.*

148. Amplia, quotannis Administratores Locorum Piorum rationem eorum administrationis reddere tenentur, etiamsi per triginta annos non consuevissent illam reddere, nisi quolibet triennio *in Civitatis Urbaniae die 17 Iulii 1638 ad I dubium lib. 16 decretorum pag. 52.*

149. Siquidem - Episcopus supplicavit Sacrae Congregationi declarari: 1. An singulis annis revidere possit computa Administratorum Montis Pietatis, Confraternitatum, et aliorum Locorum Piorum, in quorum fundatione nihil in contrarium reperitur, non obstante, quod a triginta annis consuetum fuerit, quolibet tantum triennio, huiusmodi rationes reddi -, et Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Episcopum posse rationes administrationis exigere quolibet anno, iuxta praescriptum cap. 9 sess. 22 de reformatione, non obstante, quod quolibet tantum triennio a certo tempore rationes redditae fuerint - *in Civitatis Urbaniae die 17 Iulii 1638 lib. 16 decretorum pag. 52.*

150. Praesertim, si in Synodo Diaecesana statutum extet, quod rationum redditio singulis saltem trienniis omnimode expleatur, cum expressa tamen reservatione, quod integrum Episcopo erit, illam saepius et pro libito exigere; namque, non obstante contraria consuetudine etiam immemorabili, Episcopus singulis annis redditiones rationis exigere potest ab Administratoribus Locorum Piorum *in Forolivien. die 21 Augusti 1784 §. Monet.*

151. Proposito quippe dubio: - XIX. An Administratores pro tempore *(qui unoquoque triennio eligebantur et rationes reddebant ex Decreto Synodi Diaecesanae),* si praesertim ab Ordinario fuerint requisiti, teneantur singulis etiam annis rationem reddere, de supradictis bonis atque reditibus in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Ad decimum nonum, Affirmative; et amplius - *in Forolivien. die 11 Septembris 1784.*

152. Nullum idcirco dubium, quod Reluctantes possint iudicio ad id cogi *in Romana Census et Redditionis Rationum die 24 Aprilis 1852 §. Conditiones.*

153. Quin ullum intercedat in hoc discrimen inter Administratores, sive necessarios, sive voluntarios, tum legitimos, tum dativos, ecclesiastici ii sint, nec non *in Tudertina Redditionis Rationis die 21 Aprilis 1787 §. Posita.*

Item *in Romana Census et Redditionis Rationum die 24 Aprilis 1852 §. Conditiones.*

154. Unde, etiam poena pecuniaria, ab Episcopo Reluctantibus rationes reddere imposita, solvi debet, cum iusta de causa eam decreverit *in Tudertina Redditionis Rationis die 21 Aprilis 1787 §. A resolutione* (1).

155. Et huiusmodi solutio decernenda est a die condemnationis *in Tudertina Redditionis Rationis die 21 Aprilis 1787 §. A resolutione* (2).

156. Verum, si a petita rationis redditione Administratores absolvi deberent, aequa etiam esset ipsorum absolutio a pecuniaria poena, per Episcopum comminata *in Tudertina Redditionis Rationis die 21 Aprilis 1787 §. A resolutione.*

157. Iusta enim habuissent causam non parendi praecepto *in Tudertina Redditionis Rationis die 21 Aprilis 1787 §. A resolutione* (3).

158. Immo Sacra Congregatio, etsi Archipresbiterum Philippum Dominici ac Priorem Bernardinum Laurenti ad redditionem rationis, pro negotiis Confraternitatum ab unoquoque gestis, infra terminum ab Episcopo praefiniendum, adegerit, a gravatoriis tamen, per eumdem Episcopum impositis, absolvit. Proposito enim dubio: - II. An et a quo tempore sustineantur gravatoriae in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Ad secundum, Negative - *in Tudertina Redditionis Rationis die 21 Aprilis 1787.*

159. Omnes propterea Administratores in singulos annos compelli omnino possunt ad rationes reddendas *in Tudertina Redditionis Rationis die 21 Aprilis 1787 §. Posita.*

Item *in Romana Census et Redditionis Rationum die 24 Aprilis 1852 §. Conditiones* (4).

(1) Ex sententia Divi Thomae 2. 2, quaest. 62; docet Fagnan. in cap. *Si quis*, n. 52, de Regular.

(2) Arg. ex Leg. *Si qua poena* 244, ff. de Verb. Signif.; Guttier. de tut. et cur. part. 3, cap. 24, n. 18.

(3) Polit. de verb. oblig. quaest. 10, n. 10, tom. 4; Rot. in decis. 393, n. 101, part. 4, tom. 2 Recent.

(4) L. *Qui negotiationem* 39, ff. de administr. et peric. Tutor.; L. 2, ff. de Negoc. gestis; Escobar. de Ratiocin. c. 1, n. 5.

160. Maxime, ubi res sit de Administratoribus heretitatis ad pios usus destinatae *in Tudertina Redditionis Rationis die 21 Aprilis 1787* §. *Posita* (1).

161. Immo, quoad reditus Fabricae, Depositarius et Oeconomus tenentur reddere rationem Episcopo, non modo singulis annis, sed etiam intra et extra annum, concurrente tamen in hoc posteriori casu legitima causa *in Asculana die 12 Iulii 1788 ad X dubium.*

162. Quo vero ad reditus Capituli, Episcopus utitur iure suo, ad formam Concilii Tridentini *in Asculana die 12 Iulii 1788 ad X dubium.*

163. Tenentur proinde quolibet anno reddere rationem administrationis Episcopo, nisi secus in fundatione expresse cautum sit *in Constantien. die 27 Novembris 1629 lib. 14 decretorum pag. 185 ad VI dubium.*

164. Siquidem Sacra Congregatio respondit: - Administratores Locorum Piorum teneri quolibet anno rationem suae administrationis Episcopo reddere, nisi secus in institutione et fundatione expresse cautum sit, atque Episcopum ad id, iuxta formam cap. 9 sess. 22 de reformatione, illos cogere posse - *in Constantien. die 27 Novembris 1629 lib. 14 decretorum pag. 185 ad VI dubium.*

165. Quare omnes Administratores, praefixo competenti termino, cogi possunt ad reddendam rationem *in Forolivien. die 21 Augusti 1784* §. *Monet.*

166. Ab unoquoque quippe Administratore, pro negociis Pii Operis gestis, infra terminum ab Episcopo praefiniendum, reddenda ratio est *in Tudertina Redditionis Rationis die 21 Aprilis 1787.*

167. Proposito enim dubio: - I. An constet de administratione exercita per Archipresbiterum Philippum Dominici ac Priorem Bernardinum Laurenti, ita ut sit locus redditioni rationis in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Ad primum, Affirmative; pro negotiis Confraternitatum ab unoquoque gestis, infra terminum ab Episcopo praefiniendum - *in Tudertina Redditionis Rationis die 21 Aprilis 1787.*

168. Aliquando vero eadem S. Congregatio tempus praefixit *in Romana Census et Redditionis Rationum die 24 Aprilis 1852 ad II dubium.*

169. Quilibet inde Administrator tenetur rationem reddere, de tempore suae gestionis, quin de gestis ab alio solicitus esse possit *in Romana Census et Redditionis Rationum die 24 Aprilis 1852* §. *Re quidem vera.*

170. Et quilibet a die susceptae administrationis propriis expensis rationem reddere tenetur *in Romana Census et Redditionis Rationum die 24 Aprilis 1852.*

171. Siquidem Pius VII, motus etiam precibus Canonici Antonii Santelli, Literas in forma Brevis die 28 Iulii 1819 edidit, quibus liberaliter assignavit ac cessit favore Piae Unionis seu Archiconfraternitatis B. Mariae de Planctu vetustissimum D. Georgei ad Vellum aureum templum una cum adnexa religiosa domo et horto seu viridario, quo Pueri etiam tunc statis diebus et horis erudiendo et recreando alternatim spiritui conveniebant, parilique Pontificia liberalitate suppeditata fuere ex Apostolico aerario scuta octoginta, in urgentes templi eiusdem reparationes eroganda, collato de cetero Unioni sive eius Moderatori ac Rectori perpetuo onere, templum eiusque singulas partes reparandi.

172. Brevi reque vera Ecclesiae tectum gravibus indigere reparationibus compertum est; quibus ut occurreretur, quum scutatorum tercentum summa Peritorum iudicio esset impendenda, nec reditus ceteroquin exigui ipsius Ecclesiae remedium suppeterent, alio eam quaerendam sedulus putavit Santellius, alter ex Moderatoribus Piae Unionis, qui reipsa subventorem habuit R. P. D. Episcopum Porphiriensem, qua Administrator Operis Pii B. M. V. a Partu nuncupatae in Ecclesia S. Augustini, et praeeunte indulto S. Congregationis diei 26 Augusti 1823, solemnibus obsignatis tabulis, census favore dicti Pii Operis in summa scutatorum tercentum annuo quincunci depacto foenore impositus fuit super cubiculo Ecclesiae adnexo, quod frugiferum erat; locabatur enim *per lo squaglio del sevo,* lege, ut par erat, adiecta, deponendi quotannis decem scutata in aede sacra, ad eiusdem census extinctionem, docto coram Eminentissimo Urbis Vicario, de annali huius conditionis implemento.

(1) Rot. in decis. 672, n. 32, coram Molin.

173. At vero supremo Apostolicae Visitationis decreto factum est anno 1825, ut usus ille, utpote Ecclesiae decori minime congruus, prohiberetur; et cum inde fundus censitus in commodius Templi sacrarium fuisset immutatus, et ita a commercio exemptus, fructu vacuus evasit. Quod ubi primum innotuit moderno Administratori B. M. V. a Partu, ad fundi subrogationem pro census securitate urgere Santellium haud destitit, qui, ut molestias averteret, suaeque insimul indemnitati consuleret, supplex adfuit coram Sacra Congregatione postulans, ut census ille apta inscriptione extenderetur ad alia bona ipsius Ecclesiae, pro qua fuerat initus, et ut Apostolicum Beneplacitum agentis incuria unius Santelli nomine datum, alios etiam eius temporis Moderatores, nimirum Eminentissimum Cardinalem Falconieri Ravennatensium Archiepiscopum, et Sacerdotem Santem Balducci afficeret, prout ab omnibus reapse contractus ille initus ac obsignatus fuerat.

174. Sciscitatus Eminentissimus Urbis Vicarius, retulit sententiam Praesidis ac Deputatorum Doctrinae Christianae in eo esse, ut Santellius de temere factis ac damnis respondere omnino aere proprio teneretur. Ac ipse in ea fuit sententia, ut Deputati Archiconfraternitatis ad reddendam rationem vocarent Santellium, et ita, ut de iure provideretur, tam de depositis non factis, quam censuum securitati.

175. Difficilem verumtamen ad id oneris subeundum se praebuit Santellius, duplices in medium proferens exceptiones. Primo, quod haec redditio rationis exhibita adhuc non fuerit ab Eminentissimo Card. Falconerio, qui a die 1 Augusti 1823 usque ad diem 31 Iulii 1826 eamdem administrationem retinuit, quo tempore census passivus creatus est. Hoc autem prohibere contendit, quominus partes suas explere et ipse valeret (1); quandoquidem, deficiente calculo praecedentis administrationis, suum ille prosequi et complere eousque minime posset. Secundo, quod ad rite instaurandam redditionem rationis et ad conficiendas per Peritum tabulas introitus et exitus a die 1 Augusti 1826, quando ipse administrationem suscepit, usque tunc, per tempus videlicet viginti annorum et amplius, pecunia et impensis opus erat, quibus ferendis imparem omnino dixit redituum Ecclesiae tenuitatem; unde aliter supplendum, ut ipse Deputatorum Doctrinae Christianae morem gerere posset.

176. Hisce tamen exceptionibus nullatenus obstantibus, S. Congregatio, demandata census redintegratione, favore Operis Pii S. Mariae a Partu, subrogato idoneo fundo vel restituta sorte, quatenus infra terminum a D. Secretario praefiniendum fundus censitus profano usui non restitueretur, propositis dubiis: - II. An a quo tempore et quibus expensis reddendae sint a Santellio rationes administrationis in casu.

III. An sit consulendum Sanctissimo super omissione annui depositi in casu.

IV. An et in qua summa sit exequendum depositum, quoad futurum in casu -, respondit: - Ad secundum, Affirmative, intra tres menses a die susceptae administrationis, sumptibus pro nunc Sacerdotis Santelli, et deinde cuius de iure. Ad tertium et quartum, Dilata; et habebitur ratio post redditas rationes - *in Romana Census et Redditionis Rationum die 24 Aprilis 1852.*

177. Administrator vero non tenetur reddere rationem, praeter Episcopum ac alios a Testatore expresse ad id nominatos: unde nec ei est ullatenus ratio reddenda, cui a praedicto Testatore data fuit facultas eligendi Virum, qui redditioni rationis praesens adesset, quum ob id nullum sibi ius in deputatione Oeconomi et administratione bonorum vindicare valeat *in Ariminen. Capellaniarum die 24 Novembris 1827.*

178. Enimvero ultimo elogio Iulius Antonius Silvagni universalem proprietariam heredem instituit Ecclesiam B. V. Mariae Gratiarum Oppidi S. Ioannis in Marignano Diaecesis Ariminensis. Praescripsit Testator, ut ex bonis hereditariis erigerentur sex Capellaniae, quarum possessores tenerentur quotidie celebrare Missam in praefata Ecclesia, tribuens Communitati ius nominandi duos tantum Capellanos et cum eorumdem Capellanorum intelligentia.

179. Ad bonorum administrationem quod attinet, praefatus Testator Oeconomum consti-

(1) Ceterum opportune requisitus Eminentissimus Falconerius reposuit, ut in §. *Re quidem vera* – ibi – Monsignor Santelli ha in posizione tutta la gestione da me, o a dir meglio da esso per me tenuta di S. Giorgio in Velabro; tutte le carte, tutti i documenti sono presso di lui. Il noto censo fu da esso contratto, esso trovò il danaro, esso fece il tutto. Voglio sperare, che al ricevere la mia lettera rammenterà questo stesso e che tutto verrà spianato –.

tuit in persona primi Capellani ex Familia Vici, qui in eadem administratione subrogavit alium Capellanum ex ipsa Familia Vici; qua extincta, voluit, administrationem esse penes Capellanum ex Familia Bianchini; si autem hi minus idonei essent, iussit, Administratori ab aliis Capellanis dari Coadiutorem, qui vir ecclesiasticus esset, optimis imbutus moribus. Mandavit praeterea Testator, ut Oeconomus quotannis redderet rationem administrationis, et facultatem tribuit Communitati eligendi Virum, qui rationis redditioni praesens esset (1).

180. Communitatem inter et Capellanos, quoad bonorum administrationem ac alia hinc inde praetensa iura, ortae sunt controversiae. Communitas quippe fassa est, munus Oeconomi esse obeundum ab alterutro ex Capellanis Familiarum Vici et Bianchini. Quoniam vero aliquando fieri potest, ut non modo unus, sed plures existant Capellani primae vel etiam secundae Familiae, Communitatis ius esse debet ex designata domo eum in Oeconomum nominare, qui munere suo recte sciteque fungatur.

181. Ex facultatibus vero Communitati tributis constituendi Virum, qui annuae rationis redditioni per Oeconomum explendae praesto sit, atque etiam ex iurepatronatus Ecclesiae Heredis, quo ipsa potitur, sibi fas esse affirmavit, ab Oeconomo exigere rationem gestae administrationis, prohibere bonorum alienationem, atque impedire, quominus, se inconsulto, graviora patrentur negotia.

182. At Capellani e contra animadverterunt, nihil aliud Testatorem Communitati tribuisse, nisi ius nominandi quintum et sextum Capellanum, facultatem removendi improbos, in eorumque locum alios sufficiendi, ac tandem deputandi Virum, qui annuae intersit rationum redditioni. Reliqua igitur negotia expedienda ac iura exercenda non ad Communitatem, sed ad Oeconomum et ad Capellanos spectare dicendum est. Profecto Oeconomo concredidit ius conficiendi inventarium omnium bonorum, aedificandi novam Ecclesiam, distribuendi Puellis subsidia dotalia, pendendi Legata favore Communitatis relicta, tuendi bona, censui pecuniam collocandi, ac cetera huiusmodi. Capellanis autem tribuit ius quotannis exigendi rationis redditionem gestae per Oeconomum administrationis, constituendi Coadiutorem Oeconomo pro tempore, si hic minus aptus evaderet ad gerendam administrationem.

183. Itaque, cum Testator administrationem concesserit Oeconomo, cum onere reddendi rationem ceteris Capellanis, atque etiam Episcopo ex sententia Sacrae Congregationis (2), Communitati aliud nihil competit, quam facultas eligendi Virum, qui rationis redditioni praesens adsit. Ex huiusmodi facultate nullum hinc ius est Communitati, pro Oeconomi deputatione, pro bonorum administratione, ac multo minus ius ea praesumere potest exigendi ab Oeconomo rationes.

184. Proposito revera dubio: - IV. An et quomodo Communitati ius competat in deputatione Oeconomi et administratione bonorum in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Ad quartum, Negative in omnibus; salva tamen assistentia Consiliarii, ad formam Testamenti - *in Ariminen. Capellaniarum die 24 Novembris 1823.*

185. Quum autem deputatio in Administratorem Xenodochii, neque a Fundatore demandata fuit, neque ab Episcopo, neque ab aliquo ex eius Antecessoribus, tribuenda videtur Sodalibus; propterea satis suo muneri facere videretur, si quis iis rationem redderet, a quibus deputatus fuit - *in Narnien. die 23 Ianuarii 1790* §. *Si hisce* (3).

186. Ei tamen obest Canonici Iuris dispositio; nam Administratores Hospitalium aliorumque Locorum Piorum rationem reddere tenentur Episcopo, et ad eam singulis annis cogi possunt *in Narnien. die 23 Ianuarii 1790* §. *Si hisce.*

(1) Hisce verbis haec demandavit, ut in § *Ultimo*, die 14 Iunii 1823 - ibi - Il Signor D. Giacomo Vici primo Cappellano sia l'Economo della mia eredità, con questo che nel fine di ciascun anno debba detto Economo render conto agli altri Cappellani, coll'assistenza di una persona dabbene e consigliere di questa Communità, da eleggersi dalla medesima, qual reddizione di conti debbasi porre in questa pubblica Segreteria, ad oggetto sia palese e noto, in quale stato si trovi la Cassa della mia Eredità, ed affine si veda il tutto giustificatamente amministrato e fedelmente maneggiato -.

(2) Nimirum in Ariminen. Subsidiorum Dotalium et Fabricae Ecclesiae die 26 Septembris 1795 ad II dubium, ubi actum fuit de hac bonorum administratione.

(3) Arg. L. *Cum servus*, ff. de condit. et demonstr.

Item *die 27 Februarii 1790 ad II dubium* (1).

187. Episcopus enim curare debet omnino rectam administrationem, iniuncta ad hunc effectum Administratori redditione rationis, facienda quotannis eidem Episcopo *in Ariminen. Subsidiorum Dotalium et Fabricae Ecclesiae die 26 Septembris 1795.*

188. Quandoquidem Iulius Antonius Silvagni heredem proprietariam scripsit Ecclesiam B. M. Virginis Gratiarum nuncupatam *delle scuole* Oppidi S. Ioannis in Marignano. Pluribus constitutis legatis ac sex prae omnibus in eadem Ecclesia fundatis Capellaniis, alteri ex nominatis Capellanis et in primum Oeconomum designato, Sacerdoti nempe Iacobo Vici mandavit, ut, solutis prius Capellanorum stipendiis, superextantes doponeret reditus hereditatis, donec fieret cumulus scutorum 1500 ad reaedificandam Ecclesiam, depositumque augeret ad scuta 3000, quatenus non sufficeret primum.

189. Annuus hereditatis reditus scuta ex decennali calculo iam attingebat 884, atque institutae primum ex eo fuerunt Capellaniae, aliisque deinde adimpletis legatis perpetuis, *compreso quello ancora delle doti in qualche picciol numero pagate, si è avuto sino ad ora un anno per l' altro un avanzo di scudi 190 circa,* ex quo confectum fuit depositum scutorum 1500, ad novam construendam Ecclesiam. Novae autem Ecclesiae opus (nondum perfectum) scuta excessit 3000, ut Testator ipse praevidit, et non modo in illud erogavit Oeconomus deposita scuta 1500 cum altero in annos superextante reditu, sed scuta etiam 250 passivi census, praetiumque scutorum 1558, 80 hereditariae domus positae Arimini, quam legitima vendidit facultate, licet ex praecepto Testatoris in aliis occupandum esset bonis.

190. Adhuc Peritorum iudicio requirebantur ad perficiendam Ecclesiam scuta 372. 85, et ex superextante reditu redimendus erat census scutorum 250, investiendum pretium venditae domus, et conficiendum depositum scutorum 1000, pro casibus fortuitis, ad praescriptum Testatoris. In hoc rerum statu supplicavit Oeconomus Sanctissimo, pro facultate creandi passivum alterum censum in sorte scutorum 350, ad perficiendum aedificium Ecclesiae. Reprobavet Episcopus censum, ex quo perfici posset Ecclesia ex annuo superextante reditu.

191. Proposito hinc dubio: - II. An et quomodo sit consulendum sumptibus necessariis ad perficiendum Ecclesiae aedificium in casu etc.-, Sacra Congregatio respondit: - Ad secundum, Affirmative ex reditibus superextantibus ab anno 1791 inclusive; et Episcopus curet omnino rectam administrationem, iniuncta ad hunc effectum Administratori redditione rationis, facienda quotannis eidem Episcopo - *in Ariminen. Subsidiorum Dotalium et Fabricae Ecclesiae die 26 Septembris 1795.*

192. Hinc Episcopus solemniter, cum duabus Personis ecclesiasticis et proprio Cancellario ad acta conscribenda, Montem Pietatis seu alia Pia Loca visitare, nec non administrationis rationem exigere potest ab eorum Administratoribus, etiam extra visitationem *in Forosempronien. Visitationis die 23 Aprilis 1667 lib. 25 decretorum pag. 362.*

193. Iamvero - inter cetera, quae descripta erant in folio, per manus EE. PP. die 26 Septembris 1665 transmisso, habebantur infrascripta. Cum alias sub annum 1659 Domino Episcopo Forosemproniensi Sacra Limina visitanti responsum fuisset: in visitatione Confraternitatum, Hospitalium, Piorumque Montium et aliorum, redditione ab eorum Administratoribus etiam Laicis exigenda, Episcopum uti omnino debere, censuit Sacra Congregatio; itidemque ea omnia cognoscere atque decernere, quae ad Dei cultum et animarnm salutem ac Pauperes sustentandos pertinebunt, iuxta eorumdem Piorum Locorum institutionem. Nunc refert Dominus Episcopus, se huiusmodi visitationem perfecisse quidem, favente sibi praesertim patrocinio Eminentissimi Legati, sed non absque aliquorum Officialium laicorum contradictione, quare ad impedimenta quaecumque removenda, et controversiis componendis, supplex quaerit ex hac Sacra Congregatione:

I. An ipse possit visitare Montem Pietatis seorsim ab Officialibus Laicis alias forsan visitare solitis, et absque eorum consensu decernere, quae ad bonum eiusdem Montis regimen expedire censuerit.

II. An ipse, quando praedictum Montem Pietatis visitat, possit Canonicos sive alias

(1) Fagnan. in cap. *Ad haec,* n. 31, de Religios. Domibus.

duas Personas ecclesiasticas secum ducere, quas eorumdem consilio utendi et episcopalis dignitatis servandae gratia adhibet in visitatione Ecclesiarum aliorumque Locorum Piorum suae Diaecesis.

III. An proprio suo Cancellario Episcopali ad praedictae Visitationis acta conscribenda uti possit, quamvis Officiales et Visitatores laici proprium Cancellarium habeant.

IV. An ipse ab Administratoribus eiusdem Montis Pietatis possit rationem administrationis etiam extra Visitationem exigere -, Sacra Congregatio, quum praedicta die 26 Septembris 1665 resolutionem dubiorum distulerit, dein iisdem, utraque parte informante, rursum repropositis, respondit: - Ad primum, Posse. Ad secundum, Itidem posse. Ad tertium, Posse uti. Ad quartum, Posse etiam extra Visitationem exigere - *in Forosempronien. die 23 Aprilis 1667 lib. 25 decretorum pag. 362.*

194. Ceterum Administratores Hospitalis, in suburbiis Melitae existentis, tenentur reddere rationem Episcopo et Iuratis Civitatis simul, et Episcopus habet specialiter votum eos absolvendi vel condemnandi prae ceteris Deputatis, ad quem etiam de iure spectat exequutio privative, quoad alia contra eos condemnatos *in Melevitana die 19 Iunii 1638 Posit. 42 pag. 578 ad cap. 9 sess. 22 de Reformatione.*

195. Itaque Administratores Confraternitatum laicorum debent reddere rationem administrationis etiam Praelato *Nullius Diaecesis* Ordinario ex cap. 9 sess. 22 de Reformatione, nisi in fundatione cautum sit, quod aliis quam Ordinario rationem reddere debeant, vel id ex consuetudine, aut privilegio, aut constitutione aliqua Loci inductum extet *in Nullius Atini 1589 mensis Iunii lib. 6 decretorum pag. 2.*

196. Amplia, Ordinarii votum, nisi aliter constitutum habeatur, in actu absolvendi vel condemnandi Administratores, habetur, sicut ceteri Deputati *in Nullius Atini 1589 lib. 6 decretorum pag. 2.*

197. Iamvero - Illustrissimi et Reverendissimi Domini, in cap. 9 sess. 22 de Reformatione habetur, quod Administratores etiam Confraternitatum teneantur reddere rationem administrationis Ordinario, nisi secus in institutione talis Confraternitatis expresse cautum esset.

198. In Ecclesia S. Mariae de Atino Nullius Diaecesis est unus Ordinarius, et sita in dicta Ecclesia est una Capella sub invocatione Sancti Marci, in qua existit una Confraternitas Laicorum, et hodie contingit dubitari: 1. An ad ipsum Ordinarium spectat videre et examinare computa administrationis, et 2. si ad ipsum solum, aut 3. si debet attendi illius votum vel debeat stari pro medietate vel quantum valeat.

199. Circa hoc videtur, quod licet videatur spectare ad ipsum Ordinarium revisio computorum et administrationis, tamen cum ab ipsa institutione Confraternitatis semper illa spectavit ad Officiales, hinc ad ipsos spectabit. Imo ex quo ex consuetudine hactenus observatum est, quod in redditione computorum interveniant Officiales, si Ordinarius debet intervenire, debent et intervenire ipsi Officiales Confraternitatis, et computa debent terminari per Officiales Confraternitatis, et non per Ordinarium, cum ad ipsum tamen spectet recognoscere bonam administrationem una cum Ofcialibus Confraternitatis, de quo proprie loquitur dictum cap. 9 ex consuetudine aut praescriptione vel privilegio. Et quatenus Ordinarius et Officiales debeant recipere computa administrationis, tantum valet votum Officialium, quantum votum Ordinarii; imo ad solius votum Ordinarii stat pro medietate, iuxta Gloss. in cap. 1, ne Sede vacante lib. 6 -.

200. His itaque expensis, S. Congregatio respondit: - Ad primum, Spectare, nisi secus forte in institutione Confraternitatis expresse cautum esset, iuxta Decretum cap. 9 sess. 22. Ad secundum, Utique ad ipsum solum pertinere, nisi ex consuetudine, aut privilegio, aut constitutione aliqua Loci aliis ad id deputatis ratio reddenda esset. Ad tertium, Ordinarii haberi votum in illo actu absolvendi et condemnandi, sicut ceteri Deputati, et eius votum cum ceteris numerandum, adeo ut maior votorum pars absolvat vel condemnet - *in Nullius Atini mensis Iunii 1589 lib. 6 decretorum pag. 2.*

201. At etiam, quando cum Episcopo alii ius habeant simul revidendi computa, executio adversus Administratores semper ad eumdem Episcopum spectat, quin appellatio effectum suspensivum habere possit, sed tantum devolutivum *in Civitatis Urbaniae die 17 Iulii 1638 lib. 16 decretorum pag. 53.*

202. Propositis quippe dubiis: - An Admi-

nistratores, qui fuerint relati debitores cum assistentia Episcopi, quatenus probaretur et suffragaretur Commissario consuetudo revidendi computa, sint compellendi ad solvendum cum Decreto et a Ministris Curiae Episcopalis.

V. An appellationes interponi solitae per Administratores per dictum Commissarium et per Confraternitates sint admittendae ad effectum suspensivum, an ad devolutivum -, Sacra Congregatio respondit: - Ad quartum, Exequutionem adversus Administratores laicos condemnatos, iuxta cap. 9 sess. 22 de Reformatione, sive soli Ordinario reddita fuerit ratio, sive una cum aliis Deputatis, ad ipsummet Ordinarium spectare. Ad quintum, Appellationem non esse admittendam, nisi ad effectum devolutivum - *in Civitatis Urbaniae die 17 Iulii 1638 lib. 16 Decretorum pag. 52.*

203. Imo Administratores duarum Ecclesiarum electi a Civitate, sub cuius gubernio praedictae Ecclesiae manent, debent ab Episcopo approbari, et in eius manibus iuramentum de fideliter administrando praestare, nec non reddere rationem eidem Episcopo, de peracta administratione *in Aliphana Administrationis die 18 Iulii 1705 lib. 55 Decretorum.*

204. Et idem servandum esse, quoad Administratores Confraternitatum laicorum, respondit Sacra Congregatio *in Aliphana die 8 Maii 1706 lib. 56 Decretorum.*

205. Administratores tamen bonorum dictarum Confraternitatum non debent requirere licentiam Episcopi, pro faciendis expensis legitimis, non excedentibus scuta duo *in Aliphana die 8 Maii 1706 lib. 56 Decretorum ad III dubium.*

206. Insuper Vicarius Lateranensis in Diaecesi Miletensi nequit revidere computa et visitare libros administrationis redituum Societatum laicorum, erectarum in eisdem Ecclesiis *in Mileten. die 23 Aprilis 1701 ad III dubium.*

207. Nulli quippe exoritur dubium, quin uni omnino Episcopo principalis administratio atque ordinatio tribui debeat *in Placentina Cooperturae die 6 Martii 1847* §. *Et sane.*

208. Etenim ipse unus hac in parte generali iuris assistentia gloriatur *in Placentina Cooperturae die 6 Martii 1847* §. *Et sane* (1).

209. Synodus vero Tridentina, quin minimum recesserit ab huiusmodi generali erga Episcopum iuris assistentia, immo expresse voluit in Cap. 9 Sess. 22 de Reformatione, ab omnibus cuiusvis Loci Pii Administratoribus rationes quotannis Episcopo redditum iri, adiiciens praeterea: - quod si ex consuetudine aut privilegio aut ex Constitutione aliqua loci aliis ad id deputatis ratio reddenda esset, tunc cum iis adhibeatur etiam Ordinarius - *in Placentina Cooperturae die 6 Martii 1847* §. *Et sane.*

Item *in Reatina Montis Frumentarii die 22 Septembris 1860* §. *De annuali.*

210. Hinc, si aliis, ex consuetudine, privilegio, Constitutione, aut fundatione est ratio reddenda, non per hoc excluditur Episcopus, qui est adhibendus principaliter cum aliis Deputatis *in Auriacen. die 20 Ianuarii 1622 lib. 12 Decretorum pag. 89.*

Item *in Placentina Cooperturae die 6 Martii 1847* §. *Et sane; in Reatina Montis Frumentarii die 22 Septembris 1860* §. *De annuali.*

211. Imo administrationis Hospitalium, aliorumque Locorum Piorum ratio reddenda est Episcopo tantum, donec coram eodem probetur consuetudo, privilegium, aut constitutio, aut fundatio aliter disponens *in Cremonen. Februarii 1609 lib. 11 Decretorum pag. 46.*

Item *in Pisauren. die 7 Februarii 1654 lib. 19 Decretorum pag. 310.*

212. Quin interim iurisdictioni Episcopali praeiudicari valeat; propositis enim dubiis: - II. An Commissarius seu Gubernator laicus absque eo, quod in libris dictis Laicorum Piorum a praedicto tempore (2) nulla fiat mentio de dicto Commissario debeat praetextu consuetudinis, de qua adhuc non constat, admitti per Episcopum in dicta revisione computorum.

III. An adnotatio per Cancellarium dicti Commissarii, postquam Episcopus intimaverat velle computa revidere, facta de anno praeterito in libro unius ex Confraternitatibus, quod scilicet stante revisione alias facta liber restituatur, praeiudicat Episcopo, seu potius uti de facto scripta sit damnanda -, Sacra Congregatio respondit: - Ad secundum, Commissarium ad revisionem computorum non esse admittendum, nisi prius Episcopo constet de consuetudine, quod illi rationes praefatae reddi consueverint.

(1) Rot. in decis. 1053, §. 1, coram Emerix.

(2) Nempe a triginta annis.

Ad tertium, Praedictam adnotationem per Cancellarium Commissarii factam iurisdictioni Episcopali non praeiudicare - *in Civitatis Urbaniae die 17 Iulii 1638 lib. 16 Decretorum pag. 52.*

213. Hinc S. Congregatio in responsione ad relationem status Ecclesiae Eugubinae eiusdem Episcopo sic rescripsit: - Si Hospitale S. Mariae Charitatis ab Ordinarii iurisdictione et Visitatione, prout ex ipsa relatione supponitur, exemptum extitit, non posse ab A. T. visitari, praeterquam si videre voluerit, an piae Testantium voluntates exequutioni mandentur. Quo vero ad redditionem rationis A. T. omnino esse reddendam: quod si ex privilegio, aut ex consuetudine, vel alia aliqua ratione aliis reddenda esset, eisdem reddendam esse adhibita cum illis A. T., nisi in fundatione aliter expresse cautum esset; nempe, quod rationes Ordinario reddendae non essent, nec cum illius interventu - *in Eugubina die 12 Novembris 1633 lib. 15 Decretorum pag. 6.*

Item *in Eugubina Iuris Visitandi die 21 Iulii 1783 §. Sacra.*

214. Propterea Sacra Congregatio subinde id rursum generaliter statuit, edicens: - Quantum attinet ad rationes ab Administratoribus Societatum, Hospitalium, aliorumque Locorum Piorum, tam in ea parte Diaecesis, quae vocatur Episcopatus vetus, quam in alia, quae dicitur Episcopatus novus, reddenda esset Episcopo generaliter sine ulla distinctione; et si ex privilegio vel ex consuetudine vel aliqua alia ratione aliis reddendae essent, nihilominus cum eisdem adhibendum esse Ordinarium, nisi in fundatione aliter expresse cautum esset; nempe, quod rationes Ordinario reddendae non essent, nec cum interventu eiusdem - *in Leyrien. die 13 Septembris 1636 lib. 15 Decretorum pag. 413 et 414.*

215. Et non solum in ratione reddenda adhibendus est Episcopus, verum etiam in deliberatione facienda a Deputatis *in Placentina Cooperturae die 6 Martii 1847 §. Et sane* (1).

216. Aliter enim factae liberationes, dictis Administratoribus minime suffragantur *in Eugubina Iuris Visitandi die 21 Iunii 1783 §. Alterum.*

Item *in Bononien. Redditionis Rationis et Beneplaciti Apostolici die 2 Martii 1839 §. Cum pastoralis; in Placentina Cooperturae die 6 Martii 1847 §. Et sane* (2).

217. Itaque ab Administratoribus Montis Pietatis, Rodigii existentis, rationem suae administrationis quolibet anno, ad praescriptum Cap. 9 Sess. 22 de Reformatione, exigere debet Episcopus; quod si ex consuetudine aut privilegio vel ex constitutione aliqua loci aliis ad id Deputatis ratio reddenda esset, tunc cum iis adhibendus est Episcopus, et aliter factae liberationes dictis Administratoribus minime suffragentur *in Andrien. die 14 Martii 1637 ad V dubium.*

218. Amplia, in his et laici Administratores, etiam Locorum simpliciter Piorum, expresse comprehenduntur, nec privilegia nec consuetudines suffragantur Administratoribus *in Bononien. Redditionis Rationis et Beneplaciti Apostolici die 2 Martii 1839 §. Cum.*

219. Hinc Administratoribus Hospitalis, qui rationem reddunt eorum administrationis Deputatis, absque interventu Episcopi, liberatio ab eis habita non suffragatur, iuxta Cap. 9, Sess. 22 de Reformatione *in Auraicen. die 20 Ianuarii 1622 lib. 12 Decretorum pag. 89.*

220. Idcirco Administratores Locorum Piorum debent habere solidationem, sive quietantiam ab Episcopo, de administratione bene peracta; nec sufficit, quod illam habeant a Deputatis *in Cremonen. ad Cap. 9 Sess. 22 de Reform. Posit. 41.*

221. Quamobrem in Cap. 9 Sess. 22 de Reformatione generaliter et indistincte omnes casus comprehenduntur, eo tantum excepto, quo Episcopus expressis verbis in fundatione fuisset exclusus *in Faventina Redditionis Rationis die 8 Augusti 1772 §. Hoc* (3).

222. Nam huiusmodi exclusio Ordinarii, ab exigendis contra Administratores rationibus, inducta nullo modo dici potest, nisi in institutione et ordinatione expresse legatur *in Fa-*

(1) S. Congregatio in Mediolanen. 23 Augusti 1576, apud Ferrar. in Biblioth. canon. verb. Administratio, Administrator, n. 9.

(2) Conc. Trid. sess. 22, cap. 9, de reformatione.

(3) Fagnan. in cap. 4, de Religios. Domib. n. 8, 18, 33, 47, 57; Monacell. tit. 13, formul. 2, quaest. 47; et S. Congreg. apud eumdem in Hispalen. 11 Ianuarii 1596.

ventina Redditionis Rationis die 8 Augusti 1772 §. *Fatetur.*

Item *in Nucerina Pii Relicti super Redditione Rationum et Attentatis die 24 Iulii 1858* §. *Addebat* (1).

223. Lex propterea fundationis, ut Episcopi exclusio operetur, ea esse debet, qua patule et expresse prohibeatur Episcopus *in Nucerina Pii Relicti super Redditione Rationum et Attentatis die 24 Iulii 1858* §. *Addebat* (2).

224. Iamvero Iacobus de Comitibus Asculanus die prima augusti 1730 suum ultimum condidit Testamentum, quo eius animam heredem universalem instituit. Executores vero suae voluntatis in Testamento expressae et subinde exprimendae declaravit, pro bonis Florentiae et in Hetruriae Statu sitis, Marchionem Carolum Rinucci, Hieronymum Vyeri, et Manilium Urbani; pro bonis autem existentibus Urbis et Asculi nominavit Rectorem pro tempore Collegii suppressae Societatis Iesus una cum geminis Nobilibus Asculanae Civitatis, et in casu renuentiae plures demandavit substitutiones.

225. Voluit Testator, quod eius voluntas, et omnia per ipsum disposita, ac imposterum per schedulas disponenda, suum respective plenarium haberent effectum et executionem dandam a solis Executoribus testamentariis etiam privative a quolibet Iudice Ordinario, R. Fabrica divi Petri Romae, Delegato Apostolico, et quocumque alio ecclesiastico Superiore (3): iisdem vetuit expresse sub poena caducitatis petendi vel exequendi commutationem suae voluntatis vel in totum vel in parte, ac solum pro dubiae voluntatis interpretatione iussit Testator, Exequutores recursum habere debere ad Asculanum Episcopum sive ad eius Vicarium Generalem. Subinde plurima reliquit legata prophana.

226. Praefatus Rector Collegii Societatis Iesu administrationem duodecim post annos renunciavit, reportata sub die 24 Martii 1753 ab Asculano Episcopo sententia declarante, rite recteque fuisse redditam rationem de bonis hereditariis per ipsum desuper administratis usque et per totam diem 15 eiusdem mensis Martii. Triduo post hanc latam sententiam, Episcopus obtinuit a Benedicto XIV ac inde Successor a Clemente XIV in parte commutationem voluntatis, non obstantibus exceptionibus Gratiae datis ab Executoribus testamentariis.

227. Administratores vero nedum nullum esse contenderunt utrumque Pontificium rescriptum, sed in eo etiam enixe institerunt, ne ad redditionem rationum tenerentur. Quamvis enim Administratores Operarum Piarum ex Concilio Tridentino sess. 22 cap. 9 de Reformatione teneantur singulis annis de administratis rationem Episcopo reddere, sustinere tamen studuerunt, id procedere; dummodo non fuerit aliter in ordinatione vel in fundatione, ut in casu, cautum atque praescriptum, veluti habetur ex finalibus verbis dicti Capitis 9 sess. 22 de Reformatione Concilii Tridentini, et consentanee firmarunt Doctores (4).

228. Proposito vero dubio: – II. An quomodo quibus et a quo tempore sit reddenda ratio in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, Esse reddendam rationem Episcopo ab anno 1753; et amplius – *in Asculana Commutationis Voluntatis die 20 Ianuarii 1776.*

229. Ceterum non desunt, qui tenent eiusmodi exemptionem expressam adesse quidem debere, sed eam sufficere ex naturali ratione, quoad unam redditionem rationum, minime vero necesse esse, ut Ordinarius vel Episcopus nominatim excludatur *in Nucerina Pii Relicti super Redditione Rationum et Attentatis die 24 Iulii 1858* §. *Ceterum eiusmodi.*

230. Nam Episcopus in generali et absoluta exemptione seu prohibitione comprehenditur *in Nucerina Pii Relicti super Redditione Rationum et Attentatis die 24 Iulii 1858* §. *Ceterum.*

231. Hinc quaecumque clausula, respiciens exemptionem a reddendis rationibus, sufficere videtur, quin de Ordinario fiat expressa mentio *in Nucerina Pii Relicti super Redditione*

(1) Barbos. ad Conc. Trid. in cap. 9 sess. 22 de reform. n. 10 et 27; Piton. de Controv. patron. Allegat. 23, n. 2 et seqq.

(2) Amostaz de Caus. Piis lib. 4, cap. 2, n. 42; Rot. in Nucerina 6 Decembris 1752, coram Elephantutio; decis. 3, n. 4, coram Carillo; Tomat. decis. Maceraten. 27, Cap. tom. 3.

(3) Haec sunt verba Testatoris, ut in §. *Voluit* – ibi – Anche privativamente a qualsivoglia Giudice Ordinario, Rev. Fabbrica di S. Pietro di Roma, Delegato Apostolico, e qualunque altro Superiore Ecclesiastico –.

(4) Praesertim Pax Iordan. Elucubrat. can. lib. 7, tit. 9, n. 30; Garz. de benef. cap. 2, n. 105; Amostaz de Causis Piis, lib. 3, n. 32 et 42; Rot. in Nucerina Canonicatus 6 Decembris 1751 §. 13, coram Eminentissimo Elephantutio.

*

Rationum et Attentatis die 24 Iulii 1858 §. *Alias* (1).

232. Praesertim eo in casu, ubi si data non fuisset exemptio, uni Ordinario rationes reddendae necessario fuissent, itaut sequatur ex necessitate rationis, exemptionem demandatam unum afficere et percutere Ordinarium *in Nucerina Pii Relicti super Redditione Rationum et Attentatis die 24 Iulii 1858* §. *Ceterum.*

233. Et eo vel magis, si exularet favore Episcopi observantia, legi fundationis seu exemptioni demandatae consona *in Nucerina Pii Relicti super Redditione Rationum et Attentatis die 24 Iulii 1858* §. *Ceterum.*

234. Quin ideo obstare videtur species ex Pitonio relata, cum a praesenti themate omnino diversa censenda sit *in Nucerina Pii Relicti super Redditione Rationum et Attentatis die 24 Iulii 1858* §. *Qui* (2).

235. Ibi namque non solum nulla occurrebat exemptionis mentio a rationum redditione, sed e contra haec erat expresse demandata per Virum ecclesiasticum a Patrono deputandum, itaut intraret evidenter alia dispositio Concilii Tridentini; qua in praefato cap. 9 sess. 22 praecipitur, post adiectam, de qua incidit quaestio, limitationem, ut si aliis ad id in fundatione Deputatis ratio roddenda sit, cum iis adhibeatur etiam Ordinarius, nisi expresse et nominatim prohibeatur *in Nucerina Pii Relicti super Redditione Rationum et Attentatis die 23 Iulii 1858* §. *Qui.*

236. Hic erat Pitonii casus, et proinde controversiae applicari non potest, ubi nullus alius est ad hoc deputatus, ac praesertim facta est Administratori qualificato a redditione rationum exemptio *in Nucerina Pii Relicti super Redditione Rationum et Attentatis die 24 Iulii 1858* §. *Qui.*

237. Demum in casu per Pitonium relato praeter factum ipsius Institutoris, qui Episcopum pro discutiendis rationibus vivens requisiverat, pacifica etiam favore Episcopi concurrebat observantia *in Nucerina Pii Relicti super Redditione Rationum et Attentatis die 24 Iulii 1858* §. *Ceterum.*

238. Ceterum animadvertendum sedulo est, quod Concilium Tridentinum ad rationum redditionem omnes Locorum Piorum Administratores subiiciens, limitationem quidem adiecit: - nisi secus forte in institutione et ordinatione talis Ecclesiae seu Fabricae expressae cautum esset - *in Faventina Redditionis Rationum die 6 Augusti 1772* §. *Et sequenti.*

Item *in Nucerina Pii Relicti super Redditione Rationum et Attentatis die 20 Decembris 1853* §. *Quoad vero* (3).

239. Atque declaratio Heredis fiduciarii habetur ac ipsa Testatoris dispositio *in Nucerina Pii Relicti super Redditione Rationum et Attentatis die 20 Decembris 1856* §. *Quod vero.*

240. Unde Administratores sunt exempti a redditione rationis, si ita in institutione, aut fundatione expresse cautum fuerit *in Senogallien. die 18 Maii 1726* §. *Denique.*

Item *in Faventina Redditionis Rationis die 8 Augusti 1772* §. *Hoc; in Eugubina Iuris Visitandi die 21 Iulii 1783* §. *Licet* (4).

241. Attamen Ordinarius, ex Cap. 9 sess. 22 de reformatione Concilii Tridentini, potest ab Administratoribus Hospitalium aliorumque Piorum Locorum rationem administrationis exigere, donec coram Ordinario doctum fuerit, de institutione, in qua secus expresse cautum sit *in Nucerina Pii Relicti super Redditione Rationum et Attentatis die 20 Decembris 1856* §. *Quod vero* (5).

242. Propterea, si Testator exclusionem quidem generaliter demandaverit, sed minime probatum luculenter extet, quod is praecise Episcopum excludere voluerit, potest hic rationes exigere, non obstante etiam centenaria consuetudine *in Faventina Redditionis Rationis die 19 Septembris 1772.*

243. Requidemvera eximiae pietatis monumenta non pauca nec incognita reliquit nobilis Vir Marchio Paulus Spada: atque inter cetera annuum praestituit reditum scutorum 1550,

(1) Argui videtur ex doctrina Thomassin. de vet. et nov. eccles. disciplin. part. 1, lib. 2, cap. 21, de Xenodochiis in fin.

(2) Piton de Controv. patron. alleg. 23.

(3) Concil. Trid. in cap. 9 sess. 22 de reform.

(4) Fagnan. in cap. *Tua nobis*, de testam. n. 12; et in cap. *Ad haec*, n. 58 et 59, de Religios. Domibus.

(5) S. Congreg. in Cremonen. Februarii 1609 lib. 11 decretorum pag. 46; in Licien. 11 Maii 1664; in Abulen. 6 Aprilis 1606; ac praesertim in relata superius Leyrien. 13 Septembris 1636.

quibus nonnulla in primis designata Opera Pia exerceri, et quod annis singulis superesset in Pauperes Oppidi Brixichellae atque adiacentium Pagorum distribui mandavit. Huius reditus administrationem commisit primum P. Virgilio et cl. me. Cardinali Bernardino suis Filiis, deinde aliis Descendentibus a Familia Spada, et Congregationi in eodem Oppido erigendae, quae a suo nomine *Paulina* nuncuparetur.

244. Occasione Pastoralis Visitationis anni 1769 optabat Episcopus administrationis computa inspicere, sed Deputati Congregationis Paulinae, *Vocales* appellati, libros exhibere recusarunt, seseque ab Ordinarii iurisdictione dixerunt exemptos. Postea Pauperum nomine libellus Sanctissimo fuit oblatus, quo conquesti sunt, de non sequuta eleemosynarum partitione, atque idcirco iniungi Vocalibus postularunt, ut fieret illarum distributio, iuxta Testatoris praeceptum. Remissis precibus ad Sacram Congregationem, requisitus de expositorum veritate fuit Episcopus. Is autem, quum nonnisi quam inspectis dispunctisque computis instructam reddere posset Sacram Congregationem, librorum petiit exhibitionem. Sed quia Vocales illos exhibere denuo detrectarunt, nihil referre posse respondit.

245. Promotor Fiscalis fassus quidem est, quoad demandatam infra sex menses Missarum celebrationem prohibuisse Testatorem, ne a Commissariis aliisque Iudicibus ratio exposceretur; et vetitam quoque fuisse quamcumque suae voluntatis commutationem aut Pii Operis reformationem, negavit tamen, exclusum ob id censeri Ordinarium ab exigendis contra Administratores rationibus, cum eiusmodi exclusio inducta nullo modo dici possit, nisi in institutione et ordinatione expresse legatur *in Faventina Redditionis Rationis die 8 Augusti 1772* §. *Fatetur*.

246. In praesenti autem casu huiusmodi expressionem deesse perpendit: immo addidit, ex iuris dispositione (1) Locorum Ordinariis demandatam esse curam, omnia iuxta Defuncti voluntatem exequendi, *licet etiam a Testatoribus id contigerit interdici*, quin praesidium mutuari possit a centenaria consuetudine *in Faventina Redditionis Rationis die 8 Augusti 1772* §. *Fatetur* (2).

247. Non obstante itaque huiusmodi generali cuiusvis Iudicis exclusione et centenaria consuetudine, proposito dubio; - I. An Vocales Congregationis Paulinae Terrae Brixichellae teneantur reddere rationem suae administrationis Episcopo Faventino in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative; et amplius - *in Faventina Redditionis Rationis die 19 Septembris 1772*.

248. Praeterea, si exemptio haec a redditione rationum data esset ab Herede fiduciario alteri, post fiduciam explicatam, qua rerum hereditariarum alius proprietarius iam constitutus erat, nullatenus impedit, quominus Episcopus rationes exigat, non obstante, quod praefatus Heres fiduciarius declaratus etiam heres proprietarius fuisset a Testatore, et facultates amplissimas sibi reservasset in actu explicationis fiduciae, ac imo dubium adhuc esset, num secunda declaratio, qua exemptio a redditione rationum tributa est, valida sit cen-

(1) In cap. *Tua nobis*, de Testam.

(2) En verba Testatoris, ut in §. *Videndum* - ibi - Dichiarando espressamente, che nè quei di Roma, nè quei di Romagna siano tenuti a dar conto e giustificazione a' Commissarii della Fabbrica, nè a chi si sia di aver adempiuto, non volendo che in ciò restino sottoposti ad altro Giudice o Censore, salvo che alle coscienze e pietà loro e di ciascun di loro, in tutti i quali confida appieno e vuole che siano esenti onninamente da ogni altro Giudice e Tribunale -. Haec autem adiecta noscebantur in principio dispositionis, post demandatam Missarum 1200 celebrationem, atque idcirco inquiri poterat, an ad alia quaecumque Pium Opus respicientia trahi et applicari deberent.

Deinde in eodem Testamento haec habebantur - ibi - E quando questi Esecutori discordassero in alcuna cosa, si ricorra al Reverendissimo Vescovo di Faenza. E se forse in tempo alcuno Brisighella avesse Vescovo particolare, si ricorra a quello, quali Vescovi respettivamente abbiano autorità di aderire ad una delle Parti, quando li voti fossero eguali etc. -. Et infra addidit - ibi - Dichiara e protesta espressamente detto Signor Testatore, che se mai in alcun tempo i Commissarii della Fabbrica di S. Pietro, o altri chi si sia con qualsivoglia autorità e pretesto volessero mettere le mani in questo negozio, controvertere, o divertire in qualsivoglia capo e maniera queste sue ordinazioni e volontà in qualsisia tempo, ex nunc pro tunc revoca ed annulla quella parte, che volesse controvertire e divertire -. Sedulo hinc ponderandum erat, quid haec verba praeseferrent, quomodo essent intelligenda, et an expressam Episcopi exclusionem importare valerent.

senda *in Nucerina Pii Relicti super Redditione Rationum et Attentatis die 20 Decembris 1856.*

Item *die 24 Iulii 1858.*

249. Enimvero Supremo, quo decessit, elogio die 27 Maii 1821 Sacerdos Franciscus Angelus Giovagnoli omnium bonorum suorum fiduciarium heredem scripsit Sacerdotem Laurentium Moroni Oppidi Rivulorum Nucerinae Diaecesis, eidem amplissimas tribuens facultates de omnibus bonis disponendi, prout sibi placeret, ac intra tempus ipsius arbitrio praefiniendum: unde etiam heredem proprietarium et universalem eum instituit ac nominavit, ut dubia quaecumque veluti dominus solvere posset (1).

250. Quatuor post menses a testamento condito Sacerdos Moronius acceptam fiduciam solemniter explicavit, ac Testatoris voluntatem patefecit, quam dixit directam ad Pias Causas. Nonnullis hinc constitutis Legatis, heredem universalem instituit Ven. Sodalitium, sub sanctissimi Rosarii nomine, in Oppido Rigali erectum ita, ut, detractis annuis scutis quinque eiusdem Sodalitii favore, reliqui reditus in tot subsidia dotalia erogarentur. Cautum tamen in actu declarationis fiduciae voluit Moronius, nolle interim sibi facultates a Testatore tributas adimere, neque ius ac possessionem concedere praefato Sodalitio sanctissimi Rosarii (2).

251. Labentibus annis, cum compertum habuisset Moronius, administrationem Piae Hereditatis Confratribus sanctissimi Rosarii concreditam pessumdari, anno 1823 illis in administratione Sacerdotem Clementem Giovagnoli Testatoris consanguineum suffecit. Anno autem 1836 morti iam proximus, privata syngrapha coram Testibus exarata, et post eius funus penes acta Cancellariae transcripta et inserta, postquam pluribus Giovagnoli diligentiam ac integritatem iam sibi experientia apprime perspectam commendasset, usus facultatibus sibi a Testatore attributis ac reservationibus in explicatione fiduciae adiectis, eumdem instituit heredem fiduciarium et exequutorem testamentarium, cum eisdem amplissimis facultatibus, quibus substituere alium posset in administratione, quin alicui rationes reddere teneretur (3).

252. Itaque, iuxta attributas sibi facultates, in concredita administratione per plures annos Giovagnolius sine querela versatus est. Volvente autem anno 1839, cum Episcopus tunc temporis Nucerinus sacram Visitationem in Oppido Rivulorum obiret, Decretum die 21 Aprilis eiusdem anni edidit, quo ad redditionem rationum administrationis Piae Hereditatis Giovagnolium compellebat, addita suspensionis comminatione, nisi paruisset. Res tamen in medium relicta fuit usque annum 1845, quo iterum Episcopus huiusce Decreti executionem urgere non praetermisit. Contra tamen protestatus est Giovagnolius, et recursum supplici oblato libello interposuit ad Sacram Congregationem, quae continuo preces ad Episcopum remisit, pro sueta informatione et voto, addita clausula, firmo interim remanente sacrae Visitationis Decreto.

253. Ab incepto tamen desistere visus est Episcopus; nec petitam informationem unquam transmisit, quousque diem obivit supremum.

(1) Hisce verbis praefatus Testator Moronium heredem fiduciarium ac etiam proprietarium instituit, ut in §. *Supremo* – ibi – Dando al medesimo tutte le facoltà, onde disporre di tutti i miei beni suddetti nel modo e forma a lui nota e da me palesatagli –. Et intra tempus *a suo comodo ed arbitrio* praefiniendum. Addens praeterea – ibi – Siccome è tale e tanta la fiducia che ho nel degnissimo soggetto, che io fin da questo lo disonero e discarico da qualunque dubbiezza, che potesse nascergli, e che potrà sciogliere a suo talento; per cui e per ogni altro buon fine ed effetto lo istituisco e nomino erede proprietario ed universale con pienissima facoltà etc. –.

(2) En verba praedictae declarationis, ut in §. *Quatuor* – ibi – Non intende con questo di restringersi le facoltà accordategli dal medesimo (Testatore) nel testamento, volendo sempre avere il pieno diritto di aggiungere, accrescere, di togliere, di variare, come poteva farlo lo stesso Testatore, padrone del suo Asse. Dichiarando, che coll'atto presente non intende, che si acquisti alcun diritto, e di dare il possesso alla detta Compagnia del Rosario, e di dare esecuzione a quanto si è detto, per cui dovrà farsi il regolare atto –.

(3) Siquidem ita praefatum Clementem instituit, ut in §. *Labentibus* - ibi - Erede fiduciario ed esecutore testamentario nell'eredità e beni del fù D. Francesco Angelo Giovagnoli, con ingiunzione di dare esecuzione alla fiducia da me spiegata, di considerare nelle dotazioni le Giovani di maggior merito, come imparzialmente col mio mezzo ho praticato finora; di garantire i diritti e le azioni dell'eredità, e questa stessa disposizione a carico dell'eredità medesima, con facoltà di poter sostituire altri nell'amministrazione, ed all'esecuzione di quanto riguarda la mente del defonto Sacerdote Giovagnoli; fare in somma tutto ciò che far potrei io medesimo, non che il defonto Giovagnoli, se fossimo viventi; esonerandolo da qualunque rendiconto, e da qualunque spiegazione etc. –.

Nec aliter initio regiminis sui se gessit modernus Episcopus; sed, adveniente mense Augusti anni 1851, cum hic sacram perageret Visitationem in praedicto Oppido Rivulorum, sui muneris esse duxit exposcendi a Sacerdote Giovagnoli exhibitionem librorum administrationis ac redditionem rationum, ad tramites Decreti anni 1839. Iussa autem Episcopi per duos annos declinavit Giovagnolius, quae cum adventante Visitatione anni 1853 magis urgerent, iterum ad Sacram Congregationem suas ipse detulit querelas, postulans, ne, pendente recursu, ante decisionem reddendam super merito principali, molestiis afficeretur. Exceptis precibus, Rescriptum die 19 Februarii eiusdem anni 1853 prodiit, ut Episcopus referret ad tramites praecedentium Literarum die 2 Augusti 1845, nihil interim innovato. Sed Sacrae Congregationis Literas Episcopo non exhibuit Giovagnolius, nisi insequenti mense septembris, et postquam idem Episcopus eum de retardata exhibitione obiurgaverat.

254. Quandoquidem in praefatis Literis, praeter alia committebatur Episcopo, ut de Pii Relicti reditibus referret, qui haud iniuncto muneri satisfacere se posse putavit, nisi administrationis libros inviseret, et examini supponeret; hanc itaque opportunitatem nactus est, ut libros a Giovagnolio iterum exposceret, qui tamen nunquam paruit, satis habens notulam quamdam redituum et onerum, quam Episcopus recusavit, exhibere: unde Sacrae Congregationis mandato satisfieri facile posse rebatur. Quae cum ita se haberent, haud amplius cunctandum censuit Episcopus, quin Giovagnolium canonice moneret, ut, si post trinam admonitionem memoratos libros non exhibuisset, suspensionis censuram incurreret. Sed, secundo monitorio accepto, inconsulto Episcopo, abscessit Giovagnolius, et Romam petiit, ut Sacrae Congregationis tutelam imploraret.

255. Qui Episcopi partes agebat, statuit, quod licet amplissimae datae fuerint Sacerdoti Moronio facultates in testamento Giovagnoli et institutus fuerit etiam heres proprietarius, attamen firmum semper immotumque manebat, Sacerdotem Moroni non uti proprietarium se egisse, sed unice qua heredem fiduciarium patefecisse mentem Testatoris in Causam Piam, cui ideo ex hoc actu explicatae fiduciae ius certum et inconcussum acquirebatur ita, ut amplius revocari et deterioris fieri conditionis non posset, inducta ex lege tutela potestatis Ecclesiasticae. Quamobrem nullius ponderis habendas existimavit reservationes a Moronio factas in explicatione fiduciae; semel ac enim constiterat voluntatem Testatoris ad unum fuisse determinatam, favore scilicet Sodalitii, heredis proprietarii instituti, et in causa dotium, quidquid variari, addi, vel minui potuisset, nequibat cadere in substantia fiduciae explicatae, nequibat amplius assumi qualitas proprietarii in herede fiduciario; quippe incompatibilis est fiduciae actus favore Loci Pii, et proprietas, pessumdata Causa Pia, determinate vocata. Nec opus inde amplius erat aliquo alio actu regulari, stante rogito fiduciae et acceptione Ordinarii.

256. Non poterat hinc Moronius anno 1836, nempe quindecim post annos ab explicata fiducia, ex privata praesertim syngrapha, subrogare Sacerdotem Giovagnolium. Namque falso etiam in hoc actu commemoravit Moronius, se institutum fuisse heredem proprietarium, postquam iam ipse fiduciam favore Sodalitii explicaverat, addens; mens erat Giovagnoli instituere heredem proprietariam Confraternitatem. Unde, posthabito Sacerdote Giovagnoli, qui nullo pacto heres proprietarius censeri poterat, Sodalitio restituendam esse contendit administrationem.

257. Sed, hisce praetermissis, haud dubitari posse censuit, quin saltem ad redditionem rationum suae administrationis Giovagnolius compelli posset ac debere ab Episcopo, praesertim in actu S. Visitationis. Amissa enim qualitate heredis proprietarii, integrum non amplius erat Moronio exemptionem tribuere a redditione rationum. Plura etiam deduxit, quae existimationi Giovagnoli detrahebant, quaeque suspicionem minus rectae administrationis et negligentiam in dotibus conferendis praeseferebant.

258. Giovagnolius quamquam supra allatas rationes et singula sibi obiecta refutare studuisset, attamen proposito dubio: - I. An et quomodo sustineatur Decretum S. Visitationis die 21 Aprilis 1839 in casu -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative in omnibus - *in Nucerina Pii Relicti super Redditione Rationum et Attentatis die 20 Decembris 1856.*

259. Reproposito dein dubio: - I. An sit standum, vel recedendum a decisis in primo dubio

in casu -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, In decisis ; quoad redditionem rationum, salvis iuribus, super asserta nullitate secundae declarationis Moroni , et amplius - *in Nucerina Pii Relicti super Redditione Rationum et Attentatis die 24 Iulii 1858.*

260. Non obstante imo a Testatore facultate amplissima Administratoribus seu Heredibus fiduciariis tributa, qua libere bona administrare valeant, ac nemini omnino sub quavis causa ac praetextu rationes reddere debeant , alias iidem Heredes proprietarii existerent, si Pontifex iusta de causa rationem reddendam esse Episcopo praescribat , lex huiusmodi servari debet , quin interim Episcopus sibi regimen administrationis adrogare possit, exceptis iis, quae a Pontifice obtinuit , et donec praefati Administratores seu Heredes fiduciarii doceant, de aperitione oris *in Nepesina Legati Pii die 26 Martii 1831.*

261. Quandoquidem, supremis, quibus decessit, tabulis , Christophorus Chiatti ab Oppido Campaneani Nepesina Diaecesis, posteaquam aliquot Legata instituisset , die 9 Maii 1818 heredes fiduciarios scripsit quatuor Canonicos primae erectionis, cum Archipresbytero, Ecclesiae Collegiatae S. Ioannis Baptistae , cum onere administrandi et erogandi reditus hereditatis in Pia Legata , praefatae haereditati adnexa. Sic amplam interim praedictis Canonicis et Archipresbytero potestatem tribuit, ut nemini prorsus rationes administrationis reddere, sub quavis causa vel praetextu , tenerentur (1); alias enim , si ad rationes reddendas adigerentur , eosdem heredes proprietarios iam hoc in casu declarabat. Ex hac Testatoris mente , Archipresbyter Iulius Caesar Cappelli , Paulus Orlandi , Benedictus Cappelli , die 13 Novembris eiusdem anni, fiduciam iurisiurandi fide munitam explicaverunt.

262. Hereditatis Chiatti administratione ab Heredibus fiduciariis vix suscepta, factum est, ut inter quemdam Stephanum Pisani et Heredes ipsos acerrima quaestio, de cuiusdam fideicommissi iure , efferbuerit. Ad hanc itaque dirimendam Pontificium prodiit Chirographum die 4 Decembris 1818, a S. M. Pio VII impetratum, quo, peculiaribus inspectis rerum adiunctis, Eminentissimus ac Reverendissimus Cardinalis Cristaldi , tunc Sanctissimi Auditor , Iudex executor specialiter electus ac deputatus est, ut, omnibus antea solutis Legatis, integram bonorum omnium medietatem , quibus fideicommissum constabat, tradendam Stephano Pisani, eique perpetuo possidendum, decerneret. Illud praeterea Iudicis executoris curae et solicitudini in eo Chirographo commendatum fuit, ut altera eiusdem fideicommissi medietas, cum aliis bonis hereditariis, reservata extaret, pro erogationibus a Testatore praescriptis, sub recta praedictorum Heredum administratione , cum onere tamen reddendi ratione Episcopo Nepesino (2).

263. Praefatus Eminentissimus Cristaldi, ut credito sibi munere rite fungeretur , idoneas facultates contulit moderno Episcopo Sutrino et Nepesino Anselmo Basilici, qui decreto suo bonorum omnium ad fideicommissum spectantium medietatem in Stephani Pisani dominium ac potestatem transferret.

264. Id autem ex praecitati Chirographi vi omnino expressum indixit Archipresbitero et Canonicis heredibus fiduciariis, ut - administrationis erogationisque redituum, ad omne mandatum R. P. D. Episcopi, rationem reddere teneantur -. Hisce positis , praedictus Sutri et

(1) Hisce verbis potestatem hanc eis dedit, ut in §. *Supremis* - ibi - In tutti gli altri e singoli miei beni istituisco, nomino , e voglio , che sieno miei eredi fiduciarii il Capitolo in specie di questa Chiesa Collegiata di S. Giovanni Battista, cioè il Signor Arciprete ed i quattro Canonici di prima erezione, alla fiducia dei quali io mi rimetto, pregandoli a bene amministrare ed erogare le rendite della mia eredità in soddisfare i Pii Legati annessi alla medesima, e nel sollievo delle Orfane ed Orfani, e al mantenimento di qualche Giovane allo studio ; ben inteso, che sempre siano di Campagnano, ed anche Figli di due Coniugi Campagnanesi. Voglio inoltre, che li medesimi non debbano per conto alcuno essere molestati, e che detti miei Eredi fiduciarii non debbano e non possano essere obbligati a verun rendimento di conti a chicchessia per qualunque causa o mendicato colore, e se a ciò fossero costretti, li nomino, dichiaro, e voglio, che siano miei Eredi proprietarii, giacchè così mi è piaciuto ed ho voluto disporre de' miei beni -.

(2) Ita siquidem se habuit praelaudatus Pontifex, ut in §. *Hereditatis* - ibi - Comandiamo che il nominato Arciprete e quattro Canonici nell' amministrare i sopraddetti beni, e nell' erogarne le somme, che ne provengono, nelle Pie Opere prescritte dal Testatore, siano e debbano essere sempre pronti ad ogni ordine di Monsignor Vescovo di Sutri e Nepi, o di qualunque Successore a renderne esatto conto tanto della detta Amministrazione che della erogazione indicata. Lo che pure verrà dichiarato e decretato dal Giudice esecutore solennemente -.

Nepotes Antistes delatas eiusmodi partes illico explere aggressus est: unde administrationis rationem a Canonico Bernardino Cappelli institutam maturo examini subiecit, et ipsis adsentientibus Heredibus fiduciariis, et Pontificia instructus potestate, die 24 Iulii 1820 omnia bona rustica in perpetuam emphytheusim concessit, aliaque peregit, atque cum eorumdem Heredum fiduciariorum consensu, quoad piorum redituum erogationem, quasdam concinnavit regulas.

265. Post haec supplicem S. M. Pio VII porrexit libellum Episcopus, ut regulas illas adprobare dignaretur, ac facultatem eidem indulgeret disponendi et erogandi quantitatem scutorum quinquaginta, pro Adolescentibus pauperibus Diaecesis, non vero Campaneanensibus, non obstante contraria Testatoris voluntate, quam praelaudatus Pontifex benigne concessit die 4 Iunii 1820.

266. Quamvis id Rescriptum haud statim Heredibus fiduciariis innotuerit, manifestum tamen erat, Canonicum Bernardinum Cappelli die 21 Novembris 1820 omnibus suis iuribus super hereditate Chiatti sponte renuntiasse; eumdemque tres alii secuti, ab Heredum fiduciariorum obeundis officiis per se sensim recesserunt. Quapropter ab anno 1823, quidquid ad hereditatem Chiatti administrandam eiusque reditus erogandos pertineret, id vel extra S. Visitationem gerere cepit Episcopus, ex consilio et assensu solius Heredis fiduciarii Thomae Gori, Vicarii Foranei. Denique in postrema S. Visitatione anno 1829, quum probasset Episcopus administrationis rationem, a Canonico Gori exhibitam, decretum tulit, quo modum administrandi et erogandi piam hereditatem praescripsit (1).

267. Quum ita se res haberent, non sine aliquo quorumdam Campaneanensium questu, qui nonnulla immerentibus personis subsidia ex Pio Legato Chiatti pluries impertita fuisse dictitabant, accidit die 14 Septembris 1829, ut, inconsulto Episcopo atque aegrotante Canonico Gori Administratore, quatuor ceteri moderni Heredes fiduciarii suam quisque operam et iura in gerendis hereditatis Chiatti rebus propius explere constituerint. Quare indictam Congregationem inierunt, ubi de acceptis et expensis administrationis ratione instituta, in id consilii unanimes ingressi sunt, ut subsidia, quae iam studentibus Adolescentibus antea ab Episcopo cum Canonico Gori assignata fuerant, partim ex Testatoris voluntate omnino abrogarentur, partim ad minorem summam reducerentur vel suspenderentur: aliquot vero Iuvenum, qui subsidia exorabant, tunc demum rationem se habituros, cum ii ad decimum octavum aetatis annum pervenissent.

268. Aegre quidem haec tulit Episcopus: hinc die 11 Februarii 1830, cum praefati Heredes fiduciarii in sententia firmiter persisterent, Decretum tulit, quo eorumdem dispositionem, tum iure ordinario, tum delegato S. Sedis, immutavit; atque plura subsidia Clericis studentibus assignavit. Adversus huiusmodi Decretum Heredes fiduciarii ad S. Congregationem confugerunt, supplicesque rogarunt, ut Eminentissimi Patres illud revocandum decernerent, quod regimen ac exercitium administrationis sibi dumtaxat independenter ab Episcopo spectaret, vel saltem onus tantum eisdem reddendi rationem praefato Episcopo imponeretur. Interim ex audientia Sanctissimi die 15 Iulii 1830 S. Congregatio rescribendum censuit: – Episcopo, qui Administratoribus hereditis mandet omnimodam exequutionem Decreti S. Visitationis usque ad exitum causae, quae in via oeconomica et absque strepitu iudicii ab ipsa Sacra Congregatione definiatur-.

269. Deductis hinc inde rationibus, propositis dubiis: – I. An administratio et erogatio Pii Legati Chiatti sit penes Heredes fiduciarios independenter ab Episcopo in casu etc.

II. An confirmanda Heredum fiduciariorum resolutio diei 14 Septembris 1829, seu potius exequendum Episcopi Decretum die 11 Februarii 1830 in casu etc.

IV. An erogari possit summa scutorum quinquaginta in favorem Clericorum non Campaneanensium ad formam Rescripti Sanctissimi diei 4 Iunii 1820 in casu etc. *Et quatenus Affirmative.*

V. An et ad quem spectet eiusmodi Clericorum nominatio in casu etc. –, Sacra Congre-

(1) Siquidem edixit, ut in §. *Quamvis* – ibi – Che in ogni trimestre assolutamente si tenga dalli Signori Eredi fiduciarii la Congregazione, il di cui Amministratore sarà il Segretario, che l'Amministratore pro tempore dovrà dare il sussidio caritatevole a quegl' individui soltanto, cui sarà accordato dalla Congregazione, e in quella somma, che verrà dai Signori componenti la Congregazione fissata e stabilita.

gatio respondit: – Ad primum, Affirmative, salvo iure Episcopi, ad formam sacrorum Canonum et Chirographi 4 Decembris 1818. Ad secundum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam. Ad quartum et quintum, Dilata; et Heredes fiduciarii doceant de aperitione oris – *in Nepesina Legati Pii die 26 Martii 1831.*

270. Insuper et in casu etiam, quo Episcopus expresse exclusus sit in ipsa institutione, in promptu adhuc una de iure exceptio admitti videtur, quando scilicet constet de negligentia Administratoris *in Senogallien. die 18 Maii 1726* §. *Denique.*

Item *in Eugubina Iuris Visitandi die 26 Iulii 1783* §. *Licet; in Nucerina Pii Relicti super Redditione Rationum et Attentatis die 20 Decembris 1856* §. *Unam* (1).

271. Nam, si Administratores essent negligentes in adimplenda mente Fundatorum, in huiusmodi circumstantiis Episcopus, quamvis in fundatione exclusus, ab exigenda rationum redditione, excludi non posset *in Senogallien. die 18 Maii 1726* §. *Denique.*

Item *in Eugubina Iuris Visitandi die 24 Iulii 1783* §. *Licet.*

272. Hinc, etiamsi Concilium Tridentinum leges praeservaverit, ut innuunt verba – nisi secus forte in institutione et ordinatione talis Ecclesiae seu Fabricae expresse cautum esset–, nihilominus praeservatio huiusmodi intelligi debet, ad formam Cap. *Tua nobis*, de testamentis, ut scilicet non suffragetur Administratoribus negligentibus *in Faventina Redditionis Rationis die 8 Augusti 1772* §. *Ceterum* (2).

273. Cautum propterea in iure est, exemptionem a redditione rationum, etiam testamento relictam, non suffragari contra Episcopum, ad formam sacrorum Canonum *in Romana Erectionis Capellaniae 21 Martii 1836* §. *Hucusque.*

Item *in Nucerina Pii Relicti super Redditione Rationum et Attentatis die 20 Decembris 1856* §. *Sed hisce* (3).

274. Nam, etsi in fundatione Loci Pii cautum sit per Testatorem, ne Episcopus se administrationi, visitationi, aut correctioni immisceat, potest tamen se immiscere in casu negligentiae Administratorum *in Arboren. die 18 Iulii 1835* §. *Nunc.*

Item *in Nucerina Pii Relicti super Redditione Rationum et Attentatis die 20 Decembris 1856* §. *Sed hisce* (4).

275. Hinc negligentiam ac dolum in hac materia ad exigendas rationes requirunt Doctores *in Nucerina Pii Relicti super Redditione Rationum et Attentatis die 20 Decembris 1856* §. *Quae* (5).

276. Siquidem Episcopus, tamquam exequutor Piorum Legatorum omnium potest, ad formam Cap. *Tua nobis*, de testamentis, cogere Administratores ad exequendam et adimplendam Testatoris voluntatem, non obstante, quod expresse excludatur in testamento *in Arboren. die 18 Iulii 1835* §. *Nunc.*

Item *in Nucerina Pii Relicti super Redditione Rationum et Attentatis die 20 Decembris 1856* §. *Sed hisce.*

277. Quare, non obstante ampla per Testatorem tributa Curatoribus seu Administratoribus facultate dirimendi etiam quodvis dubium super eiusdem dispositione, praefixo viginti dierum termino, ad implendam Testatoris voluntatem, cogere potest Episcopus huiusmodi Curatores Testamenti ad reddendam rationem, de administratione huiusmodi Operis Pii, etiamsi sint Canonici Cathedralis *in Arboren. die 18 Iulii 1835* §. *Nunc.*

278. Iamvero, supremis tabulis, quas die 5 Iunii 1826 moriens scripsit Sacerdos Aloisius Tola, in Metropolitana Arborensi Ecclesia Canonicus Praebendatus, instituit heredem universalem omnium suorum bonorum B. Virginem Mariam praefatae Ecclesiae Metropolitanae patronam, pluribus adiectis legibus, ac simul pluribus constitutis Legatis, quibus subesse hereditatem universam voluit. Nominavit inde Curatores Testamenti, quibus amplissimam tribuit facultatem, ut quodvis dubium super hu-

(1) Fagnan. in cap. *Tua nobis*, de testam. n. 19; Barbos. in Conc. Trid. ad cap. 9 sess. 22, n. 27; Piton. de Controv. patron Allegat. 23, n. 2; aliique passim.

(2) Monacell. in formul. tit. 1, form. 14, n. 2, 3, 4.

(3) Nimirum Cap. *Tua nobis*, de testam.

(4) Fagnan. in cap. *Tua nobis*, de testam., ubi refert ita decisum fuisse a S. Congregatione.

(5) Rot. in decis. 440, n. 6, part. 5 Recent.

iusmodi dispositione obventurum dirimere possent (1).

279. Vita functo Aloisio Testatore die 18 Novembris 1829 Capitulum, probe animadvertens, de hereditate locupletissima rem sane esse, nulla interposita mora, facto ipso, illam adivit: quippe numeratam sumpsit pecuniam, ex ea plura comparavit, ac super hereditate plures iniit contractus. Verumtamen moras interim trahebat ad voluntatem Testatoris explendam; praesertim, quoad erectionem novi Canonicatus, ab Testatore demandatam. Unde Episcopus, post inutiles solicitudines ad id adhibitas, tandem decretum edidit die 8 Iulii 1833, quo exequutionem urgere omnino curavit; nam Curatorum Testamenti officium cessatum declarabat, et, administratione dimissa, sibi intra viginti dies ad reddendam rationem ipsos teneri.

280. Episcopus itaque contendit, numeris omnibus absolutam rationum redditionem sibi esse a Canonicis intra viginti dies praestandam de bonis omnibus, quae Canonici Aloisii Tola hereditatem quoque ex parte pertingebant. Luce enim clarius esse propugnavit, Episcopos a iure designari veluti omnium piarum voluntatum exequutores. Quin imo Episcopum, utpote Iudicem Causarum Piarum, compellere sane posse Exequutores testamentarios, ad demandatum munus implendum, statuit Gregorius IX, etiamsi a Testatore id contingeret interdici. Denique negligentiam ipsam et socordiam Curatorum Testamenti novum addidisse Episcopo ius in themate conclusit, quare ab iis rationum redditionem exigere statuto termino possit.

281. Verumtamen his haud commoveri se affirmarunt Arborenses Capitulares, atque haec duo perpetuo obiicere consueverunt, Testatorem scilicet sibi plenissimam dedisse auctoritatem de rebus hereditariis universis pro eorum lubitu disponendi; unde quodvis dubium ipsi dirimere poterant: ac praeterea Arborense Capitulum omnino esse et fuisse perpetuo ab Archiepiscopi iurisdictione exemptum.

282. Ad exemptionem hanc vero quod attinet, nullatenus subsistere declaravit Sacra Congregatio, et quoad redditionem rationum, proposito dubio: - III. An Curatores Testamenti Tola adigendi sint ad reddendam (praefixo viginti dierum termino) rationem Archiepiscopo de administratione numeratae pecuniae ac bonorum omnium, quae ad hereditatem Tola pertinere compertum erit in casu -, responsum tulit: - Ad tertium, Affirmative in omnibus; addita lege, ut excepta pensione primi anni scutorum quatuorcentum, ceteri reditus usque ad diem possessionis novi Canonici erogentur ab Archiepiscopo, favore Seminarii - *in Arboren. die 18 Iulii 1835.*

283. Etsi enim unicuique liberum sit, quamlibet de rebus suis legem dicere, id tamen non valet in prohibitis, et de iure illicitis, ut per iura canonica reprobatis, et ecclesiasticae honestati adversantibus, tradunt Doctores *in Bononien. Redditionis Rationis et Beneplaciti Apostolici die 2 Martii 1839* §. *Neque* (2).

284. Adeoque huiusmodi conditiones appositae ipso iure vitiantur, et pro non adiectis habentur, cum nemo facere possit, quominus leges huiusmodi in suo testamento locum habeant *in Bononien. Redditionis Rationis et Beneplaciti Apostolici die 2 Martii 1839* §. *Neque.*

285. Exactio enim computorum administrationis est munus publicae potestatis, introductum ad bonum commune *in Nucerina Pii Relicti super Redditione Rationum et Attentatis die 20 Decembris 1856* §. *Sed hisce.*

286. Unde a privato Testatore impediri nequit *in Nucerina Pii Relicti super Redditione Rationum et Attentatis die 20 Decembris 1856* §. *Sed hisce.*

287. Privata enim Testatoris dispositio non potest generalem Constitutionem Legis vel Canonis immutare *in Arboren. die 18 Iulii 1835* §. *Nunc.*

Item *in Nucerina Pii Relicti super Reddi-*

(1) Siquidem hisce verbis facultatem hanc tribuit, ut in §. *Denique* - ibi - Nomino Curatori Testamentarii gli Illmi e molto Reverendi Signori Dottor e Canonico Giovanni Dessu, Dottor e Canonico Francesco Marras, Dottor e Canonico Salvator Trasso, e Canonico Francesco Arj, affinchè coll'intervento ed ispezione dell'Illmo Signor Arciprete diano pronta e puntuale esecuzione al disposto nel presente Testamento, conferendo a detto Signor Arciprete e Curatori ogni autorità per decidere, arbitrare, e definire su qualunque dubbio nasca riguardante questa disposizione Testamentaria -.

(2) Barbos. de potest. Episcop. Allegat. 72, n. 187; Piton. discept. eccles. 16, n. 11, de Controv. patron. Allegat. 31, n. 37; Rot. in decis. 1944, n. 14 et seqq.

*

tione Rationum et Attentatis die 20 Decembris 1856 §. *Sed hisce* (1).

288. Propterea voluntati defuncti irrationabili standum non est, licet expresse et absolute disposuisset, quod alias Legatum irritum esset, et in diversam causam bona eius expenderentur *in Bononien. Redditionis Rationis et Beneplaciti Apostolici die 2 Martii 1839* §. *Quin.*

Item *in Nucerina Pii Relicti super Redditione Rationum et Attentatis die 20 Decembris 1856* §. *Sed hisce* (2).

289. Hinc de huiusmodi Pii Operis administratione non tenentur quidem Administratores reddere rationem Episcopo, sed integrum adhuc manet Eqiscopi ius, in casu negligentiae Administratorum in adimplenda Testatoris Voluntate *in Bononien. Redditionis Rationis et Beneplaciti Apostolici die 2 Martii 1839.*

290. Nam Sacra Congregatio expresse statuit, Episcopum utpote exequutorem Piorum Legatorum uti posse iure suo – non obstante expressa Lege Testatorum, quod Episcopus nullo pacto se ingerat in eorum Legatis, data tamen suspicione negligentiae Administratorum et Exequutorum in adimplenda Testatorum voluntate – *in Civitatis Plebis die 10 Novembris 1695 lib. 45 Decretorum.*

Item *in Senogallien. die 18 Maii 1726* §. *Denique; in Nepesina Legati Pii die 24 Martii 1831* §. *At si; in Bononien. Redditionis Rationis et Beneplaciti Apostolici die 2 Martii 1839* §. *Contra; in Nucerina Pii Relicti super Redditione Rationum et Attentatis die 20 Decembris 1856* §. *Sed.*

291. Amplia, in casu etiam, quo Procuratores seu Administratores Pii Operis, rationes Episcopo sponte ante novam Legati institutionem eidem Pio Operi relicti, quoad alia Legata ipsi adnexa, reddidissent *in Bononien. Redditionis Rationis et Beneplaciti Apostolici die 2 Martii 1839.*

292. Iamvero, ditissimum, quod Bononiae extat Pium Opus, ab laicis Curatoribus perpetuo moderatum, nec ulla, quod constet, Ecclesiastica auctoritate erectum, cui praecipua cura est Pauperibus Verecundis (vulgo *Vergognosi*) opem suppeditare, hereditate sua donavit supremo elogio suo, ad diem 8 Iunii anni 1830 recluso, Franciscus Pisarri Bononiensis. Postquam enim usufructuariam dixerit uxorem suam Geltrudem Certani, scripsit heredes universales Procuratores et Gubernatores pro tempore Pii Operis Pauperum Verecundorum, cum onere erogandi omnes reditus hereditarios, iuxta legem ab eodem praescriptam, sed cum adeo ampla id peragendi potestate, ut nulla omnino Auctoritas sive Ecclesiastica sive Secularis in huiusmodi erogatione et administratione se immiscere vel rationes exigere possit, alias praefati Procuratores et Gubernatores heredes prorsus liberi et universales existere deberent (3).

293. Quum inde vita functa sit Vidua Pisarri, adeoque testamentariae dispositioni favore Pii Operis Verecundorum locus factus fuerit, Eminentissimus Archiepiscopus, ne muneri suo deesse forte videretur vel alienam ingredi provinciam, Eminentissimorum Patrum definitioni proposuit, num ipse, ex facultatibus Episcopis a Concilio Tridentino attributis, vires Patri-

(1) S. Congregatio apud Fagnan. in cap. *Tua nobis*, de testamen. die 10 Decembris 1695, resolvit Episcopum tamquam exequutorem omnium Legatorum Piorum posse cogere Administratores ad exequendam et ad implendam Testatoris voluntatem, non obstante, quod excluderetur in testamento his verbis: *che non possa ingerirsi in alcun modo, nè sotto qualsivoglia pretesto o causa, nè ad effetto di esguire, esortare, persuadere, nè ad altro effetto.*

(2) Ferrar. in Biblioth. Canon. verb. *Administrator*, n. 4 et seqq.

(3) Hisce verbis praefatus Testator hanc legem edixit, ut in §. *In tutti* - ibi - In tutti i miei beni azioni ragioni e diritti presenti e futuri, e così pure nell'usufrutto della mia eredità, allorchè si consoliderà colla proprietà, cessando di vivere detta mia Signora Consorte, istituisco e scrivo eredi universali i Signori Procuratori e Governatori pro tempore dell' Opera de' Poveri Vergognosi di questa Città di Bologna, coll' obbligo di erogare senza render conto a chicchessia, benchè tale fosse di cui dovesse nominatamente far menzione, tutte le rendite della mia eredità, come inferiormente prescrivono:

Dichiaro e voglio, che tale erogazione da farsi pei suddetti Signori Procuratori e Governatori pro tempore sia indipendente affatto da chicchessia, a modo che se per cosa non credibile qualunque siasi Autorità Ecclesiastica o Secolare, ed anche Sovrana volesse direttamente od indirettamente metter mano, sorvegliare, ingerirsi, o prender parte nella mia eredità, nell' amministrazione della medesima, nella distribuzione ed applicazione delle sue rendite, o chiedere rendiconto ai suddetti Signori Procuratori e Governatori, in ciascuno di questi od altri consimili casi, adesso e per allora quando si avverasse qualunque de' casi stessi, istituisco e scrivo miei liberi eredi universali i medesimi Signori Procuratori e Governatori della stessa Opera de' Poveri Vergognosi e i loro successori in detta rappresentanza -.

monii Pisarri inquirere, ac rationes ab Administratoribus exigere posset.

294. Eminentissimus Archiepiscopus quippe, praeter dispositionem Sacri Concilii Tridentini in cap. 9 sess. 22 de Reformatione, quae sibi favere putabat, cum in huius Pii Operis Verecundorum fundatione nihil deprehendere sit, quod Episcopum excludat, facta etiam in contrarium probantia in medium proferre curavit. Profecto die decima quarta Decembris 1773 decessor Archiepiscopus Malvezzi decretum edidit, quod praefert, huiusmodi Loci Pii Administratores, reddita Archiepiscopo plena ratione adimplimenti onerum et Legatorum Piorum, taxative eidem Operi adnexorum, per totum annum 1771, ac amplissima super inde obtenta absolutione, - sponte petiisse velle etiam eos reddere rationem administrationis Ceterorum redituum bonorum dictae Operae affectorum per decennium ab anno 1762 inclusive ad et per totum annum 1771 -, ad hoc, ut etiam super eadem absolutionem ab Archiepiscopo assequerentur, revera assequutos fuisse: quibus positis, Archiepiscopum sanxisse: - Declaramus DD. dictos Gubernatores, utpote Administratores, in hac parte ad fines tantum suos teneri tantummodo in posterum rationem reddere dictae Administrationis Nobis et Successoribus nostris, quoties fuerint requisiti -.

295. Ex quibus postremis Decreti verbis modernus Archiepiscopus arbitrabatur „ Decessorem suum ius suum exigendae rationis, quod iam possidebat, confirmasse ac sarctum tectumque Successoribus suis voluisse transmittere. Atque hoc etiam roborari videbatur, quod, ut ipse asserebat, nemine contradicente, praefati Administratores Ordinario iam exhiberent summam rationum Conservatorii S. Marthae, nec non plurium Legatorum, praesertim dotium praedictae administrationi adnexarum.

296. Contra vero haec Curatorum Pii Operis Defensor propugnavit, standum esse in themate Testatoris voluntati; quum exequutio Pii Relicti non alias ad Episcopum devolvatur, quam si nullus Testator dederit Exequutores, vel hi negligentes inveniantur et moniti fuerint. Quin ullatenus movere Decretum Cardinalis Malvezzi contendit; etenim sponte eam reddere voluisse rationem, qua de inibi agitur, Administratores oppido legere est: nec profecto eorumdem tunc praestitus consensus ad Legatum Pisarri, sexaginta fere post annos sequutum, protrahi valuit. Quidquid vero Ordinarius in ima cera adiecerit, nequivit sane legis sanctionem tollere et immutare, quae onus redditionis remittit, quoties aliter in fundatione cautum est.

297. Idcirco, proposito dubio: - I. An et quomodo Administratores Pii Operis Verecundorum teneantur rationem reddere hereditatis Pisarri Bononiensi Archiepiscopo in casu -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Ad primum, Negative; salvo iure Eminentissimi Archiepiscopi in casu negligentiae Administratorum, in adimplenda Testatoris voluntate - *in Bononien. Redditionis Rationis et Beneplaciti Apostolici die 2 Martii 1839.*

298. Quod nedum procedit, quando expresse cautum est in Pii Operis institutione, sed etiam quando Supremus Pontifex privilegium huiusmodi indulsit, etiamsi illud concesserit ante Concilium Tridentinum, post vero praefatum Concilium confirmatum, etiam pendente lite, per Episcopum super Visitatione et redditionum ratione promota *in Tudertina Iurisdictionis die 22 Septembris 1742.*

299. Quandoquidem, in honorem Sacrae cuiusdam Imaginis Beatissimae Virginis, quae Miraculorum clara evaserat, Communitas Tudertinae Civitatis, ex plurimis Fidelium oblationibus, Ecclesiam sub titulo B. Virginis de Consolatione una cum Hospitali illi adiuncto construxit; ibique pro eorumdem Ecclesiae et Hospitalis administratione, aliisque pietatis exercendis operibus, Confraternitas Laicorum fuit erecta.

300. Laudabile hoc et pium Communitatis Opus fovere cupiens S. M. Clemens VII sub annum 1528 ad ipsius Communitatem supplicationem inter alia privilegia concessit, - ut nullus, etiam Apostolica et Ordinaria ac mixta quavis auctoritate fungens, de Ecclesia seu Hospitali ac bonis Capellaniis oblationibus et rebus praedictis vel indirecte quovis quaesito colore aliquatenus, nisi de expresso omnium et singulorum Confratrum nemine discrepante consensu in scriptis habito, intromitti possit, itaut quaecumque erectiones, institutiones, applicationes, appropriationes, collationes, provisiones, commoda, uniones, ac dispositiones, de Ecclesia et Hospitali ac bonis et oblationibus et rebus praedictis, apostolica Ordinaria mixta auctori-

tate, etiam per Romanos Pontifices de cetero quomodolibet faciendae, nullius essent roboris et momenti -.

301. Ex amplis huiusce privilegii verbis, quum eiusdem Confraternitatis Rectores sese omnino ab Episcopi iurisdictione in iis, quae ad Ecclesiae et Hospitalis regimen quocumque modo attinent, exemptos esse contenderent, Episcopus vero id absque suae dignitatis detrimento pati non posse autumaret, muneris sui esse duxit, Sacram adire Congregationem, ut causa, citatis Oppositoribus, in eadem Sacra Congregatione proponeretur. Quod sane die 17 Maii 1741 obtinuit.

302. At paulo post Confraternitatis Rectores soliciti, quod vetus illud privilegium a S. M. Clemente VII impertitum novo Apostolicae Auctoritatis praesidio firmaretur, Literas in forma Brevis sub diem sextam Iunii eiusdem anni 1741 a Sanctissimo impetrarunt, in quibus Pontifex, enarrans sibi Confraternitatis nomine expositum fuisse, - quod, ut Literae praedictae *(Clementis scilicet, quorum tenor ibidem refertur)* firmius subsistant, Apostolicae confirmationis nostro patrocinio communiri summopere desiderent -, easdem Clementis Literas confirmavit approbavitque, - non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque -.

303. Post haec urgens Episcopus disceptationem Causae, neutrum ex recensitis Apostolicis Brevibus sibi putavit obesse, quominus saepe dictam Ecclesiam et Hospitale visitandi atque a Confratribus eorum administrationis rationem exigendi iure potiretur. Non primum Clementis VII, quia nulla in eo specialis et expressa legitur exemptio a visitatione Episcopi, atque obligatione rationes eidem Episcopo exhibendi; ac praeterea, quia huic exemptionis privilegio, si quod esset a dicto Brevi impertitum, omnino derogatum censeri deberet a Sacro Concilio Tridentino in Sess. 22 Cap. 8 et 9 de Reformatione: praesertim vero, quum ad eiusdem Conciliaris sanctionis normam Antecessores Episcopi ad id temporis semper Ecclesiam atque Hospitale visitare, nec non ab Administratoribus rationes exigere consueverint.

304. Non etiam alterum Breve a Sanctissimo inde obtentum, pendente lite, quin ulla mentio eidem facta sit; nam, praeter vitium obreptionis vel subreptionis, quum nulla per Literas Clementis VII tribuitur exemptio, nec per aliud posterius Breve, quod priores dum taxat Literas confirmat. Imo inanis omnino dici debet confirmatio et approbatio privilegii exemptionis, quum fuerit a Concilio abrogatum: confirmatio quippe et approbatio, pro certo ponens firmitatem ac validitatem actus, qui confirmatur, omni caret effectu, si ea defecerit (1).

305. His tamen non obstantibus, propositis dubiis: - I. An Ecclesia et Hospitale S. Mariae Consolationis subsint iurisdictioni et Visitationi Ordinarii, ad formam Sacri Concilii Tridentini, asserto Privilegio non obstante. *Et quatenus Affirmative.*

II. An Rectores aliique Administratores bonorum dictae Ecclesiae et Hospitalis eidem Ordinario rationem reddere teneantur -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative; quoad ea, quae concernunt cultum divinum: in reliquis, Negative. Ad secundum, Ut in primo; reservato iure Episcopo incumbendi exequutioni piarum dispositionum - *in Tudertina Iurisdictionis die 22 Septembris 1742.*

306. Imo, etsi Testator exclusionem Episcopi demandasset etiam in casu negligentiae et malae administrationis, et Locum Pium mere laicum et exemptum constituisset, et in facto esset quod Episcopus nunquam Visitationem peregerit, ac rationes exegerit, non propterea is exclusus existeret a Visitatione, quoad redditionem rationis - *in Liparen. die 6 Iunii et 11 Iulii 1750.*

307. Re quidem vera testamento iussit Bartholomaeus Russius Liparensis, ut post obitum aedes suas in Hospitale verterentur: Commissarios atque Exequutores et Administratores huius Pii Operis elegit, iisque facultatem dedit, alios successive nominandi; voluitque, ne ulli omnino praefati Fideicommissarii tenerentur reddere rationes Administrationis *etiam de negligentiis commissis et male administratis,* aut aliam ob rem quomodocumque et qualitercumque, etiam quod requisiti fuerint ab eodem Praelato, ut rationes redderent (2).

308. E vivis Testatore erepto, factum fuit

(1) Hac de re consultus olim Card. De Luc. ex parte Administratorum eiusdem Confraternitatis responsum dedit in disc. 42, lib. 3, part. 1. de Iurisdict.

(2) Exclusionem hanc hisce verbis praefatus Testator demandavit, nimirum - che non siano tenuti detti miei fidei-

Hospitale, nulla, ut asserebatur, auctoritate Episcopi interveniente, sine Altari, sine Capella, sine aere tinnulo, sine beneficio immunitatis. Hoc Hospitale nunquam ab Episcopis fuit visitatum, nunquam Episcopi ab Administratoribus rationes exegerunt. Inde vero modernus Episcopus, qui primum ius hoc sibi vindicare contendit, et Hospitale visitare voluit, et rationes ab Administratoribus praesumpsit exigere.

309. Obstiterunt illi, et, re ad Sacram Congregationem delata, auditus fuit Episcopus et Causa subinde proposita est, disputantibus Exequutoribus testamentariis atque Administratoribus Hospitalis, non posse Episcopum rationes administrationis exigere; quia in ipso limine fundationis Episcopus expresse excludatur, quae una limitatio est ex duabus, quae communiter dari solent dispositioni Tridentini (1).

310. Visitationi etiam locum non esse disputarunt iidem Exequutores testamentarii, cum res esset de Opere Pio mere laico, neque ecclesiastica immunitate potiretur. Addiderunt demum factum negativum omnium retro Episcoporum, qui Hospitale nunquam visitarunt, et nunquam rationes ab Administratoribus exegerunt.

311. His tamen non obstantibus, propositis dubiis: - An Hospitale S. Bartholomaei Liparen. sit omnino exemptum a visitatione Episcopi. *Et quatenus Affirmative.*

II. An acta facta a Curia Episcopali Liparensi, super Visitatione dicti Hospitalis sint delenda? -, Sacra Congregatio respondit: - Hospitale non esse exemptum a iurisdictione Episcopi, quoad redditionem rationis. Ad secundum, Provisum in primo - *in Liparen. die 6 Iunii 1750.*

312. Reproposito subinde dubio, sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.-, S. Congregatio respondit: - In decisis, et amplius - *in Liparen. die 11 Iulii 1750.*

313. Compertissimi iuris quippe est, exemptionem huiusmodi, etiam testamento relictam, non suffragari contra Episcopum *in Romana Erectionis Capellaniae die 21 Martii 1836* §. *Hucusque.*

Item *in Nucerina Pii Relicti super Redditione Rationum et Attentatis die 20 Decembris 1856* §. *Sed hisce.*

314. Teste namque etiam Fagnano (2), - cum quaesitum esset, an Episcopus in fundatione Hospitalis exclusus a visitatione, puta quod sit cautum, ne se administrationi, visitationi, aut correctioni immisceat, possit se immiscere in casu negligentiae Administratorum? -, Sacra Congregatio respondit: - Posse, iuxta Caput *Tua Nobis,* de Testamentis - *in Nucerina Pii Relicti super Redditione Rationum et Attentatis die 20 Decembris 1856* §. *Sed hisce.*

315. Unde Sacra Congregatio demandavit redditionem rationis, in casu etiam quo Exequutor testamentarius absoluta sibi tributa facultate singula bona hereditaria convertere debebat in suffragium animae Testatricis, sed pluribus annis transactis expostulavit, ut ex iisdem bonis una vel duo Capellaniae erigerentur *in Romana Erectionis Capellaniae die 26 Martii 1836.*

316. Siquidem, Philippo Erminio testamentario exequutori renunciato ab Theodora David Vidua Prada, vita functa die 19 Martii anno 1825, mandavit Testatrix, ut quidquid, ex venditione bonorum hereditatorium, solutis debitis, superesset, in suffragium eiusdem animae converteretur. Praefatus exequutor per undecim annos mandatum Testatricis distulit: inde petiit, ut ex bonis una et altera Capellania erigeretur in Archiconfraternitate SS. Stigmatum. At Eminentissimus Cardinalis Georgius ab Auria Pamphili, praefatae Archiconfraternitatis protector, hac de re monitus, in id enixe institit, ne quid indirecte quidem sanciendum, donec legitima et valida rationum redditio ab eodem Exequutore expleta esset.

317. Et revera, proposito cum aliis ad rem facientibus dubio. - I. An sit locus petitae commutationi et respectivae erectioni Capellaniae in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Dilata; et ad D. Secretarium, ad mentem: Mens est, ut intra mensem exhibeatur redditio rationum gestae hactenus administra-

commissarii dar conto a niuna persona di quello che amministreranno *etiam de negligentiis commissis et male administratis,* o per altra cosa *quomodocumque et qualitercumque etiam,* che sarebbero richiesti a dar conto dal medesimo Prelato-.

(1) Ut apud Barbos. de Iur. Eccles. Univ. lib. 2, cap 11, n. 50; et ad Concil. Trid. sess. 22, cap. 9, de Reformatione; S. Congregatio in responso apud De Marinis Resol. Iur. lib. 1, cap. 39, n. 8; et in Derthusen. 27 Maii 1634.

(2) In cap. *Tua nobis,* de testam.

tionis eidem Secretario, coram quo doceatur de omnibus fundis adsignandis cum indicatione valoris et annui reditus eorumdem, nec non de ipsorum libertate, ac praeterea de Missis hucusque adimpletis, non retardata interim celebratione Missae quotidianae, usque ad exitum Causae - *in Romana Erectionis Capellaniae die 26 Martii 1836.*

318. Non est itaque praetereundum, quod in Cap. 9 sess. 22 Concilii Tridentini non agitur, nisi de annali rationum redditione; deinde in ipso Capite Ordinarius ipse includitur, si aliis sit commissa revisio administrationis *in Nucerina Pii Relicti super Redditione Rationum et Attentatis die 24 Iulii 1858* §. *Ostendere.*

319. In Cap. autem 8 praecedenti eiusdem sessionis Episcopi piarum dispositionum exequutores cum iure visitandi designantur, consuetudine, privilegio statuto, aut exemptione non obstantibus *in Nucerina Pii Relicti super Redditione Rationum et Attentatis die 27 Iulii 1858* §. *Ostendere.*

320. Hinc cum agatur de redditione rationis in pastorali visitatione facienda vel non intrat dispositio cap. 9, vel non excluditur Episcopi iurisdictio, maxime cum ex dispositione praecedentis Cap. 8 nec exemptio debeat attendi *in Nucerina Pii Relicti super Redditione Rationum et Attentatis die 24 Iulii 1858* §. *Ostendere.*

321. Verum huiusmodi distinctio, inter annalem redditionem et aliam, in pastorali visitatione facienda, mere commentitia videtur *in Nucerina Pii Relicti super Redditione Rationum et Attentatis die 24 Iulii 1858* §. *Distinctionem.*

322. Nam praeterquam nulla fulciri auctoritate vel lege videatur, exemptionem concessam et legem ipsam redderet elusoriam *in Nucerina Pii Relicti super Redditione Rationum et Attentatis die 24 Iulii 1858* §. *Distinctionem.*

323. Dispositio quippe Cap. 9 confundi et coacervari non potest cum alia Cap. 8 eiusdem sess. 22; sunt enim omnino diversae *in Nucerina Pii Relicti super Redditione Rationum et Attentatis die 24 Iulii 1858* §. *Distinctionem.*

324. In eo siquidem, si exemptio data est in lege fundationis a reddendis rationibus, eam servandam esse praescribit S. Synodus *in Nucerina Pii Relicti super Redditione Rationum et Attentatis die 24 Iulii 1858* §. *Distinctionem.*

325. In hoc e contra visitatio Episcopi non denegatur, quoad locum etiam exemptum, ad effectum tamen inspiciendi, num Opera Pia praescripta fideliter, iuxta mentem Institutoris, exequutioni demandentur *in Nucerina Pii Relicti super Redditione Rationum et Attentatis die 24 Iulii 1858* §. *Distinctionem.*

326. Id etiam compertum propterea est, quod Concilium Tridentinum non tribuit in Cap. 9 sess. 22 de Reformatione ius aliquod Episcopo, ut ipse distribuere possit reditus Locorum Piorum, vel in distributione intervenire, sed id tantum eo in loco concessit, ut ab iis, qui eos administrant et distribuunt, rationem administrationis exigat *in Conchen. die 27 Maii 1591 lib. 7 Decretorum pag. 144.*

327. Post haec necessario fluit, quod ex iure quatuor potissimum ad legitimam rationis redditionem requiri: I, libros scilicet rationum, legitime et secundum consuetudinem Patriae confectos edere; II, calculum ponere; III, reliqua solvere; IV, moram purgare *in Tudertina Redditionis Rationis die 21 Aprilis 1787* §. *Haec* (1),

328. Hinc Administratores tenentur non modo conficere, sed et exhibere librum rationum, ex quo quid gestum sit liquido appareat *in Romana Census et Redditionis Rationum die 24 Aprilis 1852* §. *Relate* (2).

329. Amplia, etiamsi Regulares sint, ad formam Constitutionis Innocentii X, incipien. *Ut in parvis,* compelli possunt ad exhibendos libros introitus et exitus, et reddendas rationes *in Constantien. Iurisdictionis die 31 Martii 1770* §. *Pro recta* (3).

330. Propterea, ex quo quis quasdam exhibuit dati et accepti notulas, non censetur legitimam per eas rationem reddidisse *in Tu-*

(1) Escobar de Ratiocin. cap. 2, n. 1; Guttier. de tut. et cur. part. 3, cap. 1, n. 69.

(2) Menoch. de arbitr. cas. 209, n. 14 et seqq.; Monacell. Formul. legal. tom. 1, form. 11, n. 8; Rot. in decis. 540, n. 4, part. 1 Recent.

(3) S. Congreg. Episcoporum et Regularium penes Fagnan. in cap. *Auctoritate,* de censibus in fin.

dertina Redditionis Rationis die 21 Aprilis 1787 §. Si ita est.

331. Administrationis ratio est idcirco Episcopo reddenda per legitima documenta, nec sufficit simplex summarium introitus et exitus, in Cancellaria exhibitum *in Maceraten. die 5 Iulii 1664 lib. 24 Decretorum pag. 198.*

332. Aliud enim est exhibere computa, sine quibus ratio fieri nequit, aliud vero ipsas rationes reddere, ad quem effectum, ostensio calculorum est solummodo quid materiale *in Tudertina Redditionis Rationis die 21 Aprilis 1787 §. Si ita est* (1).

333. Verum per exhibitionem librorum administrationis et syngrapharum de recepto, ita perfecta videtur redditio rationum, ut non amplius explenda sit *in Narnien. die 23 Ianuarii 1790 §. Quantum* (2).

334. Ad perfectam sane rationis redditionem pertinet librorum et scripturarum exhibitio, eaque expleta, quaelibet cessat Administratoris obligatio *in Asculana die 21 Iunii 1788 §. Servari* (3).

335. Hinc notissima est dispositio Concilii Romani praecipientis, ut ab unaquaque Ecclesia caute et diligenter asserventur scripturae et monumenta, ad illam pertinentia *in Ferrarien. Confraternitatis die 14 Septembris 1782 §. Ad IX* (4).

336. Idcirco, proposito dubio: - IX. An et quomodo Libri et Scripturae Confraternitatis sint custodiendae in Archivio eiusdem Confraternitatis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit; - Ad nonum, Servandos esse Libros et Scripturas in Archivio Archiconfraternitatis, ad nutum Archiepiscopi; et amplius - *in Ferrarien. Confraternitatis die 14 Septembris 1782.*

337. Servari hinc quidem debent apud Capitula Cathedralia rationum libri et scripturae (5), sed ponderandum erit, an Ecclesiae Depositarius et Oeconomus servare teneantur solutionum ordines, eosque post redditam etiam rationem describere *in Asculana die 21 Iunii 1788 §. Servari.*

338. Verum Sacra Congregatio resolvit, non teneri conservare et registrare ordines solutionum, seu bollectenos etiam post redditas rationes et completum syndacatum a Canonicis revisoribus, teneri vero Capitulum servare documenta exhibita, in redditione rationum *in Asculana die 12 Iulii 1788.*

339. Proposito quippe dubio: - XI. An Depositarius et Oeconomus teneantur conservare et registrare ordines solutionum seu bollectenos, etiam post redditas rationes et completum syndacatum a Canonicis Revisoribus in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad undecimum, Negative post redditam rationem; teneri vero Capitulum servare documenta exhibita, in redditione rationum - *in Asculana die 12 Iulii 1788.*

340. Reproposito dein dubio, sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in undecimo dubio in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - In decisis, et amplius - *in Asculana die 7 Februarii 1789.*

341. Is vero servare debet scripturas et libros, cui reddita est ratio, eique exhibitionis onus incumbit, si iterum erroris causa dispungi debet *in Asculana die 21 Iunii 1788 §. Servari* (6).

(1) Rot. in Hildestinen. Praepositurae super redditione rationis 25 Iunii 1753, §. 4, coram Amadeo; et consonat eadem Rot. in decis. 586, n. 4, part. 1 Recent.; in decis. 1058, n. 9, coram Lancetta; in Leodien. Redditionum rationis 5 Iunii 1744, §. 6, coram Molino.

(2) L. *Cum servus* 81, ff. de condit. et demonstrat.; Gratianus discept. 761, n. 3; Rot. apud Escobar. de Ratiocin. decis. 18, n. 1.

(3) L. *Cum servus*, de condit. et demonstrat. Escobar. de Ratiocin. cap. 2, n. 5 et 6.

(4) Siquidem Concilium Romanum tit. 12, cap. 6 haec statuit - ibi - Hinc ad Ecclesiarum monumenta servanda tuta, in unaquaque Ecclesia Cathedrali praesertim Collegiata et Parochiali, ubi tamen instituta non sunt Archiva, quamprimum instituenda praecipimus. Scripturis omnibus ad eas pertinentibus compulsatis, recensitis, et summatis cum suo Indice seu Catalogo Archivistae manu subscripto: quod in Hospitalibus, Confraternitatibus, Locisque aliis Piis consimilibus fieri mandamus, ne Scripturae, per manus aberrantes, deperdantur, vel iniqua usurpantium cupidine rapiantur et occultentur. Si cui vero Ecclesiae, vel Pio Loco proprii non suppetant instituendi vires Archivi, a singulis in Episcopali Archivo speciali costituatur Armarium, in quo Libri et Scripturae omnes suo ordine reponantur -.

(5) Frances. de eccles. cathedr. cap. 22, n. 23; et cap. 23 per tot.

(6) Rot. in decis. 5, n. 3 et 7, apud Escobar.

342. Episcopus proinde punire valet computorum Revisores, si exhibitos ordines scindant, vel comburant *in Asculana die 21 Iunii 1788* §. *Coerceri* (1).

343. Qua vero poena plecti valeant, decerni potest ex qualitate delicti *in Asculana die 21 Iunii 1788* §. *Coerceri.*

344. Rei namque sunt falsitatis et furti, qui alienas sive publicas sive privatas lacerant scripturas *in Asculana die 21 Iunii 1788* §. *Coerceri* (2).

345. Hinc Sacra Congregatio decidit, arbitrio Episcopi, mulctandos esse Canonicos Revisores et alios de Capitulo, scindentes aut igni tradentes documenta exhibita, in redditione rationum, nec non ordines solutionum seu bollectenos, ante redditas rationes et completum syndacatum a Canonicis Revisoribus *in Asculana die 12 Iulii 1788.*

346. Siquidem, proposito dubio: - XII. An liceat Episcopo mulctare, et in qua poena Canonicos Revisores, et alios de Capitulo scindentes aut igni tradentes praefatos ordines et bollectenos in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad decimum secundum, Affirmative arbitrio Episcopi, ad formam antecedentis (3) - *in Asculana die 12 Iulii 1788.*

347. Reproposito subinde dubio, sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in decimo secundo dubio in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - In decisis, et amplius - *in Asculana die 7 Februarii 1789.*

348. Non est profecto dubitandum, quod Episcopi obligationem habeant loca suae Diaecesis personaliter visitandi, omniaque suis oculis intuendi (4), id tamen locum habere nequaquam videtur, ubi res sit de excipienda redditione administrationis *in Faventina Redditionis Rationis die 8 Augusti 1772* §. *Quoad.*

349. Hoc enim in casu libri et scripturae deferri oportere videntur ad aedes Episcopi, ut diligentius expendantur *in Faventina Redditionis Rationis die 8 Augusti 1772* §. *Quoad* (5).

350. Quoad hoc sane convenire videtur etiam ius Caesareum (6); namque ex eo arbitrio Iudicis relinquitur designatio Loci, in quo redditio rationis expleri debet *in Faventina Redditionis Rationis die 8 Augusti 1772* §. *Quoad.*

351. Immo et ius Pontificium convenire videtur; quo enim potestas Episcopis tribuitur, unum vel plura Tribunalia in quolibet suarum Diaecesum loco, atque in propriis aedibus erigendi, ibique ius dicendi *in Faventina Redditionis Rationis die 8 Augusti 1772* §. *Quoad* (7).

352. His autem nullo modo adversari videntur nonnullae, quae in oppositum afferri possunt Auctoritates, cum istae tunc solum procedere valeant, vel quando agitur de magna librorum et scripturarum copia, vel longa sit distantia, cum gravi incommodo, coniuncta *in Faventina Redditionis Rationis die 8 Augusti 1772* §. *His.*

353. Praesertim, si Episcopus locum administrationis adiisset, librosque requisivisset *in Faventina Redditionis Rationis die 8 Augusti 1772* §. *Ad III.*

354. Incongruum proinde foret, ut Episcopus illuc denuo se conferat, sed immo aequum esset, ut Administratores, qui libros tunc tradere recusarunt, eos hac saltem vice ad Episcopum deferre teneantur *in Faventina Redditionis Rationis die 8 Augusti 1772* §. *Ad III* (8).

355. Quidquid propterea sit, dissimulari non debet, posse Episcopum cogere Piorum Locorum et Ecclesiarum Administratores ad exhibendum, adsportandumque ad Palatium episcopale, seu ad alium locum, ubi Episcopus stationis causa permaneat, libros administrationis *in*

(1) Franc. Leo in thesaur. for. eccles. part. 2, cap. 2, n. 74; Saravia de adiunct. cap. 24, n. 20; Monacell. formul. legal. tit. 12, form. 9, n. 5.

(2) Genua de scriptur. priv. lib. 1, quaest. 5, n. 1 et 2; Naurat. de ration. pag. 100; Rainald. vot. 164, n. 8 et seqq.

(3) Nimirum dubii resoluti, quod prostat sub numero superiori.

(4) Cap. *Conquerente* 16, de Offic. Ordinar.; cap. *Romana*, de censibus in 6.

(5) Fagnan. in cap. *Ad haec*, n. 33 et seqq. de religios. Domibus; Pignatell. Consult. canon. 17, n. 10 et seqq.; Crispin. de visitat. pastor. part. 2, §. 28, n. 7 et seqq.; Rot. in decis. 672, n. 32, coram Molines; et plures allegantur Sacrae Congregationis Resolutiones.

(6) L. *Tales conditiones*, §. Priscus, ff. de condit. et demonstrat.

(7) Cap. 7, de offic. ordin. in 6; ibique Gloss. verb. *Loco;* Rot. in decis. 1700, n. 3, coram Coccino; in decis. 672, n. 27 et 32, coram Molines.

(8) Abbas in cap. *Sane*, n. 30, de for. compet.; Barbos. de potest. Episcop. Allegat. 80, n. 5; Passerin. in cap. 7, n. 10, de offic. ordin. in 6.

Faventina Redditionis Rationis die 8 Augusti 1772 §. *Denique.*

Item *in Arboren. die 28 Augusti 1847* §. *Casus* (1).

356. Neque excipiuntur Canonici Cathedralis *in Arboren. die 28 Augusti 1847* §. *Casus* (2).

357. Si vero Administratores longe distant a Civitate, ubi moratur Episcopus, non debent illuc, nimio cum incommodo, arcessiri *in Arboren. die 28 Augusti 1847* §. *Casus* (3).

Nam Sacra Congregatio censuit: - Administratores Piorum Operum teneri coram Episcopo in domo ipsius Episcopi rationes seu libros administrationis exhibere, non tamen extra Locum, scilicet Civitatem vel Oppidum, in quo administrarunt - *in Maioricen. die 15 Martii 1636 ad IV dubium lib. 15 Decretorum pag. 332 a tergo.*

358. Id rursum eisdem verbis subinde sanxit, edicens: - Administratores Piorum Operum teneri coram Episcopo in domo ipsius Episcopi rationes seu libros suarum administrationum exhibere, non tamen extra locum vel Civitatem, in qua administrarunt - *in Vicen. die 14 Novembris 1637 ad X dubium lib. 15 Decretorum pag. 612 a tergo.*

Item *in Arboren. die 28 Augusti 1847* §. *Casus.*

359. Praeterea in casu, quo agebatur de Administratoribus, qui ex voluntate Testatoris nemini rationem administrationis reddere tenebantur, ita ut in casu tantum eorum dissensus quaestio dirimenda esset per Episcopum, quamvis ad redditionem administrationis Episcopo faciendam compulit, libros tamen et scripturas administrationem respicientes, ad Episcopum in Civitate deferre seu mittere non teneri rescripsit *in Faventina Redditionis Rationis die 19 Septembris 1772.*

360. Proposito quippe dubio: – II. An iidem Vocales teneantur deferre seu mittere ad Episcopum in Civitate Faventiae Libros et Scripturas, respicientes dictam administrationem in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: - Ad secundum, Negative; et amplius - *in Faventina Redditionis Rationis die 19 Septembris 1772.*

361. Amplia, itaut nec pro una vice tantum huiusmodi in casu deferre aut mittere ad Episcopum in Civitate Libros et Scripturas teneantur *in Faventina Redditionis Rationis die 19 Septembris 1772.*

362. Enimvero, proposito dubio III. - An teneantur dictos Libros et Scripturas, ut supra, deferre seu mittere pro hac vice tantum in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Ad tertium, Negative - *in Faventina Redditionis Rationis die 19 Septembris 1772.*

363. Imo ratio administrationis Montis Pietatis reddenda est in ipsis aedibus Montis, cum adsit consuetudo, quin libri amoveri debeant *in Imolen. Visitationis die 14 Maii 1689 lib. 39 decretorum pag. 135 et 160.*

364. Siquidem - Episcopus visitaturus Montem Pietatis Terrae Lugi et redditionem rationis ab illius Administratoribus exacturus praetendit, libros dicti Montis esse deferendos ad domum Vicarii Foranei, et in ea relinquere, donec et quousque rationes commode dispungantur.

365. E converso Archivista et Praesides dicti Montis veritus, ne folium aliquod subtrahi vel partitam alienari contingat in irreparabile ipsius praeiudicium, contendunt, praefatos libros, non esse a Monte distrahendos, et multo minus in aliena domo et sub alterius quam sui custodia relinquendos; unde utraque Parte informante quaeritur:

I. An Ministri Montis teneantur deferre libros ad domum Vicarii Foranei seu aliam dictae Terrae Lugi, in qua Episcopus velit illos inspicere, ad effectum redditionis rationis? *Et quatenus affirmative.*

II. An teneantur illos relinquere in dicta domo, ad effectum praemissum? -, Sacra Congregatio respondit: - Ad mentem: Mens est, quod servetur solitum; scilicet quod rationes administrationis Montis Terrae Lugi reddantur in aedibus Montis, et quod Secretarius hoc significet Agenti Episcopi - *in Imolen. Visitationis die 14 Maii 1689 lib. 39 Decretorum pag. 135 et 160.*

(1) Ut saepius declaratum fuisse a Sacra Congregatione refert etiam Crisp. de visit. pastor. part. 2, §. 28, n. 7 et 8; Monacell. in formul. legal. tit. 1, form. 14, n. 7.

(2) Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium apud Crispin. de visit. pastor. p. 2, §. 28 n. 9; Nicol. in Man. verb. Conti.

(3) Ferrar. in Biblioth. canon. verb. *Administrator*, n. 20.

*

366. Et idem statuit S. Congregatio, quoad rationem administrationis Ecclesiae S. Agathae Gothorum *in Redditionis Rationum die 27 Septembris 1687 lib. 37 Decretorum pag. 588 ad XI dubium.*

367. Immo, etiamsi absit consuetudo, ius, vel privilegium aliquod speciale, reddendi rationes in eisdem aedibus Pii Operis seu Ecclesiae, Officiales Confraternitatis tenentur quidem reddere rationem, tam in actu visitationis, quam extra, et in loco ab Episcopo designando, sed in terra, ubi morantur Administratores *in Asculana die 24 Martii 1725.*

368. Proposito quippe dubio: - V. An Officiales teneantur reddere rationem eorum administrationis Ordinariis, sive in actu Visitationis sive alio tempore, et in quo loco -, Sacra Congregatio respondit: - Ad quintum, Affirmative, tam in actu Visitationis, quam extra, et in loco ab Episcopo designando, in Terra tamen Offidae- *in Asculana die 24 Martii 1725.*

369. Sanxit hinc etiam Sacra Congregatio, libros Administrationis amoveri non deberi a loco administrationis, nisi quando Episcopus moratur in eodem loco *in Arboren. die 25 Septembris 1847.*

370. Episcopo vero ius est erigendi novum Officium computatoriae, ubi rationum redditiones ad Pia Loca pertinentes expendantur, earumque libri asserventur *in Arboren. die 25 Septembris 1847.*

371. Enimvero, quum primum Archiepiscopus Arborensis ad Ecclesiae sibi creditae regimen accesserit, inter cetera haec potissimum perficere sibi proposuit; nempe, ut erigeretur novum Officium, nuncupandum: *Contadoria Generale,* ubi rationum redditiones ad Pia Loca pertinentes expenderentur, earumque libri asservarentur. At vero Capitulum ac maxime Archipresbiter Archiepiscopi voluntati apertissimum suum dissensum pandidit. Et quoniam nullo pacto, iteratis nequicquam utrinque literis inter Archiepiscopum et Capitulum, res componi valuit, ille ad Sacram Congregationem controversiam deferendam curavit.

272. Quamvis itaque in Synodo diaecesana, ab Antistite del Carretto anno 1756 celebrata, quaedam Leges sancitae fuissent, quibus bonorum ecclesiasticorum Procuratores, in rationum redditione, parere debuissent, nihilominus quia Archiepiscopi una cum sacrae Visitationis occasione in hanc rem suos oculos intendere queunt, illud factum esse narravit Archiepiscopus, ut eaedem Leges neglectae iacerent, atque Ordinariorum decreta in sacra Visitatione, etsi pluries iterata, exequutioni minime demanderentur, ac propterea incredibilis inde abusionum, dispendiorum, litium, atque damnorum seges exurgeret. Iamvero hisce omnibus incommodis satis consultum putavit Antistes, si ad aliarum Sardiniae Diaeceseon et nominatim Calaritanae exemplum, novum, de quo agebatur, Officium institueretur (1).

(1) Haec sane ab Archiepiscopo proponebantur, ceu in §. *Ut vero* - ibi - I. Erigiamo e stabiliamo in questa nostra Sede Arcivescovile di Oristano l'Ufficio della Contadoria Generale, quale verrà retta e composta da un Canonico di questa nostra Cattedrale, in qualità di Contadore Generale, da un Pro-Contadore e da altri assistenti secondo il bisogno.

II. La Contadoria Generale sarà provveduta di tanti Libri, quanti sono i veri rami di amministrazione nelle diverse Chiese della nostra Diocesi. Saranno questi Libri collocati nelle rispettive loro caselle degli Armadii a cio destinati, e distinti in ordine alfabetico; riunitivi in una medesima casella quei che appartengono a cadauna delle Chiese parrocchiali. La spesa di questi Libri in appresso sarà a carico di ogni rispettiva amministrazione. Questi Libri si dicono *originali*, e non potranno estrarsi dalla Contadoria Generale, eccetto il caso in cui da noi o da altro Ordinario verranno richiesti per qualche riscontro.

III. Ogni azienda avrà un altro Libro, che s'intitolera *Duplicato*. In questo Duplicato verranno trascritti dal Contadore e dai suoi Ufficiali i conti gia liquidati e marcati nell'Originale, ossia Libro esistente nella Contadoria. Sara il Duplicato tenuto in custodia dal proprio Parroco; servira di norma al Procuratore per estrarne il manuale delle loro esazioni; sara ai medesimi consegnato per presentarlo insieme col manuale al tempo della dazione dei conti; ed indi trascrittivi i conti dall'Originale sarà restituito di nuovo al Parroco per mezzo degli stessi rispettivi Procuratori.

In prima Libri Duplicati pagina decretum extare debebat, ne quis delere quidquam aut addere auderet; deinde decretum hoc, tenorem - ifi - Ordiniamo, che ogni Procuratore, in conformita delle disposizioni del Sinodo del Carretto cap. ii *de bonorum ad Ecclesias Pioasque Causas spectantium administratione* §. 34, 35, ed alla pratica vigente, sia tenuto nel preciso termine di giorni quindici dalla scadenza della procurazione presentarsi al rispettivo Prebendato ed al Curato piu antico in mancanza di quello, per la resa de' conti da farsi colle dovute forme, quali

373. At Capitulum novam Computatoriam pluribus de causis damnosam edixit (1); quas ita Archiepiscopus refutavit primum dicens, se in animo habere, unde pecuniam sibi compararet, ut perferri possent expensae, tam *per il Locale,* quam *per il primo impianto;* et quamvis in novi Officii usum domus hospitio destinata verteretur, minus inde damni accideret, quam si Officii institutio huius impediretur.

374. Secundo respondit, difficile nequaquam fore, ut uno anno omnium Administratorum rationes reciperentur: et reapse attulit exemplum Calaritanae Diaecesis et aliarum illius Insulae, licet multo essent ampliores. Nihil enim impedit, quominus, postquam Procuratores ad Synodus praescriptum rationes reddiderint, ut cernere licebat in Capite quarto Decreti, uno eodemque vel ferme tempore Libris omnibus accipiendis praesto essent Officiales, ac deinceps paullatim expendere, ceteraque praestare, quae novi Instituti lex imperabat.

375. Perperam vero, addebat Archiepiscopus, Canonicorum Praebendatorum iura laedi contenditur; namque recensuit iura ipsis super Ecclesiis parochialibus vel filialibus competentia, atque ostendit, nullum ex his violari, sed omnia sarcta tectaque relinqui. Quod vero pertinebat ad ipsas Praebendas Canonicales respondit, nullum in decreto verbum fieri de massa capitulari; ex quo intelligebatur, eiusdem massae Administratores huic novae Institutioni minime subdi. Quamquam praeterea perpendit, Capitulum ab Archiepiscopi iurisdictione exemptum non esse: ac insuper ex aperta Synodi lege salvum erat Archiepiscopi ius, cum rationes a Capitulo exigendi, tum eius formam et modum, cum opus fuerit, immutandi.

376. Quod si census Capitularis ab Archiepiscopo non eximitur, multo minus Ecclesiae parochiales eximi dicendae erant; cum praesertim Synodus Parochialium Procuratores ab earum Rectoribus aperte discriminaret. Ac interea Synodus vocabat quidem Canonicos nomine Administratorum mensae Capitularis, minime vero Ecclesiarum parochialium. Nihili vero faciendum esse Procuratorum gravamen; quippe qui nihil aliud praestare tenerentur, nisi Libros ad Officium ferre vel mittere, atque inde eosdem efferre vel arcessere.

377. Ad alia demum quod pertinebat remedia, quae proponebant Canonici, ut recte bonorum ecclesiasticorum administrationi consuleretur, obiicit superiorum temporum incommoda, quibus reparandis eadem subsidia imparia prorsus fuisse docuit experientia.

378. Proposito hinc dubio: - I. An sit locus

conti saranno dallo stesso Parroco o Curato, esaminati, approvati, e definiti. Dopo ciò ordiniamo che il Duplicato e il Manuale dei conti in tal modo visato e definito vengano rimessi dal rispettivo Procuratore o da Persona di sua confidenza ad eccitamento del Parroco o del Curato nel termine di mesi due computandi dalla scadenza della procurazione all' Officio della Contadoria Generale, unitamente alle rispettive quietanze e pezze giustificative di pagamenti fatti, e dell' impossibilità o mancanza qualunque dell' esazione, acciò i conti nel Manuale descritti vengano dal prefato Ufficio nuovamente esaminati e registrati nell' Originale, ed apposti il visto e la firma al Duplicato che dovrà restituirsi. In caso d' inadempimento tanto dalla parte del Parroco, quanto dal Procuratore si spedirà un Commissario a loro spese.

Quinto Capite statuebatur, ut, antequam rationum Libri *Computatoriae* Officio exhiberentur, Ecclesiis parochialibus exponi deberent, et Parochi approbatione munirentur – ibi – I conti poi delle Amministrazioni appartenenti alle rispettive Chiese parrocchiali e canonicali saranno prima presentati ai rispettivi Canonici Prebendati, perchè secondo l' uso siano da loro esaminati –, atque etiam approbati.

Sexto loco Parochis onus imponebatur, ut, si Procuratores illiterati essent, libellum nuncupatum *Manuale* ipsi conscriberent; insuper, ut cathalogum censuum, locationum, aliarumque syngrapharum, ad administrationem pertinentium, ab antiquis tradendum novis Procuratoribus curarent.

VII. Ogni rispettivo Procuratore all' atto, che presenterà i conti nel tempo prefisso alla Contadoria Generale dovrà pagare a quell' Officio il salario, che verrà da Noi stabilito proporzionatamente al reddito di ogni particolare azienda. L' enunciato salario verrà beneficato dalla Contadoria nei conti di ogni rispettiva Amministrazione –.

In reliquis Capitibus decernebatur, ut Procuratores, expensis rationibus ab Officialibus *Computatoriae* in utroque volumine, tam *Originali,* quam *Duplicato,* de redditarum rationum exitu notitiam exquirerent; deinde statuebatur, ut, nulla mutatione facta super ratione Procuratores nominandi aliisque eorum muneribus – le patenti de' nuovi Procuratori saranno prima presentate alla Contadoria per il visto, indi saranno da Noi o dal nostro Vicario Generale sottoscritte –.

(1) En revera causas, quibus Capitulum novam Computatoriam reiiciendam esse propugnavit, *ut in §. At vero* – ibi – Damnosa *(nimirum Computatoria)* per le gravi spese del primo impianto dell' Ufficio, e trattamento del Canonico Contadore, Pro-Contadore, e di un numero indeterminato di Assistenti, supposto anche, che il Prelato spen-

erectioni novi Ufficii *Computatoriae* in casu -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Ad primum, Affirmative; ita tamen, ut Libri administrationis non amoveantur a loco administrationis, nisi quando Episcopus moratur in eodem loco, et amplius - *in Arboren. die 25 Septembris 1847.*

379. Nam Episcopus statuta atque ordinationes edere potest, pro recta administratione Locorum Piorum *in Civitatis Castellanae Hospitalis die 13 Martii 1773.*

380. Amplia, etiamsi administratio penes Laicos resideat, et Fundator etiam Episcopum excluserit, cum tamen constaret, plures Episcopos statuta et ordinationes huiusmodi edidisse *in Civitatis Castellanae Hospitalis die 13 Martii 1773.*

381. Proposito enim dubio: - III. An statuta et ordinationes praescriptae usque ab anno 1682 per bo. me. Episcopum Altini, pro recta administratione dicti Hospitalis sint observandae in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Ad tertium, Affirmative - *in Civitatis Castellanae Hospitalis die 13 Februarii 1773.*

382. Quum imo constet, quod ratio reddenda sit Episcopo, hic ad eas reddendas Administratores cogere potest etiam per censuras, servatis tamen servandis, quin interim uti debeat pro redditione rationis Syndicis seu Rationalibus electis a Confratribus, sed uti potest alio quocumque sibi beneviso, sed gratis *in Lancianen. Confraternitatis die 20 Septembris 1710.*

383. Siquidem pluries dudum subortae fuerunt controversiae inter Archiepiscopum Lancianensem et Confraternitatem Mortis, sitam in Ecclesia S. Iosephi eiusdem Civitatis, quae asserebatur aggregata Archiconfraternitati Mortis Urbis usque ab anno 1608, cuius aggregationis original non fuit exhibitum; at porro incubuere dissidia, circa redditionem rationum. Etenim, recurrentibus nonnullis ex Confraternitatibus ad Sacram Congregationem, quod cogerentur Administratores Confraternitatis ad redditionem rationum, sub die 28 Iulii 1708 rescriptum fuit: Archiepiscopo, quatenus desuper, prout iuris fuerit, procederet *in Lancianen. Confraternitatis die 20 Septembris 1710* §. *Pluries.*

384. Quo interim Rescripto attento, Archiepiscopus sub die 14 Augusti eiusdem anni praeceptum tulit adversus Praefectum aliosve quatuor Officiales Administratores Confraternitatis praedictae, ut sub excommunicationis poena, intra terminum peremptorium trium dierum exhiberent lucidas rationes una cum libris eorum administrationis Rationalis ad hunc effectum deputati, ac eo termino elapso in eodem praecepto ex tunc assignavit eisdem horas viginti quatuor, per trinam dilationem distributas, et cum unica pro trina canonica Monitione ad dicendam causam, quare non debuissent declarari excommunicati, et Cedulones contra ipsos affigi *in Lancianen. Confraternitatis die 20 Septembris 1710* §. *Pluries.*

385. Ab huiusmodi praecepto, veluti gravati supradicti Administratores, sub die 18 mox dicti mensis interposuerunt appellationem in Curia Episcopali ad Tribunal A. C., Opponentes privilegia eorum Confraternitatis, utpote aggregatae Archiconfraternitati Urbis, nec non Monitorium cum inhibitione eiusdem A. C. notificatum Curiae usque ab anno 1707, pro conservatione suorum iurium a molestiis praedictae Curiae, signanter super redditione rationum *in Lancianen. Confraternitatis die 20 Septembris 1710* §. *Pluries.*

386. Qua quidem appellatione non obstante, Vicarius Generalis, innixus memorato Rescripto eiusdem Sacrae Congregationis, instante Promotore Fiscali, sub die 23 saepe dicti mensis Augusti decrevit, praefatos Officiales esse excommunicandos, et Cedulones contra ipsos relaxandos, quemadmodum eademmet die Cedulones relaxavit, eosque affigi iussit in locis

desse del proprio, per aggiungere alla fabbrica dell'Episcopio un locale nuovo per piantarvi l'Ufficio pubblico della Contadoria, mentre le Camere designate sono necessarie agli Ospiti; che in questa Città di passaggio sono frequenti e molti. Dannosa per la quasi impossibilità di potersi prendere i conti dentro l'anno, al quale appartengono dagli Officiali della Contadoria in una Diocesi vasta, come quella di Oristano, nella quale esistono settantadue Parrocchie, delle quali alcune contengono sino a dodici Amministrazioni diverse. Dannosa, perchè il levare dalle mani degli antichi e legittimi Preposti all'amministrazione privativa, che sono i Canonici Prebendati ed i Rettori, e farla passare a mani straniere sarebbe un privare le aziende di quei vantaggi, che si riconoscono dal zelo ed affettuoso interessamento di detti Preposti, ai quali la Legge Sinodale ed il possesso immemorabile ne affidò il governo. Dannosa, perchè i Procuratori annuali singolarmente secolari, a quali suol commettersi l'esazione dei redditi delle Chiese e Confraternite ricuserebbero di accettare l'impiego per i nuovi obblighi e gravami, che loro imporrebbe la nuova Contadoria -.

publicis Civitatis. Recursus exinde habitus fuit per Confraternitatem ad A. C., sed avocata ab eo Causa, per R. P. Auditorem Sanctissimi fuit remissa ad Sacram Congregationem, ad quam transmissis Actis desuper constructis concordata fuerunt inter Partes inter alia infrascripta dubia.

IX. An Officiales Confraternitatis Mortis Lanciani teneantur reddere rationem eorum administrationis introituum, effectuum, et eleemosynarum eiusdem Confraternitatis Reverendissimo Archiepiscopo? *Et quatenus affirmative.*

X. An idem Archiepiscopus debeat uti pro redditione rationum Syndicis seu Rationalibus electis a Confratribus, vel potius possit uti alio quocumque sibi beneviso.

XI. An censurae latae per Reverendissimum Archiepiscopum substineantur.

XII. An sint reaffigendi Cedulones in casu etc. -, Sacra Congregatio, declarato ex deductis, quod non constaret de legitima Aggregatione praedictae Confraternitatis Archiconfraternitati Mortis Urbis, praefatis dubiis respondit:-Ad nonum, Affirmative. Ad decimum, Negative quoad primam, Affirmative quoad secundam partem; sed gratis. Ad undecimum, Negative. Ad decimum secundum, Negative; et Archiepiscopus procedat ex integro, servatis servandis - *in Lancianen. Confraternitatis die 20 Septembris 1710.*

387. Amplia, etiamsi Administratores deputati fuerint a Pro-Rege, iidem recusantes cogi possunt per Episcopum censuris, servatis tamen servandis, ad reddendas rationes *in Neapolitana die 12 Iulii 1631 lib. 14 Decretorum pag. 468.*

388. Siquidem Eminentissimi Patres - ad alia capita responderunt prout alias responsum fuit, videlicet Ministros a Pro-Rege deputatos ad administrationem Ecclesiarum vel Hospitalium cogendos esse ad reddendam rationem suae administrationis, iuxta formam Cap. 9 sess. 22 de Reformatione, et contra eos reddere recusantes iuris remediis esse procedendum, excommunicando, cedulones affigendo, et eos aggravando et reaggravando - *in Neapolitana die 12 Iulii 1631 lib. 14 Decretorum pag. 468.*

389. Facultas vero est eligendi sive deputandi Ratiocinatorem, qui interesse habentium nomine praesentiam et assistentiam praestet redditioni rationis, recipiendae sive ab Episcopo sive a Revisore Synodali aut ab alio, per Episcopum deputando *in Faventina Redditionis Rationis die 19 Septembris 1772.*

390. Proposito quippe dubio: - IV. An Congregatio Paulina seu illius Vocales possint eligere sive deputare Ratiocinatorem, qui eorum nomine praesentiam et assistentiam praestet redditioni rationis, recipiendae sive ab Episcopo sive a Revisore Synodali aut ab alio, per Episcopum deputando in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad quartum, Affirmative - *in Faventina Redditionis Rationis die 19 Septembris 1772.*

391. Atque id Sacra Congregatio eo in casu edixit, in quo opus non esse videbatur, ut Ratiocinator eligeretur, qui redditioni rationis interesset, cum id fieri tunc regulariter posset, quando aliqua oriatur difficultas, quae disquisitione indigeat *in Faventina Redditionis Rationis die 8 Augusti 1772* §. *Observat.*

392. Ceterum redditio rationis, sive in Loco administrationis, sive in Civitate peragatur, semper gratis recipienda est *in Faventina Redditionis Rationis die 8 Augusti 1772* §. *Ad V dubium.*

393. Hinc Administratores non tenentur solvere mercedem Revisori Synodali sive alteri, per Episcopum deputando *in Mileten. die 23 Aprilis 1701 ad III dubium.*

Item *in Constantien. Iurisdictionis die 31 Martii 1770* §. *Ad V; in Faventina Redditionis Rationis die 8 Augusti 1772* §. *Ad V dubium* (1).

394. Quin obstet consuetudo, secundum quam nihil persolvi consuevit, quando computorum revisio fieret a Ratiocinatore Diaecesano vel Synodali, qui tantummodo partitas in libris descriptas cum iuribus seu, ut vocant, recapitis conferat, secus ac evenit, quando partitas in codicem referret et scripturam efformaret *in Faventina Redditionis Rationis die 8 Augusti 1772.*

395. Hac enim etiam consuetudine concurrente, proposito dubio: -V. An redditio rationis sive in Terra Brixichellae sive in Civitate Faventiae gratis recipienda sit ab Episcopo, seu potius

(1) Gregorius XV in Constit. incipien. *Inscrutabili*, §. 2. expresse id sanxit, et pluries resolvit Sacra Congregatio.

Vocales dictae Congregationis teneantur solvere mercedem Revisori Synodali sive alteri per Episcopum deputando, et in qua summa in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad quintum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam - *in Faventina Redditionis Rationis die 19 Septembris 1772.*

396. Hinc neque Monasterium Monialium exemptarum tenetur ad aliquam expensam pro Ministris Curiae Episcopalis, occasione interessentiae redditionis rationis, sive ex quocumque alio titulo *in Wormatien. Iurisdictionis die 9 Iulii 1746 et die 17 Septembris eiusdem anni 1746.*

397. Ortis quippe pluribus controversiis inter Episcopalem Curiam Wormatiensem et P. Abbatem Eberbacensem Ordinis Cisterciensis, causa Monialium Monasterii Marien-Munster eiusdem Ordinis, oblati fuerunt ab eodem P. Abbate libelli S. Congregationi Episcoporum et Regularium, sed delata Causae huius universae cognitione ad Sacram Congregationem auditus fuit Vicariatus Wormatiensis.

398. Propositis hinc dubiis: - III. An liceat Eminentissimo Ordinario Wormatiensi petere rationes administrationis bonorum ipsiusmet Monasterii? *Et quatenus affirmative.*

V. An occasione dictae interessentiae redditionis rationis teneatur Monasterium ad aliquam expensam pro Ministris Curiae Episcopalis Wormatiae, sive ex quocumque alio titulo? -, Sacra Congregatio respondit: - Ad tertium, Affirmative. Ad quintum, Negative - *in Wormatien. Iurisdictionis die 9 Iulii 1746.*

399. Repropositis dein dubiis sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 9 Iulii anni currentis 1746? -, Sacra Congregatio respondit: - Ad tertium et quintum, In decisis; et amplius - *in Wormatien. Iurisdictionis die 17 Septembris 1746.*

400. Imo Sacra Congregatio respondit: - Non posse Episcopum nec eius Officiales de iure salarium recipere pro sententiis in causis criminalibus, beneficialibus, et matrimonialibus. An autem ex consuetudine possit particulariter esse videndum - *in Maioricen. die 15 Martii 1636 ad II dubium lib. 15 Decretorum pag. 332 a tergo.*

401. Potest vero Episcopus in casu praedicto cogere etiam Regulares praefati Ordinis Cisterciensis et Abbatiae praedictae Eberbacensis ac dictas Moniales ad reddendas rationes per mulctas pecuniarias. Propositis enim dubiis: - VI. An praefati Regulares et Moniales cogi possint per mulctas pecuniarias in casu praedicto?

VII. An licita fuerit exactio centum Imperialium facta a Reverendissimo Vicariatu Wormatiensi, seu potius teneatur dictam summam Monasterio Marien-Munster restituere et omnia damna reficere in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad sextum, Affirmative. Ad septimum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam - *in Wormatien. Iurisdictionis die 9 Iulii 1746.*

402. Repropositis subinde dubiis, sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 9 Iulii anni currentis 1746? -, Sacra Congregatio respondit: - Ad sextum et septimum, Ad mentem - *in Wormatien. Iurisdictionis die 17 Septembris 1746.*

Poenas hinc exigere quidem potest Episcopus, sed eas in usus proprios, etsi comminatae fuerint in actu Visitationis, convertere nequit; nam Sacra Congregatio expresse statuit: - Episcopum posse exigere poenas in Visitatione praecedenti comminatas, si non fuerint adimpleta decreta in eadem Visitatione facta, illas tamen non debere in usus proprios convertere, sed teneri Locis Piis applicare - *in Maioricen. die 15 Martii 1636 lib. 15 Decretorum pag. 332 a tergo.*

403. Nec insuper censetur sufficienter reddita ratio, absque reali solutione reliquatus *in Narnien. die 23 Ianuarii 1790* §. *Quantum* (1).

404. Praesertim, si illa accedat circumstantia, quod interim Administrator properavit redditionem rationis, ut iudicium vitaret Episcopi *in Narnien. die 23 Iuanuarii 1790* §. *Quantum.*

405. Siquidem Laicalem anno 1704 instituit Capellaniam Comitissa Martha Scotti, pluraque ei sub administratione Comitum Mancinelli heredum assignavit bona. Loca vero reliquit Montium quatuor sub administratione Societatum Sanctissimi Sacramenti et Sanctissimi Rosarii Castri S. Viti, ut in parvum Xenodochium, pro quo binas destinavit mansiones, infirmi reciperentur illarum Fratres et Sorores; voluitque, ut deponeretur in Monte Pietatis Narniae, ad effectum investiendi favore Xenodochii, quid-

(1) Arg. ex text. in Leg. *Cum Servus*, leg. *Non solum*, §. Liberationis verbo, vers. Is qui reddere, ff. de libert. legat.; Menoch. de arbitr. lib. 2, cap. 209, n. 31; Rot. apud Escobar. decis. 19, n. 2.

quid ex annuis Locorum Montium fructibus superesset. Atque quoad redditionem rationis districte praecepit, ut, qui usufructum bonorum pro Missis assignatorum percipiet, is Administratores ad reddendas rationes, coram quolibet Iudice competente, adstringeret (1).

406. Huiusce Pii Operis administrationem permiserunt Societates Comitibus ipsis Mancinelli, et sub ea crevit fundus ad Loca Montium 10 $\frac{85}{100}$ 54. In visitando tamen Xenodochio deficientia novit Delegatus Narniensis Episcopi utensilia, excepitque, accedere ad illud desuevisse Societatum Fratres et Sorores, eiusque sumptu Otricoli Medicum, ad omnium Incolarum curationem, conduci. Societates hac de re ad redditionem rationis cogere tentavit; sed, ob allegatam Comitis Petri Mancinelli administrationem, re infecta, discessit. Statim vero exhibuit Comes administrationis librum, syngraphasque de recepto Sodalibus, subductisque rationibus ab anno 1705 ad totum annum 1787, exitum introitus superavit in scutis 379. 15. 4, quae ad formam Testamenti investire dispondit.

407. Episcopo deinde imperante, librum ei obtulerunt Sodales, ut rationes et ipse expungeret; sed, ob denegata a Comite iura, quae introitum exitumque comprobarent, rem aggredi non potuit. Ille quippe, ut iudicium vitaret Episcopi, redditionem rationis properans, eamdem absque reali reliquatus solutione explevit coram Sodalibus, qui tamquam Incolae Castri S. Viti ipsorum condominum venerabantur.

408. Proposito hinc dubio: - II. An constet de redditione rationis, seu potius sit reddenda, et cui in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad secundum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam; et rationem reddendam esse Episcopo - *in Narnien. die 27 Februarii 1790.*

409. Ac eo vel magis, ad reddendam rationem, cogi debet Administrator, si ea, per ipsum reddita, informis, illegalis, atque dolosa reperta fuerit, ac adhuc tricas is expiscatur, pro effugienda redditione rationis: ita ut terminus ei praefigi debeat, quo elapso, sententia syndicatoria pronuncietur *in Sutrina die 26 Martii 1782.*

410. Iamvero in Castro Triboniani Sutrinae Diaecesis quatuor existebant Loca Pia, quorum reditus cum inexactos invenisset el. me. Cardinalis Pamphilius, tamquam Visitator Apostolicus totius Sutrinae Diaecesis, die 5 Decembris 1772 in Praefectum, Ratiocinatorem, et Exactorem dictorum quatuor Locorum Piorum, pro illorum creditis inexactis tantum, elegit Sacerdotem Bartholomaeum Berti, cum onere reddendi rationem sui muneris anno quolibet Vicario Generali dictae Sutrinae Diaecesis.

411. Quamvis itaque Sacerdos Berti onus haberet reddendi rationem suae administrationis anno quolibet, hoc tamen onus, nunquam, ut asserebatur, adimplevit; itaut, post plures annos eo evocato ad eam reddendam, exhibuerit tandem aliquando computum dati et accepti, suis cum iuribus et documentis, pro quorum examine ac revisione deputati fuerunt gemini Canonici Cathedralis Sutrinae Ecclesiae, qui hanc rationum redditionem informem, illegalem, atque dolosam agnoverunt.

412. Recursum habuit Sacerdos Berti ad Sacram Congregationem, ut sibi restituerentur libri et documenta, quae Curiae Episcopali Sutrinae exhibuerat, pro nova facienda redditione rationis, iactans, se creditorem esse, non debitorem. Auditoque Sutrino Episcopo, retulit, Loca Pia redacta esse in miserrimum statum, retulitque tricas, quibus usus fuit ac adhuc utebatur Sacerdos Berti, pro effugienda redditione rationis, gestae ab eo administrationis, attenta pecuniarum dispersione, fuitque in voto, illum mulctandi suspensionis et deinde privationis poena simul et condemnandi ad deponendum in Capsa quantum ex pecuniis exactis sibi condixerit.

413. Iterum rediit Bertus ad Sacram Congregationem, pro restitutione librorum et documentorum, pro reddenda ratione, rescriptumque fuit sub die 15 Ianuarii 1780: - Citetur pars -, vi cuius in Contradictorio coram Secretario S. Congregationis habito, hic - Salvis exceptionibus et sine praeiudicio ambarum Partium mandavit, praestari Instanti commodum et patientiam per Curiam Episco-

(1) Ex verba Testatricis, ut in §. *Laicalem* - ibi - E perchè dalla retta revisione de' conti dipende principalmente l'adempimento di quanto da me si è disposto circa quest' opera, ordino, che chi goderà l'usufrutto de' beni assignati per le Messe, debba stringere gli Amministratori di detti Ospizii al rendimento de' conti avanti a qualsivoglia Giudice competente -.

palem inspiciendi libros gestae administrationis Locorum Piorum, et alia documenta ad rem facientia, cum assistentia tamen Personae per Reverendissimum Episcopum seu eius Vicarium deputandae, et praefixit terminum Instanti mensis unius, ad effectum inspiciendi redditionem rationis, et admisit instantiam loco protestationis hinc inde -.

414. Hoc non obstante Decreto, adhuc ratio a Berto reddenda erat, eum inde Confraternitates merito removerunt, eidemque Sacerdotem Iosephum Parisium subrogarunt. De hac Administratoris subrogatione conquestus est Bertus, porrexitque preces Sacrae Congregationi, se a munere removeri non posse, reddita nondum ratione, neque declarata dolose gesta.

415. Propositis interim dubiis: - III. An constet de redditione rationis actae administrationis per ipsum Berti in casu etc.

IV. An sit locus traditioni syndicatoriae et restitutioni librorum et documentorum per Curiam Episcopalem retentorum in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad tertium, Negative. Ad quartum, Vicarius Capitularis praefigat terminum Berto ad reddendam rationem, eique praestet commodum inspiciendae documenta, iuxta Decretum D. Secretarii, et successive pronunciet Sententiam syndicatoriam - *in Sutrina die 26 Martii 1782.*

416. Certissimum in iure vero est, semel rite reddita ratione, quemcumque Administratorem liberari *in Vaden. Redditionis Rationis die 8 Augusti 1765* §. *Adiicit* (1).

417. Hinc - semel securitatem de refusione munerum emissam ab alio Iudice non licet refricari - *in Vaden. Redditionis Rationis die 3 Augusti 1765* §. *Imperatores.*

418. Idcirco Iudex - saluberrimae ac iustissimae perceptionis forma sequutus, prohibere debet in posterum eos ad discussionem transacti muneris constringi, quos claruit acceptae securitatis prosperitate laetari - *in Vaden. Redditionis Rationis die 3 Augusti 1765* §. *Imperatores* (2).

419. Iamvero a Silverio Piccolomineo tria Legata Pia data fuerunt testamento, quo decessit anno 1569, favore Celanentium, e qua Civitate illi erat origo, attributa cuilibet Legato tertia parte usurarum annuarum, quae perciperentur ex summa ducatorum septem millium implicanda ab Administratrice Communitate Celani ad annuam rationem scutorum octo vel novem pro centenario, ut ea tempestate fieri solebat. Amplius sane, quam par esset, de summa illa eiusque usuris speravit Testator: nam, partim diminutione usurarum, partim pessima administratione, partim vero debitorum causa, anno 1738 eo pervenerunt fundi trium Legatorum, ut non alia, quam duo Loca Montium superessent, et census, cuius debitrix erat Gens *del Cinque,* occupatis aliis fundis a Creditoribus Operis Pii.

420. Noverunt igitur Syndici Communitatis necessarium esse precibus adire summum Pontificem Clementem XII, a quo postularunt onerum reductionem, et postulationis huius notio Sacrae Congregationi data fuit, quae onera reduxit et per decennium omnino suspendit, data interim optima methodo, qua possent expungi debita et recuperari fundi a Creditoribus detenti. Hac itaque prudentissima methodo res feliciter venit. Nam administrationi operam dante Canonico Dominico Matthaeio intra decennium plures Creditores dimissi fuerunt, et recuperatis fundis, qui ab iis detinebantur, facile poterant inde eorum reditibus solvi usurae aliorum debitorum et sortes extingui.

421. Decennio hinc transacto redditaque a Canonico Matthaeio ratione eoque ob diligentissimam administrationem plenissime liberato, rursus ad eas reddendas is adstringi praesumebatur. Communitas vero contendit merito, inverecundum esse a diligentissimo Administratore Canonico Matthaeio iterum redditionem rationis exigere, cum eam reddiderit et plenissime liberatus fuerit.

422. Qua de re, proposito dubio: - IV. An Canonicus Dominicus Matthaei praeteritus Administrator cogi debeat ad redditionem rationis in Urbe, seu potius obstet quietantia in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad quartum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam; et amplius - *in Marsorum Legati Pii die 4 Martii 1758.*

423. Amplia, etiamsi Administrator igne scripturas absumpsisset, sed absque dolo *in Va-*

(1) Rot. in decis. 223, n. 2; in Romana Redditionis Rationis 3 Iunii 1752, §. 49, coram Card. Elephantutio; in Romana seu Troiana Redditionis Rationis 8 Februarii 1765, §. 4, coram Cornelio.

(2) Id siquidem eisdem verbis rescripserunt Theodosius et Valentin. in L. in *Semel,* Cod. de apoch. publ. lib. 10.

den. Redditionis Rationis die 28 Septembris 1765.

424. Siquidem Nicolaus Bizzarrius Vadensis Ecclesiae Archidiaconus, reaedificando Seminario ab Episcopo Praefectus deputatus, post bene, uti affirmavit, quinquennio ante redditas, transactas, et exaequatas rationes pecuniarum, quas in eam causam habuerat, denuo apud illam Curiam anno 1755 eiusmodi de re vocatus, causae cognitionem ad Sacram Congregationem remitti obtinuit, ut suam famam vindicaret, eamque solemni Sacrae Congregationis interposito iudicio, integram deinde servaret; atque obtrectatorum clamoribus finis daretur.

425. Is itaque narravit, mense Iulii 1750 se coram Episcopo et Deputatis plenissimam, de omni percepta atque impensa, uti debuerat, pecunia, rationem reddisse; exhibita ac perpensa, cum summa maturitate, monumenta: dati et accepti approbatum calculum; constitisse tum de suo reliquo credito in scutis 9, 71 ½; supputationem ita factam laudasse cunctos; eius rei datam scripturam; Episcopum praesentem, videntem, perquirentem diligentissime omnia, investigantem, circumspicientem se omnibus subscripsisse.

426. Addidit, anno sequenti folium hoc suae rationis redditae, simul cum administrationis Oeconomi Seminarii libris fortuito combustum. Ideo concordi sententia et bona fide tunc coram Episcopo ac Deputatis die 23 Octobris eiusdem anni novum folium suae rationis conscriptum fuisse (1). Deputatos et Episcopum meminisse de omnibus; cuncta approbasse; libentissimo animo statim se subscripsisse; Oeconomum ita etiam suae administrationis rationem reddidisse, *con diversi fogli sciolti ligati e libretti, per deficienza de' libri originali, stante l' accidente accaduto dell' incendio dei medesimi.*

427. Verumtamen nesciri quo fato, mutatam subito rerum faciem vidisse, in Curia se accusatum, quod dolo malo fecerit, ut incendium accideret, quod depositam pecuniam Seminarii subtrahere tentasset, perrupta arca. Per triennium postea quievisse calumniam; instauratam deinde anno 1755. Hinc ad Sacram Congregationem, petente se, negotium delatum. Imploravit tunc propterea Eminentissimorum Patrum fidem, ut a calumnia hac, iam calumniae formidine diu vexatum, innocentem hominem liberarent. Formidinis iustam dedisse causam tot relationes Episcopi, qui in suis, quas agebat, variis litibus, semper ac perpetuo hunc dolum refricabat commemorabatque, hoc crimen Archidiaconi proferebat, quia Archidiaconum praecipuum suum Contradictorem praedicabat.

428. Bizzarrius demum probare contendit, defecisse doli causam, cur igne scripturam absumeret. De arca autem depositi certum esse, inquit, nihil tunc pecuniae depositae extare, neque posse id sibi ignotum esse. Episcopus ipse post incendium Archidiacono dedit laudes iteratis literis anno 1752, 1756 et 1761. Accedebat testimonium totius Capituli ac Civitatis universae. Deputati Seminarii declararunt, se non adversari Archidiacono. Promotor Curiae vero, licet monitus, nihil dedit.

429. Proposito hinc dubio: - An constet de legitima redditione rationis, ita ut Archidiaconus non sit amplius molestandus in casu etc.-, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative, et amplius - *in Vaden. Redditionis Rationis die 28 Septembris 1765.*

430. Certissima haec iuris doctrina vero, qua prohibetur, in posterum Administratores ad discussionem transacti muneris constringi, quos iam claruit acceptae securitatis prosperitate laetari, obtinet, nisi de errore calculi aper-

(1) Siquidem, ut in §. *Addit* - ibi - Il Signor Preposto disse d'aver precisa memoria, che il predetto Signor Bizzarri in occasione di altra Congregazione tenutasi parimenti avanti Monsignor Illustrissimo, alla quale era anche intervenuto il Signor Canonico Andreoli, Signor D. Filippo Bartoli ed altri, facesse ostensibile l'istesso carteggio, qualificato con documenti e ricevute, approvato e sottoscritto in foglio dallo stesso Monsignor Illustrissimo e dagli presenti e convocati, e riportato creditore di scudi nove e baiocchi, che così restò fermato; e perchè l'istesso foglio, assieme con altri documenti, per accidente restò incendiato, è stato necessario di venire a nuova revisione già dimostrata a carte 16 di nuova rivista; sicchè restò conchiuso e stabilito, che fosse dichiarato creditore di scudi nove 9, 71 moneta Romana, giusta il conto stabilito dall' accennata e preventiva Congregazione, come si è veduto da un foglio appresso il Signor D. Luca Duci economo esercente del Venerabile Seminario. Onde attesa la speciale e fedele amministrazione del suddetto Signor Bizzarri, riconosciuta veramente fatta con particolare attenzione ed assistenza negli interessi del Venerabile Seminario, per tale interesse gli si fa il saldo in forma, salva la ragione del suo credito sotto il suddetto giorno firmata di scudi 9, 71 -.

tissime doceatur *in Vaden. Redditionis Rationis die 30 Augusti 1765* §. *Certissima.*

431. Nam - errorem calculi, sive ex uno contractu, sive ex pluribus emerserit, veritati non afferre praeiudicium saepe constitutum est *in Vaden. Redditionis Rationis die 3 Augusti 1765* §. *Certissima.*

432. Unde rationes etiam saepe computatas, denuo tractari posse, si res iudicatae non sunt, vel transactio non intervenit, explorati iuris est - *in Vaden. Redditionis Rationis die 3 Augusti 1765* §. *Certissima* (1).

433. Doctores omnes de hac doctrina consentiunt, hanc ipsam laudavit Rota *in Vaden. Redditionis Rationis die 3 Augusti 1765* §. *Iuristae* (2).

434. Redditio rationis ab Administratoribus voluntariis et honorariis, submoto iuris rigore, mitius quam fieri potest exigenda est *in Romana seu Montis Politiani Legatorum die 18 Iunii 1831* §. *Postremo* (3).

435. Imo Administratores, etsi necessarii de inexactis creditis vexari nequeunt, nisi perspicuus dolus et lata supina eorum negligentia constet *in Romana seu Montis Politiani Legatorum die 18 Iunii 1831* §. *Postremo* (4).

436. Multoque minus tenentur de rerum venditarum aestimatione, sed de pretio dumtaxat ac reipsa percepto *in Romana seu Montis Politiani Legatorum die 18 Iunii 1831* §. *Postremo* (5).

437. Denique Administratores, quorum integritas eluceat, si posthac eorumdem cura et solicitudo, ob temporum rerumque iniquitatem, felici caruerint exitu, de hoc respondere non tenentur *in Romana seu Montis Politiani Legatorum die 18 Iunii 1831* §. *Postremo* (6).

438. Verum Administratores onus expensarum litis refundere in Locum Pium tenentur, si iniuste restiterunt Episcopo librorum exhibitionem postulanti et temere litigarunt *in Faventina Redditionis Rationis die 8 Augusti 1772* §. *A definitione* (7).

439. Idcirco litis expensae, quas agunt huiusmodi Administratores, cum Operis Pii detrimento, ipsismet Administratoribus et Exequutoribus testamentariis, qui litem sustinent, nullo iure suffulti, sunt adscribendae *in Asculana Commutationis Voluntatis die 20 Ianuarii 1776* §. *Tertium.*

440. Maxime, si accesserit Sacrae Congregationis Rescriptum, quo Episcopus monitus fuit, ne interim permitteret, expensas fieri sumptibus Congregationis. Idemque dicendum de expensis factis *in Faventina Redditionis Rationis die 8 Augusti 1772* §. *A definitione.*

441. His vero non obstantibus, quum Deputati seu Vocales Congregationis Paulinae, ex amplis sibi facultatibus tributis, putaverint se exemptos esse a redditione rationum ac librorum exhibitione. Sacra Congregatio, etsi redditionem faciendam esse Episcopo rescripserit, propositis tamen dubiis: - VIII. An praesentis agenda sit sumptibus Congregationis Paulinae Terrae Brixichellae, seu potius sumptibus illius Vocalium in casu etc. *Et quatenus Negative ad primam partem. Affirmative ad secundam.*

IX. An reficiendae sint eidem Congregationi a dictis Vocalibus etiam expensae huc usque factae in casu etc. -, respondit: - Ad octavum. Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam; et amplius. Ad nonum, Negative; et amplius - *in Faventina Redditionis Rationis die 19 Septembris 1772.*

442. Hinc, si eas iusta de causa fecerunt, detrimento Operis Pii expensae sunt imputan-

(1) L. unic. Cod. de error. calcul. lib. 10.

(2) Rot. Ianuen. decis. 165, n. 6; Rot. Romana in decis. 45, n. 8, coram Sanctissimo; in Melevitana Redditionis Rationis 15 Februarii 1751, §. 3, coram Card. Molino.

(3) Bald. in Leg. *Cum oportet.* Cod. de bon. quae liber. Rot. in Eugubina pertinentiae feudi super redditione rationis 11 Decembris 1775, §. 3, coram Soderino; et in confirmatoria 1 Iulii 1777, §. 2, coram Sentmanat.

(4) Arg. ex text. in Leg. *Si tutor* 16; et Leg. *Chirographis* 38, ff. de administr. tutor.; Leg. *Nomina* 2, cod. de arbitr. tutel; Rot. in decis. 570, n. 20, coram Molines; in Romana Fructuum 24 Ianuarii 1752, §. 11, coram Vicecomite.

(5) Bartol. in Leg 1, n. 9, ff. de eden.; Rot. coram Ansaldo decis. 330, n. 13; et in Romana Salviani super reservatis 13 Aprilis 1739, n. 9 et 10, coram Millino; et in Romana Redditionis 4 Maii 1753, §. 8, coram Bussio.

(6) Arg. ex Leg. 3, ff. cont. tutel. act. §. 7; et Leg. 10 in princ. de negot. gest.

(7) L. *Eum qui*, de re iud.; L. *Properandum* §. Licet, cod de iudic.; Rot. in decis. 15, n. 1 et seqq. de expens. coram Falconerio.

dae *in Asculana Commutationis Voluntatis die 20 Ianuarii 1776.*

443. Idcirco ab expensis litis absoluti fuerunt etiam Administratores et Exequutores testamentarii, qui ex eo Episcopo restiterunt, quia ille contra mandatum Testatoris commutationem eiusdem voluntatis a Benedicto XIV ac deinde Clemente XIV obtinuerat; proposito enim dubio: - III. An praesens lis agenda sit sumptibus Hereditatis bo.me. Iacobi Conti, seu potius sumptibus illius Exequutorum testamentariorum in casu etc.-, S. Congregatio respondit: - Ad tertium, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam - *in Asculana Commutationis Voluntatis die 20 Ianuarii 1776.*

444. Ceterum in redditione rationis administrationis Debitores non possunt declinare Forum ecclesiasticum, sed ab Episcopo sunt cogendi ad satisfactionem *in Marsorum die 10 Maii 1631 lib. 14 Decretorum pag. 432.*

445. Amplia, etiamsi ratio reddita sit coram Deputatis ipsorum Locorum Piorum *in Civitatis Urbaniae die 17 Iulii 1638 lib. 16 Decretorum pag. 52 ad IV dubium.*

§. VII.

ADMINISTRATOR QUOAD REMOTIONEM.

1. Exploratissimi iuris est, quemlibet Locorum Piorum Administratorem, ad nutum Episcopi, amoveri posse *in Fulginaten. Remotionis et Depositionis ab Officio die 24 Iulii 1858* §. *Itaque.*

2. Administratores enim, veluti Mandatarii, in iure considerantur *in Fulginaten. Remotionis et Depositionis ab Officio die 24 Iulii 1858* §. *Itaque* (1).

3. Quin immo adeo firmiter amovibilitatem huiusmodi retinuit S. Rotae Tribunal, ut neque in casu, quo quis in perpetuum expresse deputatus fuerit, eam immutari declaravit *in Fulginaten. Remotionis et Depositionis ab Officio die 24 Iulii 1858* §. *Quin.*

4. Etenim perpetua ista deputatio implicitam semper habet conditionem perseverantis voluntatis Domini; factaque sic intelligitur, ut possit ab ipso Domino semper et quandocumque revocari *in Fulginaten. Remotionis et Depositionis ab Officio die 24 Iulii 1858* §. *Quin.*

5. Et optimo sane iure id statutum esse videtur: cum enim huiusmodi munus summae fiduciae reputetur, illud de sui natura debet esse liberum et quandocumque revocabile *in Fulginaten. Remotionis et Depositionis ab Officio die 24 Iulii 1858* §. *Quin.*

6. Amplia, ita ut neque contractus expressus, atque de sui natura obligatorius, ad id compellere valeat *in Fulginaten. Remotionis et Depositionis ab Officio die 24 Iulii 1858* §. *Quin* (2).

7. Futile autem esset hac in re Rectorem forte ab Administratore Orphanotrophii distinguere *in Fulginaten. Remotionis et Depositionis ab Officio die 24 Iulii 1858* §. *Ceterum.*

8. Utrumque enim munus in huiusmodi Locis Piis unum idemque sonat, et insimul coalescit *in Fulginaten. Remotionis et Depositionis ab Officio die 24 Iulii 1858* §. *Ceterum.*

9. Quando praesertim in Rectoris munere, hic nonnisi nudus et simplex Episcopi Vicesgerens sit; unde tantum benignior quaedam consuetudo Rectoris titulum attribuit *in Fulginaten. Remotionis et Depositionis ab Officio die 24 Iulii 1858* §. *Ceterum.*

10. Id enim accidere potest, cum potissimum, ex Constitutionibus fundationis Loci Pii, Episcopus sit directe ac immediate institutus Rector *in Fulginaten. Remotionis et Depositionis ab Officio die 24 Iulii 1858* §. *Ceterum.*

11. Ceterum vere et proprie Rector atque Administrator cuiuslibet Orphanatrophii, nec non cuiuslibet Loci Pii, suae iurisdictioni subiecti, de iure existit Episcopus ipse *in Fulginaten. Remotionis et Depositionis ab Officio die 24 Iulii 1858* §. *Ceterum.*

12. Praesertim, si nunquam legitimo et stabili modo, prout fieri solet, seu per diploma, seu per epistolium, seu per alios huiusmodi modos, ad id muneris is electus fuerit; sed, per modum facti, in illud se immiserat, Episcopo tantum non contradicente *in Fulginaten. Re-*

(1) Rot. in decis. 74, n. 2, coram Olivatio; in decis. 929, n. 1, coram Cerro.
(2) Card. De Luc. disc. 43, n. 4 de Legat.

motionis et Depositionis ab Officio die 24 Iulii 1858 §. Quin imo etiamsi.

13. Ideoque in illo exercendo munere versari nequit, nisi veluti precario et ad placitum Episcopi, qui semper et quandocumque patientiam, quam praestat, potest abrumpere *in Fulginaten. Remotionis et Depositionis ab Officio die 24 Iulii 1858 §. Quin imo etiamsi.*

14. Haud Episcopis permissum vero est, Piorum Locorum Administratores, pro lubito, et absque causa dimovere *in Fulginaten. Remotionis et Depositionis ab Officio die 24 Iulii 1858 §. Amovibilitati.*

Item *in Spoletana Iuris Administrandi die 2 Iunii 1860 §. Atqui.*

15. Quum praesertim Administratores deputati fuerint ab ipsis Fundatoribus; namque Sacra Congregatio respondit: - Administratores Piorum Operum a Fundatoribus depututos non posse ab Episcopo, nisi ex causa, removeri - *in Maioricen. die 15 Martii 1636 lib. 15 Decretorum pag. 332 ad III dubium.*

Item *in Vicen. die 14 Novembris 1637 lib. 15 Decretorum pag. 612 ad IX dubium.*

16. Ea namque est praesertim Rectoralis Officii praestantia, ut confundi non possit cum officiis mere servitoriis, in quibus etiam revocandis aliqua causa deesse non debere videtur *in Fulginaten. Remotionis et Depositionis ab Officio die 24 Iulii 1858 §. Amovibilitati. et §. Hinc* (1).

17. In ipsis quippe Officiis Regularium, etsi sub omnimoda obedientiae lege committantur, rationabilis tamen revocationis causa desideratur *in Fulginaten. Remotionis et Depositionis ab Officio die 24 Iulii 1858 §. Amovibilitati* (2).

18. Hinc Officiales a legitima potestate constitutos, nisi desides in munere fuerint, vel delictum aliquod patraverint, Officio haud esse spoliandos utroque iure atque omnium Canonistarum sententia edocemur *in Lucana die 20 Ianuarii 1838 §. Ex indole.*

19. Namque - satis perversum et contra ecclesiasticam probatur esse censuram, ut frustra pro quorumdam voluntatibus quis privetur, quem sua culpa vel facinus ab Officio, quo fungitur, gradu non deiicit - *in Lucana die 20 Ianuarii 1838 §. Ex indole.*

Item *in Fulginaten. Remotionis et Depositionis ab Officio die 24 Iulii 1858 §. Perversum* (3).

20. Ex causa propterea possunt Officia tolli, non autem ad nutum *in Lucana die 20 Ianuarii 1838 §. Ex indole* (4).

21. Amplia, etiamsi Officii concessio facta fuerit ad beneplacitum, et cum clausula, quoad placuerit; nam sine causa minime poterit revocari *in Lucana die 20 Ianuarii 1838 §. Ex indole.*

Item *in Fulginaten. Remotionis et Depositionis ab Officio die 24 Iulii 1858 §. Hinc.*

22. Quum enim sit honor administrare, et dedecus removeri; sequitur, quod contra iustitiam et omnem aequitatem peccetur, si quis sine iusta causa ab Officio depellatur, ob maximum quippe dedecus, quo amotus afficitur *in Assisien. Nominationis Exequutoris Testamentarii die 24 Aprilis 1852 §. Sed.*

Item *in Fulginaten. Remotionis et Depositionis ab Officio die 24 Iulii 1858 §. Perversum* (5).

23. Hinc Administrator amovendus non esse videtur, sine rationabili et gravissima causa, ob publicam quam gerit administrationem et iurisdictionem et auctoritatem, qua fungitur *in Fulginaten. Remotionis et Depositionis ab Officio die 24 Iulii 1858 §. Perversum* (6).

24. Idcirco sub ratione restringi debet Superioris potestas; quae, ratione carente, in furorem commutatur *in Fulginaten. Remotionis et Depositionis ab Officio die 24 Iulii 1858 §. In altero* (7).

(1) Card. de Luc. de benef. disc. 80; Pignatell. Consult. 143, n. 4.

(2) Fagnan. in cap. *Monasterium*, n. 33, de stat. Monach.

(3) Can. *Quamvis*, caus. 7, quaest. 1; Can. *Satis perversum*, dist. 56; Can. *Cum percussio*, caus. 7, quaest. 1; cap. *Conquerente*, de Restit. Spoliat.; L. *Si quos*, Cod de offic. Praef. praet.; Card. De Luc. de Regal. disc. 20, n. 3; Menoch. de arbitr. iud. lib. 1, quaest. 55 in addit. n. 9, 11 et per tot.; Mastril. de magist. vol. 2, lib. 1, cap. 5, n. 46; Gratian. discept. foren. cap. 167 per tot.

(4) Ricc. in Collect. decis. 2011.

(5) Monacell. Formul. legal. form. 14, n. 9; Lana in novissim. decis. Granaten. disp. 2, n. 6.

(6) Iuxta theoricam, quam insinuat Fargn. in part. 2, can. 21, cas. 10, n. 9, de inrepatronat.

(7) Lotter. de Re Benef. lib. 1, quaest. 33, n. 31.

25. Quando propterea nulla existit causa legitima, necessario sequitur, ex sola malitia seu malo animo Revocantis decretam fuisse remotionem *in Fulginaten. Remotionis et Depositionis ab Officio die 24 Iulii 1858* §. *Cum* (1).

26. Hinc, ubi etiam Rectoris officium sit dicendum ad nutum revocabile, revocatio autem haud sustineri videtur, si ex malitia, odio, calumnia seu indignatione processerit *in Fulginaten. Remotionis et Depositionis ab Officio die 24 Iulii 1858* §. *Cum* (2).

27. Et censetur revocatio facta ex malitia, si subsit praesumptio alicuius odii *in Fulginaten. Remotionis et Depositionis ab Officio die 24 Iulii 1858* §. *Eamdemque* (3).

28. Praesumitur autem remotio facta ex odio et malo animo, si facta fuerit, lite pendente *in Fulginaten. Remotionis et Depositionis ab Officio die 24 Iulii 1858* §. *Eamdemque* (4).

29. Itaque, si Episcopus iure quidem removendi Rectorem seu Administratorem Loci Pii pollet, sed legitima remotionis iam peractae causa non adesse videtur, Sacra Congregatio quandoque, attentis peculiaribus circumstantiis, censuit, esse Episcopo scribendum, ut eum ad pristinum Officium restituere velit, imposita tamen salutari poenitentia, atque petita ex eo venia, quod praefatus Rector seu Administrator Episcopalem spreverit auctoritatem *in Fulginaten. Remotionis et Depositionis ab Officio die 24 Iulii 1858.*

30. Durius esse vero agendum statuit huiusmodi in casibus, cum Religiosa Praeside Loci Pii, quae non recte partes Rectoris seu Administratoris, contra Episcopi auctoritatem, sequi praesumpsit *in Fulginaten. Remotionis et Depositionis ab Officio die 24 Iulii 1858.*

31. Siquidem sub initium elapsi seculi Pia instituta est Fulginiae Domus Orphanarum, quarum cura commissa est Sororibus Oblatis, a divo Philippo Nerio nuncupatis. Pii Loci bonorum et redituum administratio regitur a Religiosa Femina Praeside, quae tamen ex Constitutionibus debet reddere rationes administrationis singulis mensibus Rectori, qui sub finem cuiusque anni eidem tribuit exaequationem rationum. Rectori autem, praeter praecipuam in gerenda administratione partem, interior Domus disciplina commissa est, et ultra suffragium, quod habet in Officiis unicuique Monialium per earum Praesidem distribuendis, ad ipsum quoque spectat eiusdem Praesidis electio.

32. Per plures annos iam Rectoris personam et munus gerebat Ioannes Ceccarelli. Hinc anno 1857 a mense Aprilis is de mandato Monialium iudicialem promovit actionem in Curia Episcopali, ad vindicandam seu recuperandam Feliciani Iacobilli hereditatem, ratus, locum fuisse factum substitutioni, quam Testator iusserat favore Piae Domus Orphanarum. Et lis introducta ad iuris tramites contestata est a Promotore Fiscali, et praefatae hereditatis Administratore.

33. Quum vero iudicialis actio progrederetur, existimans Episcopus, nullum esse ius Orphanotrophio ad hereditatem praedictam, et litem ob graves expensas utrique Piae Causae noxiam futuram, suadere cepit ab inchoata lite recessum. At renuentes expertus est Moniales seu Oblatas earumque Rectorem Ceccarellium; qui praeterea, ad difficultates huiusmodi praecavendas, supplices adiere Pontificem Maximum, pro Causae avocatione. Cum vero Pontifex quaestionem ad Sacram Congregationem tunc solum deferri posse permiserit, cum iudicium rite fuisset expletum in Curia, servatis servandis, Iudex, partium iuribus et deductionibus libratis, dubia pandidit Domui Orphanarum adversa in figura *di opinamento;* quod tamen, etsi typis impressum, haud passus est Episcopus evulgari.

34. Sed, cum iudicium prosequerentur qui partes Orphanotrophii tuebantur et adversus dubia prolata scribere aggrederentur, Episcopus ex Iudicis opinione praeambula magis magisque de malo iure Orphanotrophii persuasus, ut iudicium et litem, quam temerariam reputabat, e medio tolleret, deputationem quatuor Virorum nominavit, quorum duo Presbiteri et

(1) Lotter. de Re Benef. lib. 1, quaest. 33, n. 32 et seq.

(2) Lara de Cappellan. lib. 3, cap. 6, n. 32; Ceccoper. tom. 2, lib. 3, tit. 3, in animadvers. n. 11, et tom. 3, in addit. 19, n. 11; Pignatell. Consult. canon. 143, tom. 9, n. 9; Corrad. in Prax. Benef. lib. 1, cap. 6, n. 276; Card. De Luc. de Benef. disc. 97, n. 11 et. 12.

(3) Farg. de iurepatronat. part. 2, can. 21, cas. 10, n. 44.

(4) Navarr. Gonzalez et Sanchez apud Piton. in Allegat. 88, de Controv. Patron.

duo erant Laici. Obiectum deputationis illud erat, ut Ceccarellius Rector facilius adduceretur relinquere Tribunalia, sed potius universae controversiae per Sacram competentem Romanam Congregationem deciderentur. Accedebat etiam necessitas removendi ab Orphanotrophio abusus, qui iam irrepserant.

35. Haud tamen huic Episcopi consilio Praeses Oblatarum et Rector, quibus factum est notum, acquiescentes; tum quia salva conscientia sese liti valedicere non posse rebantur, tum quia avocationi Causae in Urbe Pontificium Rescriptum obstare putabant, ut urgentiora iussa vitarent, ambo Episcopum adiere, Literas discessionales ad Urbem postulantes. Eas quippe promisit Episcopus Ceccarellio se daturum in sequentem diem; at Praesidi Oblatarum denegavit, eidem praecipiens, ut in Orphanotrophium se reciperet, indeque amplius egredi non auderet. Quoniam vero haec iterum instabat, quasi Episcopus petitam facultatem denegare non posset, hic ope Cancellarii, ut eam metu flecteret, solemne eidem fecit praeceptum, ne omnino discederet; ac interim per totam noctem usque ad Ceccarelli discessum, apta adhibuit media, ne quid contra iussa moliretur.

36. Postridie eius diei venit Episcopus in Piam Orphanarum Domum cum Cancellario et Deputatione selecta. Quo et Ceccarellius adveniens, contra Deputationem electam, quam unice ad litem perimendam putabat institutam, graviter est conquestus. Cumque dictae Deputationis obiectam Pontificis facultatem opposuisset ad litem inchoatam prosequendam (Rescriptum supra memoratum intendebat), proindeque ius Episcopo non esse ad litis extinctionem, nec Deputatos nominandi, qui Rectoris facultatem perimerent, ne ipsum Rectorem, lite pendente, removendi, reposuit Episcopus, ut praelaudatam Pontificiam facultatem ostenderet, alias non permitteret amplius, ut Orphanotrophium penes Tribunalia insisteret.

37. Quod Rescriptum sese non posse illico palam facere Ceccarellius addidit, et alia sane plura eum protulisse meminit Episcopus, quae sibi adeo putavit iniuriosa, ut eo loco cum Deputatis haud mora recesserit. Indeque factum est, ut Literas Ceccarellio mitteret, quibus ab Officio Rectoris amotus fuit, ac ipse prohibebatur, ne Orphanotrophium sub poena suspensionis ipso facto incurrenda ingrederetur. Eodemque tempore Praesidem Oblatarum eadem de causa et ratione deposuit.

38. Hoc Episcopi Decreto perculsus, ad Sacram Congregationem provocavit Ceccarellius suo et Praesidis nomine, ac de gravi poena inflicta conquestus, tum ut utriusque existimationi et honori consultum foret, tum ne iura Piae Domus per eorum destitutionem laederentur, plenam in Officio respectivo redintegrationem exoravit. Episcopus hinc de causis decretae remotionis exquisitus fuit, addita insuper inhibitione, ut nihil interim innovaretur. Iteratis haec inter eorumdem precibus, Supremus Pontifex quaestionis principis de Iacobillia hereditate concessit avocationem, quae separatim proponi deberet (1).

39. Itaque Episcopi Defensor, relatione illius innixus, in id enixe institit, ut Ceccarellius Administrator nedum de iure, sed etiam inspectis Constitutionibus Orphanotrophii removeri etiam ad nutum potuerit, quin obstaret ratio Rectoris, cum utrumque munus Rectoris et Administratoris in huiusmodi Locis Piis unum idemque sonet ac insimul coalescat. Quovis autem in casu, Ceccarellius in asserto Rectoris munere nonnisi nudus et simplex Episcopi Vicesgerens esse potuisset, cum ex Orphanotrophii Constitutionibus Episcopum dumtaxat Rectorem esse probare Orator contenderit, ex eo etiam, quod Episcopus numquam ei formiter Officium huiusmodi commiserit.

40. Concludere inde studuit, quod licet per damnatam hypothesim Ceccarellii munus non uti precarium, et ad nutum placitumque Episcopi revocabile renunciaretur, haud tamen ambigendum foret, ab illo potuisse legitime amoveri et deiici, cum is animum Pii Instituti administrationem male vexandi, litem firmiter fovendo, habuerit; atque nedum coram Deputatis et Monialibus Episcopalem spreverit auctoritatem et sacram ipsam Antistitis personam, sed et coram omni populo et voce et vulgatis scriptis. Unde et Monialium et Orphana-

(1) Revera proposito deinde dubio. – An, et a quo tempore factus sit locus substitutioni ad hereditatem Feliciani Iacobilli, favore Piae Domus Orphanarum, ita ut danda sit eidem immissio seu redintegratio possessionis et restituendi fructus in casu –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative in omnibus a die 9 Septembris 1811; fructus tantum esse restituendos a die motae litis – *in Fulginaten. Substitutionis et Fructuum die* 29 *Ianuarii* 1859.

rum concitata efferbuit inobedientia, itaut non leves apud illas turbae, ipso Auctore Ceccarellio, ortae fuerint, cum christianae Plebis scandalo bonorumque moerore.

41. Orator Ceccarellii et Praesidis e contra ostendere nisus est, Rectoris Orphanarum Officium haud esse pro libito et sine causa amovibile; atque, allatis quibusdam Constitutionum particulis, illud esse debere ab Episcopi persona distinctum; ac propterea agnitum semper fuisse Rectorem Ceccarellium, tum ab Episcopo, tum ab eius Curia, ita ut quaelibet provisorii muneris exceptio repelli videretur, inspectis praesertim Rectoris Officii praestantia observantia et Constitutionibus, in quibus nec vola habetur de Rectoris amovibilitate. Quin imo licet Officium Rectoris esset ad nutum amovibile, legitima tamen exigitur causa ad amotionem decernendam, quaeque proportionalis esse debet cum auferenda dignitate.

42. Nullam adesse legitimam remotionis causam deinde Orator propugnavit. Cum enim agendi et administrandi ratio nullimode reprehendi posset in Ceccarellio, tota et unica remotionis causa reponenda erat in detrectato recessu ab inchoato iudicio circa Iacobilli hereditatem. At Episcopo non licet liberum et plenum administrandi ius intercipere Piorum Locorum Administratoribus; ideoque eidem vetitum erat iudicialis actionis introductionem intercidere, eoque minus iudicium rite introductum perimere, quin potestas et plena facultas administrandi laederetur. Obiectae autem irreverentiae notae et spretus, in auctoritatem Episcopalem, eo minus honestam remotionis causam constituere potuerunt. Ceccarellius enim, tamquam Administrator Loci Pii, ius renuendi habuit; et si verbum aliquod minus castigatum exciderit ab eius ore, aut motus aliquid visus fuerit in eo, decentiae rigidissimae non respondens, id totum excusationem meretur, ob gravem provocationem; et non esset profecto trahendum ad poenam omnium severissimam infligendam. Unde ex sola malitia seu malo animo revocantis decretam fuisse remotionem arguit.

43. Hisce sedulo hinc inde expensis, proposito dubio: - An constet de legitima causa remotionis ac respectivae depositionis in casu-, S. Congregatio respondit: - Constare de iure Episcopi removendi Rectorem et deponendi Religiosam Praesidem; et ad mentem: Mens est, quod, attentis peculiaribus circumstantiis, rescribatur Episcopo, ut, peractis per quindecim dies a Ceccarellio Spiritualibus exercitiis in Domo Religiosa ab Episcopo designanda, eidemque petita venia, Ceccarellium ad pristinum Officium restituere velit; quoad vero Religiosam Praesidem, arbitrio et clementiae Episcopi - *in Fulginaten. Remotionis et Depositionis ab Officio die 24 Iulii 1858.*

44. Hinc etiam illi, qui legitimis Administratoribus ex fundatione et decretis Visitatoris Apostolici successerunt, sunt removendi ac respective reintegrandi, non obstante centenaria consuetudine et decretis per Ordinarios Visitatores editis, cum praesertim ex eorum administratione Loca Pia detrimentum ac damna patiantur *in Nullius Foripompilii die 19 Maii 1832.*

45. Siquidem Oppidum Meldulae Aemiliae parte situm, et finibus conclusum Abbatia S. Rufilli Foripompilii Nullius Diaecesis, quae Capitulo SS. Patriarchalis Vaticanae Basilicae perpetuo unita est, duo habet publicae beneficentiae Instituta, Montem scilicet Pietatis et Valetudinarium Sanctissimi Crucifixi, ubi olim peculiare Sodalitium existebat. Ille a Roberto Bondomi anno 1560 initium habuit, inde auctus a Iacoba Balducci, denique anno 1562 a Iulio Ferri dilatus maxime fuit, sed semper ex hisce Institutoribus Communitati Meldulae administratio tribuitur. Quod spectat ad primaevam Valetudinarii institutionem, haec quidem in antiquitatis tenebris omnino delitescit, attamen compertum planumque est, Meldulensis Communitatis cura anno 1536 peculiares Valetudinarii leges fuisse exaratas, et anno 1541 novum Priorem ab Oppidi Magistratu iuxta antiquum ordinem creatum extitisse.

46. Constat praeterea, Praesulem Herculem Vaccari, qui anno 1602 ad promovendam utriusque Pii Loci rectam administrationem Visitator Apostolicus a S. M. Clemente VIII deputatus fuerat, Meldulae nonnulla statuta condidisse (1); unde Meldulensis Communitatis

(1) Haec sane praelaudatus Visitator Apostolicus constituit, ut in S. *Oppidum* - Inerendo all' ordine e modo, che si tiene oggidì e da molti anni in quà in governare il S. Monte di Pietà, debbano essere cinque gli Officiali, che hanno da governarlo, l'elezione di detti Officiali si faccia dal Maggiore Consiglio della Comunità, ed ivi secondo la qualità

Consilium, tum ex antiqua observantia, tum ex Apostolici Visitatoris legibus per plures annos Valetudinarii et Montis Pietatis regimini praefuit, dum ad huiusmodi Piorum Locorum administrationem singuli prorsus Oppidi Homines, qui bene morati et idonei fuissent, eligi poterant et solebant. Postero tamen temporis lapsu factum est, ut a Municipii Consilio ceperit eorumdem Locorum administratio iis tantummodo tradi, qui vel ex gremio ipsius Consilii, vel ex Consiliariorum Familiis existerent. Denique contigit, ut, ceteris omnibus Meldulensium Incolarum coetibus plane exclusis, soli Nobiles et Cives Piorum Institutorum administrationem sibi gerendam reservaverint.

47. At Constitutiones a praelaudato Apostolico Visitatore conditae in pristinam redierunt vim anno 1796, quo enim anno, iuribus Feudatariis abrogatis, Meldulae Consilium non modo conflatum fuit ex numero Civium, sed ex quovis alio inter Meldulenses Viro, quem suprema Imperantis auctoritas probasset. Idcirco omnes ex quolibet Familiarum genere, pro cognita uniuscuiusque honestate et idoneitate, Valetudinarii et Montis Pietatis Administratores ad annum usque 1818 nominari iterum usuvenit.

48. Interim iam ab anno 1816 Summus Pontifex Pius VII mandaverat, ut Pia omnia Loca, eo rursus modo, quo ante annum 1796 ac sub immediata Ordinariorum potestate regerentur. Quapropter Praesul Benigni, Canonicus Sacrosanctae Basilicae Vaticanae, reclamantibus Meldulae Familiis, quae Civium nomine ceteris praestabant, ac sibi contendebant privativum Pia Loca administrandi ius omnino deberi, in Sacra Visitatione anni 1818 decretis suis morem gerere non dubitavit. Sed huiusmodi decreta nullimode nacta sunt exitum, ob gravissimas inter Capitulum et Administratores exortas controversias, quas anno 1825 in altera S. Visitatione Praesul Lanfrancus Mattei eiusdem SS. Basilicae Canonicus composuit, qui pariter laesiva iurium Incolarum decreta tulit (1). Hinc adversus haec decreta suas illico querelas Meldulenses, qui Civium nomine et Nobilitatis carebant praerogativa, ad Magistratum Oppidi detulerunt, iidemque rogarunt, ut ipse penes Summum Pontificem huiusmodi decretorum abrogationem nec non redintegrationem ad ius administrandi, iuxta fundationem et statuta anno 1602 condita, obtineret.

49. Re itaque delata ad S. Congregationem, neque contrariam consuetudinem impedimentum parare posse praefati Meldulenses contenderunt contra fundationem, cum praesertim ea viguit tempore Principum Feudatariorum veluti abusus et corruptela, neque praedictos Canonicos Visitatores abrogare potuisse, quod statutum erat a Visitatore Apostolico. Id etiam ex ipso Promotoris Fiscalis testimonio accedebat, quod Piorum Locorum administratio in ruinam vertebat (2).

50. Idcirco, proposito dubio: - An et quomodo

e quantità d' uomini, che conosceranno essere atti e idonei a detto ufficio tanto del Consiglio, quanto fuori, purchè siano originarii di Meldola e maggiore di venticinque anni, di buona vita, fama, e condizione, sappiano leggere e scrivere, facciano quella maggiore quantità di bolle, che potranno, le quali prima, che si serrino e si pongano nelle borse dovranno essere confermate ed approvate dal Signor Vicario ecclesiastico ordinario della detta terra. Nel creare le bolle delli nuovi Officiali pongano e nominino solamente persone dabbene ed atte all' offizio, rimosso ogni interesse, odio, amore, o intercessione di altri, i quali Officiali prima che entrino e piglino il loro Offizio, sieno obbligati giurare in mani del Vicario ecclesiastico pro tempore della Terra di Meldola d'esercitar fedelmente i loro Offizii e render conto di quello che avranno amministrato in fine del loro Offizio –.

(1) Haec inde praefatus Mattei sanxit, ut in §. *Interim* – ibi – La formazione delle bolle per gli Uffiziali del Venerabile Ospedale deve eseguirsi col metodo seguente. Verrà preso il numero de' nobili Cittadini di Meldola aventi i requisiti prescritti dai Decreti. Dovranno sciegliersi dal detto numero quegli Individui, che si crederanno atti –. Statuit pariter: – ibi – L'elezione degli Uffiziali del Sacro Monte di Pietà si farà dal Consiglio Generale della Comunità di Meldola. Vedutosi quale sia il numero di nobili Cittadini, che hanno il diritto ed i requisiti per essere inclusi nelle borse, si esaminerà quali e quanti possano essere idonei ed abili ai rispettivi ufficii secondo viene prescritto dai capitoli Apostolici suddetti –.

(2) Promotor Fiscalis haec exposuit, ut in §. *Illud* – Gl' inconvenienti dell' attuale amministrazione (penes Cives et Nobiles) sono tali, che i due Luoghi Pii si trovano nel più grande decadimento. Sono senza fondi le casse affatto, e ricche solo di vistosi crediti arretrati. Il numero de' pretesi Nobili Amministratori è ristrettissimo, copioso all'incontro quello degli Ufficiali destinati all' azienda dell' Ospedale e Monte di Pietà. Da ciò proviene, che un' Ufficiale in corto giro passi da un' impiego all' altro, trovandosi così sempre gli stessi soggetti nell' ingerenza de' Luoghi Pii ora di una, ora di altra qualifica rivestiti. Non si vuol far torto all' onestà di chicchessia; ma questo stesso giro di cariche fra

probanda, aut infirmanda decreta SS. Visitationum anni 1818 et 1825 edita in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Decreta esse infirmanda, et observanda statuta edita a Visitatore Apostolico anno 1602 - *in Nullius Foripompilii die 19 Maii 1832.*

51. Unde valida non est mutatio Administratoris ab ipso Fundatore designati, etiamsi actualis Administrator ad id consensum praestet, et in huius locum substituatur Nepos eiusdem Fundatoris, cui hic curam dederat faciendi repertorium seu inventarium et bona administrandi, donec expungerentur debita *in Romana die 21 Maii 1757 et die 28 Ianuarii 1758.*

52. His enim etiam concurrentibus, Sacra Congregatio concordiam inter Administratorem et praefatum Nepotem initam approbare noluit: proposito quippe dubio: - I. An sit probanda concordia in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Negative - *in Romana die 21 Maii 1757.*

53. Reproposito dein dubio, sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. - Sacra Congregatio respondit: - In decisis, et amplius - *in Romana die 28 Ianuarii 1758.*

54. Hinc tunc tantum Episcopis permissum esse videtur Administratores dimovere, quum scilicet male se gerant in administratione, ac eorumdem reditus dilapident, vel in extraneos usus convertant *in Spoletana Iuris Administrandi die 2 Iunii 1860* §. *Atqui* (1).

55. Siquidem quivis negligens Administrator privandus est administratione *in Urbevetana Administrationis die 20 Septembris 1794* §. *Ut se.*

56. Nec facile, post praestitum consensum deputationi alterius Administratoris, redintegrari debet *in Urbevetana Administrationis die 20 Septembris 1794* §. *Ut se.*

57. Nam displicere amplius nequit, quod semel placuit *in Urbevetana Administrationis die 20 Septembris 1794* §. *Ut se* (2).

58. Immo ex iure cautum est, ut removeri etiam possint Administratores nedum ex levi et levissima negligentia, sed ex mera negligentiae suspicione *in Narnien. die 23 Ianuarii 1790* §. *De remotione.*

Item *in Nullius Foripompilii die 14 Aprilis 1832* §. *Illud; in Fulginaten. Remotionis et Depositionis ab Officio die 24 Iulii 1858* §. *Denique* (3).

59. Multo magis propterea in casu detectae fraudis, vel negligentiae removere, ac demandare potest Episcopus, prout de iure, alterius Exactoris electionem *in Viterbien. Dotium die 11 Aprilis 1761* §. *Stipendium* (4).

60. Amplia, in casu etiam, quo Administrator sit Heres ipsius Institutricis Pii Operis, ac diu ex permissione Administratorum administrationem idem retinens, bona primum auxit; sed inde plures per annos investimentum ad formam Testamenti neglexit insignis summae, suoque arbitrio erogavit conspicuas summas in alias expensas, quibus equidem Pium Opus non tenebatur *in Narnien. die 23 Ianuarii 1790* §. *De remotione.*

61. Proposito quippe dubio: - III. An sit locus deputationi alterius Administratoris in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad tertium, Affirmative; ad formam Testamenti, arbitrio Episcopi - *in Narnien. die 27 Februarii 1790* (5).

62. Immo, etiamsi Administrator seu Exactor constitutus fuerit a Visitatore Apostolico, removeri potest ab ipsis Officialibus Loci Pii ac alius substitui, cum in capsa deficiat pecunia; quin obstet, quod nondum sit reddita ratio, neque declarata dolose gesta - *in Sutrina die 16 Martii 1782.*

63. His enim in terminis, proposito dubio: - III. An sit praeservandus in collato munere

poche persone del medesimo ceto è cosa assai pericolosa, che si favoriscano gli Ufficiali l'uno e l'altro, non si molestino, e non riparino i difetti dell' amministrazione a danno de' Luoghi Pii, che sono si rovinati. Gli enunciati riflessi convincono sempre più della ragionevolezza dell' istanza promossa della ricorrente Comunità -.

(1) Ferrar. in biblioth. canon. Verb. Administrator, administratio.

(2) Cap. 21, de Regul. Iur. in 6.

(3) Ut in similibus terminis Tutoris statuit L. *Cum quem*. Cod. de suspect. tutor.; L. 3 fin. ff. tit. eod. Montan.; cap. 36, Regul. 3, n. 5.

(4) Barbos. in cap. *Nos quidem*, n. 7, de testam.; Passerin. in cap. *Religiosus*, §. Sane, quaest. unic. n. 49 et 50 eod. tit. in 6; Benedict. XIV de synod. Diaeces. lib. 13, cap. ult. n. 1 et 3.

(5) Species causae huius prostat in Verb. *Administrator*, §. III, n. 87 et seqq.

Sacerdos Berti, itaut sint abroganda omnia et singula acta gesta in praeiudicium dictae deputationis, et signanter nuperrima substitutio Sacerdotis Iosephi Parissi in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: -Ad tertium, Negative - *in Sutrina die 16 Martii 1782* (1).

64. Idcirco eo etiam in casu, quo electio Administratorum ad alios pertineat, Episcopi removere quidem possunt iusta de causa Administratores, sed interim alios eligere ac eorum loco substituere nequeunt *in Montis Alti die 25 Ianuarii 1755.*

65. Proposito sane dubio : - V. An Episcopus possit removere Administratores Hospitalis Montis Pietatis et Montis Frumentarii Montis Elpari, electos a Communitate non idoneos vel male gerentes administrationem, atque alios per ipsum eligendos eorum loco substituere? -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Ad quintum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam - *in Montis Alti die 25 Ianuarii 1755.*

66. Legitima hinc subsistente causa, Sacra Congregatio passim decretam per Episcopos ab Officiis natura sua perpetuis remotionem substinuit *in Fulginaten. Remotionis et Depositionis ab Officio die 24 Iulii 1858* §. *Atqui.*

67. Quin obstet, quod Administrator deputatus fuerit a Testatore in testamento *in Nucerina Pii Relicti super Redditione Rationum et Attentatis die 20 Decembris 1856* §. *Quibus.*

68. Propositis quippe dubiis: - VIII. An eisdem Curatis sit respective iniungendum onus annuatim revidendi computa Exactoris?

IX. An rationes Exactoris a Curatis dispunctae deferendae sint ad Episcopum, eidemque danda facultas illas iterum examinandi, et Exactorem removendi in casu detectae illius negligentiae vel fraudis, alteriusque electionem demandandi sub idonea fideiussione? -, Sacra Congregatio respondit: - Ad octavum Affirmative; ad formam Testamenti, salvo iure Eminentissimi Episcopi revidendi computa, et removendi Exactorem, prout de iure; et amplius. Ad nonum, Provisum in antecedenti - *in Viterbien. Dotium die 11 Aprilis 1761* (2).

69. Quin imo, etsi Administrator ab ipso Institutore deputatus fuerit, non solum esse locum in casu negligentiae remotioni statuit Sacra Congregatio, sed etiam esse locum commutationi voluntatis, ut scilicet in perpetuum alii administratio committeretur *in Eugubina die 30 Iulii 1730.*

70. Propositis enim dubiis: - I. An sit locus remotioni Petri Perugini ab officio canendi nec non ab administratione praedii in casu etc. *Et quatenus affirmative.*

II. An sit consulendum Sanctissimo pro commutatione Voluntatis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum et secundum, Affirmative - *in Eugubina die 30 Iulii 1735* (3).

71. Id praesertim locum habet, si de mala eius agendi ratione in suo munere constet etiam ex Episcopi relatione *in Nucerina Pii Relicti super Redditione Rationum et Attentatis die 20 Decembris 1856* §. *Quibus.*

72. Tralatitii siquidem iuris est, Administrum infidelem, licet testamento relictum, esse removendum *in Nucerina Pii Relicti super Redditione Rationum et Attentatis die 20 Decembris 1856* §. *Quibus* (4).

73. Immo, ex solo facto occultandi scripturas, dicitur committere delictum punibile *in Nucerina Pii Relicti super Redditione Rationum et Attentatis die 20 Decembris 1856* §. *Quibus* (5).

74. Hinc subiacet censurae mali regiminis et damnatur, prout regulariter damnantur omnes aliena gerentes negotia, et privantur Officio *in Nucerina Pii Relicti super Redditione Rationum et Attentatis die 20 Decembris 1856* §. *Quibus* (6).

75. Si propterea Administrator negligens sit in Opere Pio implendo intra tempus a Testatore statutum, potest ab Episcopo removeri *in Senogallien. die 8 Iunii 1765* §. *Ius Episcoporum.*

76. Idque intellige de quacumque aedificatione Ecclesiarum, Hospitalium, Gerontocomio-

(1) Habes speciem causae huius in verb. *Administrator,* §. III, n. 42 et seqq.
(2) Speciem Causae huius habes in Verb. *Administrator,* §. I, n. 12 et seqq.
(3) Habes huius causae speciem ac resolutionem aliorum dubiorum in verb. *Administratio,* §. II, n. 284 et seqq.
(4) Rot. in decis. 146, n. 9, part. 4, tom. 2 Recent.
(5) Rot. in decis. 146, n. 9, part. 4, tom. 2 Recent.
(6) Rot. in decis. 640, n. 3, part. 1 Recent.

rum, Orphanotrophorum, Procotrocophorum, Noscomiorum, redemptione Captivorum, aut alia qualibet actione pia a Testatore ordinata *in Senogallien. die 8 Iunii 1765 §. Ius Episcoporum.*

77. Amplia, licet Episcopo ex rationabili causa etiam Superiores Regulares admonere, ut eiusmodi Administratores bonorum Monialium, ipsis subiectarum, amoveant *in Constantien. Iurisdictionis die 31 Martii 1770 §. Ad III.*

78. Immo iis Superioribus id facere detrectantibus, aut negligentibus, habet Episcopus facultatem praedictos Administratores amovendi, quoties et quando opus esse iudicaverit *in Constantien. Iurisdictionis die 31 Martii 1770 §. Ad III.*

79. Expressis enim verbis id statuit Gregorius XV in Constitutione incipien. *Inscrutabili,* edicens: - Liceat Episcopo ex rationabili causa Superiores Regulares admonere, ut huiusmodi Confessores et Administratores amoveant, iisque Superioribus id facere detrectantibus, aut negligentibus, habeat Episcopus facultatem praedictos Confessores et Administratores amovendi, quoties et quando opus esse iudicaverit - *in Constantien. Iurisdictionis die 31 Martii 1770.*

80. Proposito hinc dubio: - III. An facultas removendi Officiales et Ministros spectet ad Priorissam et Moniales, seu potius ad Eminentissimum Archiepiscopum? -, Sacra Congregatio respondit: - Ad octavum, Affirmative quoad primam partem, quoad secundam servetur Bulla, incipien. *Inscrutabili - in Ferrarien. Iurisdictionis die 28 Septembris 1754.*

81. Ceterum post hanc Bullam Gregorianam, variis exortis quaestionibus, proposito XII dubio: - Cum in eadem Constitutione statutum sit, ut liceat Episcopo ex rationabili causa Superiores Regulares admonere, ut amoveant Administratores bonorum, ad earumdem Monialium Monasteria pertinentium, An eiusmodi causam Episcopus significare teneatur -, Sacra Congregatio respondit: -, Non teneri huiusmodi causam significari Superioribus Regularibus, sed hoc relinqui arbitrio et prudentiae Episcoporum, quorum conscientias Sacra Congregatio serio oneravit, ne facultate sibi in hac parte tributa quoquo modo abutantur, eius rei in districto Dei iudicio rationem reddituri - *in Constantien. Iurisdictionis die 21 Martii 1770 §. Verum* (1).

82. Hinc antequam ad actum remotionis Episcopus rite procedere possit, admonitio seu interpellatio praecedere tantum debet *in Hieracen. Visitationis die 26 Ianuarii 1692 lib. 42 Decretorum pag. 46.*

83. Siquidem, proposito dubio: - An possit Episcopus Administratores redituum Monasterii exempti ad redditionem rationis compellere, non vocatis Superioribus Regularibus Monasterii, eosque Administratores amovere, quatenus iidem interpellati, id renuant facere -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Quoad primam partem Negative, quoad secundam Affirmative - *in Hieracen. Visitationis die 26 Ianuarii 1692 lib. 42 Decretorum pag. 46.*

84. Eo vel magis idcirco competit Episcopo in Administratores bonorum Monasteriorum exemptorum Monialium delinquentes animadvertere, illosque ad reliquatum solvendum cogere, et prohibere, ne dotes alienentur sine indulto Pontificio et Episcopi licentia *in Omolucen. Iurisdictionis die 7 Iunii et die 2 Augusti 1755.*

85. Proposito quippe dubio: - X. An competat Episcopo rationes exigere ab Administratoribus bonorum temporalium dictorum Monasteriorum exemptorum Monialium, et in Administratores delinquentes animadvertere, illosque ad reliquatum solvendum cogere, et prohibere, ne dotes alienentur sine indulto Pontificio et Episcopi licentia? -, Sacra Congregatio respondit: - Ad decimum, Affirmative - *in Omolucen. Iurisdictionis die 7 Iunii 1755.*

86. Reproposito dein dubio, sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.-, S. Congregatio respondit: - In decisis - *in Omolucen. Iurisdictionis die 2 Augusti 1755.*

87. Animadvertendum tamen est, quod dimissio Officiorum fieri debet in manibus Priorissae, seu Abbatissae, non vero in manibus Ordinarii *in Ferrarien. Iurisdictionis die 28 Septembris 1754.*

88. Proposito namque dubio: - VII. An dimissio Officiorum facienda sit in manibus Priorissae, vel potius in manibus Eminentissimi Archiepiscopi? -, Sacra Congregatio respondit: - Ad septimum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam - *in Ferrarien. Iurisdictionis die 28 Septembris 1754.*

(1) Tambur. de Monial. disp. 26, quaest. 26.

ADOPTIO.

1. Duplex est adoptionis species, scilicet perfecta seu adrogatio, et imperfecta seu simpliciter adoptio *in Hortana Dispensationis die 25 Septembris 1734* §. *At.*

2. Adoptio perfecta seu adrogatio ea censetur, qua mediante, aliquis sui iuris existens auctoritate seu rescripto supremi Principis in Filium assumitur, atque transit in potestatem et familiam Adoptantis, fitque illius necessarius Heres, tam ob intestato, quam ex testamento *in Hortana Dispensationis die 25 Septembris 1734* §. *At* (1).

3. Imperfecta autem adoptio dicitur, quae a quolibet competenti Iudice auctorizari potest, illiusque vigore Filius adoptivus sub pristina Patris naturalis potestate manet, et Patris adoptantis necessario heres est dumtaxat ab intestato *in Hortana Dispensationis die 25 Septembris 1734* §. *At* (2).

4. Ceterum praeter has binas adoptionis species, tertia quoque expenditur a Doctoribus, quae nonnisi improprie adoptio nuncupatur, ea nimirum, quae, forma a Legibus praescripta nullatenus servata, privatim coram Vicinis, aut aliis honestis Personis fiat, Magistratu non interveniente *in Hortana Dispensationis die 25 Septembris 1734* §. *Praeter* (3).

5. Plures ad perfectam adoptionem praescriptae sunt solemnitates a Iure civili *in Hortana Dispensationis die 25 Septembris 1734* §. *Plures* (4).

6. Praecipuae vero sunt supremi Principis auctoritas, nec non expressus Adoptati consensus *in Hortana Dispensationis die 25 Septembris 1734* §. *Plures.*

7. Ex adoptione cognatio legalis inducitur *in Hortana Dispensationis die 25 Septembris 1734* §. *Porro.*

Item *in Lucana Subsidiorum Dotalium die 7 Iunii 1769* §. *Affirmat.*

8. Hinc certum in iure est, Adrogatum legitimo modo transire in potestatem Adrogantis, ita ut huius agnatus fiat *in Lucana Legati die 26 Augusti 1820* §. *Priusquam* (5).

9. Vere Filius propterea efficitur ac iura suitatis acquirit *in Lucana Legati die 26 Augusti 1820* §. *Priusquam.*

10. Idcirco Filius adoptivus agnationem, iura, et familiam Adoptantis retinet *in Lucana Subsidiorum Dotalium die 17 Iunii 1769* §. *Affirmat* (6).

11. Immo omnibus aliis potitur iuribus, quibus potiuntur Filii naturales et legitimi *in Lucana Legati die 26 Augusti 1820* §. *Priusquam* (7).

12. Licet autem, ex Principis privilegio eoque auctorante, fiat adrogatio; attamen ea tanti non est, ut ex hac iuris fictione tolli possit ius alteri legitime quaesitum *in Lucana Legati die 26 Augusti 1820* §. *Eoque magis.*

13. Hinc nequit Adrogatus successionem in fideicommisso vel emphytheusi praepedire iis,

(1) §. 1 Instit. de Adopt.; L. *Si paterfamilias;* L. *Adrogatio;* et L. *Generalis,* ff. de Adopt.; et L. 2, Cod. eod. tit.

(2) §. 1 et 2 Instit. de Adopt. – ibi – Adoptio autem duobus modis fit: aut Principali rescripto aut imperio Magistratus. Imperatoris auctoritate adoptare quis potest eos easve, qui quaeve sui iuris sunt, quae species adoptionis dicitur adrogatio. Imperio Magistratus adoptamus eos easve, qui quaeve in potestate Parentum sunt: sive primum gradum liberorum obtineant, qualis est nepos neptis, pronepos proneptis. Sed hodie ex nostra Constitutione, cum Filiusfamilias a Patre naturali extraneae Personae in adoptionem datur, iura Patris naturalis minime dissolvuntur; nec quicquam ad Patrem adoptivum transit, nec in potestatem eius est: licet ab intestato iura successionis ei a nobis tributa sint. Si vero Pater naturalis non extraneo, sed Avo Filii sui materno, vel si ipse Pater naturalis fuerit emancipatus, etiam Avo vel Proavo simili modo paterno vel materno Filium suum dederit in adoptionem: in hoc casu, quia concurrunt in unam personam et naturalia et adoptionis iura, manet stabile ius Patris adoptivi, et naturali vinculo copulatum, et legitimo adoptionis modo constitutum, ut et in Familia et in potestate huiusmodi Patris adoptivi sint –.

(3) Io. Andr. in cap. unic. n. 2, de cognation. legal. Ancharan. in eod. cap. n. 3; Sanchez de matrimon. lib. 7, disp. 63, n. 18.

(4) Instit. de Nuptiis, et de adopt.; L. 2 et fin. Cod.; L. 3, ff. de adopt., de quibus agunt etiam Canonistae scribentes n cap. unic. de cognat. legal.

(5) L. 2, §. Hereditas, ff. de suis et legit. hered.

(6) Instit. tit. de legit. agnat. success. vers. Nec dubium; L. Qui in adoptivos, ff. de adopt.; L. 1, vers. Cognationem, ff. unde Cognati.

(7) L. *Cum in Adoptivis,* Cod. de adopt. ibique Bald. n. 2; Soccin. in Consil. 32, n. 4; Ferr. de pact. futur. success. lib. 2, cap. 44, n. 16.

qui ex lege institutionis vel conventionis vocati sint *in Lucana Legati die 26 Augusti 1820* §. *Eoque magis* (1).

14. Quod retinendum videtur etiam in specie successionis in iurepatronatus *in Lucana Legati die 26 Augusti 1820* §. *Eoque magis* (2).

15. Amplia, etiamsi Adrogatus bona Capellaniae ab universali diremptione vindicaverit, ac eadem sarcta tectaque servaverit *in Lucana Legati die 26 Maii 1820.*

16. Unde Sacra Congregatio huiusmodi in casu neque ex gratia indulgere censuit precibus Adrogati, qui facultatem nominandi Nepotem inopia pressum potierat *in Lucana Legati die 26 Maii 1820.*

17. Siquidem Capellaniam cum onere quotidianae Missae ad Altare S. Ignatii in Collegiali Ecclesia SS. Ioannis et Reparatae instituit anno 1717 Dominicus Motroni, collato alterno iure nominandi Sacerdotem ad nutum amovibilem natu maioribus ex duobus familiis Motroni et Martini, deficientibus Masculis ex contemplatis Agnationibus (nam Feminas earumque Filios perpetuo exclusos voluit) nominationis compendium contulit pariter alterno iure in Priorem et Canonicum Praefectum praedictae Collegiatae, quae inde sub Gallorum gubernio sublata extitit. Exaruit iam Familia Motroni, cuius ultimus agnatus arrogationis iure Sebastianum Fridericum Andreozzi sibi adscivit. Ex altera Familia Martini unicus supererat Canonicus Stephanus Martini.

18. Postulavit Sebastianus, qui unicam habebat Filiam feminam, a Sanctissimo, ut, praevia derogatione, tum qualitate Sacerdotali, tum amovibilitati Capellani, ius sibi competeret nominandi unum ex Nepotibus, omnibus fortunae bonis destitutum, qui fructibus Capellaniae, satisfactis Missis et Oneribus eidem adnexis, quolibet in statu gaudere posset: ac ita porro futuris vacationibus perpetuo sibi suis heredibus ac successoribus liceret. Quum autem in facto erat, quod iam defecissent Substituti et exaruisset vera ac naturalis Familia Motroni, is, qui ex altera Martini agnatione supererat, sive iure accrescendi, sive iure non decrescendi, integrum iuspatronatus sibi vindicabat (3).

19. Privilegium itaque Principis tollere non poterat ius, quod Canonico Martini legitime quaesitum videbatur, cum esset unicus ex contemplatis Familiis. E vivis autem etiam praefato Canonico Martini erepto, ex aequitate canonica, deficientibus Agnatis, iuspatronatus ab initio agnatitium, transit in hereditarium. Praeterea animadvertebatur, Nepotem Oratoris ex huius Sorore ortum ducere; ac proinde, admissa etiam ex iure adrogationis qualitate agnatitia et patronali in Oratore, nec unam nec alteram verificari in eius Nepote, qui procedens ex femina cognatus erat, et a succedendo in iurepatronatus repellebatur expressa Fundatoris voluntate (4).

20. Id vero insimul concurrebat, quod Orator plurimum benemeritus fuit de hoc Legato Pio seu laicali Capellania, cuius bona ab universali diremptione vindicavit, eaque sarcta tectaque servavit, itaut tunc etiam pia Testatoris voluntas adimpleri poterat, quae ceteroquin in leves abiisset auras, quemadmodum testabatur Ordinarius ipse. Unde id etiam perpensum est, num eodem beneficio, quod ex erectione vel ex simplici dotatione acquiritur, donandus esset ille, qui Capellaniae dotem servavit.

21. His tamen non obstantibus, propositis dubiis: – I. An constet de iurepatronatus Oratoris in casu etc.

II. An et quomodo sit annuendum eius precibus in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative ad utrumque – *in Lucana Legati die 26 Augusti 1820.*

22. Post haec adoptionem in filium factam ab Equite professo Ordinis Hierosolymitani, ultimo superstite de sua familia, favore tertii, non esse revalidandam, nec habilitandum Equitem ad illam de novo faciendam respondit S. Congregatio

(1) L. *Fideicommissi* 76, ff. de cond. et demonstr.; Lotter. de Re Benef. lib. 2, quaest. 39, n. 18.

(2) Lambert. de iurepatronat. lib. 1, quaest. 2, n. 24; Card. De Luc. cod. tit. disc. 86, n. 2 et seqq.; Rot. in decis. 647, n. 17 et 18, part. 19, tom. 2 Recent.

(3) Text. in L. *Hereditatis* 35. ff. de Verb. Signif.; L. *Si Titio* 62, §. 1, de Legatis 2.

(4) Siquidem Fundator hisce verbis iuspatronatus constituit, ut in §. *At enim* – ibi – Non volendo, che le figlie femine discendenti da dette due famiglie Motroni e Martini succedino mai e succeder debbano, nè pretendano di succedere in detto patronato e nomina per qualsivoglia causa e pretesto, che dire e immaginar si possa anche per causa di mendicità –.

in Placentina Arrogationis die 4 Maii 1697 lib. 47 Decretorum.

23. Amplia, non obstante facultate obtenta a M. Magistro Ordinis disponendi de omnibus suis bonis, et approbatione Principis, in cuius dominio sunt bona *in Placentina Arrogationis die 4 Maii 1697 lib. 47 Decretorum.*

24. Siquidem – F. Felix Landus eques professus in sacra Religione Hierosolymitana, et ultimus superstes de eius nobili familia, cupiens saltem ficto modo prospicere illius prorogationi, post obtentam ab Eminentissimo Magno Magistro facultatem disponendi de omnibus suis bonis, sibi in filium arrogavit Comitem Adrianum Landanum, cum decreto serenissimi Ducis Parmae, pro approbatione actus ex parte Arrogati. At quoniam respectu ipsius Arrogantis tamquam professi in praefata Religione, non improbabiliter dubitari possit de huiusmodi arrogationis validitate; hinc precibus Sanctissimo porrectis, et Sacrae Congregationi pro voto remissis, supplex instat vel pro confirmatione et revalidatione arrogationis iam factae, vel saltem pro eius habilitatione ad illam iterum faciendam. Cumque Episcopus desuper auditus, ac praedicta confirmans, credat petitis indulgeri posse, praesertim favore Viri plurimum emeriti, et ex primaria Nobilitate illarum partium: ideo perpensis his, quae ad articuli illustrationem deducta habentur apud Mandos. de Signatura. Gratiae, Verb. Adopt. indult. §. Religiosus, summae erit aequitatis et iustitiae EE. VV. decernere –. An petitae revalidationi seu habilitationi sit annuendum –, Sacra Congregatio respondit: – Negative – *in Placentina Arrogationis die 4 Maii 1697 lib. 47 Decretorum pag. 183 a tergo.*

ADULTERIUM.

1. Criminis adulterii probatio deficit, cum non aliunde desumatur, quam ex ore ipsius Mulieris, quae, veluti propriam turpitudinem pandere non erubescens, reiici meretur *in Cracovien. Parochialis die 10 Februarii 1770* §. *Asserit* (1).

2. Alii autem Testes in id adducti omnino sunt despiciendi, si non aliter deponant, quam de auditu ab eadem Muliere *in Cracovien. Parochialis die 10 Februarii 1770* §. *Asserit* (2).

3. Praesertim, cum conflictentur ab aliis Testibus, pro exclusione delicti inductis *in Cracovien. Parochialis die 10 Februarii 1770* §. *Asserit.*

4. Qui enim praevalere debent, nedum ratione scientiae, si eam allegant, sed etiam si magis verisimilia referunt *in Cracovien. Parochialis die 10 Februarii 1770* §. *Asserit* (3).

5. Neque Testis est admittendus, qui fuerat reiectus, et accusatus vix notitiam habuit, de illius examine, statim de nullitate conquestus est, et protestationem emisit contra suum Procuratorem, qui in examine consenserat, quique in committendo nullum ei praeiudicium potuit inferre *in Cracovien. Parochialis die 10 Februarii 1770* §. *Despiciendam* (4).

6. Quando praesertim Adulterium in medium profertur, ut quis Ecclesia Parochiali privetur; nisi enim rite ac luculenter probetur, Parochus, praetermissa etiam trina monitione remotus, manutentionem et reintegrationem petere potest; quamquam Sacra Congregatio, aliis attentis impictis criminibus ac praetensa per Curiam diffamatione aliisque circumstantiis, quandoque rem de iure dirimendam Summo Pontifici remittere, cum mente ab eodem approbanda, censuit *in Cracovien. Parochialis die 10 Martii 1770.*

7. Siquidem sententia Consistorii Generalis Cracoviensis die 7 Octobris anni 1757 privatus fuit Parochiali Ecclesia Xentensi, qua potiebatur, Sacerdos Adalbertus Daneki. Hic appellavit ad Episcopum Cracoviensem, qui, expensis Testium depositionibus, cognitaque assertorum

(1) Rot. in Cracovien. Parochialis super bono iure 22 Iunii 1767, §. 4, coram Guerra.

(2) Rot. in decis. 202, n. 21, part. 9, tom. 1; in decis. 135, n. 32, part. 14 Recent.

(3) L. *Cum indebito*, ff. de probat.; Rot. in decis. 2, n. 19, de fid. instrum. coram Falconerio; in decis. 11, n. 8 et seqq. part. 18 Recent.

(4) Surd. decis. 181, n. 16; Rot. in decis. 1226, n. 8, coram Molin.; in Interamnen. censuum 10 Ianuarii 1738, §. final. coram Canilliac.

criminum causa, die 17 Decembris eiusdem anni declaravit: - Ex praelibati Decreti oppositione quandocumque a quocumque facienda, nihil eidem admodum R. D. Daneki impingi posse, ipsumque Decretum bonae eiusdem famae amplius nocere non debere, et ad obiiciendum eidem Daneki retorqueri non valere unquam -; promisitque insuper, eumdem Sacerdotem ad aliud Beneficium curatum provisurum, prout revera de Parochiali Ecclesia Oppidi Palow dictus Sacerdos paulo post fuit ab Episcopo provisus *in Cracovien. Parochialis die 10 Februarii 1770* §. *Sententia.*

8. Verum anno 1763 novis contra ipsum impictis criminibus, insimulatusque rixarum, crapulae, illicitae cum Mulieribus familiaritatis, et negligentiae in officio, alia die 12 Decembris illius anni prodiit sententia Iudicis, a Curia Episcopali Cracoviensi subrogati, cuius vigore Parochiali Ecclesia iterum privatus fuit, aliisque poenis gravatus. Interiecta ab hac sententia appellatione ad Metropolitanum Gnesnensem, istius Auditor die 1 Martii 1766 pronunciavit, Curiam Episcopalem Cracoviensem, - ex defectu canonicae convinctionis dicti Appellantis et clare concludentis probationis Testium, devenire nequaquam potuisse ad amotionis sententiam, decretoque Iudicii... insubsistibili adinvento, ac respectivo eo reformato, Appellanti bonae istius famae in causa hac impicta nihil quidquam nocere debere - *in Cracovien. Parochialis die 10 Februarii 1770* §. *Verum.*

9. Aegre tulit hanc sententiam Promotor Fiscalis Cracoviensis, et ad Sanctam Sedem appellavit, subdelegatusque per Breve in partibus fuit Reverendissimus Suffraganeus Chelmensis et Canonicus Cracoviensis, qui die 5 Decembris 1766, revocata sententia Metropolitani Gnesnensis, priorem Curiae Cracoviensis confirmavit. Oportuit itaque, ut Sacerdos Daneki ad Sedem Apostolicam et ipse appellaret, delegataque Causae notione S. Congregationi, in id enixe institit, quod Beneficii privatio inter graviores poenas a Doctoribus recenseatur, ac proinde tria haec omnino requirantur videlicet gravis causa, quae privationem mereatur, insuper causa huiusmodi plenissime probata, ac tandem, quod privationis poena infligatur, iuxta formam a legibus ecclesiasticis praefinitam *in Cracovien. Parochialis die 10 Februarii 1770* §. *Aegre et* §. *Et primo.*

10. Praetermissa enim trina monitione, palam est, sententiam insanabili nullitatis et iniustitiae vitio laborare *in Cracovien. Parochialis die 10 Februarii 1770* §. *Patet* (1).

11. Amplia, etiamsi agatur de incontinentia qualificata cum adulterio *in Cracovien. Parochialis die 10 Februarii 1770* §. *Patet* (2).

12. In themate praesertim, ubi deficere criminis huius probationem contendit, quum adulterium eidem impictum cum quadam Muliere, nomine Margarita, non aliunde desumatur, quam ex ore ipsius Mulieris, ac alii Testes nedum de auditu ab eadem Muliere deponant, sed conflictantur ab aliis Testibus, pro exclusione delicti inductis, verisimilia narrantibus; quin obstet depositio Antonii Chrapkowicz Margaritae Viri; quia inductus in testem fuit contra decretum Commissariorum ad recipiendum examen deputatorum, qui, ob exceptiones, quas patiebatur a perhibendo testimonio, illum reiecerant, ac ipse Sacerdos Daneki statim de nullitate in actis conquestus est, et protestationem emisit contra suum Procuratorem, qui examini consenserat *in Cracovien. Parochialis die 10 Februarii 1770* §. *Asserit et* §. *Despiciendam.*

13. Eadem quoque repetere curavit Daneki de aliis Testibus, ad alia crimina comprobanda deductis, quippe quia nemo viderit vel audiverit vel sciverit id, de quo loquutus est, vel solum deposuit ex malitiosa unius aut alterius Mulierculae murmuratione, quae ad eius aures pervenerit. Ex his autem inferre studuit, procedi contra ipsum non potuisse ad poenam privationis, quae non infligitur, nisi univocae afferantur et concludentes delictorum probationes (3), nec alii ad probandum admittuntur Testes, nisi qui probatissimi fuerint, omnique exceptione maiores (4); imo ad privationem

(1) Garz. de Benef. part. 11, Cap. 10, n. 282: Rot. in Cracovien. Parochialis super bono iure 22 iunii 1767, §. 4, coram Guerra.

(2) Rot. in cit. Cracovien. §. 5.

(3) Rot. in decis. 1029, n. 1, coram Seraphino; decis. 1136, n. 9, coram Lancetta; in Plocen. Parochialis 1743, coram Lana.

(4) Rot. in decis. 766, n. 9, tom. 7, coram Ansaldo; in Frisingen. Parochialis 8 Aprilis 1715, §. Magis, coram Scotto.

Parochi constare debere de inhonesta consuetudine, obdurato corde protracta (1) *in Cracovien. Parochialis die 10 Februarii 1770* §. *Eodem.*

14. Nec deveniri posse sustinuit ad appositionem Oeconomi, ob praetensam diffamationem, quia diffamatio non intercedit, nisi publica vox et fama delictorum hortum habuerit a probis gravibusque Viris, insuperque apud maiorem Populi partem invaluerit, solidisque comperiatur innixa fundamentis (2). At, e contra Promotor Fiscalis negavit, trinam canonicam monitionem requiri ad removendum Parochum apud suum gregem diffamatum, sed illico amovendum, ne ex diffamatione Pastoris totum ovile corrumpatur (3). Addiditque, plurimi habendas esse tres uniformes sententias, remotionem Parochi Daneki decernentes *in Cracovien. Parochialis die 10 Februarii 1770* §. *Hinc et* §. *Ex parte.*

15. Proposito hinc dubio: - An substineatur privatio Adalberti Daneki Parochialis Ecclesiae Paulowien., seu potius eidem sit danda manutentio seu reintegratio in casu etc. -, S. Congregatio, cum praefatus Promotor Fiscalis dilationem postulaverit, respondit: - Dilata, et proponatur in prima etiam unica - *in Cracovien. Parochialis die 10 Februarii 1770.*

16. Reproposito dein dubio, cum interim Promotor Fiscalis nihil deduxerit, Sacra Congregatio respondit: - Ad D. Secretarium cum Sanctissimo, ad mentem - *in Cracovien. die 10 Martii 1770.*

17. Ad matrimonium vero quod spectat, Christus Dominus testatur (4), ob solam fornicationis causam, licitum esse divortium, hoc est non vinculi matrimonialis dissolutionem, sed separationem, quoad thorum et cohabitationem, iuxta Can. 8 sess. 24 de Reformatione *in Taurinen. die 16 Martii 1726* §. *Cohaerenter.*

18. Concilium Tridentinum namque edixit: - Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter Coniuges quoad thorum seu quoad cohabitationem ad certum incertumve tempus fieri posse decernit, anathema sit - *in Taurinen. die 16 Martii 1726* §. *Cohaerenter* (5).

19. Ceterum, tam Theologi, quam Canonistae, sic haec statuunt intelligenda, ut videlicet propter solam fornificationem sive adulterium sit locus perpetuae dimissioni et absoluto divortio, cum divortium non sit verum, nisi quod animo constituendae perpetuae separationis expletur (6) *in Taurinen. die 16 Martii 1726* §. *Cohaerenter.*

20. Hinc licet propter alias causas thori et cohabitationis separatio ab Ecclesia permittatur, haec tamen non durat, nisi usquequo durat causa, propter quam separatio concessa fuit *in Taurinen. die 16 Martii 1726* §. *Cohaerenter* (7).

21. Idcirco, nisi extet crimen adulterii, nunquam absoluta et perpetua separatio conceditur *in Taurinen. die 13 Septembris 1721.*

Item *die 16 Martii 1726.*

22. Iamvero Baronissa Susanna Revera de Ternavas Vidua relicta Baronis Dominici Blancardi, ex quo plures accepit liberos, post trigesimum viduitatis annum exactum, licet constituta in aetate annorum septuaginta, matrimonium contraxit cum Equite Fabritio Caccherano, constituto in aetate annorum triginta quatuor, contendit matrimonium esse nullum,

(1) Rot. in Plocen. Parochialis 1743, §. 5 coram Lana.; et in Confirmatoria 15 Iunii 1744, §. 4 et 5, coram Card. Millino.

(2) Rot. in Cracovien. Parochialis super manutentione 22 Iunii 1767, §. 2, coram Guerra.

(3) Id colligitur ex tit. de vit. et honest. Cleric.; ex Cap. *Accepimus*, de aetat. et qualitat. praeficiend.; ac tradunt Barbos. de Offic. et potest. Parochi, part. 1, cap. 2; Rot. in Plocen. Parochialis 9 Decembris 1743, coram Lana; et in Confirmatoria 15 Iunii 1744, coram Millino.

(4) Matth. V, 32; XIX, 9.

(5) In canone vero VII statuit: - Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit et docet, iuxta Evangelicam et Apostolicam doctrinam propter adulterium alterius Coniugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse altero Coniuge vivente, aliud matrimonium contrahere, moecharique eum, qui, dimissa Adultera, aliam duxerit, et eam, quae, dimisso Adultero, alii nupserit, anathema sit -.

(6) Iuxta Textum in Leg. *Divortium* 3, ff. de divortiis.

(7) Maldonat. in Matth. V, 32; Bellarmin. lib. 1, de Matrim. cap. 14, §. Secunda causa; Sanchez de Matrim. lib. 10, disp. 15, n. 2; Reginald. in prax. for. poenit. lib. 31, n. 313, vers. Porro; Schmalzgrueb. ad tit. 19, Decret. de divort. lib. 4, §. 3, n. 139; Anaclet. ad eumdem tit. §. 1, n. 30 et 56; Sperell. decis. 139, n. 71.

utpote ex importunis suasionibus et suggestionibus contractum, ac etiam ob praedicti Viri impotentiam; et, quatenus validum esse, locum saltem debere esse divortio et separationi thori, ob dissensiones tam iudiciales, quam extraiudiciales, quae inter se et Equitem Fabritium vigebant.

23. Sacra Congregatio vero, postquam declaraverit, non constare de nullitate Matrimonii, proposito dubio: - II. An sit locus divortio et separationi thori in casu etc. -, respondit: - Ad secundum, Negative quoad primam partem, Affirmative quoad secundam, usquequo aliter demandetur ab hac Sacra Congregatione; et amplius - *in Taurinen. die 13 Septembris 1721.*

24. Post lapsum fere duorum annorum Baronissa instetit pro remissoria, ad effectum examinandi Testes super memoratis importunis suasionibus et pro deputatione Peritorum, ad effectum, ut fieret recognitio corporis Caccherani sui mariti; cumque id obtinere non potuisset, Caccheranus duo subsequenter petiit; alterum, quod Susanna rediret ad obsequia matrimonialia; alterum, quod Sacra Congregatio declararet, se in tantum anno 1721 respondisse pro separatione thori, in quantum ipse suum praestitit assensum: putavit etiam, se ope huius declarationis posse recuperare assignamentum quinquaginta duplarum annuarum a Susanna sui favore factum, et a quo eadem fuerat per Senatum Taurinensem liberata, post editam memoratam resolutionem a Sacra Congregatione; sed Baronissa excipiente, non esse hisce petitionibus annuendum, et instante pro remissoria, non ad effectum examinandi Testes super minis et importunis suasionibus vel super impotentia Viri, sed tantum super dissensionibus et inimicitiis irreconciliabilibus inter se et Virum exortis, ut videlicet esset locus formali divortio et non temporali separationi thori, Sacra Congregatio die 28 Augusti 1723 praedictis petitionibus, tam Caccherani, quam Baronissae cumulatim respondit hoc modo: - Quoad obsequia matrimonialia et quoad petitam a Caccherano declarationem, Lectum; et quoad Baronissam, pro concessione petitae remissoriae - *in Taurinen. die 16 Martii 1726* §. *Post.*

25. Cohaerenter ad haec expletum fuit examen formale Testium, et iura hinc inde deducta fuerunt. At Baronissa non accusavit Virum de fornicatione sive adulterio, sed tantum de saevitiis adhibitis; et Vir praetendit, eas in facto non subsistere, et sic non esse locum ulli thori separationi. Idcirco perpetua illa separatio, quae discutienda per Baronissam proponebatur, cum sua debita moderatione erat intelligenda; namque ob solam fornicationem seu adulterium est locus perpetuae dimissioni et absoluto divortio.

26. Proposito hinc dubio: - An sit locus divortio et separationi perpetuae, vel potius standum sit in decisis sub die 13 Septembris 1721 pro separatione, usquequo aliter demandetur a Sacra Congregatione in casu etc.-, Sacra Congregatio respondit: - In decisis - *in Taurinen. die 16 Martii 1726.*

27. Quando vero extet causa adulterii, Coniux innocens potest a peccatore Coniuge divertere et se a thoro et cohabitatione illius separare *in Florentina die 29 Martii 1727* §. *Et quidem.*

28. Et quando adulterium publice notorium est, sive notorietas illa sit facti, sive iuris, potest Coniux innocens propria auctoritate ab Adultero recedere, tam quoad debiti redditionem, quam quoad mutuam cohabitationem *in Florentina die 29 Martii 1727* §. *Et primum* (1).

29. Propterea, commisso per alterum ex

(1) Siquidem in Can. *Dixit Dominus*, Caus. 32, quaest. 1, haec habentur ex iisdem verbis divi Hieronymi - ibi - Dixit Dominus in Evangelio: Quicumque dimiserit Uxorem, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur; et qui dimissam duxerit moechatur. Sola fornicatio est, quae Uxoris vincit affectum imo cum illa unam carnem in aliam diviserit, et se fornicatione a Marito separaverit, non debet teneri, ne Virum quoque sub maledicto faciat; dicente Scriptura: Qui tenet Adulteram, stultus est, et ipsius est. Ubicumque igitur fornicatio est, vel fornicationis suspicio, libere Uxor dimittitur -.

Qua de re S. Rota merito perpendit *in decis.* 818, *n.* 3, *part.* 18, *tom.* 2 - ibi - Ubi non agitur de adulteriis criminaliter ad effectum infligendi poenam Adultero, sed solum civiliter ad separationem thori, licet materia dicatur gravis et ardua, omnes Doctores conveniunt, quod leviores probationes sufficiunt, quodque ad istum effectum Lex adulterii probationes admittit per coniecturas, praesumptiones, et adminicula -. Id enim expresse edixit Innocentius III in cap. *Literis*, de praesumpt. - ibi - Literis Fraternitatis tuae receptis Nobis innotuit quod cum P. ab A. Muliere, quam in Uxorem acceperat, peteret separari, accusatores Matrimonii produxerunt Testes firmiter asserentes, quod

Coniugibus notorio adulterio, Coniux innocens, etiam invito Adultero, potest ad Religionem transire *in Ianuen. die 2 Maii 1722* §. *Addunt* (1).

30. Ex huiusmodi potestate id sane scatet, quod licitum sit Innocenti, quamvis in seculo remanenti, emisso tamen voto continentiae, concedere facultatem Adultero, ut transeat ad Religionem *in Ianuen. die 2 Maii 1722* §. *Addunt* (2).

31. Siquidem tempore Innocentii Papae X quaedam Femina coniugata, habens Maritum iuvenem, sed qui Religionem ingredi non poterat propter infirmitatem, post commissum adulterium, facti poenitens, petiit ex consensu Mariti ingredi Religionem et in ea profiteri, ipso in seculo remanente. Acciti fuerunt a Summo Pontifice Theologi, ut consilium praestarent. Fuit inter eos accitus Pater Lezzana, qui consilium edidit trigesimum inter impressa, ubi refert sequentibus verbis casus decisionem: – Sanctissimus Dominus Noster Innocentius X quorumdam Theologorum, ex quibus minimus ego fui, votis auditis, decrevit, ut, si de istius Feminae adulterio constabat, in Monasterium quoddam Monialium, Religionem professura, ingrederetur, Marito manente in seculo, solo voto continentiae emisso – *in Ianuen. die 2 Maii 1722* §. *Tempore.*

32. Rursus anno 1682 cum quaedam Mulier Lucensis, post matrimonium cum quodam Viro contractum, cum aliis commercium carnale habuisset, postulavit facultatem ingrediendi in Monasterium, et in eo professionem Regularem emittendi, licet Vir in seculo remaneret. Delata fuit instantia ad Sacram Congregationem, quae die 20 Iunii 1682 noluit annuere petitis; ex relatione enim Episcopi deprehendebatur, quod Oratrix fuerat pluribus prostituta, iubente Viro. Cumque nova supervenisset Ordinarii informatio, in qua retulit, non subsistere in facto, vel saltem, quod non aderant probationes iudiciales de lenocinio, quod supponebatur a Viro patratum, Sacra Congregatio iussit, quod causa describeretur in folio, factaque descriptione, die 14 Novembris 1682, propositoque dubio: – An Oratrici indulgendum sit, ut, Viro in seculo permanente, Professionem in Monasterio Convertitarum emittere valeat –, responsum fuit: – Affirmative, emisso per Virum castitatis voto –; et perinde Sacra Congregatio benigne indulsit Oratrici, ut, – veris existentibus narratis, regularem habitum in Monasterio Convertitarum Civitatis Ianuae suscipere, indeque servatis alioquin servandis Professionem emittere pro arbitrio et prudentia Eminentissimi Domini Cardinalis Spinula Episcopi Lucensis, libere et licite valeat – (3) *in Ianuen. die 2 Maii 1722* §. *Rursus.*

33. Praeterea Maria Victoria Fossa matrimonium contraxit cum Francisco Venatio, sed aliis se prostituit, itaut, instante Viro, fuerit pluries detenta in magno publico Hospitio Pauperum, in quo huiusce generis Mulieres custodiri solebant. Pluries actum fuit, ut Uxor rediret ad cohabitandum cum Viro, sed hic semper constantissime renuit. Cumque, divina favente gratia, Maria Victoria parata esset ingredi Monasterium Convertitarum, et in eo Professionem Regularem emittere, et Vir suum praestaret consensum, et se paratum exhiberet ad dotem restituendam, et ulterius protestaretur, quod ipse etiam Professionem Regularem emitteret in aliquo Ordine Religioso, nisi Genito-

postquam Mulier cum praedicto Viro contraxerat matrimonium, Consanguinei Viri eiusdem solum cum sola, nudum cum nuda in eodem lecto iacentem, ea (ut credebant) intentione, ut eam cognosceret carnaliter, viderunt multis locis secretis et latebris ad hoc commodis et horis electis, et infra: Consultationi tuae respondemus, quod ex huiusmodi violenta et certa suspicione fornicationis, potest sententia divortii proclamari –. Unde ad rem Sanchez *in disp. XIII, lib. 14 de matrim.* – ibi – Non tamen id ita stricte accipiendum est, ut sola ea praesumpta explicata ex dicto Capite *Literis* sit violenta, sed sufficit quaecumque alia similis, quae vehementer suadeat Coniugis adulterium. Hinc infertur, dici praesumptionem violentam, ut dicatur plene probatum adulterium, quando quis Solus cum Sola in loco abdito inventus est –.

Itaque Uxor adultera perdit dotem, ut expresse sanxit Clemens III *in Cap. de donat. inter Vir. et Uxor.* – ibi – Si Mulier ob causam fornicationis iudicio Ecclesiae aut propria voluntate a Viro recesserit, nec reconciliata postea sit eidem, dotem vel dotalium repetere non valebit –. Hac de re late agit Surd. de alim. tit. 7, q. 16 – ibi – Sicut propter Adulterium Uxor perdit dotem, ita Vir committens adulterium amittit donationem propter nuptias –.

(1) Iuxta Textum in Can. *Agatosa*, quaest. 2; cap. *Constitutus*, et cap. *Veniens* de Conversione Coniugatorum.

(2) Lezzan. in Consil. 30, n. 15.

(3) Uti habetur in Lib. 33 Decretorum pag. 479.

rum aetas ingravescens eorumque indigentia aliter suaderent, exhibita fuit Sacrae Congregationi a Maria Victoria humilis petitio, pro facultate ingrediendi in Monasterium Convertitarum, et in eodem emittendi Professionem Religiosam, licet Vir in seculo remaneret.

34. Scriptum fuit Eminentissimo Archiepiscopo, pro informatione et voto, qui retulit, omnia in facto subsistere et Mariam Victoriam esse in aetate annorum viginti quinque, et Franciscum Virum esse in aetate annorum quatuor supra triginta.

35. Proposito hinc dubio: - An et quomodo petitis sit annuendum? -, Sacra Congregatio respondit? - Posse permitti Mariae Victoriae, ut Monasterium ingrediatur, accedente consensu Viri canonice praestando, et accedente voto continentiae ab eodem emittendo, donec Uxor vixerit - *in Ianuen. die 2 Maii 1722.*

36. At quum Maritus infidelis, innupta adhuc Uxore ad fidem conversa et caelibem vitam agente, matrimonium more suo cum alia contraxerit, dubitandum non esse quidem videtur de adulterio, adeoque nec dubitandum de huiusmodi Uxoris immunitate a coactione sive a necessitate cohabitandi cum ipso, sed interim non videtur ab Uxore conversa obiici posse adulterium, ad effectum obtinendi rigorosum Divortium, cum ceteroquin ea ob alias causas abstinentiam a cohabitatione ad certum vel incertum tempus petere valeat *in Florentina die 29 Martii 1727.*

37. Enimvero Ricca Esther dum esset Iudaea matrimonium contraxit cum Abraham Hebraeo et illud consumavit. Post aliquod temporis spatium Ricca Florentiae Iudaicam perfidiam abiuravit et ad Catholicam Religionem conversa est, relicto Abraham post canonicam consuetam monitionem in sua Iudaica perfidia. Ricca ad alia vota non transivit, et adhuc remanebat innupta, sed Abraham anno 1721 aliam Hebraeam nomine Blancam duxit in Uxorem et matrimonium consumavit. Deinde Abraham et Blanca unanimi consensu cupiverunt Catholicam Religionem amplecti, et se Cathechismo subiecerunt, sed volebant perseverare, quatenus liceret in matrimonio inter ipsos, uti supra contracto, et Ricca suum praestabat assensum, cum nullo modo vellet redire ad Abraham, etiam post abiuratam ab ipso Iudaicam perfidiam, et conversionem ad nostram Sanctam Religionem.

38. Super hac facti specie controversiae exortae sunt in Civitate Florentina, eaedemque remissae ad Sacram Congregationem, ex eo etiam, quod visum fuerit et merito, Ricchae consensum non sufficere ad rem, de qua nunc agitur. Siquidem Sacra Congregatio, inter cetera, propositis dubiis: - I. An adhuc subsistat Matrimonium in Iudaismo contractum inter Riccam et Abraham. *Et quatenus affirmative.*

II. An Abraham post suam et Blanchae conversionem teneatur ad redeundum cum Ricca, et Blancam relinquendam. *Et quatenus affirmative.*

III. An Ricca cogi possit ad cohabitandum cum Abraham ad fidem converso -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum et secundum, Affirmative; in reliquis (1), Dilata; et scribant Theologi et Canonistae, et perquirantur exempla, et ad mentem - *in Florentina die 27 Iulii 1726.*

39. Mens autem fuit, ut scriberetur Archiepiscopo Florentino, an possibile esset, ut citra praeiudicium conversionis ad fidem catholicam Abraham separaretur a Blanca et ad Riccam rediret: item, an Ricca esset in statu Virum ducendi aut emittendi professionem Religiosam in aliqua Religione; per hanc enim viam credebatur evitari posse resolutionem dubiorum propositorum et non resolutorum *in Florentina die 29 Martii 1727* §. *Et in Congregatione.*

40. Scripserunt de facto Theologi et Canonistae; atque Literae datae sunt ad Archiepiscopum Florentinum, sed ex eius responsionibus diei 13 Augusti et diei 7 Septembris 1726 duo colligebantur, alterum possibile non esse, ut Abraham separaretur a Blanca, alterum erat, Riccam nolle, vel aliud matrimonium contrahere, vel Religiosae professioni nomen dare *in Florentina die 29 Martii 1727* §. *Et in eo.*

41. Non obstante itaque, quod primum matrimonium adhuc persisteret, et quod Coniux

(1) Siquidem praeter dubia praefata, alia duo, dispensationem respicientia, proposita fuerant: nimirum, quatenus affirmative responderetur ad praedictum dubium tertium, proponebatur: - IV. An Summus Pontifex dispensare possit, ut Abraham conversus permaneat in matrimonio in infidelitate uti supra contracto cum Blanca. *Et quatenus affirmative.* V. An consilium praestandum sit Sanctissimo Domino Nostro, pro concessione dictae dispensationis -.

infidelis post Baptismum teneatur ad cohabitandum cum prima et ad relinquendam secundam, dubitari poterat, an Ricca, quae erat Uxor prima, iampridem ad fidem conversa, cogi posset ad cohabitandum cum Viro post sequutam eius conversionem *in Discursu Secretarii in Causa Florentina die 27 Iulii 1726* §. *Hucusque*.

42. Docent Auctores, non posse quidem Mulierem conversam post conversionem sui Viri aliud contrahere Matrimonium, cum primum permaneat, sed posse ab eo recedere quoad thorum, ex quo Infidelis admonitus noluit converti *in Discursu Secretarii in Causa Florentina die 27 Iulii 1726* §. *Adeoque* (1).

43. Ceterum, si demonstrabitur, illicitam ad minus fuisse commixtionem habitam ab Abraham cum Blanca, cum qua post conversionem et durante adhuc vinculo cum Ricca, more suo Matrimonium contraxit, demonstratum etiam dici debebit, notorium fuisse et esse eius adulterium, et sic per consequens Riccam non posse etiam post eius conversionem cogi ad cohabitandum cum ipso *in Florentina die 29 Martii 1727* §. *Applicando*.

44. Assumptum vero mira facilitate ponitur in claris: Quidquid enim sit de controversia inter Theologos agitata, an Coniux, qui Fidelem Coniugem sequi noluit, possit novum sibi Coniugem eligere ex sua gente, quae est in eadem perfidia, qua in re affirmative respondetur a nonnullis, ex quo id nullo iure prohibitum est Coniugi Infideli (2), et a nonnullis aliis negative respondetur (3), et est expressa doctrina divi Thomae (4), et tam una, quam alia opinio tamquam probabilis admittitur a Diana (5), communis hodie videtur sententia, quae distinguit casum a casu *in Florentina die 29 Martii 1727* §. *Assumptum*.

45. Aut enim Coniux, permanens in Infidelitate, aliud Matrimonium contraxit, antequam Conversa ad alia vota transivit, et tunc illicite et nulliter agit; aut idem Coniux, permanens in Infidelitate, aliud contraxit matrimonium, postquam Conversa ad alia vota transivit, et tunc ille valide agit, et forte etiam licite. Privilegium quippe datum ab Apostolo solvendi vinculum matrimoniale in casu, quo alter ex Coniugibus convertatur ad Fidem, et est datum favore Fidei, et sic per se Fideli, et per accidens Infideli. Idque facit, ut non possit Infidelis ad alia vota transire, nisi postquam Fidelis solutus est, quae solutio non datur, nisi per novum matrimonium, quod ab ipso post conversionem contrahatur *in Florentina die 29 Martii 1727* §. *Communis* (6).

46. Qua de re, cum Abraham, innupta adhuc Ricca et caelibem vitam agente, matrimonium more suo contraxerit cum Blanca, sicuti dubium non est de adulterio, ita neque dubitandum esse videtur, de Ricchae immunitate a coactione sive a necessitate cohabitandi cum ipso, etiam postquam ipse ad Fidem Christianam conversus est *in Florentina die 29 Martii 1727* §. *Communis*.

47. In casu praesertim, ubi epistolis Archiepiscopi Florentini, de molesta cohabitatione non videbatur esse dubitandum; adeoque satis id esse poterat, etiam praescindendo ab adulterio, ne Ricca cogi posset ad cohabitandum cum Abraham, etiam postquam ille ad Fidem conversus sit *in Florentina die 29 Martii 1727* §. *Accedit*.

48. E contra pro affirmativa, quod Ricca scilicet cogi posset ad cohabitandum cum Abraham ad Fidem converso, militare poterat sequens animadversio. Quidquid enim sit, an Abraham ante Ricchae conversionem potuerit vel non potuerit contrahere matrimonium cum Blanca, et se cum eadem commiscendo adulte-

(1) Salmaticenses in Curs. Moral. tom. 2, Tract. 9 Matrim. cap. 4, dub. 2, puncto 2, n. 51.

(2) Sanchez in lib. 7, disp. 77, n. 6, de Matrim.

(3) Uti habetur apud Pont. de Matrim. lib. 7, cap. 48, n. 25.

(4) In 4, dist. 37, quaest. 2, art. 5 ad 3 - ibi - Ad dicendum, quod postquam Fidelis contraxit, solutum est vinculum ex utraque parte, quia matrimonium non claudicat quantum ad vinculum, sed quandoque claudicat quantum ad effectum; unde in poenam Uxoris infidelis ei indicitur, quod non possit cum alio contrahere magis quam ex virtute matrimonii praecedentis, sed si postea convertatur, potest ei concedi dispensative, ut alteri nubat, si Vir eius aliam duxerit Uxorem -.

(5) In edit. coordinata, tom. 2, tract. 6, de Sacram. matrim. resolut. 122.

(6) Ita sane ad rem bene distinguunt Sanchez in lib. 7, disp. 75, n. 6 et 7, de Matrim.; Card. de Lauraea disp. 16, art. 9, §. 5 per tot. de matrim.; Clericat. de matrim. decis. 12, n. 2; Rosignol. de matrim. part. 1, tom. 6, contract. 15, praenot. 14, n. 19 et seqq.; Schmalzgrueb. ad lib. 4 decret. tit. 19 a n. 29 ad 34.

rium patraverit, nec ne, punctus erat, in videndo, an Ricca posset hoc adulterium Abrahae opponere, postquam ille ad Fidem conversus erat *in Florentina die 29 Martii 1727* §. *E contra.*

49. Videtur quippe certum esse, quod, sequuta Abrahae conversione, permissum esse non valeat Ricchae praedictum adulterium opponere, cum certum sit certitudine Fidei, sublatum esse per Christum Dominum Libellum Repudii a Moyse permissum, et quod si Uxor repudiata, vivente Viro repudiante, transeat ad alia vota, adulterium committit (1); et certum pariter sit, quod, sequuta Mariti conversione ad Fidem Christianam, si Uxor, in Infidelitate repudiata, in statu Infidelitatis transeat ad alia vota, et deinde convertatur ad Fidem, antequam Maritus aliam duxerit Uxorem, non poterit Maritus ei obiicere, quod contrahendo matrimonium moechata sit, sed tantum obiicere poterit adulterium, si cum alio Viro sibi per matrimonium non copulato rem habuerit *in Florentina die 29 Martii 1727* §. *E contra.*

50. Solemnis est namque decisio in Cap. *Gaudemus* de divortiis; nimirum: - Si Conversum ad Fidem et illa Conversa sequatur, antequam propter causas praedictas legitimam ducat ille Uxorem, eam recipere compelletur, quamvis quoque secundum Evangelicam veritatem, qui duxerit dimissam moechatur, non tamen dimissor poterit obiicere fornicationem dimissae pro eo, quod nupsit alii post Repudium, nisi alias fuerit fornicata - *in Florentina die 29 Martii 1727* §. *E contra.*

51. In quo proinde rerum themate, nihil aliud supererat Ricchae, pro evitanda cohabitatione cum Abraham ad Fidem converso, nisi causa odii et inimicitiarum, propter quam non rigorosum Divortium, sed abstinentia conceditur a cohabitatione et a thoro, ad tempus certum vel incertum *in Florentina die 29 Martii 1727* §. *E contra.*

52. His mature hinc inde expensis, reproposito cum aliis dubio: - I. An Ricca cogi possit ad cohabitandum cum Abraham ad Fidem converso in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Scribatur, iuxta Instructionem - *in Florentina die 29 Martii 1727.*

AGNATIONIS CONTEMPLATIO

1. Linea est collectio personarum, ab eodem stipite descendentium, gradus continens, et numeros distinguens *in Fulginaten. Concordiae die 26 Martii 1791* §. *Ex pluribus* (2).

2. Agnatio vero iuris positivi est, cognatio iuris naturalis *in Imolen. Nominationis et Pensionis die 20 Maii 1854* §. *Qui eius.*

3. Cognatio idcirco a nemine auferri potest; agnatio vero, utpote a lege vel ab homine instituta, Legislatoris vel Testatoris arbitrio eripi aut coerceri fas est *in Imolen. Nominationis et Pensionis die 20 Maii 1854* §. *Qui eius* (3).

4. Ad hoc igitur, ut quis in Agnatorum censu veniat, et in successione Cognatis praeferatur, non eius a masculo procreatio, sed praelatio super cognatione ei in vocatione adsignata, est omnino attendenda *in Imolen. Nominationis et Pensionis die 20 Maii 1854* §. *Qui eius.*

5. Quin porro novitatis redargui valeat huiusmodi assertio; nam in promptu extat Lex Decemviralis, quae cum solos heredes suos ad paternam hereditatem admitteret, filios sui iuris factos non pro agnatis, sed pro cognatis, relate ad Patrem habet *in Imolen. Nominationis et Pensionis die 20 Maii 1854* §. *Qui eius* (4).

6. Habetur insuper Lex Voconia, quae dum ab hereditaria successione Feminas excludebat, eas non in agnatarum, sed in cognatarum censu collocabat *in Imolen. Nominationis et Pensionis die 20 Maii 1854* §. *Qui eius* (5).

7. Secus vero dicendum, cum Testator ita

(1) Matth. V, 32.

(2) Rot. in decis. 21, n. 21, part. 5, tom. 1 Recent.

(3) L. *Non facile*, §. Cogationis; L. *Iurisconsultus* 10, §. Inter agnatos, ff. de gradib. et affinit.; §. ult. Instit. tit. de legit. agnat. et tutel.

(4) L. *Scripto* 6, ff. Unde liberi.

(5) L. 2, §. Agnati, ff. de suis et legit. hered.; Ulpian. in fragment. tit. de tutelis.

edixerit: - Patronus autem dictae Capellae sive Altaris reliquit, disposuit, ordinavit, et esse voluit, Ioannem de Ferris eius Fratrem donec vixerit, post vero eius mortem, omnes filios eius masculos et successive omnes descendentes masculos ex ipsis linea suorum descendentium, quousque aliquis masculus ex ipsis descendentibus reperiatur, ad quos Ioannem et Filios suos descendentes ut supra iuspatronatum dictae Capellae seu Altaris spectare et pertinere voluit et mandavit; ubi vero masculi non reperirentur, voluit et disposuit, ad feminas descendentium suorum dictum iuspatronatum pervenire ac spectare et pertinere -. Penitus extinctis lineis, tam masculina, quam feminina, omnes vocavit de cognomine Ferri ubicumque reperirentur, et in horum defectum Antianos Communitatis Imolensis et Canonicos Ecclesiae Cathedralis pro tempore. Addidit: - Intelligendo tamen et declarando ac iubendo, quod de linea dicti Fratris sui aut Sororis vel eorum, qui de Ferris vocarentur semper antecedant, qui ex latere masculino descendant ac pervenerint - *in Imolen. Nominationis et Pensionis die 28 Ianuarii 1854* §. *Codicillari.*

8. Siquidem huiusmodi codicillari dispositione diei 3 Octobris 1446 per Sacerdotem Ferri peracta, atque vacato beneficio per obitum Nicolai Ferri ultimi masculi ex masculis Ioannis Ferri primo vocati, sex personae intra legitimum terminum praesentatae fuerunt. Itaque Defensor cuiusdam Hermogenis Gommi, qui inter praesentatos recensebatur, in id enixe institit, quod iuspatronatus de quo agitur de numero eorum esset, quae linearia graduata a Doctoribus vocantur; namque Fundator primo vocavit fratrem suum Ioannem, deinde eius Filios, postremo Descendentes: in hisce autem regulam esse, inquit, quod gradu proximior in iurispatronatus exercitio remotiorem excludat *in Imolen. Nominationis et Pensionis die 28 Ianuarii 1854* §. *Pro Hermogene.*

9. Addidit, neque valeret opponere, quod haec graduatio in prima tantummodo vocationis sede lineae masculinae, non autem in secunda femininae, in qua res erat, admittenda sit, ubi indistincte Feminae a Fundatore vocantur; quum explorati iuris sit, substitutionem ab institutione regulam ac normam desumere. Servato propterea graduationis ordine, sequeretur tres tantum in praesenti vacatione ius nominandi habere, utpote gradu proximiores communi stipiti, nempe Monialem Magdalenam Ferri, Nicolaum Gommi, et Mariannam Codronchi *in Imolen. Nominationis et Pensionis die 28 Ianuarii 1854* §. *Neque.*

10. Putavit hinc Defensor, neque iuri Nicolai Gommi et Mariannae Codronchi praevalere et obesse illud Monialis Magdalenae, immediate a Masculo procreatae. Ut enim praelatio dari possit supra praedictos aequali gradu ac ipsa a communi stipite distantes, unum ex his necessario esset admittendum; vel quod in prima vocatione Masculorum comprehenditur, vel quod iura omnia cognationis in se una complectitur et absorbet, vel distinctam sedem in qua agnatae contineantur pro ipsa effingere oporteret: sed nullam ex hisce hypothesibus admitti posse affirmavit ac probare contendit. Sola propterea praerogativa gradus servata, cumulative cum Magdalena agnata etiam cognati admittendi, sine sexus distinctione; appellatione enim feminarum, descendentes masculi necessario comprehenduntur *in Imolen. Nominationis et Pensionis die 28 Ianuarii 1854* §. *Neque.*

11. Quod autem de Magdalena Ferri asseruit, inspecto dumtaxat eiusdem sexu, eo magis retinendum praesumpsit, si ratio habeatur eiusdem Religiosae qualitatis. Quum per solemnem Professionem in Capuccinarum Ordine ab ipsa emissam omnibus civilibus iuribus valedixerit, ad agnatitia iura, quae institutionis mere civilis sunt, perperam modo contendit. Ubi enim, ut cum ipsa benignius agatur, retentum ab eadem haberi velit iuspatronatus, quatenus iura sanguinis vi Professionis Religiosae non extinguantur, licet hoc a pluribus gravibusque Doctoribus contradicatur, non eo tamen usque favor urgendus, ut iura civilia, prout est agnatio, adscribantur illi, quae ex communi Doctorum effato pro mortua habenda est, et personam civilem non habet. Si igitur ius nominandi in praesenti vacatione Moniali Magdalenae adscribi placeat, non ad illud exclusive exercendum, sed cumulative cum Nicolao Gommi, qui in eodem proximitatis gradu cum Fundatore Ioanne Ferri versatur, admittenda est *in Imolen. Nominationis et Pensionis die 20 Maii 1854* §. *Quod.*

12. His tamen non obstantibus, merito in

themate perpendebatur, quod praesentationi Petri Loli, per dictam Monialem Magdalenam factae, favere viderentur ea fundationis verba: - intelligendo tamen et declarando et iubendo, quod de linea dicti Fratris sui, vel eorum, qui de Ferris vocarentur semper antecedant, qui de latere masculino descendent ac pervenerint - *in Imolen. Nominationis et Pensionis die 28 Ianuarii 1854* §. *Praesentationi.*

13. Quum enim sub hac generali appellatione *de latere masculino* feminam agnatam venire exploratum sit (1), Monialis Magdalena, quae sola hac praerogativa pollebat, utpote quae immediate a Thoma Ferri descendebat, ceteris in iurepatronatus activo praeire videbatur; nominationem propterea, quam in Petrum Loli ipsa contulit, esse aliis praeferendam *in Imolen. Nominationis et Pensionis die 28 Ianuarii 1854* §. *Praesentationi.*

14. Ex eo etiam, quod si graduationis ordinem in themate locum non habere dicendum esset, et absque gradus distinctione Cognatos omnes ad nominationem admittendos, quemadmodum insinuare videntur generalia fundationis verba, post extinctam lineam masculinam - voluit et disposuit ad feminas descendentium suorum dictum iuspatronatus pervenire -, magis in hoc casu urgebat ratio favore Petri Loli; duas enim ipse voces retulit, Monialis nempe Magdalenae, et Patris sui Ioannis, dum ceteri, qui tunc contendebant, unam tantum habuerunt.

Idcirco proposito dubio: - I. An et cuius favore constet de legitima nominatione in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative, favore Petri Loli - *in Imolen. Nominationis et Pensionis die 28 Ianuarii 1854.*

15. Reproposito dein dubio, sub formula: - I. An sit standum, vel recedendum a decisis in primo dubio in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, In decisis; et amplius - *in Imolen. Nominationis et Pensionis die 20 Maii 1854.*

16. Itaque Agnati de iure censentur vocati ante Cognatos *in Ripana Capellaniae die 28 Ianuarii 1837* §. *Accedit* (2).

17. Propterea iure praelationis gaudent, praesertim cum Testator lineae mentionem fecerit, tunc enim intelligitur semper de linea directa non inflexa *in Ripana Capellaniae die 28 Ianuarii 1837* §. *Ad patronatum* (3).

18. Amplia, etiamsi huiusmodi Agnatus Patronorum non Fundatoris Collitiganti renunciationem emiserit, sed vi quadam actus et absque consensu Patroni *in Ripana Capellaniae die 28 Ianuarii 1837* §. *Post haec.*

19. His enim concurrentibus in persona Clerici Maddaleni prae Venierio, proposito dubio: - An et cui sit tribuenda Capellania in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative, favore Maddaleni - *in Ripana Capellaniae die 25 Februarii 1837.*

20. Propterea non obstitit, quod in medium attulit Venierius; nimirum: sit Maddalenius Patronorum agnatus; at nil magis vulgatum, quam quod materia iurispatronatus complectatur tam masculos et feminas, tam agnatas, quam cognatos; adeoque illa consideranda non veniat ratio agnationis, nisi Fundator eam expresserit in sua dispositione *in Ripana Capellaniae die 28 Ianuarii 1837* §. *Sit* (4).

21. In casu vero contendit, Testatorem nullam agnationis habuisse rationem, cum ille in activo iurepatronatus vocavit Nepotes etiam ex Sorore eorumque descendentes, quorum nomine, tum Agnati veniunt, tum Cognati *in Ripana Capellaniae die 28 Ianuarii 1837* §. *At* (5).

22. Atque uti ratio agnationis habita non fuit in iurepatronatus activo, ita haberi nequit in passivo *in Ripana Capellaniae die 28 Ianuarii 1837* §. *Sit* (6).

23. Addidit, quod Maddalenius non erat agnatus Testatoris, sed tantum Patronorum,

(1) Card. de Luc. de Iurepatronat. disc. 30, n. 3; de Fideicom. disc. 4 et 5.

(2) Iuxta Textum in L. *Heredes mei*, §. fin. ff. ad Trebellian.; Fagnan. in cap. *Inter ceteras*, n. 47 et 48, de Rescript.; Rot. in Civitatis Castelli Canonicatus die 12 Martii 1741 coram Emo Scotto.

(3) Uti docet Peregrin. de Fideicom. art. 21, n. 24; Bald. cons. 334, n. 7, lib. 3.

(4) Rot. in Romana Capellaniae S. Nicolai 14 Iunii 1709 coram Ansaldo, apud Piton. in Parerg. ad discept. n. 118.

(5) Piton. de controv. Patron. alleg. 37, n. 10; Rot. in decis. 140, n. 1 et 2, coram Staunitz.

(6) Amostaz. de Caus. Piis lib. 3, c. 7, n. 42; Pax Iord. lucubr. tom. 2, lib. 1, tit. 26, n. 34; Rot. in decis. 866, n. 5, coram Emerix Iun. apud Piton. discept. Eccles. 7, n. 4.

cuius propterea ratio praecipua haberi nequibat *in Ripana Capellaniae die 28 Ianuarii 1837* §. *Deinde* (1).

24. Negavit inde, praefatum Maddalenium esse de linea praedilecta, atque reservatum Patronis fuisse a Testatore arbitrium eligendi unaquaque vice ex vocatis lineis, quem ipsis placuerit: siquidem ea verba – *o dell'una o dell'altra parte* – intelligi debent adiecta a Testatore in casu, quo non adsint in una linea ad Beneficium assequendum *in Ripana Capellaniae die 28 Ianuarii 1837* §. *Diffitetur* (2).

25. Praeterea ad Agnatos tantum Testator respexisse videtur, cum vocaverit eos de Familia cum additamento cognominis, itaut in conditionem posuerit familiam vel cognomen *in Caesenaten. Capellaniae die 26 Aprilis 1817* §. *In qua* (3).

26. Et quamquam Cognati in vocatione includantur per verbum *descendentes*, semper censendum tamen est, Testatorem praerogativam vocationis Agnatis concedere voluisse *in Caesenaten. Capellaniae die 26 Aprilis 1817* §. *In qua* (4).

27. Enimvero huiusmodi sunt leges, quas iussit Sacerdos Roncofreddo Tosi ex Oppido Longiani in fundatione Capellaniae, quam erexit in Ara maxima Ecclesiae Parochialis Montis veteris, usque dum Capella divo Antonio nuncupanda, quam Fundator moliri cogitabat, in eadem Ecclesia non extaret. Scilicet iussit: sex designata praedia stare pro fundo Capellaniae, Capellanum pro se vel per alium celebrare et applicare debere geminam Missam singulis hebdomadis, sibi reservatas esse dum viveret in contingentibus vacationibus nominationes Capellani; se vero defuncto, spectare ad Rectorem pro tempore Ecclesiae Parochialis Sancti Petri Montis *Codruzzo*, ita tamen, ut ex genere designato nominationem faceret. Genus vero designatum, cui passivum iuspatronatus attribuit, fuit Presbiter aut Clericus *de Tosi*, dum extent, idest ex descendentibus a Caesare, Iacobo, Antonio, Ioanne Antonio et Michaele Tosi suos nepotes; atque eo in casu, quo ex praedictorum Familia seu Descendentibus plures Presbiteri aut Clerici recenserentur, is praeferri debet, qui maiori sit praeditus aetate et primus in sacerdotio vel clericatu initiatus extet *in Caesenaten. Capellaniae die 17 Februarii 1816* §. *Huiusmodi* (5).

28. Facta praefatae Capellaniae vacatione ex morte Laurentii Tosi, die 24 Maii 1815 nominatus fuit Clericus Antonius Tosi. Verum inde ad Capellaniam contendit Canonicus Paulus Mongiusti, qui per lineam femininam a Iacobo Tosi, altero ex designatis stipitibus, descendebat. Id autem ex eo tueri praesumpsit,

(1) Rot. in Alexandrina Iurispatronatus 4 Decembris 1699 §. 1 coram Tremoille; in Clementina Decanatus Zamoscen. 26 Iunii 1702, §. Iustificatio, coram Muto.

(2) En verba Testatoris Angeli Marconii, ut in § *Capellaniam* – Prointerim nomino per primo Cappellano il chierico Giuseppe Figlio di Antonio Colonna mio Nipote, e... morto, che sarà il nominato chierico Giuseppe si abbia da investire uno dei Figli discendenti della linea di Antonio ambedue miei Nipoti, in somma quello che sarà chierico celibe o dell' una o dell' altra parte; e così successivamente doversi dar luogo l'uno all' altro. Che detta Cappellania abbia sempre da restare in casa Colonna miei Nipoti carnali. Estinta poi che sarà la suddetta Casa, che abbia da avere la nomina il Sig. Preposto e Canonici pro tempore della Collegiata di S. Lucia –.

Facta vacatione, Petrus Colonna cum Ioanna Colonna germana nominavit Clericum Maddaleni, quod cum aegre tulisset animo Venierius, acris inter eos exarsit lis. Interim praefatus Maddaleni omni iure suo, circa passivam Capellaniae nominationem sese abdicavit favore Iosephi Venierii per acta Gabellionis Marini: contra huiusmodi renunciationem praedictus Patronus Colonna, atque idem Maddaleni, qui magna premebatur inopia cum duabus Sororibus, subinde acriter insurrexerunt, utpote nulliter extortam. Ceterum tum Venierius tum Maddalenius nomen tantum clericorum prae se ferebant.

(3) Rota in Firmana Beneficii 29 Martii 1773 §. 5, coram Mannelli.

(4) Rot. in Firmana Beneficii 4 Februarii 1774 §. 4, coram Litta.

(5) Hisce verbis praedictus Fundator iuspatronatus passivum reliquit, ut loc. cit. – ibi – a un Prete o Chierico de Tosi, mentre ve ne siano, cioè de' discendenti da Cesare, Giacomo, Antonio, e Michele de' Tosi suoi Nipoti, ed in caso che in detta Casata o Discendenti vi fossero due o più Preti o Chierici, che concorressero a detta Cappellania, ordina che sia nominato e preferito quello che sarà di maggiore età e prima Sacerdote e Chierico: e quando per il contrario non vi fosse di detta Famiglia e Casata de' Tosi alcun Chierico, in tal caso vuole che sia nominato come adesso per allora nomina il Rettore e Parroco della suddetta Chiesa parrocchiale di Montevecchio, il qual Parroco vuole che goda della Cappellania sin tanto, che non vi sarà qualche Chierico o Prete di detti Discendenti e Famiglia, il quale facendo istanza di voler detta Cappellania, vuole che il Parroco sia rimosso da quella, e conferita detta Cappellania in persona di un Prete o Chierico di detta Famiglia –.

quod praefatus Clericus Tosi nominatus fuerit a Parocho Montis *Codruzzo* ea die, qua translatus iam erat ad aliam Paraeciam Loci *Carpineta,* atque etiam, quod iuspatronatus mixtum esset, itaut in eo Descendentes ex Feminis admittantur. Nam Testator vocavit Descendentes ex indicatis stipitibus, et sub nomine descendentium solemne est venire Cognatos (1); et censetur, Fundatorem constituere voluisse iuspatronatus gentilitium, omnes complectens consanguineos (2) *in Caesenaten. Capellaniae die 17 Februarii 1816* §. *Canonicus.*

29. Propositis vero dubiis: - I. An Clericus Antonius Tosi sit removendus a possessione Capellaniae in casu etc. *Et quatenus affirmative.*

II. An Capellania sit addicenda Canonico Paulo Mongiusti in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Dilata, et scribatur Vicario Capitulari, qui praefigat terminum omnibus interesse habentibus, et praesertim Clerico Antonio Tosi, et Parochis Montis *Codruzzo* et Montis veteris ad deducendum iura sua in Sacra Congregatione - *in Caesenaten. Capellaniae die 17 Februarii 1816.*

30. Deductis hinc inde iuribus, in strenuo conflictu Partium, Sacra Congregatio reproposito praefatis dubiis respondit: - Ad primum et secundum, Negative; et amplius - *in Caesenaten. Capellaniae die 26 Aprilis 1817.*

31. Qua de re in themate obtinuit regula, ex qua censetur venire Agnatos, quando usurpatur nomen Familiae cum additamento cognominis *in Caesenaten. Capellaniae die 17 Februarii 1816* §. *Pro* (3).

32. Idcirco non obstitit notissima distinctio per Canonicum Mongiusti in medium prolata, qua statuitur, Agnatos tantum invitari censeri, quando vocata est familia *impersonaliter* cum additamento cognominis; secus vero ubi vocatae sint personae de Familia, quo casu praesertim in indifferenti materia iurispatronatus latior sequenda est interpretatio pro comprehensione etiam quoad Cognatos *in Caesenaten. Capellaniae die 26 Aprilis 1817* §. *Qui* (4).

33. Id neque proinde obstitit, quod Canonicus Mongiusti ob grandiorem aetatem et qualitatem Sacerdotii Clericum Tosi antecelleret, cum ex praefata lege fundationis passivam vocationem Agnatis tantum, non vero simul omnibus Descendentibus ex designatis stipitibus tributam fuisse, deduxerit Sacra Congregatio *in Caesenaten. Capellaniae die 26 Aprilis 1817* §. *Verum.*

34. Nec imo obstitit, quod postremus Capellaniae Possessor fuisset ex Pago *Scorticata,* unde ex testimonio Parochi Montisveteris dubitari poterat, Tosios ex Oppido *Scorticata* nihil attinere ad Tosios Longianenses, dum interim praefatus Clericus Tosius probavit, se esse de eadem Familia ultimi Possessoris Capellaniae Sacerdotis Laurentii Tosi, cui ipse erat ex Fratre Nepos; proptereaque de identitate familiae dubitari non poterat (5), atque sibi ultimus status favebat *in Caesenaten. Capellaniae die 26 Aprilis 1817* §. *Altera.*

35. Nullum itaque impedimentum paratur, quod quis probare non possit per singulos gradus a Fundatore descendentiam *in Neapolitana Iurispatronatus die 10 Iunii 1848* §. *Neque.*

36. Nam id locum sibi vindicat, quoties agatur de Agnatis inter se contendentibus, minime vero in contentione Agnatorum cum Cognatis; quo in casu sufficit, ut primi ad secundos repellendos afferre possint probationem certae pertinentiae ad gentem et agnationem Testatoris *in Neapolitana Iurispatronatus die 10 Iunii 1848* §. *Neque* (6).

37. Certo autem pertinere ad Fundatoris agnationem probatur per descendentiam ab eo, qui fuerit in iuris activi ac passivi possessione *in Neapolitana Iurispatronatus die 10 Iunii 1848* §. *Neque.*

38. Etenim, praeterquamquod ipsamet naturalis ratio suadet, Possessoris Descendentes suam originem a Fundatore repetere, idipsum

(1) Fagnan. in cap. *Praelatum,* de Iurepatronat.

(2) Fargn. de Iurepatronat. part. 2, can. 1 et 2, cas. 14, n. 7; Rot. in Celsonen. Beneficii 20 Februarii 1702 §. Respectu, coram Muto.

(3) Card. De Luc. de Iurepatronat. Disc. 26, n. 8; Rot. in Nuperrim. decis. 138, n. 6.

(4) Rot. in decis. 320, n. 3, coram Riminaldo; decis. 12, n. 2, coram Rovarella.

(5) Rot. in Ferrarien. seu Bononien. Primogeniturae 27 Aprilis 1739 §. 7, coram Canilliac.

(6) Peregrin. de Fideicommiss. art. 43, n. 60; Rot. in decis. 143, n. 1, part. 1 Recent.; decis. 102, n. 17 et seqq. coram Ottobono.

clare etiam apud canonum Doctores traditum reperitur: - Quasi possessio Praedecessoris suffragatur Successori in ordine ad probationem descendentiae, ut scilicet non teneatur illam probare a Fundatore, sed sufficiat probare ab eo, qui existit in quasi possessione praesentandi - (1) *in Neapolitana Iurispatronatus die 10 Iunii 1848* §. *Neque.*

39. Atque firmior evadit praefata probatio, si aliquis ex Possessoribus sui favore retulit Iudicis sententiam, ad vindicandam sibi activam ac passivam nominationem *in Neapolitana Iurispatronatus die 10 Iunii 1848* §. *Atque* (2).

40. Aliter vero dicendum est, cum nec ultimus status legitime existeret, nec sententia relata ius proprie respiceret, sed potius manutentionem, atque ius praesentandi gentilitium lato sensu ex literis institutionum et facto praesentationum haberetur; nam in decretis institutionum semper qualitas descendentiae habita fuit, atque feminae cum masculis, proximiores cum remotioribus ad praesentationem convenerunt, cum praesertim haec non adversentur verbis fundationis, ex quibus haud qualitas agnatitia dignoscatur *in Neapolitana Iurispatronatus die 10 Iunii 1848* §. *Praeterea* (3).

41. Ac eo vel magis, si nec descendentia ab eo, qui postremo nominationem fecit, probari valeat *in Neapolitana Iurispatronatus die 10 Iunii 1848* §. *In secundo.*

42. His enim concurrentibus, huiusmodi praetensa agnatio nullatenus probata censetur, ad effectum excludendi Cognatos ab Fundatore descendentes, qui numero plures Clericum seu Sacerdotem ad Beneficium seu Capellaniam praesentarunt *in Neapolitana Iurispatronatus die 10 Iunii 1848.*

Item *die 23 Februarii 1850.*

43. Siquidem Ioannes Volpicella e pago Secundiliani Diaecesis Neapolitanae ultimum suae voluntatis condens testamentum anno 1523 die 9 Octobris Heredes ex asse scripsit Matrem suam Pentam Mango fratremque consobrinum Cosmam Volpicella, et ad pietatis, qua fervebat, exemplum posteritati relinquendum, voluit, ut Heredes a se instituti aedificarent altare in Ecclesia Divo Cosmae dicata in eodem pago, atque in eo erigerent Capellaniam sub invocatione S. Mariae de Libera seu de Ierusalem, constituta eidem dote sex iugerum seu modiorum terrae, ac onere imposito Capellano pro tempore bis qualibet hebdomada Sacrum litandi, ad expiationem animae suae suorumque.

44. Quoad Capellaniae erigendae iuspatronatus postea legem dicens, statuit, Capellanum fore constituendum in dicta Capella per dictam Pentam eius Matrem et per dictum Cosmam eius Fratrem, quae Capella sit de iurepatronatus dicti Cosmae, et quod, eius vita durante, Penta ipsa valeat praesentare Capellanum in dicta Capella una cum dicto Cosma, et post mortem ipsius Penta praedictus Cosma valeat praesentare Capellanum praedictum in dicta Capella, toties quoties Capella ipsa vacaverit Capellano.

45. Pia Testatoris voluntas adamussim exequutioni commissa est. At scripti Heredes animadvertentes, Antonium Volpicella eodem cum Fundatore sanguinis devinciri vinculo, quo Cosmas devinciebatur, publico exarato instrumento, sponte donarunt iuspatronatus praedictum eidem Antonio et suis Haeredibus et Successoribus per medietatem tantum. Verumtamen progenies Antonii per breve temporis spatium iurepatronatus Capellaniae S. Mariae de Libera usa est; nam, ipsa penitus extincta, declinante seculo decimosexto, integrum iuspatronatus rediit ad Progeniem Cosmae, qui ab ipso Fundatore fuerat ad illud vocatus.

46. Postremus Capellaniae Possessor fuit Ioseph Petrus Volpicella, qui, eam assequutus anno 1793, diem suum obiit illamque vacuam reliquit die 29 Maii 1845. Statim prodiere Anna Maria Terracciano eiusque filius Ioannes Miranda, Maria Iosepha Mattei eiusque frater Caelestinus, nec non Maria Michaela Solombrino, omnesque, utpote a Fundatore descendentes, nominationem contulerunt in Sacerdotem Viola. Sed huic nominationi sese opposuerunt Ioannes, Iosephus, et Ianuarius Volpicella, qui, sibi dumtaxat vindicantes iuspatronatus Capellaniae S. Mariae de Libera, nominarunt suum germanum Fratrem Clericum Franciscum. Lis proinde inter utramque nominantium ac nominatorum partem exorta est, ac ad iudicii aleam

(1) Card. De Luc. Disc. 36, n. 10; cui accedit Piton. Alleg. 44, n. 4; aliique non pauci.
(2) Piton. Alleg. 44, n. 11.
(3) Card. De Luc. de Iurepatronat. Disc. 22, n. 19; Piton. Allegat. 77, n. 18; et Allegat. 100, n. 80 et 682.

deventum, coram Archiepiscopali Curia Neapolitana, ex qua die 5 Iunii 1846 victor discessit Sacerdos Viola.

47. Haud acquievere huic sententiae Fratres germani Volpicella, sed incunctanter interposita appellatione ad Sacram Congregationem, probare contenderunt qualitatem agnatitiam, ut excluderent Cognatos, qui praefatum Viola nominaverant. Ipsi enim ostendere curarunt originem ducere a quodam Nicolao Volpicella, cuius linearis descendentia una ac altera vice ius illud possedisse et exercuisse cognoscebatur anno 1755 per Dominicum Volpicella et anno 1793 per Petrum Iosephum Volpicella, etiam cum oppositione a quodam Ioanne Volpicella peracta; sed uterque per sententiam victor discessit. Propterea in id mordicus institerunt, ut ipsi vincerent lineam cognatitiam.

48. Ast praefati Cognati, ultimum statum utpote illegitimum excludentes, animadverterunt, praefatos Volpicella nunquam privative nominationem fecisse, et sententiam manutentionis dumtaxat anno 1793 retulisse, quin antecedentem statum anni 1755 opponere possent, cum eo tempore nominationem quoque suam emiserit, et tamquam patronus ab Ordinario fuisset recognitus Ianuarius Volpicella, a quo iidem originem ducebant. Idcirco iuspatronatus gentilitium lato sensu haberi debebat, cum constaret etiam ex qualitate descendentiae semper prae oculis habita in decretis institutionum, ex concursu feminarum cum masculis et proximiorum cum remotioribus in expletis praesentationibus, ac insuper ex non expresso unquam numero singulorum praesentantium.

49. Proposito hinc dubio: – An sit confirmanda, vel infirmanda sententia Curiae Archiepiscopalis in casu –, S. Congregatio respondit: – Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam – *in Neapolitana Iurispatronatus die 10 Iunii 1848.*

50. Reproposito dein dubio, sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – In decisis, et amplius – *in Neapolitana Iurispatronatus die 23 Februarii 1850.*

51. Quando enim in ipso fundationis actu deficiat agnationis contemplatio, non facile ex coniecturis de agnatitia iudicari valet qualitate *in Fulginaten. Concordiae die 26 Martii 1791* §. *Pauca* (1).

52. Praesertim, cum deficit Feminarum exclusio, per modum regulae, in qua praecipuum consistit contemplatae agnationis fundamentum *in Fulginaten. Concordiae die 26 Martii 1791* §. *Pauca* (2).

53. Ideoque accipienda non videtur in rigido sensu iterata filiorum nepotum et descendentium Masculorum mentio, sed praelative ad Feminas, quae, iis propterea deficientibus, ad successionem admittuntur *in Fulginaten. Concordiae die 26 Martii 1791* §. *Pauca* (3).

54. Distincta vero Feminarum vocatio, post defectam lineam Masculinam, rigorosam suadere potest Masculorum ex Masculis vocationem ad fideicommissum universale *in Fulginaten. Concordiae die 26 Martii 1791* §. *Ex pluribus.*

55. Iuspatronatus gentilitium hinc iisdem subiacet regulis, quibus fideicommissum *in Neapolitana Iurispatronatus die 10 Iunii 1848* §. *Licet* (4).

56. At in fideicommissis Agnati semper excludunt Cognatos, nulla habita ratione ad gradum maioremque proximitatem *in Neapolitana Iurispatronatus die 10 Iunii 1848* §. *Licet* (5).

57. Hinc ubi Descendentes leguntur non solum cum qualitate masculinitatis, sed etiam cum illa expressione per lineam masculinam, tunc vocatio tamquam restricta ad masculos ex masculis, impossibile est, quod comprehendere valeat Descendentes ex Feminis, qui non descendunt per lineam masculinam, sed feminam *in Mutinen. Iurispatronatus et Commendae die 6 Augusti 1842* §. *At vero* (6).

(1) Rot. in Romana seu Firmana Fideicommissi de Burattis 20 Ianuarii 1751 §. 14, coram Emo D. Card Migazzi; in Pisauren. Immissionis 10 Ianuarii 1752, §. 9, coram Cortada.

(2) Rot. in Romana Fideicommissi de Burattis 15 Maii 1752, coram Bussio.

(3) Card. De Luc. de Fideicommiss. Disc. 48, n. 4 et seqq.; Censal. ad Peregrin. de Fideicommiss. art. 20; §. Respondetur primo; Rot. in Veliterna Immissionis 25 Iunii 1753 §. 5 et 6, coram Bussio.

(4) Piton. de Controv. patron. Alleg. 10, n. 9.

(5) Piton. loc. cit. n. 8.

(6) Piton. de contr. Patron. Alleg. 93, n. 5 ad 6; Fargn. de Iurepatr. p. 2, c. 12, cas. 13, n. 18 et seqq.; Rot. in Mediolanen. Capellaniae 23 Martii 1703, §. Fundatorem, coram Molines.

58. Limitationem hanc probare videtur etiam Ferlius (1), dum inquit, receptam esse theoricam Riccardi Malumbra Fulgosianae adversam, - quando a Testatore exoptata fuit in omnibus Descendentibus reduplicata qualitas masculina, tam in Generante, quam in Generato - *in Mutinen. Iurispatronatus et Commendae die 6 Augusti 1842* §. *At vero.*

59. Et multo minus comprehendi possunt, qui a Fundatore non descendunt; cum probatum in iure sit, nomine Familiae intelligi solum Familiam effectivam directam et propriam disponentis, non autem contentivam *in Mutinen. Iurispatronatus et Commendae die 6 Augusti 1842* §. *De his* (2).

60. Atque reservato iurepatronatus pro Descendentibus a linea Fundatoris, nomine lineae venit linea directa, non inflexa vel transversalis *in Mutinen. Iurispatronatus et Commendae die 6 Augusti 1842* §. *De his* (3).

61. Quandoquidem Iulius ex Comitibus Colombo Mutinensis anno 1664, donatione inter vivos expleta, fundum quemdam vulgo *Livizzanina* Archihospitali Almae Urbis S. Spiritus in Saxia nuncupato elargitus est, ea adiecta conditione, ut ex eiusdem fructibus dos constitueretur Beneficii seu Commendae, quam in Ecclesia Cathedrali Mutinensi sub invocatione S. Geminiani erigendam edixerit. Nominato primum ad Commendam Ioanne sibi necessitudine iuncto, reservatoque sibi, dum viveret, iure nominandi, postmodum aliis illud contulit.

62. Hanc enim legem edixit: - Dicto vero R. D. Ioanne vita functo, ius nominandi praesentandi Priorem et Commendatarium pro tempore ad ipsum D. Iulium Donantem et successive ad ipsius D. Iulii Donantis Primogenitum masculum legitimum et naturalem ex linea masculina legitima et naturali descendentem: et sic de Primogenito in Primogenitum masculum ex dicta linea descendentem spectare et pertinere debeat, qui sic nominatus et praesentatus (dummodo in illo concurrant qualitates et conditiones requisitae in volentibus ingredi Ordinem S. Spiritus, et infra tres menses a die vacationis nominetur et praesentetur) ab Illustrissimo et Reverendissimo D. Praeceptore pro tempore confirmari et probari, cruce et habitu insigniri, ac tempore debito ad professionem in dicto Ordine admitti debeat, qua nominatione et praesentatione non facta infra dictos tres menses, intendatur, libere vacasse et devolutam esse pro dicta vice ad dispositionem et collationem Illustrissimi et Reverendissimi D. Praeceptoris pro tempore: sed adveniente nova vacatione et extantibus Primogenitis legitimis et naturalibus ex linea praedicta, ius nominandi ad ipsos revertatur, et hoc toties quoties etc. Primogenitis vero legitimis et naturalibus ex linea praenominata non extantibus seu deficientibus, reservatio talis iurispatronatus tunc expiret et expirata intelligatur, et ius nominandi et praesentandi aliud quodcumque super dicto Beneficio sive Commenda, et eius bonis ad dictum Archihospitali devolvatur et devolutum censeatur, illiusque provisio ac omnimoda alia libera dispositio spectet et pertineat ad Illustrissimum et Reverendissimum Dominum dicti Archihospitali Praeceptorem pro tempore -.

63. Defecerunt iamvero Masculi ex masculina linea Iulii Fundatoris, in quam huiusmodi iuspatronatus ingressum fuerat; namque Aloisius Colombo ultimus huius lineae superstes, qui ex Apostolicae Sedis indulgentia, quoad vixit, in statu coniugali Commendam retinuit, diem obiit supremum anno 1816, duasque tantum reliquit filias, Camillam unam, Aloisiam alteram nuncupatam. Pacifice tamen iuspatronatus quodammodo perstitit aliquot annos in Feminis praedictis; nam Vidua mater earumdem Tutrix et Curatrix a S. M. Pii VII obtinuit, ut, suspensa nominatione Beneficii, fructus erogarentur decennio in utriusque filiolae institutionem. At quum, decennio praeterlapso, praecedentis indulti prorogationem postulasset praefata Mater, reiectaque fuisset Rescripto: - Utatur iure suo -, latissimus tunc Competitoribus patuit aditus ad iuspatronatus sibi vindicandum. Prodiit scilicet in scenam Franciscus Colombo Quattrofrati, derivans ab Ascendentibus Fundatoris Iulii ultra quintum vel sextum gradum, is patronatus iura sibi asserens, in Commendam institui petiit filium Pe-

(1) Ad Fulgosii Theoricam §. ultim.

(2) Bald. in Leg. Peto, §. Fratre, n. 1, de Legat. 2; Menoch. Cons. 106, n. 226 et seqq.; Rot. in decis. 362, n. 6, part. 5 Recent.; in Mediolanen. Beneficii 30 Ianuarii 1711, §. Quid, coram Ansaldo.

(3) Bald. Cons. 171, vol. 3; Castren. Cons. 199, n. 2; Lotter. de Re Benef. lib. 2, quaest. 11, n. 61.

trum aetate annorum septem supra decem constitutum. Prodiit Iosephus Colombo Philippi filius, tum nomine proprio, tum uti cessionarius alterius Iosephi ex Vincentio Paulo, derivans uterque ab Alberto fratre Fundatoris; petiitque Commendam sibi concedi.

64. Prodiit Comes Pompilius Rangoni a Ginepra, quam genuerat Ioannes Colombo iunior, avus Aloisii Colombo ultimi Primogeniti, ex descendentia masculina Institutoris: eoque mox vita functo, in eius partem successit Franciscus eiusdem filius Primogenitus, qui Commendam tribui postulavit Andreae germano fratri. Prodiit demum Aloisia, altera ex memoratis Filiabus postremi Maris Primogeniti; cum enim haec nupta Caietano ex Marchionibus De Buoi infantulum suscepisset, cui Iulii inditum nomen, huic praevia dispensatione Commendam tribui Mater efflagitavit.

65. Super his Competitorum adsertis iuribus, veluti novus Competitor accessit R. P. D. Praeceptor S. Spiritus in Saxia, ad eliminandam a iurepatronatus Columbiorum turbam; et locum patuisse sui favore substitutioni seu potius devolutioni vel perpetuo vel hac vice saltem contendit. Is enim, quamvis non negaret Rangonium et Iulium De Buoi a Fundatore per Feminas descendere, admitteretque ultro theoricam Fulgosii, qua praesertim in subsidium, Masculorum nomine, etiam Cognati comprehenduntur, attamen eliminandam esse eam doctrinam adnotavit, praeter alios casus, quando Fundator vocavit Primogenitum masculum ex linea masculina, et sic de Primogenito in Primogenitum Masculum, ex dicta linea descendentem.

66. Quin obstaculum parare posset questio illa; an Femina agnata vel Masculus feminae istius in iuspatronatus succedat, quando Testator in defectu Primogenitorum masculorum alteram personam aut personarum gradum substituat. Aut enim agitur de substitutione vulgari, cum nempe aliquis institutus fuit in casu, quo non extarent aliquae certae personae de sanguine et familiae, et tunc substitutio caducata dicitur ob existentiam primi vocati (1). Aut agitur de substitutione fideicommissaria, quando nempe aliquis institutus fuit indefinito modo absque ulla particula limitativa, pro quocumque casu ac tempore certa quaedam linea exaruerit; tunc enim iuspatronatus transit ad substitutum (2).

67. Propositis hinc dubiis: – I. An locus factus sit substitutioni seu perpetuae devolutioni favore Nosocomii S. Spiritus in Saxia in casu. *Et quatenus negative*

II. An et ad quem spectet iuspatronatus in casu.

III. An et quomodo pro hac vice devolutum fuerit ius nominandi in R. P. D. Praeceptorem Nosocomii S. Spiritus in casu.

IV. An et cui sit danda institutio in casu.

V. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo, pro dispensatione favore Iulii De Buoi in casu –, S. Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, tertium, quartum et quintum, Provisum in primo – *in Mutinen. Iurispatronatus et Commendae die 6 Augusti 1842.*

AGRICOLAE, ADVENAE, PEREGRINI, FORENSES ET VIATORES.

1. Si Cathedralis unica sit, et simul Ecclesia matrix, eidem tantum ius administrandorum Sacramentorum Habitantibus in territorio extra moenia Civitatis competit *in Andrien. die 20 Decembris 1766* §. *Substinet.*

2. Ideoque Agricolae, Advenae, Forenses in eadem suscipere debent Sacramenta, ibique sepelliri, si decedant absque electione sepulturae *in Andrien. die 20 Decembris 1766* §. *Substinet* (3).

3. Quum autem intra Civitatis ambitum alia Ecclesia constituta fuerit, quae in Sacra-

(1) L. 5, Cod. de Impuber. et aliis substit.; Rot. in Valentina iurispatronatus 26 Iunii 1715 §. Nec dubitari, coram Falconerio.

(2) Fargn. de Iurepatr. p. 2, c. 1, Cas. 16, n. 6; Rot. in cit. Valentina Iurispatronatus, in qua penitius discutitur articulus et confirmatur.

(3) Pignatell. Consult. 109, n. 14, tom. 9; Reclus. de Re Paroch. lib. 6, part. 1, n. 87 seqq.; Rot. in decis. 413, n. 13, coram Ansaldo.

mentis administrandis Ecclesiam Cathedralem coadiuvaret, certis simul designatis confinibus, quin interim aliquid constitutum sit, quoad Habitantes extra Civitatem, Sacra Congregatio, antequam decideret, ad quem pertineret ius administrandi Sacramenta ad huiusmodi Habitatores, resolvere voluit eorumdem parochialitatem *in Andrien. die 24 Ianuarii 1767* §. *Secundam.*

4. Enimvero, consultissimo S. Congregationis iudicio edito die 10 Februarii 1759, ac Episcopo postea contradicente confirmato diebus 26 Novembris 1763 ac 12 Maii 1764 statutum fuit, in Civitate Andriae Ecclesiam Cathedralem esse unicam Parochialem, eiusque Capitulum unicum Parochum totius Civitatis et Territorii; Ecclesiam vero S. Nicolai meram esse coadiutricem in administratione Sacramentorum. Die autem 20 Septembris 1766 determinata quoque fuit certa eiusdem Civitatis regio suis finibus circumscripta, ac tertiam Populi partem complectens, intra cuius ambitum Ecclesia S. Nicolai Sacramenta administraret *in Andrien. die 20 Decembris 1766* §. *Consultissimo.*

5. His constitutis, ad novas praecidendas controversias, inter Ecclesiam coadiutricem et Capitulum Cathedrale exortas, plura dubia proposita fuerunt, sed Sacra Congregatio omnibus respondit: – Dilata ad primam; et dentur dubia, iuxta mentem – *in Andrien. die 20 Decembris 1766.*

6. Secundam huius Rescripti partem suggessit necessitas explicandi totam divisionem materialem Parochiae Civitatis in eo, quod Sacramentorum respiceret administrationem. In Congregatione quippe habita die 20 Septembris 1766 certus quidem constitutus fuit ipsius Civitatis ambitus, intra quem Ecclesia S. Nicolai coadiuvaret in Sacramentis administrandis Ecclesiam Cathedralem, unicam in ea Civitate Parochialem, nihil autem statutum fuit, quoad illius territorium, de quo quid decernere expediret, S. Congregatio sub peculiari dubio una cum aliis proponendo reservavit postea deteriminandum *in Andrien. die 24 Ianuarii 1767* §. *Secundam.*

7. In integrum itaque implementum Mentis Sacrae Congregationis definiendum erat, ante controversias super divisione formali, qui habitantes extra moenia uni vel alteri Ecclesiae subiicerentur. Idcirco proposito dubio primario: – An et qui habitantes extra moenia Civitatis pertineant ad Ecclesiam Cathedralem, vel ad Ecclesiam S. Nicolai in casu –, S. Congregatio respondit: – Ad dubium singulare, Tertiam partem domorum extra moenia et in eis Habitantes pertinere ad Ecclesiam S. Nicolai; reliquas vero duas tertias partes ad Cathedralem: et scribatur Archiepiscopo Tranensi, iuxta Instructionem – *in Andrien. die 24 Ianuarii 1767.*

8. Proposito inde dubio: – XXIV. An ius administrandi Sacramenta Habitatoribus extra moenia Civitatis Andriae competat Capitulo Ecclesiae Cathedralis, unicae Parochialis totius Civitatis et Territorii in casu –, Sacra Congregatio respondit: – Ad vigesimum quartum, Provisum in dubio addito – *in Andrien. die 24 Ianuarii 1767.*

9. Itaque alienigena debet recognoscere in proprium Parochum eum, intra cuius Parochiae limites moratur, nisi adesset consuetudo legitime praescripta, quod habens domicilium in quacumque Parochia, subiiciatur Parocho Cathedralis *in Savonen. die 15 Novembris 1636 lib. 15 Decretorum pag. 423.*

10. Siquidem – S. Congregatio ad primum censuit, Oratoris Parochum censeri eumdem Parochum Ecclesiae S. Ioannis, intra cuius Parochiae limites inhabitat, quatenus ad favorem Ecclesiae Cathedralis non adesset consuetudo legitime praescripta, ut Alienigenae, quamvis domicilium in aliena Parochia eiusdem Civitatis constituentes, Parocho Ecclesiae Cathedralis subiiciantur. Interim vero non esse retardandum Baptismum filii Oratoris in dicta Ecclesia S. Ioannis, id autem fieri debere sine praeiudicio Parochi Ecclesiae Cathedralis in casu, quo de huiusmodi consuetudine sufficienter constaret. Quo vero ad secundum, benigne impertita est praedicto Parocho Sancti Ioannis, intra cuius Parochiae limites Orator inhabitat, facultatem, ut supplere possit caeremoniis Ecclesiae in Baptismo, ut supponitur, omissis – *in Savonen. die 15 Novembris 1636 lib. 15 Decretorum pag. 423.*

11. Atque id iuris principium in acerrimo Partium conflictu eo etiam in casu recenter sancitum est, quo tum legibus Synodalibus tum observantia contendebatur, num Oppidani inter Alienigenas seu Peregrinos Viatores Advenas

ceterosque huiusmodi recenseri deberent, ad effectum habendi ius eorumdem cadavera sepeliendi in Ecclesia Cathedrali vel in Paraeciis Civitatis, ubi moriuntur *in Eugubina Iuris Tumulandi die 22 Februarii 1851.*

12. Enimvero sex Paraecialibus Ecclesiis constabat Eugubina Civitas, inter quas adnumeratur Cathedralis nec non altera Baptismalis S. Ioannis. In his duabus cura animarum exercebatur per Vicarium amovibilem ad nutum Capituli praefatae Cathedralis Ecclesiae: quatuor vero reliquis, idest S. Secundi, S. Petri, S. Dominici, ac S. Augustini, Parochi Regulares praerant. Quoniam accidere poterat, ut intra limites harum Paraeciarum et ii diem obirent supremum, qui in ipsis domicilium haud haberent, hinc Praesules Eugubini Leges Synodales iusserunt, quae normam praeberent, ad eos sepulturae demandandos.

13. Ad id post ceteros Episcopus Cavalli legem dixit anno 1728 (1), quam cum iisdem fere verbis anno 1827 retulerit in sua Synodo Praesul Massi, edicens: – Extranei etiam, Peregrini, Viatores, et Advenae alienae Civitatis et Diaecesis, qui hanc nostram Civitatem non animo permanendi petierint, dummodo infra terminum trium mensium diem suum extremum clauserint, non electa sibi sepultura, in Cathedrali sepeliantur. Quod si alibi aut Sacerdotes, aut Exteri praedicti sepulturam elegerint, quarta funeralis soli Cathedrali persolvatur. Elapsis tribus mensibus, in Ecclesia Paraeciae, apud quam decesserunt, Advenae quicumque sepeliantur (2) –. Praeterea: – Diaecesani in aliena Paraecia decedentes, si Familiae sepulchro careant, in Paraecia, in qua degebant, si commode fieri poterit, alias in ea, apud quam decesserunt, tumulandi erunt, divisa quarta inter utrumque Parochum. Si vero extra utramque Paraeciam sepulturam elegerint, tunc funeralium medietas Ecclesiae tumulanti cedat, altera medietate inter utrumque Parochum dividenda (3).

14. Factum est autem, ut, cum anno 1843 exeunte mense octobris, Anna Maria filia Ferdinandi Andreoli ex Oppido Schiggiae Eugubinae Diaecesis, adversae valetudinis curandae causa, Eugubium petiisset, apud Familiam Paolucci hospitans, ingravescente morbo, post aliquot dies sub Paraecia S. Dominici excesserit e vita die octava Novembris praedicti anni. Parochus Regularis S. Dominici in suam Ecclesiam cadaver transtulit, iustisque persolutis, ibidem illud sepulchro donavit innixus §. 13 Synodus Massi. At Secundus Bruni Canonicus Ecclesiae Cathedralis ac Capituli vices gerens in exercitio curae animarum, autumans Puellam Andreoli adnumerandam esse inter Extraneos atque Advenas, de quibus fit sermo in §. 12 praefatae Synodus, ideoque in Cathedrali sepeliendam, etiam Capituli sui nomine conquestus est apud Parochum S. Dominici. Hic ad propulsandam querimoniam, quae in posterum reviviscere poterat, etiam contra alios Regulares Parochos, una cum iis declarationem ab Episcopo Eugubino postulavit, consentiente etiam Cathedralis Capitulo: ast Antistes controversiae solutionem ad Sacram Congregationem remisit.

15. Qua de re Parochi Regulares ob id supplicem dederunt libellum: et S. Congregatio rem pro informatione et voto ad Eugubinum ablegavit Antistitem, ut, Capitulo et Parocho Cathedralis audito, referret de legitima consuetudine et Oratorum bono iure. Ipse munus sibi demandatum explens, sententiam suam dicto Capitulo propitiam pandidit ac tueri contendit (4).

(1) In Cap. de Funeribus et Sepulturis, §. 7 et 8 Synodi Diaecesanae.

(2) In Cap. 30, eod. tit. §. 12.

(3) Loc. cit. §. 13.

(4) Siquidem haec Episcopus deducere curavit, *ut in §. Rem* – ibi – Indubium est, biscentorum consuetudine annorum probari, decedentes Oppidanos Diaecesis in hac Civitate in Ecclesia Cathedrali tumulatos fuisse, licet intra fines aliarum Paraeciarum supremum diem obiierint. Id ex Negrologiis Paraeciae eiusdem Cathedralis apertissime liquet. Immo constat, tam Episcopum Cavalli, qui penultimam edidit Synodum anno 1728, quam Episcopum Massi postremae Synodi anno 1827 auctorem in controversiis, quae hac de re excitatae sunt, Cathedralis Ecclesiae iura asseruisse et confirmasse, decernendo Oppidanorum huiusmodi tamquam extraneorum sepulturam propriam esse apud Cathedralem Ecclesiam et non alibi. Noverant siquidem sapientissimi illi Praesules, extraneos illos dici et esse, qui incolae non sunt, et tales esse non tantum extra Diaecesanos, sed Diaecesanos etiam Oppidorum, separatum a Civitate territorium habentium. Quae quidem dispositio apprime consona videtur decisioni 145 Pignatelli, qui ait: – Seclusa legitima consuetudine, corpora Viatorum (*Extraneorum*) sepelienda sunt in Cathedrali, *Gloss. in Cap. Nostra, de se-*

Praeter rationes per Episcopum in medium allatas, Canonicus Bruni et ipse antiquissimum ius Ecclesiae Cathedralis Eugubii sepeliendi cadavera Extraneorum, Peregrinorum, et Advenarum, qui in ea Civitate infra tres menses sub aliena Paraecia mortem oppetunt, ex Decreto S. Congregationis Episcoporum et Regularium (1), nec non ex iis, quae sancita fuerunt ab antiquioribus Synodis Eugubinis, praesertim vero a recentioribus, quorum verba supra relata fuerunt, quin huiusmodi decreta a iure abhorreant, probare contendit *in Eugubina Iuris Tumulandi die 26 Iunii 1847* §. *Ecclesia* (2).

16. Nullum vero dubium, quod Oppidani Diaecesis Eugubii, decedentes, tamquam Advenae vel saltem Extranei, habendi sint. Nam verbum Advena seu Extraneus significationem civilem importat, ac distinctionem Provinciam inter ac Provinciam, Civitatem ac Civitatem, Territorium ac Territorium (3) *in Eugubina Iuris Tumulandi die 26 Iunii 1847* §. *Ecclesia.*

17. Quum itaque Oppidum Schiggiae suum habeat territorium seiunctum a territorio Eugubino, illius Incolae relate ad Civitatem Eugubii Extranei aut Advenae iure ac merito nuncupantur. Perperam autem nomen Advenarum atque Extraneorum desumeretur a spirituali divisione Diaeceseon; ex hoc enim sequeretur, Incolas Iuliae Caesareae et Incolas Cirtae, quae sunt Civitates a se vicissim perquam dissitae, non esse inter se Advenas atque Extraneos, quia subsunt eidem Diaecesi Algerinae; et contra non Cives, sed Extraneos se invicem fore eos, qui sunt Incolae unius Civitatis, ubi duae vel tres Diaeceses aliquando continentur, quod esset absurdum *in Eugubina Iuris Tumulandi die 26 Iunii 1847* §. *Ecclesia.*

18. Nec hisce obesse queunt, quae in Synodali lege vocem *Extranei* sequuntur verba: *alienae Civitatis et Diaecesis;* Civitatis enim appellatione venit etiam Oppidum, quum Urbs quaelibet, excepta Roma, vocetur etiam Oppidum (4). Particula autem *et* non pro coniunctione accipienda erit, sed disiunctiva *vel;* nam, -Coniunctionem nonnumquam pro disiunctione accipi, Labeo ait (5) -. Quibus positis, verba Legis Synodalis idem sonat ac: *alienae Civitatis vel Diaecesis,* quo sub sensu unusquisque videt, comprehendi etiam Extraneos et Advenas Oppidorum omnium, quae Eugubinae Diaecesis subsunt *in Eugubina Iuris Tumulandi die 26 Iunii 1847* §. *Hisce.*

pulturis; quia isti non sunt veri Parochiani Ecclesiae Parochialis, non enim hospitans in Parochia est Parochianus, sed qui domicilium ibi habet. Et ideo in Ecclesia Parochiali non sunt sepelienda cadavera, sed in Cathedrali, cuius fiunt quasi Parochiani, quia Cathedralis est Parochia universalis Civitatis et Diaecesis -. Ex quibus optime concluserе Praedecessores mei etiam Oppidanos Diaecesis pro Extraneis habendos esse, et in Cathedrali sepeliendos. Nec obstat, quod dicatur: *Extranei, Peregrini, Viatores, et Advenae alienae Civitatis et Diaecesis;* nam illud *alienae Civitatis et Diaecesis* respicit Advenas tantum, qui pro clariori intelligentia alienae Civitatis et Diaecesis dicuntur. Extranei autem, Peregrini, et Viatores dici possunt etiam Oppidani Diaecesis. In quo quidem sensu Synodos praefatas loquutas fuisse et praxis ostendit et mens Legislatorum ipsorum declaravit.

Fatendum quidem est, Parochos Regulares non aequo animo id semper tulisse, sed nullam adducunt sententiam, qua favore suarum Ecclesiarum antiquiores vel recentiores Episcopi in huiusmodi controversiis decreverint, prout decreverunt favore Ecclesiae Cathedralis.

Statuta itaque vera et legitima intelligentia §. I. *Extranei,* nunc descendendum est ad sensum §. II declarandum. In eo dicitur, *Diaecesanos in aliena Paraecia decedentes* etc. Putant Parochi Regulares, id pro sua causa ad rem facere, existimantes, omnes sive Civitatis sive Oppidorum sive Villarum Incolas, utpote Diaecesanos, tumulandos esse, ut ibidem decernitur. Sed falluntur; nam ibi in genere loquitur Synodus de Diaecesanis, qui vel Eugubii vel alibi decesserint in aliena Paraecia, ut illi ex. gr., qui modo Ruri, modo in Civitate degunt, prout evincitur ex verbis illis, *si Familiae sepulchro careant... si commode fieri poterit,* nec non ex Cap. *Is qui* 3 de Sepult. in 6, ad quod Synodalia Decreta referuntur. Non autem hic sermo est de illis, qui respectu Civitatis, licet Diaecesani, dicuntur tamen et sunt Extranei, de quorum sepultura in primo Capite definitum est, prout vidimus, et duorum seculorum consuetudine probatur -.

(1) Datum quippe in Fulginaten. 3 Iulii 1592.

(2) Sane praeter Pignatellium addi potest Sylv. in Verb. *Sepulturae*, n. 8, ubi aliorum Doctorum consonam refert sententiam, deductam ex Can. *Ubicumque,* Caus. 13, quaest. 2.

(3) Arg. ex Leg. 239 §. 2 4 et 8, ff. de Verb. Signif.

(4) Ioannes Calvinus Lexic. Iuridic. Verb. *Oppidum.*

(5) Leg. 29, ff. de Verb. Signif. Et consonat Lex 53 eod. tit.; Cinonius in Tract. de Particulis vernaculae linguae, Cap. 102, n. 11.

19. Quoad aliam legem (1) Synodus Massi, dicendum erit, eam non loqui de Diaecesanis Oppidorum relate ad Eugubium, sed de iis, qui in suburbanis Eugubii territori, Villis commorantes, in Civitate moriuntur. Quae explanatio eo vel magis admittenda erit, si animadvertatur, praedictam Legem posteriores Eugubinos Episcopos deprompsisse a Synodo Antistitis Bonaventura, qui anno 1695 eam condidit ad abusum eliminandum, quo fiebat, ut etiam Eugubinae Civitatis Habitatores in aliena Paraccia morientes in Cathedrali tamquam extranei sepelirentur, quemadmodum patet ex anterioribus Defunctorum Negrologiis, minime vero ex posterioribus eidem Synodo *in Eugubina Iuris Tumulandi die 26 Iunii 1847* §. *Quoad.*

20. Exempla inde protulit praedictus Bruni, quibus demonstrare contendit, quod ita pariter Episcopi Legem Diaecesanam interpretati sint; atque ab anno 1631 usque ad id temporis plusquam duodecim casus numeravit de nonnullis Eugubinae Diaecesis Oppidanis, qui, cum in diversis Paraeciis ante tres menses sui domicilii Eugubii per accidens decesserint, eorum cadavera in Cathedralem Ecclesiam illata fuere et in eadem sepulta perinde ac essent cadavera Advenarum aut Extraneorum. Quin casus in adversum allati obesse possint, cum non sint praecise uni et iidem cum illis; adeoque non valent observantiam evertere, quae per actuum frequentiam, attenta eorum difficultate, constituta habetur *in Eugubina Iuris Tumulandi die 26 Iunii 1847* §. *Accedit* §. *Ad hanc, et* §. *Perperam.*

21. At Regulares Parochi perfugium primum quaesiverunt a iure communi, ac asseruerunt, Exteros, Advenas, Viatores, et Peregrinos sepeliendos esse in Ecclesia Parochiali, cui subest eorum decessionis locus *in Eugubina Iuris Tumulandi die 26 Iunii 1847* §. *Haud* (2).

22. Et hanc opinionem contra nonnullos veriorem retinet Gratianus (3), et communem dicit Sperellius (4) *in Eugubina Iuris Tumulandi die 26 Iunii 1847* §. *Haud.*

23. Quamvis ergo detur ex adverso, Diaecesanos inter Exteros atque Advenas numerari, attamen sepeliendi etiam essent in Ecclesia illius Paraeciae, sub qua supremum diem obierunt: idque non modo ex iure communi, sed ex ipsa lege synodali, quae distincte et clare ac in seiunctis paragraphis de Extraneis, Advenis aliisque similibus atque de Diaecesanis loquuta est, illisque sepulturam in Cathedrali adsignavit, hisce vero sepulchrum illius Paraeciae, intra cuius limites vitae finem recepturi erant. Neque praesumi potest, quod sub nomine Extraneorum Advenarum aliorumque huiusmodi suos subditos comprehendere voluerint Eugubini Antistites, qui probe norant a se uti Rectoribus, in Ecclesiastica Hierarchia constitutis, tamquam spirituales filios, non extraneos respiciendos fore eos, quibus praecerant *in Eugubina Iuris Tumulandi die 26 Iunii 1847* §. *Haud et* §. *Arbitrariis.*

24. Nihil autem prodesse contenderunt praefati Parochi Regulares adversam observantiam, cum desit actuum frequentia; namque, per ducentos et ultra annos, inter ceteros quatuor adnumerantur casus, in quibus Oppidani Diaecesis, decedentes in Paraecia S. Ioannis, translati fuerunt ad Cathedralem, cui tamquam filialis illa subest; atque demptis Oppidanis, pauci supersunt casus, in quibus nonnulli ex ipsis, morte perempti, penes alias Paraccias, in Cathedralem illati tumuloque ibidem traditi fuerunt; imo non desunt casus, quibus factum est, ut Cadavera Oppidanorum Diaecesis sociata fuerint ac tumulata a Parochis Ecclesiae, in cuius ditione fatalis dormitionis horam nacti sunt: adeoque huiusmodi observantia, tamquam interrupta vel adeo saltem difformis ac turbida, despicienda est *in Eugubina Iuris Tumulandi die 26 Iunii 1847* §. *Despicienda et* §. *Nec.*

25. His tamen non obstantibus, proposito dubio: - An et quomodo sub nomine Extraneorum, Peregrinorum, Viatorum, et Advenarum veniant etiam habitatores Oppidorum Diaecesis Eugubinae, itaut in Ecclesia Cathedrali sint tumulandi in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative - *in Eugubina Iuris Tumulandi die 7 Augusti 1847.*

26. Haud acquievere Parochi Regulares praefato responso Sacrae Congregationis; idcirco pugnam inde instaurarunt, atque disquisitio-

(1) In §. 13.
(2) Rota in Decis. 1135, coram Seraphino; Riccius in prax. for. Eccles. part. 4, resol. 293.
(3) In Discept. forens. Cap. 94, n. 73.
(4) In Decis. 87, n. 12 et seqq.

*

nem Legum Synodalium accuratius instituentes, statuerunt, Episcopos Eugubinos Sorbolongo, De Monte, et Card. Carpineum prae oculis habuisse procul dubio receptam a Canonistis et Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium sententiam, qua sancitur, corpora Viatorum sepelienda esse in Cathedrali, seclusa legitima consuetudine, dum in eorum Synodis legem tulerunt: - Extraneos, Peregrinos, Viatores, et Advenas, brevi tempore in hac Eugubina Civitate decedentes, non electa sepultura, in Cathedrali esse tumulandos (1) - *in Eugubina Iuris Tumulandi die 8 Aprilis 1848* §. *Et primum.*

27. Idque tam verum esse dixerunt, ut Episcopus Sperelli, qui Carpineo successit, declarationem praefatae legi addiderit hisce verbis: - Persaepe dubitari solet quodnam tempus dicatur breve ad hoc, ut locum habeat Constitutio Synodalis Eminentissimi Carpinei (2). Ad tollendam igitur dubitationem omnesque lites, quae hac de re in futurum insurgerent, dirimendas, declaramus breve tempus in casu eiusdem Capituli illud esse putandum, quod trium mensium spatium non excedat. Ideoque Peregrini, Viatores et Advenae, qui, intra eius temporis intervallum, quacumque in Parochia huius Civitatis decesserint, in Cathedrali Ecclesia donentur sepulchro, quibus etiam eiusdem Cathedralis Parochus Sacramenta administrabit. Si qui vero, Clericis exceptis, post longioris temporis spatium obierint, in Parochia sepeliantur (3) - *in Eugubina Iuris Tumulandi die 8 Aprilis 1848* §. *Et primum.*

28. Ob istam legem Parochi Cathedralis Ecclesiae pedetentim contenderunt, ad se prorsus pertinere quotquot etiam ex ipsa Diaecesi infra tres menses, alibi non electa sepultura, Eugubii decessissent. Qua de re Episcopus Bonaventura anno 1695 in Synodo legem illam, quae in Synodis Sorbolongo, De Monte, Card. Carpineo et Sperelli nullis finibus concludebatur, merito coercuit, concludens: - Ad tollendas omnes et quascumque lites, pro Extraneis, Peregrinis, Viatoribus, et Advenis, solummodo haberi volumus, qui sunt alienae Civitatis et Diaecesis (4) -. Unde adversa interpretatio, vertendo particulam coniunctivam *et* in discretivam *vel*, falsa absurda et incompatibilis censeri debet *in Eugubina Iuris Tumulandi die 8 Aprilis 1848* §. *Nihilominus* §. *Porro et* §. *Perperam.*

29. Nihili propterea faciendum est exemplum ex Lege civili desumptum; nam Advenae in themate dici nequeunt, qui ab uno eodemque animarum Pastore dependent; ex eo etiam, quod lege aperte statutum sit, quinam Advenarum nomine venire deberent, idque subinde apertius confirmatum fuit sequentibus Synodis Cavalli 1728 (5) et Massi 1827 (6), quas patet eamdem Bonaventurianae declarationis verborum proprietatem adhibuisse, dum ita legem ediderunt: - Extranei, Peregrini, Viatores, et Advenae alienae Civitatis et Diaecesis, qui hanc nostram Civitatem non animo permanendi petierint, dummodo infra terminum trium mensium diem suum clauserint extremum, non electa alibi sepultura, in Cathedrali sepeliantur - *in Eugubina Iuris Tumulandi die 8 Aprilis 1848* §. *Ex ista.*

30. Quin valeat ex adverso obtendi §. 13 ad eos Diaecesanos referri, qui modo Ruri, modo in Civitate degunt; vel ibi non loqui de Diaecesanis Oppidorum relate ad Eugubium, sed de iis, qui, in suburbanis Eugubii Villis commorantes, in Civitate moriuntur. Nam primam hypothesim respuit dispositio in calce eiusdem §. 13 conceptis hisce verbis adiecta: - De decedentibus vero modo Ruri modo in Civitate, id statutum sit, ut in Ecclesia Paraeciae apud quam decessere sepeliantur -. Altera vero nequit omnino admitti, quia Antistes ille nequaquam id explicavit, nec enim de iis loquutus est, qui in Villis Eugubii territorii degunt; et quia si §. 13 non loquitur de Diaecesanis Oppidorum relate ad Eugubium, prout est Civitas, procul dubio de iisdem loquitur relate ad Eugubium, prout haec Civitas est Caput Diaecesis; loquitur enim de Diaecesanis in Eugubino territorio sitis *in Eugubina Iuris Tumulandi die 8 Aprilis 1848* §. *Quin.*

(1) Cap. de Funeribus et Sepulturis.
(2) In Cap. 2, de Funeribus.
(3) Constit. et Declar. edit. in Synod. Cap. 1, de sepult.
(4) In Cap. 23.
(5) Cap. 28, n. 7.
(6) Cap. 30, §. 12.

31. Sublatis inde duobus Decretis Episcoporum Cavalli et Massi, quae ad duos casus Cathedrali faventes iniuria referebantur (1), mole sua corruit iactata consuetudo, etsi plusquam duodecim exemplis sustentaretur. Si enim haec accurate expendantur, nonnulla eorum nutantia, pleraque vero themati neutiquam respondentia esse, patebit. Et re quidem vera de nonnullis casibus, qua in Paraecia ii acciderint, non constat; alios evenisse liquet in Paraecia S. Ioannis, quae Capitulo subest; unum denique haud patet, fuerit necne ex ea parte Pergulae, quae Eugubio subiiciebatur. E contraria parte copiosus ab Ecclesiis Regularium exhibetur cathalogus Oppidanorum et Conterraneorum, qui, mortui in Paraeciis Eugubii, praecipue in illa S. Dominici, ibidem tumulo donati sunt, ut evincant, consuetudinem legi prorsus consentaneam ipsis Ecclesiis iugiter favisse *in Eugubina Iuris Tumulandi die 8 Augusti 1848* §. *Quapropter*.

32. Quum autem ab exemplis desumptis ex libris mortuorum, quae exhibuerunt Regulares, haud perspicue deprehendebatur, utrum res esset de Diaecesanis, qui intra trimestrem terminum in respectivis Paraeciis decesserint, dum id ceteroquin probare omnino fuisset, ad labefactandam adversam observantiam, quae legem dubiam interpretasse videbatur, reproposito dubio, sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Dilata; et transmittatur Episcopo documentum a Parochis Regularibus allatum, ut super assertis factis referat - *in Eugubina Iuris Tumulandi die 8 Aprilis 1848*.

33. Plura hinc deduxit Capitulum Ecclesiae Cathedralis, ad argumenta et facta, per Parochos Regulares exposita, labefactanda; at Sacra Congregatio, reproposito dubio, sub eadem formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. -, responsum dedit: - Recedendum a decisis - *in Eugubina Iuris Tumulandi die 22 Februarii 1851*.

§. I.

ALIENATIO IN GENERE.

1. Verbo alienationis continetur omnis alienatio, quae transfert dominium, et omnis illa, per quam res obligatur *in Neapolitana Beneplaciti Apostolici die 21 Septembris 1822* §. *Iusta* (2).

2. Amplia, nomine alienationis intelligitur omnis actus, ex quo directum vel utile alicuius rei dominium, aut illius ius seu ususfructus in alterum transfertur, vel damnum quomodocumque Ecclesiae irrogatur *in Senogallien. die 10 Februarii 1770* §. *Alienatio*.

3. Hinc, - sive Lex alienationem inhibuerit, sive Testator hoc fecerit, sive pactio Contrahentium hoc admiserit, non solum dominii alienationem vel mancipiorum manumissionem esse prohibendam, sed ususfructus dationem, vel hypothecam, vel pignoris nexum penitus prohiberi - *in Camerinen. Fabricae die 30 Iulii 1774* §. *Facultatem* (3).

4. Idcirco nullitatis vitio laborare videtur obligatio contracta ab Administratoribus Ecclesiae in favorem alterius, utpote versatur circa res Ecclesiasticas extra commercium positas et contracta fuit a Personis, quae cum iusto titulo carerent ex defectu Apostolici Beneplaciti non poterant res Ecclesiae obligare et hypothecae vinculo subiicere *in Neapolitana Beneplaciti Apostolici die 21 Septembris 1822* §. *Sed quod*.

5. Quin imo in censuras per sacros Canones

(1) Ob id sane nihili prorsus praefata Decreta facienda esse sustinuerant Parochi Regulares, *ut in* §. *Ad bina* - ibi - Quia, vel nequaquam existunt ceu comprobatur epistolio Cancellarii Episcopalis Eugubini, qui, de eorum exemplari requisitus, respondit: - *Che dopo le indagini fatte non mi è stato dato rinvenire in questa Cancelleria Vescovile alcun Decreto relativamente agli anzidetti due casi, e nè tampoco alcuna memoria* -, vel quia verbo tenus edita, obtinere haud possent vim Legis, quae Synodalibus derogaret, obsistente potissimum edictali Lege Episcopi Angelelli die 23 Aprilis 1792 lata, qua statuitur singulis Decretis Synodus Cavalli parendum omnino, - *purchè ai Decreti nel medesimo emanati non sia stato posteriormente con pubblico editto e legge in qualche parte derogato* -.

(2) Gloss. ad cap. *Nulli*, de Reb. eccles. alien. vel non.

(3) L. final. Cod. de reb. non alienan. etc.

inflictas inciderunt huiusmodi Administratores, qui res Ecclesiae obligarunt et hypothecae vinculo subiecerunt proprio marte, etiamsi necessitas seu utilitas urgeret: hac enim concurrente, id tantum iidem obtinuerunt, quod absolutionem a praedictis censuris et sanationem contractuum habuerint *in Neapolitana Beneplaciti Apostolici die 14 Decembris 1822.*

6. Enimvero Parochus et Administratores Ecclesiae Parochialis S. Petri loci dicti *Patierno* Neapolitanae Archidiaecesis veniam postularunt ab Sacra Congregatione pro distrahendis nonnullis activis canonibus, ut solveretur aes alienum, quo gravabatur Ecclesia. Siquidem a laica Potestate huic Ecclesiae ablata fuere duo praedia anno 1790 ac vendita Regio iussu fuere cuidam Ioanni Romano.

7. Distractionem hanc bonorum pro viribus impugnare conati sunt, qui Paracciae iura administrabant, et ut coram Tribunalibus Ecclesiae iura experirentur contra emptorem Romano, venia Regis obtenta, sed Apostolico Beneplacito non postulato, anno 1800 a quodam Vincentio cel Giudice mutuam recepere summam ducatorum nongentorum, cum obligatione eam restituendi intra quatuor annos et solvendi ducata octo pro quolibet centenario, atque subiecti Ecclesiae bonis vinculo hypothecae, iidem se suo etiam nomine obligarunt. Tum et alia ducata bis centum quinquaginta eisdem coacitionibus ab Hospitali Civitatis Beneventi, cum obligatione tamen solvendi decem pro quolibet centenario, acceperunt.

8. Verum Ecclesia minus secundam retulit a Tribunalibus sententiam, et a Sereni-simo Rege nonnullos decimarum fructus compensationis loco accepit, quos etiam amisit vicissitudinis causa; unde accidit, ut nec aes alienum solvere nec annua interusuria, tum mutuanti cel Giudice, tum Hospitali rependere potuerit. Hac de causa Franciscus cel Giudice defuncti Vincentii heres, pro sorte et fructuum restitutione instituit, et a laicis Iudicibus Ecclesiae huius Administratores ad solutionem per literas exequutoriales compellebantur. Ideirco facultatem alienandi aliquot census a Sacra Congregatione, ad aes alienum dimittendum, efflagitarunt.

9. Sacra Congregatio vero facultatem hanc necessitate urgente quidem indulsit, sed praevia absolutione a censuris et sanatione contractuum: proposito enim dubio: - An et quomodo sit concedendum Beneplacitum Apostolicum in casu etc.-, responsum tulit: - Quatenus pecunia erogata fuerit in utilitatem Ecclesiae, praevia absolutione a censuris et sanatione contractuum, Affirmative; iuxta votum Eminentissimi Archiepiscopi, facto verbo cum Sanctissimo - *in Neapolitana Beneplaciti Apostolici die 14 Decembris 1822.*

10. Namque verbis expressis sancitum est, quod - Nulli liceat alienare rem immobilem Ecclesiae suae, sive agrum, sive rusticum mancipium, neque specialis hypothecae titulo obligare - (1) *in Neapolitana Beneplaciti Apostolici di 21 Septembris 1822* §. *Sed quod.*

11. Profecto verbum alienationis in hoc loco latissime accipitur, quemadmodum ad hoc Caput *Nulli* de rebus Ecclesiae alienandis vel non adnotat Glossa *in Neapolitana Beneplaciti Apostolici die 21 Septembris 1822* §. *Sed quod.*

12. Ceterum ad Testatores quod spectat, sub generali prohibitione alienationis tunc Sacra Rota censuit, hypothecam comprehendi, quando dispositio importat alienationem late sumptam *in Camerinen. Fabricae die 30 Iulii 1774* §. *Facultatem.*

13. Secus vero, quando res est de alienatione stricto modo intelligenda *in Camerinen. Fabricae die 30 Iulii 1774* §. *Facultatem* (2).

14. Hinc sub stricto alienationis vocabulo hypothecam non intelligi existimavit Merlinius (3) *in Camerinen. Fabricae die 30 Iulii 1774* §. *Sub.*

15. Alienatio enim dominii translationem importat, hypotheca vero non aufert a Possessore dominium, sed ius tantum distinctum et separatum a dominio constituit *in Camerinen. Fabricae die 30 Iulii 1774* §. *Sub.*

16. Quidquid vero sit de huiusmodi distinctione alienationis, late et stricto modo sumptae, Sacra Congregatio permittere noluit, ut hypothecae subiicerentur censuum capitalia, pro implemento onerum destinata, absque eo quod adigi deberent Oratores ad subrogationem, nisi in casu, quo praedii evictio seque-

(1) Cap. *Nulli*, de Reb. Eccles. alien. vel non.

(2) Rot. in decis. 169, n. 5, part. 14; in decis. 322, n. 4, part. 5; in decis. 373, n. 28, part. 16 Recent.

(3) In lib. 2, tit. 1, quaest. 42, n. 3 et seqq.

retur, cum id ea expresse permiserit conditione, ut pro adimplemento onerum fundus perpetuus idoneus et liber subrogaretur, etiamsi Testator amplissimam eisdem facultatem alienandi concessisset et constitutionem fundi pro adimplemento dictorum onerum generaliter demandavisset *in Camerinen. Fabricae die 20 Augusti 1774.*

17. Siquidem Sacerdos Bartholomaeus Rossetti heredem ex asse instituit Ven. Congregationem Oratorii S. Philippi Neri Civitatis Camerini, cui duo imposuit onera, nempe expositionem Sanctissimi Sacramenti a Dominica in Albis usque ad dies festos Pentecostis, et celebrationem Missarum septem singulis annis peragendam. Prohibuit autem, ne bona hereditaria in aliam causam, quam in fabricam Ecclesiae eiusdem Congregationis erogarentur; ita tamen, ut in isto casu fundus constitueretur, pro dictorum onerum implemento (1). Post obitum Testatoris omnia fere hereditatis bona in causam Fabricae fuerunt erogata, nec aliud inde supererat, quam nonnulli census, capitale scutorum quingentorum constituentes, et praedium, quod postremis temporibus pro credito scutorum tercentum quinquaginta hereditati obvenit.

18. Cogitarunt itaque Patres Oratorii hoc praedium vendere, eiusque pretium erogare in perficiendo posteriori Ecclesiae prospectu. Cum tamen Emptor requisierit hypothecam in casu evictionis praedii, idcirco Venditores facultatem postularunt hypothecae subiiciendi capitalia censuum, prodiitque die 18 Decembris 1773 Sacrae Congregationis Rescriptum: - Praeservato fundo, pro expositione Sanctissimi Sacramenti et celebratione Missarum, ad formam testamenti Bartholomaei Rossetti, qui perpetuus sit atque idoneus et sufficiens nulloque vinculo obnoxius, in reliquis pro facultate, arbitrio Episcopi, pro obligatione reliquorum bonorum eiusdem Testatoris tantum -. Renovarunt subinde preces Oratores, ut hypothecae subiicere valerent censuum capitalia, absque eo quod adigi deberent ad subrogationem, nisi in casu, quo praedii evictio sequatur.

19. Id enim aequitati et rationi consonum esse dixerunt, cum ex dispositione Testatoris omnia hereditaria bona in usum Fabricae erogare possint, et satis consultum sit Piorum Legatorum implemento, si in casu evictionis fundus subrogetur. Observarunt, totam fere Ecclesiae Fabricam, quam propriis sumptibus perficere debuissent, cum bonis hereditatis Rossetti fuisse absolutam; hinc grave ipsis minime futurum subrogare fundum, qui respondeat capitali censuum scutorum quingentorum, si istius census hypothecae subiectos amittere contingat. Ceterum pro maiori cautione paratos se exhibuerunt a die evictionis, quatenus revera eveniat, aliquam summam singulis annis deponere, ut Capitale amissum redintegrari valeat. Vicarius Generalis, qui, absente Episcopo informationem transmisit, Oratorum petitioni favit, praesertim quia, si census hypothecae non subiiceretur, venditio praedii cum libera pretii solutione nunquam sequi posset.

20. Proposito hinc dubio: - An et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis sub die 18 Decembris 1773 in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - In decisis, iuxta modum: Modus est, pro facultate obligandi census, pro evictione praedii alienandi, subrogato tamen ex nunc alio fundo perpetuo idoneo et libero, qui stare debeat, pro adimplemento onerum Missarum et expositionis Sanctissimi Sacramenti - *in Camerinen. Fabricae die 20 Augusti 1774.*

21. Hinc prohibitio Testatoris, primo Heredi facta, arbores caedendi vendendi et hypotecandi, qualibet destituta esse perpetuitatis nota videtur, quoad alios Heredes *in Aprutina die 12 Maii 1787* §. *Quoad.*

22. Ubi sane perpetuum deficit fideicommissum vel expressa deficit ratio conservationis bonorum in Familia, non extenditur alienationis prohibitio ad ulteriores Heredes *in Aprutina die 19 Maii 1787* §. *Quoad* (2).

23. Idque comprobari videtur ex prohibita arborum incisione *in Aprutina die 19 Maii 1787* §. *Idque.*

24. Nisi enim huiusmodi prohibitio primum

(1) Siquidem facultatem erogandi bona, pro fabrica Ecclesiae, quam Oratoribus tribuit Testator, his praecise verbis, exposuit, ut in §. *Facultatem* - ibi - E quando volessero applicare tutta la mia credità tanto sorte principale, quanto frutti di detta fabbrica, possano farlo, purchè con licenza della Sagra Congregazione, per l'adempimento de'sopradetti pesi perpetui già ordinati, si surroghi un fondo capace e sufficiente della detta Congregazione -.

(2) Mantic. de coniect. ult. volunt. lib. 6, tit. 14, n. 23; Mascard. de probat. conclus. 1242, n. 77 et 92; Valent. de ult. volunt. vot. 14, n. 33, part. 1.

dumtaxat respiceret Heredem, absurda in Testatore admittenda esset voluntas prohibendi rectam suorum bonorum administrationem *in Aprutina die 19 Maii 1787* §. *Idque.*

25. Semper porro expedit vetustas et corruptas incidere arbores, aliasque in eorum locum substituere *in Aprutina die 19 Maii 1787* §. *Idque* (1).

26. Imo saepe utilior est fundo eiusque culturae frugiferarum etiam arborum incisio *in Aprutina die 19 Maii 1787* §. *Idque* (2).

27. His tamen non obstantibus, Sacra Congregatio censuit, prohibitionem caedendi vendendi et hypothecandi primo Heredi factam, servandam esse etiam ab ulterioribus Heredibus in substitutionem vocatis *in Aprutina die 19 Maii 1787.*

28. Quandoquidem Andreas Prosperi, Maceratensis Congregationis Oratorii Sacerdos, heredem in paternis et maternis bonis instituit Ioannem eius fratrem. In reliquis vero ab ipso acquisitis usufructuariam scripsit sororem suam Victoriam, proprietarium Sacerdotem Thomam Piccioni. Huic post consolidatum cum proprietate usumfructum prohibuit, ne caederet arbores venderet ac hypothecae subiiceret; eique dispositionem non acceptanti substituit Ecclesiam S. Francisci, iisdem oneribus et conditionibus: atque iterum praefatae Ecclesiae dispositionem recusanti, Sodalitatem Mortis substituere voluit.

29. Dispositionem accepit Thomas et ad obitum usque conditiones implevit. Inter cetera autem Sacerdos Carolus Piccioni eius successor a Summo Pontifice quaesivit, an vigeret adhuc et mediatos Heredes afficeret prohibitio caedendi vendendi et hypothecandi. Re ad Sacram Congregationem ablegata, expiratam censuit Episcopus prohibitionem.

30. Proposito vero dubio: – II. An prohibitio caedendi vendendi et hypothecandi primo Heredi facta, servanda sit ab ulterioribus Heredibus in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative – *in Aprutina die 19 Maii 1787.*

31. De huiusmodi resolutione questus est inde Carolus Piccioni, ac Eminentissimos Patres pro illius declaratione exorávit *in Aprutina die 28 Iulii 1787* §. *Tria.*

32. Etenim perpetua, inquit ille, prohibitio sit vendendi et hypothecandi, non item indistincte prohibitio caedendi *in Aprutina die 28 Iulii 1787* §. *Tria.*

33. Heredi siquidem interdicit Testator – *che non possa tagliare cosa di fondo* –, seu quod idem est arbores fructiferas, quae pars sunt et accessiones fundi *in Aprutina die 28 Iulii 1787* §. *Tria* (3).

34. Sub hac ergo prohibitione non veniunt arbores corruptae et caeduae *in Aprutina die 28 Iulii 1787* §. *Tria.*

35. Aliae enim ex his in ipsis Beneficii bonis caedi valent, ut novae substituantur *in Aprutina die 28 Iulii 1787* §. *Tria* (4).

36. Aliae, quum sint in fructu, ut scilicet quae soleant excidi ad usum quempiam, lignandi vel aedificandi gratia, ideo ii, ad quos fructus pertinent vel integrè vel pro parte, poterunt excidere in usum, in quem solent impendi *in Aprutina die 28 Iulii 1787* §. *Tria* (5).

37. Idque licet etiam Beneficiato, qui reliquis antecellit Usufructuariis, ac potiora habet iura *in Aprutina die 28 Iulii 1787* §. *Tria* (6).

38. Cuius tamen qualitates essent arbores, in hereditariis Andreae Prosperi bonis existentes, ignorabatur; interim reproposito dubio, sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad Secretarium, ad mentem – *in Aprutina die 28 Iulii 1787.*

(1) L. *Aequissimum*, §. 1; L. *Agri*, ff. de usufruct.; Tiraquell. de retract. convent. §. 3, Gloss. 1 et unic. n. 26; Redoan. de reb. Eccles. non alien. quaest. 79, cap. 7, n. 13; Rot. in decis. 553, n. 2, part. 2 Recent.

(2) Tiraquell. de retract. convent. §. 3, Gloss. 1 et unic. n. 27; Caepoll. de servit. rustic. praed. cap. 22, n. 10; Rot. in decis. 553, n. 3, part. 2 Recent.

(3) L. *Fundi* 8, quib. mod. ususfruct.; Nig. de subhást. cap. 15, §. 1, n. 12; Polit. de nov. oper. nuntiation. quaest. 8. n. 1 et seqq. tom. 5.

(4) Redoan, de reb. Eccles. non alienan. quaest. 76, cap. 7, n. 13; Corbul. de caus. privat. ob rei deter. n. 28, vers. ideo quod supra dictum est.

(5) Tiraquell. de retract. convent. §. 3, Gloss. unic. n. 25.

(6) Lotter. de re benefic. lib. 1, quaest. 3, n. 13 et seqq.

§. II.

ALIENATIO QUOAD FACULTATEM.

1. Ad validam bonorum Ecclesiae alienationem spectanda potissimum est Alienantis potestas *in Beneventana die 4 Aprilis 1789* §. *Sed posita* (1).

2. Nullius quippe momenti censendae sunt Leges in re ecclesiastica, nisi in quantum Apostolica Sedes confirmaverit *in Pinnen. Beneficii et Iurispatronatus die 28 Aprilis 1860* §. *Quoad primum.*

3. Hinc alienationes fundorum beneficialium, vi legum a Potestate Laica proficiscentium peractae, nullius sunt roboris *in Pinnen. Beneficii et Iurispatronatus die 28 Aprilis 1860* §. *Quoad primum.*

4. Nam id expresse prohibuit notissima Extrav. incipien. *Ambitiosae* de reb. Eccles. non alien. *in Maceraten. Beneplaciti die 26 Augusti 1780* §. *Iura.*

5. Eoque maxime cum licitationi exposita sint bona a Demanio, quod illa usurpavit; cum neque de illis potest Laica Potestas disponere, neque tuto retinere, qui illa emerint *in Camerinen. Alienationis die 17 Decembris 1814* §. *Quaeritur.*

6. Nam, cum bona huiusmodi ab illegitima dominatione usurpata sint, perinde haberi debent, ac si furto ablata essent *in Camerinen. Alienationis die 17 Decembris 1814* §. *Quaeritur.*

7. Constat autem, quod Innocentius III (2) remedium possessorium *unde vi*, quod ex iure civili dabatur tantum contra illum, qui per vim alium de possessione eiecerat, et contra eius Heredem universalem (3), concessit etiam contra illum, qui spolium quidem non commiserat, sed rem aliquam, quam alienam ac furto sublatam esse non ignorabat, a Spoliatore mercatus fuerat *in Camerinen. Alienationis die 17 Decembris 1814* §. *Quaeritur.*

8. Neque ex praesumpta voluntate Ecclesiae aut Summi Pontificis, contractus huiusmodi sustineri poterunt, cum praesumi poterit, Ecclesiam, si pro conditione temporum posset, bona huiusmodi empturam, atque proinde Summum Pontificem probaturum fuisse contractum, ex quo tollebantur ex Invasorum manibus bona usurpata, et in eos transibant, qui animo restituendi acquirebant, quemadmodum emptio tenet rerum facta a Piratis, ut statuit Benedictus XIV (4) *in Camerinen. Alienationis die 17 Decembris 1814* §. *Neque.*

9. Interest enim multum inter res mobiles et immobiles Ecclesiae, a Piratis aut Turcis atque Haereticis raptas et usurpatas, atque aliis venditas *in Camerinen. Alienationis die 17 Decembris 1814* §. *Neque.*

10. Mobiles namque res cum disperdi aut consumi possint, possunt etiam tuto acquiri ab Usurpatoribus, animo restituendi Ecclesiae, quae praesumi potest, probare eorum acquisitionem, ne res disperdantur, atque si casus restitutionis venit, repeti pretium potest in acquisitione erogatum: in quibus terminis loquitur Constitutio Benedictina *in Camerinen. Alienationis die 17 Decembris 1814* §. *Neque.*

11. Secus est de immobilibus, quae dispersioni non subiacent, et semper ab Ecclesia vindicari possunt, cum bona Ecclesiae, ab Haereticis occupata, statim ac ab ipsorum manibus elapsa fuerint, ipso iure redire ad Ecclesias, ad quas pertinebant, statuit S. Rota *in Camerinen. Alienationis die 17 Decembris 1814* §. *Neque* (5).

12. Cessat itaque, in rerum immobilium alienatione, quaecumque praesumpta contractus ratihabitio, et titulus habilis ad transferendum dominium *in Camerinen. Alienationis die 17 Decembris 1814* §. *Neque.*

13. Immo alienatio bonorum ecclesiasticorum sine Beneplacito Apostolico non licet, etiamsi usu non sit recepta Constitutio Paulina, cum Ordinarius semper facultatem alienandi

(1) Cap. *Potuit* 4, de locat. et conduct.; L. 1 et 3, Cod. de iur. emphyth.

(2) In Cap. *Cum saepe*, de Restit. Spoliat.

(3) L. 18 et L. ult. ff. Unde vi.

(4) In Constit. incipien. *Urbem Antibarum*, Bullar. 57, tom. 3.

(5) Nimirum in Herbipolen. Monasterii 10 et 17 Iunii 1807, coram Caffarelli; et in Confirmatoria decis. 562, n. 1, coram Lancetta.

indulserit *in Mediolanen. die 24 Martii 1682 lib. 32 Decretorum pag. 167.*

14. Enimvero - Eminentissimus Archiepiscopus Mediolanensis in Visitatione Sacrorum Liminum ante ipsius ab Urbe discessum peracta retulit inter cetera, quod licet Paulus II in Extrav. *Ambitiosae* de rebus Ecclesiae non alienandis expresse prohibuerit omnium rerum et bonorum ecclesiasticorum alienationem omnemque pactum, per quod ipsorum dominium transfertur, concessionem, hypothecam, et locationem ultra triennium, absque Romani Pontificis consensu, hac tamen Constitutione non obstante, Antistites Mediolanensis Ecclesiae ab antiquis usque temporibus ultra hominum memoriam fuerunt in pacifica et quieta possessione res et bona suarum Ecclesiarum alienandi, permutandi, locandique ultra triennium, et concedendi aliis similes facultates praevio voto Congregationis ad hoc per ipsos capitulariter destinatae; haecque consuetudo scientibus et consentientibus Summis Pontificibus a temporibus etiam Divi Caroli et Successorum semper fuit usu recepta, praxique quotidiana confirmata. Quod ita verum est, ut etiamsi suborto scrupulo S. Carolus dubitaverit de validitate eiusmodi consuetudinis, consultis pro securitate suae conscientiae Summis Pontificibus Pio V et Gregorio XIII, iisdem annuentibus, perseveravit ipse Successoresque in Archiepiscopatu in antiqua eiusmodi possessione, testantur hoc Liturae Divi Caroli ad Abbatem Spetianum negotiorum suorum in Alma Urbe gestorem (1), cum responso eiusdem Spetiani (2), replicatione Divi Caroli (3), ac altero responso eiusdem Spetiani (4).

(1) Ex Literae S. Caroli de anno 1577 ad Abbatem Spetianum: – E antichissima consuetudine, che gli Arcivescovi di Milano interponghino l'autorità nell' alienazioni de' beni ecclesiastici e de' Luoghi Pii, e con questa, senz' altra approvazione della Sede Apostolica, hanno l'alienazioni il suo pieno effetto, non ostante la Bolla Paolina, quale proibisce queste alienazioni, e si dice volgarmente, non è ricetta in uso in queste parti. Mi viene alle volte qualche dubbio in questa materia, e se bene mi ricordo, ne scrissi al Cardinale Simonetta al tempo di Pio V, il quale mi replicò, che non v'era dubbio dentro, e che quella Bolla non era quà accettata in uso, queste istesse parole mi pare anche averle intese dire in voce dal medesimo Cardinale in Signatura pubblica alla presenza di nostro Signore.

In quest' uso si è continuato sin qui indistintamente, e ve n' è grandissimo bisogno per la qualita de' beni di queste Chiese, e per la grandezza di questa Diocesi e distanza di quà a Roma, e sapere che l'Ospedale grande solo ricorre all' Arcivescovo per simil consenso spessissime volte. Nondimeno essendo sopravvenute le Bolle di Paolo IV, e Pio V proibitive pure di queste alienazioni, le quali sebbene in fatto non hanno esecuzione qua, pare nondimeno, che per essere ancora recenti, massime l'ultima, non si possono dire formalmente non *receptae usu*, se non dicessimo, che essendo queste Bolle appoggiate a quella Bolla Paolina, non hanno luogo, dove non l'ha avuta quella, e questa mi pare risposta, che diede il suddetto Cardinale Simonetta e forse Nostro Signore presente, con il quale anche pare ricordarmi d'aver conferito o fatto conferire questo dubbio, quando Egli era *in minoribus*, sebbene non ne ho certezza.

Ora dunque vorrei assicurarmi di poter continuare in quest' uso con buona coscienza, non ostante il dubbio sopradetto, il che non mi pare di poter fare senza il parere di piu persone di la consumate nella professione, ovvero senza il parere e nuovo consenso di Nostro Signore istesso, e questa mi pare la piu spedita, non potendo immaginarmi, ch' Egli non ne sia informatissimo di tutto questo fatto, del quale consenso mi basterà d'aver certezza per lettera, poichè serve solamente alla coscienza mia e delli Contraenti, che quanto alla validità esteriore de' contratti non vedo pur uno che lo metta in dubbio.

Però mi procurate da S. Santità questo rimedio trattandone voi stesso, e se anche bisognasse ne tratterete con il mezzo del Cardinal Alciati, che ne dovrà essere informatissimo, e forse anch' essa se bene mi ricordo –.

(2) Responsum Spetiani: – Quanto all' alienazioni de' beni ecclesiastici, che si fanno costì, alle quali Ella o li suoi Antecessori sono stati soliti a prestare li consensi, dice S. Santita che V. S. Illma può perseverare senza scrupolo, e quella se ne contenta, presupponendo, che così si sia servato e da Lei e da altri. Averà ben caro S. Beatitudine, che per introdurre l'osservanza della Paolina anche costì, Ella usi diligenza, però senz' obbligazione per le locazioni *ultra triennium*, massime fatte da uomini ricchi ed altre sorte d'alienazioni fatte dalli medesimi si mandi quà per il *si in evidentem* –.

(3) Capitulum Literarum a S. Carolo datarum ad Abbatem Spetianum: – Quanto alla Bolla Paolina dice, che non sta il punto delle locazioni, che si fanno *ad novennium*, ma che l'Arcivescovo di Milano soleva spedire ancora l'alienazioni, livelli, e commutazioni, e cose simili passim senza licenza o approvazione alcuna da Roma, la qual facolta vorrei esser certo di poter esercitare non meno per i successori che per me per utile di questa Diocesi, poiche occorrono varii accidenti, ne' quali sarebbe di molto scomodo e spesa ovvero danno l'aver a ricorrere sempre a Roma per simili cose –.

(4) Alterum responsum Spetiani. – Riparlerò di nuovo a Nostro Signore del dubbio, che V. S. Illma ha dell' alienazioni, che si fanno costì de' beni di Chiesa e Luoghi Pii contra la forma della Paolina, sebbene io credo, che la prima risoluzione basti a risolvere anche in questa parte, perchè la Bolla non è in uso costì –.

15. Sane – quae omnia firmant validitatem et usum laudabilis consuetudinis fundatae in non usu Paulinae, quae non obligat, ubi non est recepta, neque inconsulte hoc negotium agebatur. Deputaverat enim S. Carolus Theologorum et Canonistarum Congregationem, quam singulis hebdomadis coram se vel Vicario suo Generali habebat, in qua matura discussione exquirebatur, an contractus alienationesque huiusmodi cessurae essent in evidentem Ecclesiae utilitatem, nec prius decretum interponebatur, quam communibus votis evidens Ecclesiae Locorumque Piorum utilitas cognosceret: in hoc plane usu modis et formis per dictum Carolum traditis perseveraverunt Successores Archiepiscopi, Gaspar Vicecomes, Federicus Cardinalis Borromaeus, Caesar Cardinalis Montius, Vicariique etiam Capitulares in Sedibus vacantibus, ac demum Archiepiscopus nondum Cardinalis Litta usque ad annum 1655, quo tempore, cum ad eum datae fuissent Literae Sacrae Congregationis inveteratam consuetudinem abrogantes tenoris infrascripti:

Literae S. Congregationis Concilii datae ad Rm̃um Littam Archiepiscopum Mediolanensem:

16. Dubio Sanctissimi Domini Nostri in Sacra Congregatione Eminentissimorum Cardinalium Concilii Tridentini interpretum proposito: – An ex allegato non usu sive contraria consuetudine in Diaecesi istius Archiepiscopatus ac aliis in relatione per Amplitudinem tuam transmissa deductis, fieri liceat alienationes, locationes ad longum tempus, aliasque concessiones bonorum ecclesiasticorum et Locorum Piorum, non obstante prius Sedis Apostolicae Beneplacito a Constitutione Pauli II fel. rec. incipien. *Ambitiosae,* aliisque Constitutionibus confirmatoriis requisitis –, Eminentissimi Patres, omnibus deductis mature perpensis, unanimi consensu responderunt nullo mõdo licere; ideoque Amplitudinae Tuae demandandum, prout praecise his demandatur, ut pro tua pietate et erga Sedem Apostolicam reverentia ac pro salute animarum et validitate alienationum, locationum, aliarumve concessionum, id sedulo in futurum exequatur et exequi omnino curet, et in praeteritis consulatur propriae conscientiae. Romae, Novembris, 1655.

17. Valde est commotus ac indoluit, malaque omnia ex hac abrogatione secutura eidem Sacrae Congregationi significavit, prout in publicum eiusdem Ecclesiae damnum quotidie suboriuntur, quae fuerunt a S. Antistite praevisa. Requirebant enim prius Administratores Hospitalium, Locorumque Piorum in alienationibus ultra triennium aliisque huiusmodi contractibus Ordinarii consensum, nunc vero eiusdem Ordinarii consensu non requisito, neque Beneplacito Apostolico ob difficultates impetrationis reportato, quascumque alienationes, permutationes, locationes, et contractus propria auctoritate ineunt, quinimo Ministri laici bona Hospitalium Locorumque Piorum pro laicalibus habent, et in laicalium codicibus referunt gravantque pro eorum libito, et etiam contendunt, quod ipsis inconsultis huiusmodi alienationes, permutationes, locationesque fieri non possint.

18. Cum autem revisa fuerint digna particulari discussione, quam Eminentissimus Archiepiscopus cito fieri efflagitat, supplicatur Eminentissimis Patribus decernere: – An et quomodo super praemissis sit providendum –, S. Congregatio stetit in decisis de anno 1655 – *in Mediolanen. die 14 Martii 1682 lib. 32 Decretorum.*

19. Res enim sacrae et religiosae, utpote specialiter Deo dicatae non sunt in commercio, nec pignorari, nec emi, nec vendi possunt, plaudentibus in hanc sententiam civilis et canonici iuris sanctionibus *in Pisana die 30 Augusti 1851* §. *Cum.*

20. Aliquando tamen Supremus Pontifex iustis de causis ratas alienationes vi etiam Laicae Potestatis factas habuit *in Sorana Nullitatis Contractus die 18 Decembris 1858* §. *Hoc.*

Item *in Pinnen. Beneficii et Iurispatronatus die 28 Aprilis 1860* §. *Et nulliter.*

21. Reapse Summus Pontifex Pius VII, ut aliquod levamen afferret gravissimis malis, quae, Gallica perdurante invasione, Ecclesiae iura in Neapolitano Regno passa fuerant, solemnem hac de re inivit Conventionem cum Rege Ferdinando I a Legatis utriusque Partis, die 17 Februarii anni 1818 subsignatam *in Sorana Nullitatis Contractus die 18 Decembris 1858* §. *Hoc.*

22. In hac autem Conventione ex paterna quadam indulgentia ratas habuit ecclesiasticorum bonorum alienationes, quae illis calamitosis temporibus, sub militari scilicet regimine evenerant, absque legitimae Auctoritatis interventu *in Sorana Nullitatis Contractus die 18 Decembris 1858* §. *Hoc.*

23. Iamvero sanctio Pontificia illas tantum alienationes, quae, sub militari regimine, idest ab anno 1806 ad annum 1814, quo finem habuit, evenerunt, convalidavit, non autem antecedentes, nec posteriores, quae idcirco irritae nullaeque manent *in Pinnen. Beneficii et Iurispatronatus die 28 Aprilis 1860* §. *Et nulliter.*

24. Potissimum, cum de re odiosissima agatur, et canonicarum Legum censurae prorsus adversa, cumque pergraves rationes, quae Pontificem adegerant ad Ecclesiae iacturas tolerandas, sub militari regimine illatas, minime sese exerant, quoad alienationes alio tempore factas sub religiosis Regibus ac Ecclesiae legibus in tuto positis *in Sorana Nullitatis Contractus die 18 Decembris 1858* §. *Hoc.*

Item *in Pinnen. Beneficii et Iurispatronatus die 28 Aprilis 1860* §. *Et nulliter.*

25. Quin obstet Lex anni 1807, quoad alienationes in anteactum absolutas; nam Lex non habet oculos retro, et quod initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere *in Pinnen. Beneficii et Iurispatronatus die 28 Aprilis 1860* §. *Et nulliter* (1).

26. Licet reincidat in eum casum, a quo incipere potest *in Pinnen. Beneficii et Iurispatronatus die 28 Aprilis 1860* §. *Et nulliter* (2).

27. Amplia, etiamsi agatur de fundis Beneficiorum iurispatronatus; atque dubium sit, utrum Beneficia sint laicalia an ecclesiastica, et an ipse Fundator extinctionem ad nutum Heredum ac Successorum demandaverit, ac reapse alienatio peracta fuerit a triginta sex annis *in Pinnen. Beneficii et Iurispatronatus die 28 Aprilis 1860.*

28. Siquidem, volvente anno 1717, Abbas Octavius Sterlich ex Baronibus Scorrani Episcopo Pinnensi preces porrexit, ut erigeret Beneficium ecclesiasticum: et Episcopus sub die 28 Ianuarii 1717 Fundatoris supplicationem excipiens, visoque instrumento dotationis Capellaniae ab Octavio iam antea confecto, solemne interposuit erectionis decretum literasque institutionis eius favore relaxavit. Sed quamvis in tabulis fundationis et subsequenti Episcopali Decreto iuspatronatus reservatum fuerit Fundatoris Heredibus et Successoribus, tamen accidit, ut in instrumento diei 9 Octobris 1721 Fundator ipse ius praesentandi titulo donationis una cum ducatis mille in D. Sancium Celaya filium primogenitum Tiberii Celaya transtulit.

29. Primus hinc post obitum Fundatoris sub anno 1724 Beneficium assequutus est Clericus Hyacinthus Celaya alter ex filiis Baronis Tiberii, nominatus et praesentatus a Baronissis Clorinda et Irene Sterlich, heredibus et nepotibus dicti quondam Fundatoris; atque ut ita nominatus et praesentatus institutionem formiter obtinuit ab Ordinario. Huic successit Clericus Henricus Celaya; ac demum anno 1786 Beneficio potitus est Aloisius Pandone nominatus ab Hyppolita Celaya uxore Ducis Canusii, minime tamen liquet fuisse praesentatum: sed insequenti anno 1787 dictum Pandone reclamasse apparet penes Cameram, vulgo *di S. Chiara*, adversus Regium Oeconomum, qui spolii nomine reditus Beneficii uti vacantis sequestro supposuerat, ac exponens Beneficium huiusmodi laicalis esse naturae, eaque ratione recognita, sequestrum removeri obtinuit, et Beneficii possessionem adeptus est.

30. Postremus hic extitit Beneficii possessor, quin ulla posterius nominatio aut praesentatio effecta fuerit; is enim sub anno 1801 beneficium retrocessit favore praefatae Hyppolitae, quae eum nominaverat: haec autem sequenti anno 1802 praedium Beneficio assignatum, vulgo *il Cavaliere*, dotis titulo cessit favore filiae Silveriae, dum Baroni Andreae Gaudiosi nuberet. In divisione hereditaria idem sub anno 1813 Andreae Gaudiosi obtigit, et anno 1836 Iosepho Gaudiosi, qui tandem Baroni Antonio Forcella illud pretio ducatorum 4000 vendidit.

31. Res ita processerunt usque ad annum 1838, quo Baro Alexander Scorpione et Marchio Thomas De Torres uti legitimi heredes Clorindae et Irenis Sterlich heredum Fundatoris coram Tribunali Civili Aprutino Baronem Forcella vocaverunt, ut fundum *Cavaliere* Beneficio restitueret, rationem de perceptis fructibus redderet, damnaque reficeret. Tum porro praefatus Forcella molestias in Iosephum Gaudiosi retorquit, hic autem in fratrem Domini-

(1) L. 29, ff. de Reg. Iur. Cap. *Non firmatur* 18, eod. tit. in 6.

(2) Gloss. ad cap. *Non firmatur* 18, de reg. iur. in 6, vers. Illa ergo innixa; L. *Si alienum* 19, ab initio de hered. instituen.

cum, et iste in Hippolytum Fattibuoni, Mariam Celaya, ac Ioannem De Lellis. Lis acriter exarsit, et Aprutini Tribunalis sententia Actorum instantiae plene arrisit: ast interposita appellatione, in hac iudicii Sede, retenta Beneficii extinctione, instantia reiecta fuit. Facto demum recursu ad utriusque Siciliae Regem, is sub die 11 Iulii 1857 laicos Iudices competentiae limites excessisse declarans, latas ab eis sententias prorsus irritavit, et Partes ad Forum Ecclesiasticum desuper remisit.

32. Quum Regium huiusmodi Rescriptum ad Episcopum remissum fuerit, Edictum iste vulgandum censuit, quo monebantur quilibet super ipso beneficio ius aliquod praetendentes, ad propria iura congruo tempore deducenda. Comparuere ex tunc primum Baro Alexander Scorpione et Marchio Michael De Torres iuspatronatus sibi asserentes, uti heredes et successores Octavii Sterlich, quibus accessit Iosepha De Torres, uti dicti Michaelis soror: subinde Gaudiosii, Curiae incompetentiam allegantes, sin minus et ipsi, exclusis heredibus Sterlich, iuspatronatus vi donationis sibi vindicantes.

33. Deductis hinc inde libratis, Vicarius Generalis sententiam protulit sub die 2 Ianuarii 1858, qua decernit: — 1. Non obstare exceptiones incompetentiae huius Curiae et alias in ipsam adductas; 2. Piam institutionem ab Abbate Octavio Sterlich fundatam verum esse ecclesiasticum beneficium; 3. Donationem iuris praesentandi dicto beneficio factam D. Sancio Celaya nullam esse; 4. Ac per consequens patronatum activum praedicti Beneficii spectare et pertinere ad Baronem D. Alexandrum Scorpione et Marchionem D. Michaelem et D. Iosepham De Torres, uti descendentes linea recta a D. Clorinda ac Irene Sterlich a Fundatore testamento relictis; 5. Non obstare dictis Scorpione et De Torres praescriptionis exceptionem, ob exercitium iurispatronatus de quo agitur inhaerentis. -

34. Controversia in appellationis gradu tandem ad Sacram Congregationem delata, proposito dubio: - An et quomodo sententia Curiae Episcopalis sit confirmanda, vel infirmanda in casu etc. -, Sacra Congregatio in acerrimo Partium conflictu responsum tulit: - Sententiam esse infirmandam, retento onere Missae quotidianae, et Episcopus curet capi inscriptionem hypothecariam, pro eiusmodi securitate et implemento - *in Pinnen. Beneficii et Iurispatronatus die 14 Maii 1859.*

35. Implorata vero a Barone Scorpione et Marchione De Torres, heredibus et successoribus Fundatoris Beneficii, ac obtenta nova audientia, rursum veterem allegationem ope Oratoris distribuerunt, addideruntque animadversiones vernaculo sermone exaratas, ubi retenta a Sacro Ordine Beneficii extinctio refutabatur, contendebaturque perperam insinuatam ab Adversariis fuisse huiusmodi extinctionem, sive vigore Legum anni 1807 et 1813, sive virtute praescriptionis, sive demum ex voluntate Fundatoris, qui facultatem huiusmodi forte tribuerit.

36. Admiserunt quidem, Leges sub annis 1807 et 1813 latas ab Usurpatore in Regno Neapolitano constituisse, ut bona beneficialia cederent in plenam proprietatem legitimorum Patronorum, sed negarunt in primis assignationem dotis factam ab Hippolyta Celaya favore filiae alienationem dici posse favore tertii sequutam, de qua Leges ipsae loquuntur, cum ita potius fundus beneficialis remanserit penes unam ex eius Heredibus, adeoque praetensis Compatronis: subinde eas leges, utpote ab illegitima Potestate latas, nullius sane momenti in re ecclesiastica esse, animadverterunt; quin unquam eas Apostolica Sedes confirmaverit. Namque non debet inspici quid Lex civilis voluerit, sed quid Romanus Pontifex, unica in hac re Auctoritas, confirmavit; ex eo praesertim, quod de re odiosissima et Canonicarum Legum censurae prorsus adversa agatur. Atque in casu ipse Rex effectus huiusmodi Legum mox post firmatam cum Apostolica Sede Conventionem scilicet die 28 Iulii 1818 abrogavit (1).

37. Contenderunt praeterea exulare a themate praescriptionem, cum alienatio sub anno 1802 absoluta fuerit, et causae praesentis origo ab anno 1838 sit repetenda; adeoque tem-

(1) Haec sane piissimus Rex edixit, ut in §. *Demum* - ibi - Art. 1. Le disposizioni della citata legge del 1807 e dei citati decreti del 1808 e del 1813 per quanto riguarda l'abolizione dei patronati sono interamente abrogate. Art. 2. In conseguenza dell' Articolo precedente i patronati particolari sieno ecclesiastici sieno laicali sopra Beneficii di qualunque natura non esclusi i curati e le parrocchie, sono ristabiliti a favore de' legittimi Patroni, ai quali apparterrà, secondo le regole del diritto canonico l'esercizio di tutti i diritti utili ed onerosi e di quei onorifici -.

pus ex lege praescriptum nimirum quadraginta annorum deficiebat; nonnisi enim per triginta sex annos comprobabatur. Quin imo et bonam fidem exulare praetenderunt, cum Hippolyta ignorare non poterat, praedium, quod in dotem assignabat, spectare ad Beneficium; nec eam superaccedere potuissé postquam Regius Delegatus laicale Beneficium edixit, etenim nec laicalis Beneficii bona alienari legitime possunt a Capellanis vel Patronis, et multo minus id facere potuisse praefatam Hippolytam, quia nec patronam se esse noscebat ex nominationibus factis favore Consanguineorum suorum Hyacinthi et Henrici Celaya per Heredes Octavii Sterlich fundatoris Clorindam et Irenem Sterlich.

38. Nec pariter, ex quo Beneficium utpote amovibile ad nutum, impune destrui et revocari posse, existimarunt. Id neque per somnium in mentem Hippolytae venisse affirmarunt. Id sane si momento temporis excogitasset, debuisset utique assignationi dotis actum solemnem praemittere, quo facultate utens a Fundatore concessa, Beneficium destruere et bona sibi adiudicare declararet. Fundator vero nequaquam huiusmodi facultatem concessit, cum dixerit; quod fundabat Beneficium amovibile ad nutum ipsius atque Heredum et Successorum. Nam ex communi usu per beneficium amovibile, non iam ipsius Beneficii revocabilitas venit, sed removibilitas tantum Capellani. Ac eo vel magis, quod Fundator fundum Ecclesiae et Beneficio assignare et tradere declaraverit, titulo donationis irrevocabiliter inter vivos, atque ita Ordinarius decreto erectionis acceptaverit.

39. His mature perpensis, reproposito dubio: - An et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Recedendum a decisis - *in Pinnen. die 28 Aprilis 1860.*

40. Propterea non obstitit, quod ex adverso rursum deductum fuerit, circa amovibilitatem ipsius Beneficii et laicalem eiusdem qualitatem nec non vim Legum civilium anni 1807, 1808 et 1813, quibus facta fuit Patronis potestas disponendi de bonis omnium simplicium Beneficiorum. Nec obstitit declaratio post initam Conventionem facta (1) vel ipsa Conventio, cum supremus Pontifex non validaverit alienationes quocumque tempore sequutas, sed solum illas, quae acciderunt sub militari regimine, nimirum ab anno 1806, non vero ab anno 1802, quo contigit alienatio Beneficii, de quo agebatur *in Pinnen. Beneficii et Iurispatronatus die 28 Aprilis 1860.*

41. Nedum imo nullus censendus est contractus emptionis et venditionis bonorum ecclesiasticorum per ipsos Patronos vi Legum civilium expletus, sed eorumdem Emptor seu eius Heredes cum ipsis bonis etiam fructus restituere tenentur *in Sorana Nullitatis Contractus die 18 Decembris 1858.*

42. Amplia, etiamsi favore Emptoris extet quoque sententia, a Tribunali civili prolata, et in rem iudicatam transacta *in Sorana Nullitatis Contractus die 18 Decembris 1858.*

43. Enimvero Sacerdos Nicolaus Ciccolini, qui Pium Sacellum aere proprio extruxerat in Parochiali Ecclesia Oppidi *Pescosolido* ac divo Laurentio dicaverat, Capellaniam ibidem erigere curavit ineunte anno 1661, ea sub lege, ut Sorae Episcopus in Beneficium Ecclesiasticum erigeret, qui de facto sub die 29 Octobris eiusdem anni praefatam Capellaniam in Beneficium Ecclesiasticum erexit.

44. At anno 1840 vacante per obitum Sacerdotis Vincentii Bozolini eiusdem Capellaniae possessione, cum Caietanus Ciccolini (qui tunc patronatus iure ex Testatoris voluntate potiebatur) ad eamdem Sacerdotem Iosephum Piazzoli nominasset, Tabellio Ioannes Baptista Giovannetti Episcopalem Curiam adiit, tamquam nullius roboris edicens peractam a Patrono nominationem ac praesentationem. Innitebatur Ioannes publico Instrumento diei 17 Aprilis 1816, quo Philippus Ciccolini tamquam Patronus, vigore regalis Edicti die 27 Ianuarii anni 1770 editi, quo - *fu stabilito per punto generale, che le Cappellanie, le quali si lasciano dai*

(1) Patet ex Opere - *La Chiave del Concordato dell' anno* 1818, *p.* 2 *delle cose Ecclesiastiche temporanee* T. 1, cap. 2, art. 76, Not. 260 et alibi, praesertim vero ex declaratione data sub die 28 Augusti 1819 - Dal Ministro delle Finanze a Regii Procuratori delle amministrazioni diocesane - ubi expresse continetur - ibi - Si è osservato che tutte le alienazioni o divisioni, le quali sonosi avverate sotto la garanzia di detta legge (del 1807 e seqq.) anteriormente al decreto del 20 Luglio 1820, col quale la medesima è rimasta abrogata, debbano riguardarsi come irretrattabili, ed in conseguenza si è dichiarato, che tali beni distratti o ripartiti non sono rivendicabili a Beneficii, ai quali per lo innanzi appartenevano -.

Testatori si abbiano, come pesi dell'Eredità –, omnia bona et iura, ad eamdem Capellaniam pertinentia, ipsius favore alienaverat. Sed huiusmodi querelas nihil prorsus habuit Sorana Curia.

45. Non inde tamen ab incepto restitit Ioannes, qui immo ultra progressus, Beneficiatum ipsum in possessione exturbavit: unde iudicialis controversia inter utrumque exorta est, quam favore Capellani absolvit, qui in Sorano districtu in civilibus ius dicebat, dum e contra civile Provinciae Tribunal, ad quod per appellationem a Ioanne interposita causa conscenderat, inimicam eidem Beneficiario sententiam protulit.

46. Quamvis sed vero in vim huiusce rei iudicatae in libera bonorum possessione versaretur Giovannetti, attamen properante morte, stimulis conscientiae fortasse exagitatus, in supremo, quod de rebus suis condidit elogio, mandavit, ut, intra terminum sex mensium post sui obitum, dubium de emptionis validitate ac licitudine penes S. Sedem proponeretur (1).

47. Elapso termino a Testatore praestituto, quin Heredes eiusdem praecepto parerent, qui tunc Beneficiarii nomine gaudebat, Iosephus Piazzoli supplicem ad Sacram Congregationem porrexit libellum, ut quaestio in supremo Ioannis elogio proposita absolveretur, atque institit etiam pro bonorum ac fructuum restitutione ab anno 1840, quo anno Orator ipse Capellaniae possessionem adeptus est.

48. Ad propria itaque iura tuenda institerunt hinc inde Partes, ex una scilicet Heredes Giovannetti, ex alia Beneficiatus Piazzoli, qui in eo potissimum institit, quod Summus Pontifex eas tantum convalidare censuerit alienationes, quae illis calamitosissimis temporibus sub militari scilicet regimine evenerant. At dum ex una scitissimum erat et constabat ex historiis die 9 Iunii 1814 restitutum fuisse legitimum Ferdinandi regimen, ac finem proinde habuisse militare regimen, ex alia in facto erat, contractum ipsum stipulatum fuisse sub die 17 Aprilis anni 1816, nulla praecedente Apostolica Auctoritate. Quin confugi posset ex adverso ad supramemoratam Legem Edictalem die 27 Ianuarii 1770 vulgatam in Neapolitana Ditione, qua etiam prohibitum fuit, ne bona stabilia in dotem Capellaniarum adsignarentur; huiusmodi namque legem a laicali Auctoritate, nullo iure prolatam, vel nunquam ratam habuit Supremus Pontifex, eamque insuper tamquam absurdam omnes illius aevi Canonistae reprobarunt.

49. Hisce perpensis, frustra Heredes Giovanetti prefatam Legem et Conventionem anni 1818 invocarunt nec non donationem omnium bonorum per Ioannem Baptistam favore Uxoris factam in medium protulerunt, cum nemo bona aliena in alium transferre legitime valeat. Idcirco, propositis dubiis: - I. An sustineatur Contractus emptionis venditionis bonorum Capellaniae, initus die 17 Aprilis anni 1816 in casu. *Et quatenus negative.*

II. An et quomodo sit locus restitutioni bonorum et fructuum in casu –, S. Congregatio respondit: - Ad primum, Negative. Ad secundum, Affirmative in omnibus; et fructus esse restituendos a die aperti Testamenti Ioannis Baptistae Giovannetti - *in Sorana Nullitatis Contractus die 18 Decembris 1858.*

50. Imo, si Heres ab ipso Testatore facultatem alienandi bona habuerit, non aliter ad actum deducta censetur huiusmodi alienandi facultas, quam per expressam declarationem *in Asculana Capellaniarum die 27 Februarii 1790* §. *Ne quid* (2).

51. Idcirco, facultate alienandi, qui pollet, sed expresse de re alienabili non disposuit, ea uti noluisse censetur tributa alienandi potestate *in Asculana Capellaniarum die 3 Martii 1792* §. *Ad statuendum.*

52. Tacite vero disposuisse videtur, dum aliquid is accepit, tamquam usufructuarius et

(1) Ea verba, quibus praefatus Testator id expresse mandavit, ut in §. *Quamvis* – ibi – Dichiaro possedere alcuni beni appartenenti al beneficio di S. Lorenzo e di S. Anna eretto nella Chiesa parrocchiale di Pescosolido, in virtù dei titoli, che si conservano; e volendo ritogliermi dal dubbio, se la Pontificia assoluzione contenuta nel Concordato dei 21 Marzo 1818 sia efficace a poterli ritenere in coscienza, voglio che i miei Eredi Vittorio e Niccola ne facciano speciale menzione alla S. Sede e dipendano espressamente dalla decisione, che sarà per pronunciarsi; e ciò nel termine di sei mesi dal mio decesso, il che non eseguendosi, possa provocarsene la decisione dal Beneficiato –.

(2) Mans. consult. 429, n. 2 et seqq. tom. 3; Card. De Luc. De fideicomm. disc. 58, n. 7; Polit. eod. tit. dissert. 18, n. 26, tom. 1; dissert. 105, n. 27, tom. 2.

legatarius *in Asculana Capellaniarum die 3 Martii 1792 §. Ad statuendum.*

53. Maxime, quia ob tenuem eiusdem substantiam respuere noluisse praesumitur Testatoris beneficium, illudque propterea ad suum Heredem transmisit *in Asculana Capellaniarum die 3 Martii 1792 §. Ad statuendum* (1).

54. Sacra Congregatio vero expressa gaudet potestate concedendi facultatem alienandi bona ecclesiastica *in Neapolitana seu Caven. die 18 Decembris 1723 §. Iura.*

55. Falsum enim est, Sacram Congregationem non habere in facultatibus concedere posse Apostolica Beneplacita in alienationibus et concessionibus in emphytheusim *in Neapolitana seu Caven. die 18 Decembris 1723 §. Iura.*

56. Quum siquidem post Extravagantem *Ambitiosae,* in qua prohibitum fuit alienatio bonorum Ecclesiae sine licentia Apostolica, praetenderent Regulares se in vim suorum privilegiorum posse alienationes et concessiones facere in emphytheusim, Sacra Congregatio vetuit, id ab eis fieri posse, absque ipsius Congregationis Concilii expressa licentia *in Neapolitana seu Caven. die 18 Decembris 1723 §. Iura.*

57. Et insuper decretum fuit a Summo Pontifice Urbano VIII, confirmatum die 7 Septembris 1624 *in Neapolitana seu Caven. die 18 Decembris 1723 §. Iura.*

58. Immo relative ad hoc Decretum, quod dicitur de rebus Regularium non alienandis, editum fuit die 9 Novembris 1648 in S. Congregatione aliud Decretum *in Neapolitana seu Caven. die 18 Decembris 1723 §. Iura.*

59. Quod sane Decretum conceptum est sequentibus verbis: – Sacra Congregatio iniunxit Eminentissimo Cardinali Ginnetto, Praefecto Congregationis Episcoporum et Regularium praesenti, ne in dicta Congregatione in futurum expediantur facultates alienationum, hypothecarum, locationum, et aliorum contentorum in Decreto de rebus Regularium non alienandis, cum haec facultas privative spectet ad hanc Sacram Congregationem – (2) *in Neapolitana seu Caven. die 18 Decembris 1723 §. Iura.*

60. Cumque Secretarii Congregationis Episcoporum et Regularium, nec non Sacrae Congregationis Concilii consuevissent hasce instantias remittere vel ad Secretariam Brevium, vel ad Datariam, re a Regularibus ad Summum Pontificem delata, Sanctissimus die 1 Decembris 1691 mandavit, – ut gratis et per Sacram Congregationem Concilii, Regularium in eodem Decreto Urbani scilicet VIII contentorum contractus expediantur – (3) *in Neapolitana seu Caven. die 18 Decembris 1723 §. Iura.*

61. Hinc passim Sacra Congregatio Concilii Beneplacitum pro alienandis bonis Ecclesiae concessit *in Maceraten. Beneplaciti die 26 Augusti 1780 §. Sacra* (4).

62. Siquidem quandoque facultatem alienandi iuxta varias circumstantias Sacra Congregatio permisit, quandoque denegavit *in Veliterna Permutationis die 3 Augusti 1771 §. Sacra* (5).

63. Qua de re, quum nonnulli Regularium Coetus, res ecclesiasticas alienare praesumerent, Apostolicis privilegiis innixi, Urbanus VIII die 8 Septembris 1624, Sacra Congregatione consulente, omnibus privilegiis derogavit *in Comen. Reductionis Missarum die 22 Iulii 1822 §. Cum.*

64. Hinc alienationes fieri perpetuo interdixit, praeterquam casibus a iure permissis, absque ipsius Congregationis Concilii expressa licentia, in scriptis et gratis concedenda *in Neapolitana seu Caven. die 18 Decembris 1723 §. Iura.*

Item *in Comen. Reductionis Missarum die 22 Iulii 1822 §. Cum.*

65. Novis insuper poenis indictis, illisque in Constitutione *Ambitiosae* contentis in suo robore permansuris *in Comen. Reductionis Missarum die 22 Iulii 1822. §. Cum.*

66. Hinc alienatio bonorum mobilium et supellectilium pretiosorum, ad Confraternitates in Ecclesiis Regularium erectas spectantium, et ab ipsis Confraternitatibus Piorum eleemo-

(1) Mantic. de Coniectur. lib. 7, tit. 7, n. 14.

(2) Uti habetur in lib. 18 Decretorum pag. 416 a tergo.

(3) Uti pariter habetur in lib. 41 Decretorum pag. 349.

(4) Ut, ceteris hic missis, videre est in Reatina 28 Septembris 1726; in Neapolitana domus 13 Ianuarii 1731; in Bononien. Beneplaciti 25 Martii 1744; in Celsonen. seu Urgellen. Beneplaciti 18 Novembris 1752.

(5) Uti in Firmana Venditionis Horti 2 Augusti 1749; in Theatina Alienationis 5 Martii 1735 ad II dubium ac alibi.

synis comparatorum, non potest fieri absque Sedis Apostolicae Beneplacito a Regularibus, dictis Confraternitatibus praesidentibus *in Dubio Alienationis Rerum Ecclesiarum die 7 Augusti 1683 lib. 33 Decretorum pag. 243.*

67. Imo alienatio mobilium pretiosorum, spectantium ad Ecclesiam, exempli gratia, calicum gemmis ornatorum et similium usque ad summam quindecim millium librarum Venetarum, facta a Provinciali Ordinis Minorum Sancti Francisci licet cum consensu Definitoris Provincialis et Syndici Conventuum, ad effectum subveniendi Conventibus pauperibus Provinciae, imo et approbata, ut asserebatur, a Capitulo Generalis Ordinis, bona fide, absque tamen Sedis Apostolicae Beneplacito, nulla ac illicita fuit declarata *in Segnien. Alienationis Mobilium Pretiosorum die 15 Martii 1692 lib. 42 Decretorum pag. 143.*

68. Et Alienantem incidisse in poenas Sacrorum Canonum, Apostolicarum Constitutionum, et Decreti Urbani VIII declaravit Sacra Congregatio *in Segnien. Alienationis Mobilium Pretiosorum die 15 Martii 1692 lib. 42 Decretorum.*

69. Siquidem - Pater Antonius Lazzari Ordinis Minorum Osservantium Sancti Francisci anno 1686, dum fungebatur munere Ministri Provincialis in Provincia Croatiae, nunc Corniolae cum asserto consensu Definitoris et opere P. Guardiani ac Syndici Conventuum Venetiis commorantis, distraxit a Sacrario, sive ut vocant Thesauro Ecclesiae B. Mariae Tarsacthensis (ubi triennio stetit Beatissima Virgo Lauretana) Calices Patenas et alia pretiosa mobilia gemmis et auro ornata usque ad summam librarum quindecim millium monetae Venetae, ut ipse Pater alienans fatetur, illorumque sic distractorum pretium asserit erogasse in Provincialium Conventuum egestates, et in usualia ipsius Ecclesiae ornamenta, absque tamen ullo Sedis Apostolicae vel Sacrae Congregationis Indulto; ideoque contra huiusmodi alienationes factas penes Eminentissimum Protectorem et Patrem Generalem iusurrexit Pater Bonaventura Vkmar in munere Provincialatus successor, sed in proprium eiusdem damnum retortus est recursus; nam Eminentissimus Protector et Pater Generalis ipsum recurrentem, tamquam reum poenae talionis, privarunt officio ac voce activa et passiva, Alienantem vero et Accusatum nulla poena dignum declararunt, adeo ut in subsequenti generali Capitulo anni 1790 ipsum Vocales elegerint in unum ex Generalibus definitoribus Religionis, prout de praesenti existit.

70. Quamobrem dictus Pater Bonaventura Vkmar, mediante Persona Patris Dionysii Pancini a multis PP. Provinciae Procuratoris constituti et ad Urbem ad huiusmodi causam proponendam missi, supplices porrexit libellos, tam Sanctissimo, quam Sacrae Congregationi, quibus ad eumdem Eminentissimum Protectorem remissis, referunt Informantes, quod distractio in dicta quantitate sit vera, at non punibilis ob bonam fidem Alienantis, ob informationem de ea factam a Capitulo Generali, eo maxime quia mobilia pervetusta essent, nec quotidiano usui accommoda, quibus proinde perpensis, utraque Parte ore. et scriptis informante, dignentur Eminentiae Vestrae decernere.

I. An dicta alienatio mobilium pretiosorum facta per Patrem Lazzari fuerit et sit valida?

II. An Alienans sine Beneplacito Apostolico in aliquam poenam inciderit et quam?

Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, incidisse in poenas sacrorum Canonum, Constitutionum Apostolicarum, et Decreti S. M. Urbani VIII, ac supplicet Sanctissimo pro absolutione, et quoad Recurrentes, poenas esse abolendas - *in Segnien. Alienationis Mobilium Pretiosorum die 15 Martii 1692 lib. 42 Decretorum pag. 143.*

71. Absolutionem inde vero indulsit, sed imposita aliqua poenitentia, et cum onere reddendi rationem *in Segnien. Mobilium Pretiosorum die 20 Septembris 1692 lib. 42 Decretorum pag. 573.*

72. Enimvero - relatis per Secretarium Sanctissimo precibus P. Lazzari petentis absolutionem et Adversariorum Patrum instantium illum arrestari et cogi ad redditionem rationis, Sanctissimus annuit quoad absolutionem in forma, quo vero ad redditionem rationis, instantiam remisit ad Sacram Congregationem. Subaudita huiusmodi absolutione, Pater Dionysius Pancinus instetit, declarari absolutionem intelligi quoad poenas concernentes forum interius tantum, non autem alias comprehensas in dicto Decreto Urbani VIII, et hac interim P. Lazzari ut frui possit absolutione, supplicavit Sanctissimo, quatenus dignaretur com-

mittere Eminentissimo Protectori facultatem eum absolvendi.

73. Sed remisso per Sanctitatem suam libello ad hanc Sacram Congregationem pro voto examinando, Fr. Dionysius Pancinus, habita de remissione notitia, gratiam impugnat quoad absolutionem poenarum concernentium forum exterius, poenas nempe privationis vocis activae et passivae et inhabilitatis et alias contentas in Decreto Urbani VIII et Constitutionibus Sixti IV et Iulii II, quidquid sit circa absolutionem fori interioris concernentes censuras. Et quatenus Sacra Congregatio ex consueta benignitate concedere solet, quia hoc esset maximi exempli et notabilis praeiudicii omnibus Patribus, qui zelo ducti recursum habuerunt ad S. Sedem, dum quoties in utroque foro absolveretur et praepotens in Religione, cogerentur illius iram subire. Quamobrem ab EE. VV. decernendum est.

I. An Sanctitas Sua consulenda sit pro traditione facultatis Eminentissimo Protectori?

II. An absolutio concedenda sit in foro interiori tantum, vel in utroque?

S. Congregatio, ad quam Sanctissimus D. N. supplicem hunc libellum remisit pro voto, censuit si Sanctitati Suae placuerit, Patrem Lazzarum Oratorem et alios Patres Deffinitorii, tam in foro interno, quam externo, a quibuscumque censuris et poenis, praemissorum occasione incursis, absolvendos; nec non super irregularitate desuper quoquomodo absolutione non obstante per successivam celebrationem contracta dispensandos esse, iniuncta eisdem aliqua poenitentia salutari; ita tamen, ut a redditione rationis alienatorum bonorum non censeantur exempti, sed eam infrascripto Nuncio Apostolico servatis servandis omnino reddere, nec non prout iuris erit Conventum praedictum Tarsacthensem reintegrare teneantur. Factaque de praemissis omnibus per infrascriptum Secretarium relatione Sanctissimo, Sanctitas Sua dictae Sacrae Congregationis sententiam benigne approbavit; proindeque per Literas Apostolicas in forma Brevis committi posse Nuncio Apostolico apud Caesarem commoranti, ut, iniuncta eisdem aliqua poenitentia salutari, a censuris et poenis nec non irregularitate praemissorum occasione forsan contracta gratis absolvat et respective dispenset, firma remanente obligatione reddendi rationem et reintegrandi ut supra Conventum - *in Segnien. Mobilium Pretiosorum die 20 Septembris 1692 lib. 42 Decretorum pag. 573.*

74. Insuper alienationes prohibitae Regularibus per Decreta Generalia de rebus Regularium non alienandis neque possunt fieri inter Monasteria eiusdem Ordinis, absque Beneplacito Apostolico, etiamsi adsit utriusque Monasterii utilitas *in Regularium Alienationis die 27 Februarii 1666 lib. 25 Decretorum pag. 50 a tergo.*

75. Iamvero - ut in Ordine Patrum Praedicatorum Decretum de rebus Regularium non alienandis provide per hanc Sacram Congregationem peculiari potestate sibi a S. M. Urbano VIII attributa editum, Religiosi recte impleant; atque ut magis magisque explicata ipsius Decreti mente, dubitandi ac proinde errandi auferatur ansa, supplex petit P. Procurator Generalis Ordinis, ut cum eius est interpretari legem, cuius est condere, per hanc S. Congregationem declaretur.

An alienationes, de quibus in praenarrato Decreto agitur, quatenus inter Monasteria eiusdem Ordinis et quidem cum utriusque contrahentis Monasterii utilitate fiant, ita prohibitae atque interdictae censeantur, ut absque Sacrae Congregationis Concilii licentia perfici non possint, Sacra Congregatio respondit: Ita esse prohibitas. Et die 3 Martii eiusdem anni, facta relatione Sanctissimo, Sanctitas Sua Congregationis sententiam probavit - *in Regularium Alienationis die 27 Februarii 1666 lib. 25 Decretorum a tergo.*

76. Verum Syndicus Ordinis Fratrum Sancti Francisci facultatem videtur habere alienandi mobilia et immobilia, Fratribus sub modo licito relicta *in Ordinis S. Francisci die 18 Martii 1719 §. At* (1).

77. Ea enim omnia in utilitatem Fratrum distrahere valet Syndicus, quae licite ab ipsis

(1) Id sane habetur in Constit. 1 Pauli IV, §. 11, Bullar. tom. 1; et in Constit. Ordinis cap. 4 - ibi - Si dichiara, che noi possiamo servirci del Sindaco in due soli atti, il primo de' quali è, che possa ricevere in nome della Sede Apostolica tutte le cose mobili ed immobili offerte donate o lasciate ai Frati in testamento. Il secondo è, che possa a nome di detta S. Sede Apostolica vendere alienare o commutare le cose, delle quali non possono i Frati lecitamente servirsi, e convertire il prezzo per li bisogni di detti Frati -.

retineri non possunt *in Beneventana die 4 Aprilis 1787* §. *Hisce* (1).

78. Quin in huiusmodi alienationibus Apostolicum requiri videatur Beneplacitum, quia alienatio fit ex necessitate iuris *in Ordinis S. Francisci die 18 Martii 1719* §. *Absque* (2).

79. Nam Syndicus est veluti Procurator Sedis Apostolicae *in Beneventana die 4 Aprilis 1789* §. *Hisce* (3).

80. Vel quia bona dici nequeunt Monasteriis incorporata, propter incapacitatem eorumdem *in Ordinis S. Francisci die 18 Martii 1719* §. *Absque* (4).

81. Syndicus Apostolicus vero ad Edicta praemittenda tenetur *in Beneventana die 4 Aprilis 1789* §. *Assertam.*

82. Itaque potest quippe Syndicus res omnes Ecclesiae non incorporatas, non vero mobilia pretiosa Ecclesiae incorporata, alienare; sed, ne fraus vel detrimentum in earum venditione interveniat, tenetur Edicta proponere ante venditionem atque easdem maiori Oblatori tradere *in Ordinis S. Francisci di 18 Martii 1719.*

83. Quandoquidem Provinciae reformatae S. Francisci Familiae Cismontanae exposuerunt, quod a suis Syndicis Apostolicis res ipsis relictae vilissimo pretio vendebantur, vel quia Syndici eas vendebant favore Propinquorum, vel quia contractus faciebant cum Personis potentibus, quibus resistere non poterant; auditoque Procuratore Generali, praedicta omnia confirmante, quaesitum est quodnam remedium parandum esset adversus hoc malum, quod non erat habendum tamquam malum parvi momenti.

Proposito hinc dubio: - An et quale remedium sit capiendum in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Quoad mobilia pretiosa, Ecclesiae incorporata, esse necessarium Beneplacitum Apostolicum; quo vero ad omnes alias res, in posterum non posse Syndicos procedere ad venditionem, nisi praevia Edictorum affixione, et venditio fiat maiori Oblatori - *in Ordinis S. Francisci die 18 Martii 1719.*

84. Hinc et alienatio census scutorum centum facta in duabus ratis et diebus a Regularibus cum sola licentia Ordinarii habita ad cautelam sanatione a Sede Apostolica, non citato interesse habere praetendente, valida fuit declarata *in Forolivien. Alienationis Census die 25 Ianuarii 1716 lib. 66 Decretorum.*

85. Sacra Congregatio vero noluit approbare contractum, quo silva, in proprium usum Fratrum Minorum de Observantia destinata, in emphytheusim per Syndicum concessa fuerat, etiamsi plures Religiosi et Ordinarius loci in id consensissent; nam inde contra eum tamquam nullum atque devium a Seraphicis regulis et Constitutionibus Apostolicis Generalis Ordinis Procurator reclamaverit *in Beneventana die 4 Aprilis 1789.*

86. Siquidem recepti fuerunt anno 1450 in suburbanam Ecclesiam et Coenobium Civitatis Beneventi Minores Patres de Observantia: idque, teste Waddingo (5), a Martino V impetravit Beneventana Communitas, quae deinde vigore Brevis Xisti IV (6) aedificia instauravit, assignavitque Religiosis annua scuta viginti duo, in futuram illorum manutentionem. Duo Ecclesiae et Coenobio muris circumdata adhaerebant viridaria, praediumque tumulorum circiter quinque, nuncupatum *la selva,* eaque Patres ab ipsa Communitate obtinuisse fertur.

87. Ad coloniam dari cepit anno 1741 incultum praedium *la Selva* sub verbali promissione certae quantitatis hordei, quo Coenobium indigebat, ut monstrabat Decretum in eius Archivio servatum, quo huiusmodi contractum, veluti a Seraphicis Regulis devium, Religionis Superiores reprobarunt. Hoc tamen non obstante Decreto, eamdem Religiosi locationis speciem renovarunt anno 1748 cum Iosepho Riso, eamque cum eius Filiis et Nepotibus ad ea tempora continuarunt. Delata tandem 1787 locatione ad Viduam tresque Francisci Riso ultimi illius masculi Filias, malum Superiores Coenobii removere curarunt exemplum accessus Mulierum ad silvam, ex qua aditus patebat ad clau-

(1) Constit. Pauli IV, §. 11, Bullar. Cherub. tom. 1, de qua Roderic. quaest. canon. et regul. 27, art. 6, tom. 1, pag. 180; Fagnan. in cap. *Nimis,* n. 46 et 55, de excess. praelat.

(2) Fagnan. in cap. *Nulli,* n. 27 et 28, de reb. eccles. non alienan.

(3) Matth. de offic. cur. eccles. pag. 43, n. 38.

(4) S. Congreg. apud. Lantusc. in Theatr. Regul. Verb. *Bona temporalia,* n. 7; Corrad. in Prax dispens. lib. 9, cap. 1, n. 13; Donat. in Prax. Regul. tract. 14, quaest. 67, tom. 1.

(5) Ad annum 1426, n. 26; et ad annum 1450 n. 12.

(6) Editi nimirum die 26 Novembris 1472.

*

stra, nobilemque rogarunt Virum Ioannem Baptistam Rotondo, Apostolicum ipsius Coenobii Syndicum, ut in se negotium susciperet. Silvam ergo Beneventano more concessit Syndicus in emphytheusim ad binos viginti novem annos Iosepho Colarillo, pro annuo canone Ducatorum Regni viginti quinque.

88. Quum primum id Ministro Provinciali innotuit rescindi iussit contractum, a Canonico Iure Regulisque Seraphicis reprobatum, castigavitque per epistolas Religiosos, quod tamdiu praedium ante emphytheusim in colonia retinuissent. Qua de re per Notarium stipulari fecit Syndicus Capitularem quatuor Religiosorum actum, veluti repraesentantium maiorem partem, sibique tribui curavit quascumque facultates necessarias, quibus de praedicta silva seu territorio meliori, quae sibi placeret, ratione disponere posset, cum ab ipsis vigore Regularum et Constitutionum administrari nequiret. Atque his utens facultatibus Eminentissimo supplicavit Beneventano Archiepiscopo, ut renunciationem pro eius Mensa acciperet silvae; causamque prae ceteris exposuit, quod impares essent Religiosi illius praesidio adversus impetum praeterfluentis fluminis *Calore*, ita ut – *non fortificandosi con argini e speroni potrebbe un giorno colle frequenti alluvioni rovinare il Convento e Chiesa* –.

89. Precibus annuit Eminentissimus Archiepiscopus, et uno eodemque instrumento renunciationem die primo Februarii 1788 accepit, et praedium, suadente Syndico, in eamdem emphytheusim dedit Colarillo – *per non esservi state offerte più vantaggiose* – sub promissione – *di fare alla riva del fiume Calore per quanto sarà l'estensione del detto Territorio e Convento tutti quelli argini e ripari, che saranno necessarii per la difesa di detto Territorio e Convento* –; assignavitque Canonem Sacrario Ecclesiae. Super hoc igitur contractu reservatum postulavit Oeconomus Mensae Archiepiscopalis Apostolicum Beneplacitum.

90. Utilem Religiosis censuit Eminentissimus Archiepiscopus contractum (1); Generalis contra Ordinis Procurator nullitatem sustinuit contractus ex relatione P. Commissarii, ab illius Provinciae Ministro delegati, omnemque impugnavit Coenobii vel Ecclesiae utilitatem, rogavitque, ut inhiberetur – Superioribus aliisque Religiosis illius Coenobii praesentibus et futuris nec non Apostolicis eiusdem Syndicis pro tempore, ne post haec silvam vel minimam eius partem ulli ad culturam aut alium quemcumque effectum ne verbaliter quidem concedant, sed illa Religiosi ipsi utantur in omnibus et per omnia ad eos dumtaxat usus, quos Regula et S. Sedis atque Ordinis leges permittunt –. Inde Canonicam minime fuisse resolutionem affirmavit: et, si Canonica recenseretur, contraria esset Decretis Capituli Generalis Ordinis (2), ac praetermissam fuisse Edictorum affixionem. Atque demum praefatus Procurator Generalis negavit, retineri silvam non posse a Beneventanis Patribus in proprium usum; nam alia quidem duo intra Claustra erant viridaria, satis sufficientia pro Fratrum commodo et deambulatione, notavit tamen, quod stabilium retentio nedum permissa est ad recreationem, sed etiam ad recollectionem nec non ad habenda necessaria hortalitia, pro seipsis. Si iterum ergo priorum seculorum consuetudine in hunc usum destinabitur silva, iam longe eius iudicio esset scandalum omnisque Mulieribus auferretur occasio accedendi ad claustra, quin mala ex irruente flumine timeri revera deberent.

91. His itaque expensis, proposito dubio: – An sit concedendum Beneplacitum Apostoli-

(1) Siquidem, auditis Syndico et Emphytheuta haec praefatus Archiepiscopus deduxit, ut in §. *Utilem* – ibi – Perspiciens, quod canon oblatus a Colarillo maior sit praestatione, quam persolvebat Franciscus Riso; quod Emphytheuta Colarillo nedum sit solvendo, sed alia onerosa pacta in se susceperit et signanter aggeres construere propriis sumptibus; quod conventus ob id maneat exemptus ab obligatione ripam talibus aggeribus munire, ut quodcumque avertatur damnum; quod sit sublata occasio scandalorum; quod vetitum sit Instituto Franciscano Patrum de Observantia habere dominium vel certos reditus percipere, e contra valida sint et sustineantur legata Ecclesiae vel Sacristiae relicta; ac tandem, quod praedicto Conventui sint adiacentia duo viridaria, quae existunt intra claustrum, et sunt maxime sufficientia pro Fratrum commodo et deambulatione, existimo propterea, contractum Emphytheusis initum cum Colarillo esse perutilem primario Ecclesiae et Sacristiae, secundario ipsi Conventui, ac proinde istam S. Congregationem, nisi aliter EE. VV. videatur, petitum Apostolicum assensum posse impertiri –.

(2) Nimirum die 14 Iunii 1628 statutis, ut in §. *Sed* – ibi – Fratres instrumenta publica nec capitulariter congregati stipulare valeant: et quoad immobilia – ibi – Generalis cum consilio Guardiani et Discretorum Conventus in usum Fabricae et Conventuum provideat –, *teste Card. Petra in Constit. Apostol. tom. 2, pag. 459, n. 43.*

cum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative – *in Beneventana die 4 Aprilis 1789.*

92. Hinc silvam, cuius usum dumtaxat habent Religiosi, valide cedere non possunt *in Beneventana die 4 Aprilis 1789* §. *Generalis.*

93. Ac eapropter Capitulares nequeunt Syndico tribuere facultatem alienandi silvam, in proprium usum destinatam *in Beneventana die 4 Aprilis 1789* §. *Sed.*

94. Nam dominium pertinet ad Sanctam Sedem *in Beneventana die 4 Aprilis 1789* §. *Sed* (1).

95. Quod eo vel magis dicendum est, cum in Decretis Capituli Generalis Ordinis Minorum de Observantia statutum extet, ut non possint – Fratres instrumenta publica nec Capitulariter congregati stipulari – *in Beneventana die 4 Aprilis 1789* §. *Sed.*

96. Atque, quoad bona immobilia, ut – Generalis cum consilio Guardiani et Discretorum Conventus in usum Fabricae et Conventuum provideat – *in Beneventana die 4 Aprilis 1789* §. *Sed.*

97. Nullum hinc dubium, de nullitate contractus alienationis, moveri potest, si nec sint omnes Capitulares convocati, ut a maiori et saniori Capituli parte edita censeatur resolutio, qua Syndico facultas alienandi tribueretur *in Beneventana die 4 Aprilis 1789* §. *Qualis* (2).

98. Ac praesertim, si Capitularis resolutio delitesceret, sed eius loco fides Notarii exhiberetur, qui plures, sed non omnes Religiosos de tribuenda Syndico facultate disponendi de silva extra Capitulum interrogavit *in Beneventana die 4 Aprilis 1789* §. *Qualis.*

99. Huiusmodi enim fides non aequipollere videtur Capitulari resolutioni *in Beneventana die 4 Aprilis 1789* §. *Qualis* (3).

100. Necessitas autem cessionis silvae desumi quidem potest ex prohibita Minoribus Observantibus possessione bonorum *in Beneventana die 4 Aprilis 1789* §. *Propius* (4).

101. Vel si, ex huiusmodi cessione, removeatur scandalum accessus Mulierum ad Claustra *in Beneventana die 4 Aprilis 1789* §. *Proprius.*

102. At haec revera non obstant, cum possit a Minoritis retineri silva in proprium usum, dummodo fructus non distrahant, omnisque Mulieribus auferri occasio accedendi ad Claustra commode valeat *in Beneventana die 4 Aprilis 1789* §. *Excludendam* (5).

103. Utilitas vero desumitur, ex maiori per emphytheusim quaesito canone, in manutentionem Sacrarii, cui licet huiusmodi accipere praestationes, absque Minoriticae paupertatis laesione *in Beneventana die 4 Aprilis 1789* §. *Propius* (6).

104. Praetermitti propterea non potest Edictorum affixio, ut meliores haberi possint oblationes *in Beneventana die 4 Aprilis 1789* §. *Assertam.*

105. Namque ad ea praemittenda Syndicus etiam Apostolicus tenetur, ut eadem declaravit S. Congregatio in Causa Ordinis S. Francisci 18 Martii 1719 per supramemoratum Rescriptum: – Quoad mobilia pretiosa, Ecclesiae incorporata, esse necessarium Beneplacitum Apostolicum; quo vero ad omnes alias res, non posse in posterum Syndicos procedere ad venditionem, nisi praevia Edictorum affixione, et venditio fiat maiori Oblatori – *in Beneventana die 4 Aprilis 1789* §. *Assertam.*

(1) Cap. *Exiit*, de verb. signif. in 6; Probant Matth. de offic. Cur. Eccles. cap. 17, pag. 113, n. 31 et 32; Card. De Luc. adnot. ad Concil. Trident. disc. 35, n. 14.

(2) Arg. ex Text. in cap. De his, quae fiunt a maior. part. Capit.; Gibert. in ius canon. tom. 2, pag. 489, Sect. 18, per tot.; Leuren. for. benef. tract. 3, part. 2, quaest. 493, n. 1.

(3) Pellizzar. Manual. Regular. tract. 9, cap. 8, sect. 1, n. 4 et 5, tom. 2.

(4) Cap. *Exiit*, §. Ad haec. Clem. *Exivi*, §. Item, de verb. signif. in 6.

(5) Clem. *Exivi*, §. Verum etiam.

(6) Barbos. de iur. eccles. lib. 3, cap. 28, n. 76; Ventrigl. in prax. part. 2, adnot. 28, §. 4, n. 17; Amostaz de caus. piis, lib. 4, cap. 3, n. 78.

§. III.

ALIENATIO BONORUM ECCLESIAE QUOAD PROHIBITIONEM ET BENEPLACITUM APOSTOLICUM.

1. A priscis usque Ecclesiae temporibus Lex viguit Ecclesiastica, bona alienari non posse *in Forosempronien. Visitationis Sacrorum Liminum die 21 Iulii 1827* §. *A priscis.*

2. Quam legem Sacri Canones ediderunt, et Civiles Leges ratam firmam haberi voluerunt *in Neapolitana Beneplaciti Apostolici die 21 Septembris 1822* §. *Res.*

Item *in Forosempronien. Visitationis Sacrorum Liminum die 21 Iulii 1827* §. *A priscis ; in Pisana die 30 Augusti 1851* §. *Cum super; in Pinnen. Beneficii et Iurispatronatus die 28 Aprilis 1860* §. *Auctoritatis* (1).

3. Hinc alienatio bonorum Ecclesiae prohibita est, tum iure divino (2), tum iure Civili (3) tum iure Canonico (4) *in Senogallien. die 12 Februarii 1770* §. *Alienatio.*

4. Id quippe proinde sancitum est, ne, patrimonio Ecclesiae consumpto, divinus cultus minueretur, Clerici egerent, Pauperes subsidio privarentur, templa in praeceps ruerent *in Forosempronien. Visitationis Sacrorum Liminum die 21 Iulii 1827* §. *A priscis.*

5. Omni propterea aevo Ecclesiasticae sunt latae Leges, quibus et hominum cupiditas moderaretur, et bona, divino cultui specialiter dicata, integra inviolataque remanerent *in Comen. Reductionis Missarum die 22 Iunii 1822* §. *Semper.*

6. Ad compescendam vero, quae temporis successu valde increbuerat, cupiditatem illorum, qui immobilia et pretiosa mobilia Deo dicata usurpare, vel in profanos usus convertere praesumerent, Paulus II in notissima Extrav. *Ambitiosae* de rebus Ecclesiae non alienandis omnium rerum et bonorum Ecclesiasticorum alienationem districtius vetuit *in Forosempronien. Visitationis Sacrorum Liminum die 21 Iulii 1827* §. *A priscis.*

7. Namque Pontifex ille, eos, qui inconsulta Sede Apostolica bona eiusmodi distraherent aut distracta reciperent, censuris aliisque poenis subiecit, initosque contractus nullius omnino roboris ac momenti esse decrevit *in Forosempronien. Visitationis Sacrorum Liminum die 21 Iulii 1827* §. *A priscis.*

8. Hinc, ne bona Ecclesiae temere dissipentur, solemnitates requirunt Sacri Canones, in illorum alienatione, quae si omissae fuerint, suo omnino robore carent contractus, et ita Contrahentes poena excommunicationis multantur *in Fanen. Absolutionis et Sanationis Contractus die 22 Martii 1823* §. *Ne bona.*

Item *in Pisauren. Alienationis die 18 Augusti 1827* §. *Si Eminentissimi* (5).

9. Idcirco, si quis temerario ausu sine iuris solemnitatibus res ecclesiasticas distraheret, ultra nullitatem actus sententiam excommunicationis incurreret, et Beneficiati, Dignitates, Canonici alienantes, eo ipso suspensi, et Beneficiis privati existant *in Capuana die 15 Iulii 1848* §. *E contra* (6).

10. Siquidem, praedictus Paulus II, postquam ad coercendam Ecclesiasticorum libertatem super alienatione bonorum Ecclesiae plura statuisset, sic ait: – Inferiores vero Praelati Commendatarii et aliarum Ecclesiarum Rectores, Beneficia vel Administrationem quomodolibet obtinentes, Prioratibus, Praeposituris, Dignitatibus, Canonicatibus aliisque ecclesiasticis cum cura et sine cura, Secularibus et Regularibus Beneficiis, quorum res et bona alienarunt dumtaxat, ipso facto privati existant; illaque absque

(1) Can. 13, caus. 12, quaest. 2; Epist. 17 S. Leonis Magni ad univ. Episcop. Sicil.; Can. 52, caus. 12, quaest. 2; Concil. Carthaginen. III can. 4, tom. 2; Epist. Symmac. edit. in 2 Synod. Roman.; L. 14 et 17, Cod. de Sacros. Eccles. ac Novell. 7, cap. 1; Rot. in Romana Pecuniariae 14 Decembris 1640 §. 18 coram Carillo.

(2) Levit. cap. 25 et 27.

(3) L. *Iubemus*, Cod. de Sacros. Eccles.

(4) Can. *Apostolicos* 13; Can. *Sine exceptione* 52, caus. 12, quaest. 2; Cap. *Nulli liceat* 5, de reb. Eccles. alienan. vel non; Extrav. *Ambitiosae*, de reb. Eccles. non alien.

(5) Reiffenst. in lib. 3 Decret. tit. 13, §. 3, n. 52 et 56.

(6) Card. Petra Comment. ad Constit. Pauli II, n. 2 in proem.

declaratione aliqua vacare censeantur, possintque per Locorum Ordinarios vel alios, ad quos eorum collatio pertinet, Personis idoneis (illis exceptis, quae propterea privatae fuerunt) libere de iure conferri – *in Fanen. die 10 Ianuarii 1784* §. *Dubium.*

Item *in Compsana Caducitatis die 2 Augusti 1845* §. *Neminem.*

11. Idipsum confirmavit Sacrum Concilium Tridentinum in Cap. XI sess. 22 de reformatione, edicens: – Si quem Clericorum vel Laicorum quacumque is dignitate etiam Imperiali aut Regali praefulgeat in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicuius Ecclesiae seu cuiusvis Secularis vel Regularis Beneficii, Montium Pietatis aliorumque Piorum Locorum iurisdictiones, bona, census, ac iura etiam feudalia et emphytheutica, fructus, emolumenta, seu quascumque obventiones, quae in Ministrorum et Pauperum necessitate converti debent, per se vel alios, ut, vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas Clericorum aut Laicorum, seu quacumque arte aut quocumque quaesito colore, in proprios usus convertere, illosque usurpare praesumpserit; seu impedire, ne ab iis, ad quos iure pertinent, percipiantur, is anathemati tamdiu subiaceat, quamdiu iurisdictiones, bona, res, iura, fructus, et reditus, quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocumque etiam ex donatione suppositae Personae pervenerint, Ecclesiae eiusque Administratori sive Beneficiato, integre restituerit, ac deinde a Romano Pontifice absolutionem obtinuerit. Quod si eiusdem Ecclesiae Patronus fuerit, etiam iurepatronatus, ultra praedictas poenas, eo ipso privatus existat. Clericus vero, qui nefandae fraudis et usurpationis huiusmodi fabricator seu consentiens fuerit, eisdem poenis subiaceat, nec non quibuscumque Beneficiis privatus sit; et a suorum ordinum executione, etiam post integram satisfactionem et absolutionem, sui Ordinarii arbitrio suspendatur – *in Fanen. die 10 Ianuarii 1784* §. *Dubium.*

12. His itaque statutis ac districte etiam per Sacrum Concilium Tridentinum indictis, – Episcopus Miletensis mox proposuit et declarari petiit ab Eminentissimis Patribus: – I. An qui bona stabilia ecclesiastica absque S. Sedis Apostolicae assensu, post Sacri Concilii Tridentini publicationem in perpetuum scienter sub annuo censu locaverunt, conduxerunt, permutaverunt, aut alias alienaverunt et alienata receperunt, subiaceant poenis Cap. XI *Si quem Clericorum* sess. 22 de reformatione dicti Concilii.

II. An qui dicta bona ante dicti Concilii publicationem ut supra alienata saltem a viginti quinque vel quadraginta annis citra scienter detinent noluntque iis, ad quos de iure pertinent restituere, in easdem poenas incurrisse censeantur –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, subiacere; si Apostolicae Sedis consensum non impetraverunt. Ad secundum, Incurrisse; et tamdiu illis subiacere, quamdiu bona cum fructibus restituerint – *in Mileten. lib. 3 Decretorum pag. 11.*

13. Praeterea dispositio Concilii Tridentini in cap. 11 sess. 22 de reformatione procedit etiam in iis, qui usurpant bona ecclesiastica non sub ratione bonorum ecclesiasticorum; sed cum sint confines dictorum bonorum transgrediuntur proprios terminos, et partem bonorum ecclesiasticorum sibi suisque bonis copulant *in Dubio Cap. 11 sess. 22 de reform. Posit. 41.*

14. Non tamen procedit in iis, qui, conducentes bona Ecclesiae, et mutatis vel etiam conniventibus Ecclesiarum titularibus, suppresso titulo conductionis, possident eadem bona, tamquam patrimonialia *in Dubio ad cap. 11 sess. 22 de reform. Posit. 41.*

15. Unde Episcopus modis omnibus ad tuitionem bonorum Ecclesiae seu Beneficii optimo iure tenetur, ac interim inscriptionem hypothecariam capiendam curare debet; namque nihil fuit unquam antiquius S. Congregationi et nihil in quotidiana eiusdem praxi frequentius occurrit, quam et Beneficiorum Capellaniarumque Rectores et Episcopi hypothecariam inscriptionem super obligatis fundis capiendam curarent (1); quin imo inventarium bonorum expetere is debet a Beneficiariis etiam iurispatronatus, qui Curiae Episcopali id tradere tenentur, ex mandato Constitutionis Xisti V, quae incipit: *Provida*, et Concilii Romani (2): atque demum; restitutis bonis ab illegitimis Detentoribus, con-

(1) Quemadmodum decretum fuit in Lunen. Sarzanen. Reductionis die 3 Decembris 1831; in Reatina Capellaniae die 24 Martii 1832; in Ianuen. 19 Maii eiusdem anni 1832, atque passim. Vide verb. *Actio hypothecaria.*

(2) In tit. 12, cap. 1. Crispinus testatur, nil efficacius ad Ecclesiae bona servanda statui posse, quam inventariorum

stituto Administratore, debita ex bonis Beneficii inhaerentia solvantur *in Ferrarien. Executionis Rescripti Alienationis Bonorum et Solutionis die 29 Iulii 1848* §. *Porro.* §. *De, et* §. *Superest.*

16. Siquidem pervetusta aderat in Diaecesi Comaclensi Praepositura seu Abbatia *Nullius Pomposiana* nominata, quae iurepatronatus potiebatur cuiusdam simplicis Beneficii seu Prioratus, erecti in Ecclesia Ferrariae sita, et D. Agneti dicata. Accidit, ut Gallica dominatione grassante, bona et iura Abbatiae Pomposianae in Thomam Zagatti migrarint, per solemne emptionis venditionisque instrumentum, ingenti persoluta summa aureorum 56000. Interim anno 1802 per mortem Prioris S. Agnetis Zagattius ratus est, ius sibi quaesitum fuisse, tamquam patronus, alium Beneficiarium in eius locum sufficere: et reapse nominavit Filium suum annorum quatuor Antonium, qui legitimam institutionem nactus est, ope dispensationis, super aetatis defectu, ab Apostolica Sede obtentae. Sine ulla controversia versatus est Antonius in Beneficii possessione usque ad annum 1838, etiamsi clericalis vestis et coronae usum iamdiu abdicasset, seque imo Causarum patrocinio in laico Foro addixisset, facta sibi ad id potestate a S. M. Pio VIII, per literas in forma Brevis expeditas.

17. Verum inauspicato accitus est Antonius coram Archiepiscopali Tribunali a Fisci Promotore, ut Beneficio caducatus renunciaretur, si ad trinam monitionem clericalia insignia iterum induere detrectasset. Hinc acriter hac super re efferbuit quaestio, quae, tandem ab S. Congregatione definita (1), pro executione commissa fuit Archiepiscopo Ferrariensi, qui de facto rite executioni mandavit, - ea tamen lege, ut onera omnia Beneficio inhaerentia diligenter explere debeas, et expleta esse in hac Archiepiscopali Curia quotannis docere tenearis, nec non post tui obitum ad iura suae institutionis Beneficium antedictum redeat. Ne autem bona ad Beneficium saepedictum spectantia distrahi contingat, volumus, ut intra mensem inventarium ipsorum Curiae Nostrae exhibere tenearis, atque eiusdem iura inscriptione hypothecaria immediate tueantur, adeo ut nullius roboris et momenti praesentes evadant, si intra praefatum terminum praedicta exequi neglexeris -.

18. Vix ad Antonii Zagatti aures huiusmodi Decretum pervenit, querelas ipse admovit, Archipraesulem a limitibus facultatum meri exequutoris eidem competentium nimium aberrasse, atque confugiens ad Sacram Congregationem, ut nullum Decretum praedictum ediceret, ac Beneficium mere laicale declararet. De huiusmodi precibus percontatus fuit Eminentissimus Archiepiscopus, qui insuper rogatus est, ut audiret in scriptis Promotorem Fiscalem. Porro, dum idem Promotor a cuiuscumque excessus labe abstergere nisus est executoriale Decretum, in ea fuit sententia, ut in caduci poenam Zagattium incidisse declararetur (2).

19. Huic alteri Fiscalis sententiae Archiepi-

rerum Ecclesiae confectionem: - *Per difetto de' quali* (ita praedictus Crispinus) *i beni delle Chiese spesso vanno in rovina, o sono defraudati.* -

(1) Propositis quippe dubiis: - I. An et quomodo sententia Curiae Archiepiscopalis super caducitate sit confirmanda vel infirmanda in casu etc. *Et quatenus affirmative ad primam partem.* II. An et cui spectet provisio Beneficii in casu etc. III. An locus sit purgationi attentatorum in casu etc. -, Sacra Congregatio die 13 Februarii 1841 respondit: - Ad primum secundum et tertium, Ad mentem: attentis peculiaribus circumstantiis, Consulendum cum Sanctissimo pro sanatione praecedentium Indultorum favore Zagatti, ac pro continuatione, et, quatenus opus sit, concessione iurispatronatus laicalis activi et passivi favore eiusdem Familiae Zagatti super Prioratu, firmis oneribus hucusque supportatis -. Repropositis subinde dubiis, sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. -, S. Congregatio die 12 Augusti 1843 respondit: - In decisis, et amplius -.

(2) Hisce de causis id praefatus Promotor Fiscalis edixit, nempe - 1. Perchè non ha mai giustificato d'aver soddisfatto gli oneri del Priorato; 2. perchè nel termine assegnatogli e nemmeno a tutt' oggi soddisfece all' ingiunzione di produrre l' inventario de' beni, che costituiscono la dote del Beneficio; 3. perchè ha pure trascurato di giustificare d'avere assunta l'impostagli trascrizione ipotecaria; 4. infine, perchè ha commesso la colpa grave di avere alienata la maggior parte de' beni del Priorato. Il nostro ministero esige perciò, che tolto di mezzo il grazioso Rescritto di N. S. invochiamo, o che sia riassunto e deciso il giudizio trasportato in Roma indipendentemente ai dubbii colà proposti, adietta allo Zagatti la colpa d'avere alienato in pendenza di causa la maggior parte del diretto dominio della *Gradella,* o che dichiarato fermo il Decreto esecutoriale possa la ragione fiscale agire per le accennate trasgressioni all'avocazione del Beneficio e de' suoi beni anche dalle mani dei terzi, *prout de iure* -.

scopus ita subscripsit, ut indulgentiorem se exhibuerit cum Zagattio; scilicet, seposita caducitatis poena, proposuit: - ut ipsemet Fiscalis Promotor ius suum exercere possit in quoscumque Beneficii praediorum Possessores ac Detentores, ita ut fundi omnes Beneficii, ab ipso Zagatti alienati, ac praesertim ille, qui vulgo *Gradella*, nuncupatur et anno 1839 Andreae Pavanelli venumdatus, dum sententiae appellatio, ab hoc ecclesiastico Tribunali latae in eumdem Zagatti, pendebat apud istum sacrum Consessum, vindicari queant -.

20. Ad haec, dum editum erat Rescriptum, ut iterum Causa proponeretur, quoad exequutionem et peractas alienationes, accessit libellus Sacerdotis Ludovici Collevati Rectoris Parochialis Ecclesiae S. Gregorii nec non Augustini Viola, qua cessionarii Antonii Soldati, qui ante Parochum Collevati Ecclesiae S. Gregorii praecerat. Hi nimirum exposuerunt, suppressa Parochiali Ecclesia S. Agnetis tempore Gallicae dominationis, ipsius iura omnia et onera translata fuisse in Parochialem Ecclesiam S. Gregorii eiusque pro tempore Rectores, per Decretum editum die 13 Aprilis 1806 a Vicario Generali illius temporis, ac proinde ipsis tamquam Rectoribus ius inesse repetendi congruam scutatorum sexaginta ab Antonio Zagatti, qua Ecclesiae S. Agnetis Priore. Et quia pluribus abillinc annis huic oneri satisfaciendo detractavit Zagattius, idcirco creditum suum evexit Viola ad scuta 407 et 50, Collevatius vero ad scuta 102 et 50, solutionemque enixe postularunt, quam tutius assequi confisi sunt, si sententia caducitatis contra Zagattium proferretur, atque in possessionem bonorum praefatus Orator Collevatius immitteretur, aut Administrator pro tempore nominaretur (1).

21. Has pariter preces ad eumdem Eminentissimum Archiepiscopum datae fuerunt, ut, audito Zagattio, confestim fieri iuberet transcriptionem bonorum, nomine Causae Piae. Transmisit Eminentissimus ille Vir votum sui Promotoris Fiscalis, cui nedum adstipulatus est, sed imo illud enixe commendavit, hac ratione: - Id unum oro obtestorque, ut praelaudati Promotoris Fiscalis Curiae meae vota admittantur: ita nimirum fiet, ut et Beneficii reditus, si qui adhuc supersint, in tuto collocari queant, et Oratorum rationes, ut aequum est, quamprimum consolidentur - (2).

22. Propositis hinc dubiis: - I. An Decretum executoriale diei 27 Septembris 1843 sit infirmandum, seu reformandum in casu etc.

II. An et quomodo providendum sit quoad alienationes bonorum Beneficii S. Agnetis a Zagattio peractas in casu etc.

III. An et quomodo annuendum sit precibus Parochi Collevati et Augustini Viola in casu etc.-, S. Congregatio respondit - Ad primum, Negative in omnibus. Ad secundum, Consulendum Sanctissimo pro absolutione a censuris ac pro continuatione iurispatronatus; in reliquis, iuxta votum Eminentissimi Archiepiscopi. Ad tertium, Partes utantur iure suo - *in Ferrarien. Exequutionis Rescripti Alienationis Bonorum et Solutionis die 9 Septembris 1848.*

23. Nihil interea Zagattius de iis, quae per Decretum Curiae Episcopalis, ab Sacra Congregatione confirmatum, ut ex superiori resolutione patet, sub poena caducitatis a Prioratu ipsi iniuncta fuerunt, perfecit: dum autem op-

(1) Sane Collevatius praeter caducitatem petiit immissionem - al possesso dei beni, o pure di nominare un' Amministratore *pro tempore*, onde venire soddisfatto dei rispettivi crediti decorsi e decorrenti, facendo conoscere, che il Dottor Zagatti si è fatto e si fa lecito di alienare le proprietà livellarie in pregiudizio de' suoi Successori -, ut in §. *Id haec.*

(2) Porro, quoad Oratorum preces, haec habuit, Promotor: - Quanto all' accoglimento dell' inchiesta è mio avviso, che dovendo essere un' effetto del Decreto esecutoriale il Sagro Consesso debba prima togliere di mezzo il ricorso contro il medesimo interposto dallo Zagatti, che fece devolvere in sospensivo all' Autorità superiore la pendenza sul preteso abuso di potere nell' estenderlo, e che contemporaneamente trovandolo ingiusto, per non dire temerario, e facendo ragione tanto ai Petenti che al Fiscale, il quale lo chiedeva nel Foglio eccezionale de' 15 Maggio 1845, possa dichiararlo fatto indegno, e decaduto dal Priorato -.

Quoad demandatam inscriptionem hypothecariam subiungere censuit: - Non conoscendosi quali sieno le rendite attive del Beneficio ed a quali documenti appoggiate per la pertinacia del Beneficiato di non averne dato l'inventario, potrà l'Eminentissimo accennarla come cosa d'impossibile esecuzione -. Et ita conclusit: - Non vi è Beneficio in tutta la Diocesi, in cui il Beneficiato abusi più di quello che faccia Zagatti, con pubblico scandalo, delle graziose indulgenze, che più le disprezzi e deluda con temerarii ricorsi, e che più ne dilapidi i beni. Se avvi caso, in cui sia necessaria la pronta misura di polizia ecclesiastica, è quello che offre il ripetuto Priore, il quale per *fas et nefas* vuole che del Beneficio di S. Agnese non rimanga che un nome, senza disciplina, senza dovri, senza dote -.

portuna instruebantur acta in Ferrariensi Curia, ut in caduci poenam Zagattium incursum formaliter declararetur, iste sub die 26 Februarii 1851 Clericum Orlandini Episcopalis Comaclensis Seminarii alumnum in Priorem nominavit, et paulo post die nempe 28 Aprilis 1851 ingenti aere alieno gravatus ex hac vita migravit. Nominationem praedictam favore Clerici Orlandini a Zagattio factam Ferrariensis Ordinarius Decreto diei 7 Martii 1851 reiecit, eam Sacrorum Canonum dispositionibus adversari retinens, prout in sua informatione diei 3 Martii 1852 retulit.

24. Interim Parochus Collevati Sacrae Congregationi preces dedit, quibus instabat, irritam supradictam nominationem declarari et Administratorem Beneficio Prioratus deputari, facultate munitum, ipsi solvendi summam scutorum 596, 81 iam sibi a die 29 septembris 1851 debitam, in qua comprehendi exponebat scuta 176, 81, quae in iudicialibus controversiis, quas cum Zagattio sustinere coactus est, insumpsit. Hisce precibus per Rescriptum Sanctissimi diei 22 Martii 1852 repositum fuit; - Quoad nominationem et praesentationem Clerici Orlandini, provisum per Decretum Curiae Archiepiscopalis praeteriti anni 1851; quoad reliqua, scribatur Eminentissimo Archiepiscopo ad effectum, ut, suspensa interim Prioratus nominatione, deputet ecclesiasticum Administratorem, qui, impletis oneribus, curet bonorum transcriptionem et, quatenus opus sit, vindicationem nec non debiti solutionem erga Oratores; quibus omnibus expletis, moneat Patronos, ut procedere valeant ad nominationem Prioratus, ad formam Sacrorum Canonum, et notificetur Ministris Datariae Apostolicae -.

25. In Administratorem ab Eminentissimo Archiepiscopo electus fuit Canonicus Paulus Malagò subcollector, qui, officio sibi demandato alacriter suscepto, cum Sacerdote Collevati agere cepit, ut eiusdem rationes liquido explicatae purgarentur. Verum, quum inter se dissiderent, Sacerdos Collevati Sacram Congregationem denuo adiit, proponens dirimenda dubia, ut iura sibi competentia tutari posset. Dum haec penes Sacram Congregationem iamiam resolvenda pendebant, Clericus Orlandini supplicem porrexit libellum, ut et ipse fructuum Beneficii particeps fieret; sed, attento superiori Rescripto 22 Martii 1852, huiusce recursus ratio tum haberi haud poterat.

26. Propositis interim dubiis: - I. An et quomodo a Beneficii Prioratus Administratore solvenda sit Parocho Collevati congrua a die obitus Praedecessoris sui Sacerdotis Soldati usque in praesens in casu.

II. An et quomodo ex Beneficii Prioratus fructibus compensandus sit Parochus Collevati de sumptibus litium, quas adversus Zagattium sustinuit in casu.

III. An et quomodo congruae Parocho pro tempore solvendae inhaereat onus supellectiles suppeditandi Ecclesiae S. Agnetis in casu -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative in summa scutorum sexaginta, imputatis canone et laudemio. Ad secundum, Negative in omnibus. Ad tertium, Negative in omnibus, et onus spectare ad Priorem (1) - *in Ferrarien. Solutionis et Congruae die 18 Februarii 1854.*

27. Itaque, praeter censuras, caducitas in alienationibus bonorum Ecclesiae vel Beneficii potissima est Alienantium poena *in Fanen. Capellaniae die 29 Februarii 1791* §. *De veritate* (2).

28. Qua de re, si ex Capellani dolo et mala fide non processerit alienatio, iniquissimum esse videtur, caducitatis poena ipsum mulctare, iuxta magis receptam doctrinam *in Compsana Caducitatis die 2 Augusti 1845* §. *Contra* (3).

29. Nam dolus ac fraus ad odiosam incurrendam caducitatis poenam requiritur *in Fanen. Cappellaniae die 29 Ianuarii 1791* §. *Probat* (4).

(1) In casu plures in promptu erant sententiae, quae vim rei iudicatae nactae fuerant; unde dubitari non poterat de bono iure Parochi Collevati, qui in omnia iura successit Vicariatus S. Agnetis, repetendi nimirum ab Administratore Prioratus congruam scutorum sexaginta, solutam ab onere supellectiles praedictae Ecclesiae suppeditandi, quemadmodum nullum inerat onus Praedecessori suo Parocho Soldati.

(2) Lotter. de re benef. lib. 3, quaest. 25, n. 2.

(3) Quam doctrinam tradit Schmalzgrueber in ius Eccles. part. 3, tom. 1, tit. 13 de reb. Eccles. non alien. §. 165, n. 3; Tamburin. tom. 3, de iur. Abbat. decis. 13, quaest. 12, n. 2; Pirrhing. in ius Canon. tit. de reb. Eccles. non alienan. n. 56.

(4) Card. De Luc. de alienation. disc. 51, n. 3.

30. Dolus autem ac fraus non praesumitur unquam, sed concludentissime probari debet *in Compsana Caducitatis die 2 Augusti 1845* §. *Contra* (1).

31. Verum alienatio dolo fit, cum certa est scientia substituti et vocati, quae scientia ex ipso instrumento donationis habetur *in Urbinaten. Reductionis Onerum die 14 Martii 1744* §. *Apertam.* (2).

32. Atque longe abesse videtur bona fides ab eo, qui contractum super bonis Ecclesiae inivit, neglectis solemniis a iure praescriptis *in Urbeventana Emphytheusis die 13 Septembris 1806* §. *Posita* (3).

33. Excusari hinc non videtur Capellanus, si alienatio non ipse, sed Frater perfecit *in Compsana Caducitatis die 2 Augusti 1845* §. *Quin.*

34. Limita, nisi probetur, alienationem inscio Capellano peractam fuisse *in Compsana Caducitatis die 2 Augusti 1845.* §. *Quin.*

35. Verum nemo sibi poterit suadere, alienationem, inscio Capellano, locum habuisse, si hic una cum Fratre sub eodem tecto vitam degebat; imo potius censeri debet, Capellano mandante, alienationem peractam fuisse *in Compsana Caducitatis die 2 Augusti 1845* §. *Quin.*

36. Ac eo vel magis, si, postquam alienationis habuerit scientiam, rem divenditam neutiquam vindicavit, prout ei id licebat, tum ex Iure Civili, tum ex Lege Canonica *in Compsana Caducitatis die 2 Augusti 1845* §. *Quin.*

37. Praesertim in vim Extravagantis *Ambitiosae,* quae etiam Clerico alienanti res alienatas vindicandi facultatem concedit *in Compsana Caducitatis die 2 Augusti 1845* §. *Quin.*

38. Quare tacite saltem venditionem, a Fratre peractam, ratam habuisse visus est, ac proinde venditio ex eius mandato perfecta praesumi debet, quia ratihabitio, vel expressa vel tacita, mandato aequiparatur in iure *in Compsana Caducitatis die 2 Augusti 1845* §. *Quin.* (4).

39. Immo, etiamsi Capellano ignota semper venditio manserit, non idcirco tamen a dolo immunis posse haberi videtur *in Compsana Caducitatis die 2 Augusti 1845.* §. *Sed finge.*

40. Nam ignorantia isthaec clare demonstrat maximam ipsius negligentiam, quoad res ad Beneficium spectantes *in Compsana Caducitatis die 2 Augusti 1845.* §. *Sed finge.*

41. Reus igitur est latae culpae, quae toties patratur, quoties non ea adhibetur in alienis rebus gerendis diligentia, quam suis in rebus Paterfamilias quisque praestaret *in Compsana Caducitatis die 2 Augusti 1845* §. *Sed finge* (5).

42. Iamvero lata culpa dolo comparatur, dolumque ipsum repraesentat *in Compsana Caducitatis die 2 Augusti 1845* §. *Sed finge* (6).

43. At, etiamsi in dolo non fuerit Capellanus, ob incuriam tamen in Beneficii rebus gerendis, in levi saltem culpa versatus est *in Compsana Caducitatis die 2 Augusti 1845* §. *Sed finge.*

44. Id autem satis superque esse videtur, ut e Beneficii possessione decidisse dicatur *in Compsana Caducitatis die 2 Augusti 1845* §. *Sed finge.*

45. Extravagans enim *Ambitiosae* factum alienationis unice respicit, quin ullam circa dolum vel culpam distinctionem ponat *in Compsana Caducitatis die 2 Augusti 1845* §. *Sed finge.*

46. Ac proinde, quum de rei ad Beneficium pertinentis distractione constet, nefas foret, de doli existentia vel eiusdem defectu quaestionem instituere *in Compsana Caducitatis die 2 Augusti 1845* §. *Sed finge.*

47. Secus enim Legi limitatio imponeretur, quam omnino respuunt eius verba, quae generalia cum sint, absque ulla distinctione vel limitatione intelligi debere videntur *in Compsana Caducitatis die 2 Augusti 1845.* §. *Sed finge.*

48. Praeterea, si huiusmodi excusationes

(1) L. *Dolum,* ff. de dolo; L. *Quoties,* §. qui dolo, ff. de probation.; Surdus dec. 222, n. 11; Bald. cons. 21, n. 2 in fin.; Rot. in decis. 468, n. 2, part. 2; in decis. 26, n. 21, part. 5 Recent.

(2) Rot. in decis. 7, n. 12, part. 12; in decis. 382, n. 15, part. 19 Recent.

(3) Rot. in Aversana Manutentionis 22 Iunii 1757 §. 5 coram Olivatio.

(4) Rot. in Romana fructuum 18 Iunii 1835 §. 6, coram de Cupis; in Romana Pecuniariae 17 Maii 1839, §. 13, coram Bonini; in Romana seu Verulana Manutentionis et Immissionis 15 Maii 1839, n. 11, coram Alberghini.

(5) Kalv. Lexicon iuridic. sub verb. *Culpa latior.*

(6) L. 1, §. haec actio, ff. Si mensor falsum mod. dix.; et L. 1, §. Non autem alias, ff. Si is qui test. lib. esse iuss.

favorem in iudiciis obtineant, amplissimus tunc patebit aditus ecclesiasticarum rerum alienationibus, quin Extravagans *Ambitiosae* vim amplius suam exercere valeat *in Compsana Caducitatis die 2 Augusti 1845* §. *Ceterum*.

49. Siquidem Clerici, qui certo sciunt, nihil sibi praeiudicii ob alienationem obventurum, si peragatur ab aliis, Patri vel Fratri vel cuilibet alii secreto committent, ut Beneficii distrahat bona, ac tali modo caducitatis poenam effugient *in Compsana Caducitatis die 2 Augusti 1845* §. *Ceterum*.

50. His tamen non obstantibus, Sacra Congregatio suspensionem cum annua pensione per Curiam latam probavit quidem, sed caducitatem minime permisit in casu, quo Frater Beneficiati, ex Fundatore descendentis et in octogenaria aetate versantis, armenta bovilla vendiderat, ac pessimus aedium status evaserat, atque locatio ad tempus indefinitum gesta fuerat *in Compsana Caducitatis die 30 Augusti 1845*.

51. Enimvero, quas dederat opes fortuna, in divini cultus incrementum totas impendere statuit eximius pietate Sacerdos Antonius Berilli, ex Oppido Caletri Compsanae Diaecesis. Hinc, in matrici eiusdem Oppidi Ecclesia e solo excitato Sacello, illud S. Annae dicavit, sub cuius tutela et nomine ecclesiasticum etiam Beneficium instituit, activae et passivae nominationis iure in Nicolaum et Leonardum Berilli eorumque Successores in infinitum collato. Pingui vero admodum dote Beneficium ditavit. Plura namque illi assignavit urbana ac rustica praedia, tum bovilli armenti non exiguam vim. Plusquam seculari spatio haec omnia sarcta tectaque manserunt. Sed nuperrimis inde temporibus ad aures Iosephi Nicolai Berilli, qui unus erat ex Patronis, pervenit, Capellanum Franciscum Berilli totum distraxisse Boum armentum, permutasse fundum quemdam, situm in regione, quae audit - *Fontana del Milo* -, nullamque habuisse curam reficiendi collabentes ac pene dirutas aedes, quae exurgebant - *in contrada il Vacolo* -. Praeter haec validus etiam rumor incesserat, Capellanum numquam fecisse satis omnibus a Fundatore praescriptis. Quin imo videbatur, etiam patronatus ius violasse, Municipio arbitrarie permittens, ut in Sanctae Annae Sacello aram S. Philomenae statueret.

52. Quae cum ita se haberent, e re sua duxit Patronus diem Capellano dicere coram Archiepiscopali Compsana Curia, in eo praecipue instans, ut Iudex nedum decerneret remotionem Sacerdotis Francisci Berilli ab administratione bonorum praefati Beneficii, sed etiam eumdem, suppositis interim reditibus sub sequestro, ad restituenda armenta bovilla divendita damnaret (1). Haud tamen in totum consonam votis sententiam retulit. Siquidem Iudex suspensionis dumtaxat poena Capellanum mulctavit, atque ex Beneficii reditibus annuam triginta sex ducatorum pensionem eidem concessit. Beneficii vero gestionem Diaecesanae administrationi concredidit, ut reditus, qui, detractis oneribus, reliqui essent quotannis, in aedium sarcitionem et bovilli gregis emptionem impenderentur.

53. Aegre id tulit Patronus, et, provocatione interposita, ad S. Congregationem appellavit, ac ostendere contendit, dolo vel saltem culpa lata, quae dolo aequiparatur, armenta Capellanum divendidisse, quin excusari posset falso sub obtutu, quod doli fuerit expers, quia non ipse, sed Frater armenti venditionem perfecit. Nulla enim huius rei in actis aderat probatio, si dictum excipias Eriberti di Nicola: ac nemo sibi poterit suadere, alienationem, inscio Capellano locum habuisse, si hic cum Fratre sub eodem tecto vitam degebat, imo alienationis habuit scientiam, armentum neutiquam vindicavit. Quare tacite saltem venditionem a Fratre peractam ratam habuisse visus est: vel, si ea sibi ignota extiterit, maximam demonstrabat negligentiam, quoad res ad Beneficium spectantes; adeoque reus latae culpae censeri debebat, ex eo etiam, quod aedes fatiscentes, nusquam refecit, atque bona ad tempus indefinitum locavit.

54. Archiepiscopus vero hac de re monitus respondit, culpae potius, quam doli redargui

(1) Hisce verbis Patronus praedictus petiit, ut in §. *Quae* – ibi – non solo la remozione del Sacerdote D. Francesco Berilli dalla gestione dei cespiti predetti del Beneficio a norma delle disposizioni canoniche, ma ancora la condanna alla restituzione di tutti gli animali vaccini venduti, ed in pari tempo disporrà per la sicurezza e proprietà del Beneficio, sottoporsi a sequestro le rendite tutte, e quindi attendersi quelle disposizioni, che dalla saggenza della Reverenda Curia si possono attendere per il meglio della conservazione del Beneficio –.

Capellanum posse; Boum enim alienationem non ipse perfecit, sed Frater: et, quoad pessimum aedium statum Capellani quidem negligentiam in Beneficii rebus gerendis evincere, non tamen sat esse ad caducitatem inducendam, quae in casu tantum alienationis incurritur. Quamobrem suspensionem inflixit, et pensionem praedictam annuam ex Beneficii reditibus, qui egregiam pertingebant vim Ducatorum supra tercentum, Capellano concessit, ne in gravi, qua premebatur aetate annorum fere octoginta, Vir Sacerdos a Fundatore descendens fame periret, vel in Ecclesiae dedecus stipem quaeritare cogeretur. Unde, attenta praefata octogenaria aetate, praefatus Capellanus etiam negligentiam, quae latam culpam importat removere, contendit; quum, alieno indigens auxilio, nequivisset alienationem armenti suspicari in persona Fratris, qui cuncta Beneficii negotia procurabat. Ad locationem seu permutationem quod autem spectabat, vel revera nunquam inita vel inita fuit sub expressa conditione – *se si può fare* –; et, cum nihil depactum fuerit circa tempus, quo duratura foret locatio, praesumitur ad annum, vel ad summum protrahi poterat in casu ad biennium. Probavit demum, non paucam erogasse summam in aliquot ipsius Beneficii domorum instaurationem, ac oneribus Beneficio iniunctis satisfecisse: et, si quid in exequutione peccatum est, non eius culpae, qui opportuna praebuit media, sed Exequutorum negligentiae tribuendum esse.

55. Hisce hinc inde perpensis, proposito dubio; – An et quomodo sententia Curiae Archiepiscopalis sit confirmanda, vel infirmanda in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam; et ad mentem. Mens est, ut Archiepiscopus curet omnino redintegrationem Beneficii ex reditibus superextantibus, detractis oneribus et pensione – *in Compsana Caducitatis die 30 Augusti 1845.*

56. Hinc multo minus Filius ac heres in poenam caducitatis ex eo incidit, quod eius Pater bona fide et non animo usurpandi Capellaniae bona alienaverit, cum tamen ad eiusdem reintegrationem teneatur *in Fanen. Capellaniae die 29 Ianuarii 1791.*

57. Siquidem Testamento anni 1699 heredem instituit Matthaeus Uguccioni in usufructu uxorem suam Theodoram, erigique iussit post eius obitum Capellam in Ecclesia S. Mariae vulgo *di Cartoceto*, heredem universalem et proprietarium instituens Capellanum, cum onere celebrandi quinque Missas singulis hebdomadis. Hinc, Usufructuaria sub annum 1701 defuncta, in possessionem ivit hereditatis Sacerdos Angelus Abondi, primus Capellanus ab eodem nominatus: confectoque inventario, haec fuerunt illius bona, suburbana nempe habitationis domus, rustica praedia in regionibus *il Pozzetto o Acquarolo, li Peri, Campicciarello, il Bottaccio*, quorum pars assignata fuerat ipsimet Capellano in patrimonium sacrum; activi census in sorte scutorum noningentorum quinquaginta monetae Urbini, et mobilia quaedam; passivus vero status scutorum centum.

58. In Capellaniam deinde absque inventario successerunt Lucas Fornaciari, Michael Angelus Abondi, ultimoque loco Canonicus Ioseph Abondi, cuius Pater Thomas iunior Capellaniae bona plures per annos administravit. Quum rectam hinc non gereret administrationem, eum idcirco coegit Fanensis Episcopus ad exhibendam iuratam bonorum notulam, ex qua de nonnullis constitit alienationibus, praediorum praesertim *il Bottaccio* et *il Campicciarello*, ad summam scutorum tercentum septuaginta quinque eiusdem monetae. Qua de re cessit Thomas anno 1771 in redintegrationem Capellaniae proprium praedium *in fondo Saletto* valoris scutorum tercentum triginta octo et centum in sorte scutorum quinquaginta, dimisitque Filio administrationem. Nonnullos etiam Canonicus Ioseph alienavit census arboresque ex praediis ad restaurandam domum, causamque dedit deputationi Oeconomi. Hisce igitur de causis, Eminentissimis Patribus supplicavit Antonius Gradari, a Thoma Abondi seniore per feminam descendens, ut caducatum declararent Canonicum Iosephum a Capellania, unde locus fieret nominationi alterius ex eius Filiis, eumque cogerent ad reintegrationem capitalium. Nam vendita ostendit Gradarius praedia *il Bottaccio* et *il Campicciarello*, maiori ex parte extinctos census, plurimas incisas arbores, aediumque distracta coementa. Idcirco Capellanus ad reintegrationem Capellaniae tenetur, qui Patri non restitit alienanti, aliasque addidit alienationes.

59. Probavit contra Canonicus Abundius,

alienata cum plerisque censibus fuisse rustica praedia a Thoma eius patre, qui Capellaniam de cetero redintegravit: unum se et alterum retrovendidisse censum, non animo usurpandi sortes, sed ad restaurandam domum; hac etiam de causa et de licentia Episcopi incidisse arbores, aliis tamen in earum locum subrogatis, exuberantia dumtaxat alienasse coementa, nihilque horum fecisse per dolum et fraudem, quae ad odiosam incurrendam caducitatis poenam requiritur. Hinc ad reintegrationem neque uti filius et heres Thomae, neque ex persona propria teneri ait praefatus Abundius, quia paternam adiit hereditatem cum beneficio legis et inventarii; et quia suarum alienationum curam habebat Oeconomus ab Episcopo deputatus, deposuitque redintegrationis causa ad annum 1789 scuta ducalia sexaginta.

60. Propositis hinc dubiis: - I. An constet de alienatione capitalium, ita ut sit locus caducitati in casu etc.

II. An et a quo sit facienda redintegratio in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam; et amplius. Ad secundum, Affirmative; iuxta votum Episcopi (1), firma remanente deputatione Oeconomi; et amplius - *in Fanen. Capellaniae die 29 Ianuarii 1791.*

61. Ex eo imo, quod probata liquido non extiterit alienatio bonorum praebendae, per quemdam Canonicum nimirum Paulum Ercolani facta, Sacra Congregatio, nulla atque irrita declarata nova provisione Archidiaconatus, quem is Canonicatu dimisso obtinuerat, regressum ad praefatum Canonicatum concessit; etiamsi, attenta vacatione huiusmodi, eumdem alii Sancta Sedes contulisset *in Fanen. die 10 Ianuarii 1784.*

62. Iamvero Ecclesia sub titulo Visitationis Beatae Mariae Virginis Oppidi Urceani, quae vulgo nuncupatur S. Maria Nova, auctoritate S. M. Clementis XIII in insignem Collegiatam erecta fuit. Capitulum ad dimittendum aes alienum, ob praefatam erectionem in Collegiatam contractum, postulavit a Summo Pontifice, ut per annos duodecim suspendere nominationem Dignitatis Archidiaconatus tunc vacantis, de iurepatronatus Communitatis, eiusdemque obtento assensu, dignaretur. Precibus annuit Sanctitas Sua et in audientia diei 5 Iulii anni 1775 indulsit, ut praedicti Archidiaconatus nominatio per septennium suspenderetur. Ac dein in audientia diei 6 Iunii anni 1781 protrahere dignatus est provisionem Archidiaconatus ad aliud sexennium, mandavitque suspensionem per decennium praebendae Canonicalis primo vacaturae.

63. Post haec Sacerdos Paulus Ercolani, possessor Canonicatus sub titulo S. Liberatae in eadem Collegiata erecti, adiit Datariam Apostolicam, et Summo Pontifici preces porrexit, quibus narravit omnia gesta in Sacra Congregatione pro suspensione provisionis Archidiaconatus, atque narravit prorogationem ad aliud sexennium fuisse obtentam, irrequisito novo Communitatis consensu. Exhibuit praeterea nominationem ad eamdem Dignitatem, quam a Communitate et Hominibus Urceani obtinuerat; quare institutionem postulavit. Obtentis Literis Apostolicis, possessionem nactus est die 3 Octobris anni 1782. Episcopus vero die 4 eiusdem mensis Canonicatum sub titulo S. Liberatae, a Paulo Ercolani possessum, contulit Sacerdoti Dominico Ulissi. Cum autem provisionem praefati Canonicatus S. Liberatae a Dataria Apostolica impetrasset Clericus Franciscus Maria Ercolani die 29 Octobris 1782, et provisionis Literae pro executione exhibitae fuissent Vicario Generali Episcopi Fanensis, gravis hinc excitata est controversia inter Sacerdotem Ulissi

(1) Siquidem Episcopus Fanensis haec retulit, ut in §. *De omnibus* - ibi - Quanti initio fuerit Capellaniae Assis non liquido constat. Legalia enim de hac re documenta desiderantur. Hinc gratis Orator asseruit, Assem Capellaniae ad quinque millia scuta accessisse -. Compertum vero - esse, neque totam pecuniam in foenore positam, quae ad hereditatem Uguccioni olim pertinebat, integram modo existere, quemadmodum neque domus, quae initio fuerunt, neque agri omnes restant -. Alienationem foeneratitiae pecuniae maiori ex parte tribuit Thomae iuniori, et ad sarciendum Capellaniae damnum censuit, - hodiernum Rectorem cogi oportere ad reddendam rationem, ut colligi possit, quantum alienaverit, quantum pecuniae in compensationem alienati collocaverit, factaque comparatione, quantum debeat ad reintegrationem. Praescribendum insuper eidem Rectori tempus ad agendum vel contra hereditates eorum, qui et ipsi bona Capellaniae alienaverint (non turbatis tamen Possessoribus bonae fidei) quotiescumque hereditatis huiusmodi sint solvendo pares, vel contra eos, qui fundos ad hereditatem Uguccioni spectantes possideant, quando impares sint reintegrationi Alienantium hereditates -; quatis prae ceteris erat obaerata hereditas Thomae, cum beneficio legis et inventarii a Filio adita.

et Clericum Ercolani. Itaque disceptatum fuit de validitate, tum suspensionis Archidiaconatus ad aliud sexennium, tum de illius provisione. Quaesitum quippe fuit, an aliquo vitio provisio huiusmodi infecta, et quatenus non subsisteret, videndum erat, an Proviso competeret regressus ad Canonicatum, quem possidebat; et, si regressus non competeret, definiendum erat, an Literae Apostolicae, obtentae a Clerico Francisco Maria Ercolani executionem mererentur.

64. Qui causam Promotoris Fiscalis et Capituli egit, pro validitate prorogationis provisionis Archidiaconatus ad aliud sexennium, enixe institit; adeoque provisionem Archidiaconatus novissime factam, favore Sacerdotis Pauli Ercolani, irritam esse propugnavit, quin hic redire posset ad possessionem Canonicatus S. Liberatae, quia nempe dissipavit Capitalia ad dictum Canonicatum pertinentia. Notavit in facto, quod huiusmodi praebenda quatuor census possidebat, qui a respectivis Debitoribus fuerunt dimissi, et pecuniae in manibus dicti Sacerdotis persolutae; nullibi tamen constabat, easdem pecunias denuo fuisse investitas; imo licet dictus Sacerdos iudicialiter pulsatus fuerit ad docendum de investimento, nunquam proprii Ordinarii mandatis paruit. Spernendum vero esse contendit testimonium Thomae Magi et Antonii Ercolani, asserentium pecunias, ab extinctione dictorum Censuum provenientes, pro maiori parte in aliis Censibus fuisse collocatas; nam de emptione horum Censuum instrumentum non exhibebatur. Minime vero attendendum, quod superextantes pecunias Sacerdos Ercolani consumpserit pro sustinenda lite, favore dicti Canonicatus; nam ignorabatur, quae fuerat huiusmodi lis, nec probabatur versio pecuniarum in dictam causam, facta auctoritate legitimi Superioris.

65. Ceterum quatenus corrueret provisio Archidiaconatus, videndum erat, an Sacerdos Paulus Ercolani revera alienaverit bona Canonicatus S. Liberatae, ita ut poenas incurrerit illius privationis. Propositis itaque dubiis; – I. An Reseriptum diei 6 Iunii 1781 sustineatur in casu etc. *Et quatenus negative.*

II. An sustineatur provisio Archidiaconatus in casu etc. *Et quatenus negative.*

III. An sit locus regressui in casu etc. *Et quatenus negative.*

IV. An Literae Apostolicae sint exequendae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Negative. Ad tertium, Affirmative. Ad quartum, Negative - *in Fanen. die 10 Ianuarii 1784.*

66. Namque sufficere videtur quaelibet causa etiam bestialis, ut aiunt, ad caducitatem eliminandam *in Compsana Caducitatis die 2 Augusti 1845* §. *Contra.*

67. Hinc Sacra Congregatio et sanationem venditionis bonorum ecclesiasticorum ex eo indulsit, quod alienatio, concurrente necessitate atque stante impedimento recursus ad S. Sedem, facta esset, etsi Oratores illico, sublato praedicto impedimento, ad praelaudatam S. Sedem confugere minime curassent *in Comen. Reductionis Missarum die 22 Iunii 1822.*

68. Siquidem plures Pii Testatores, cum Conventum Ordinis Servorum B. M. V. Oppidi Mandrisii Comensis Diaecesis liberalitate successive auxerunt, onere etiam nonnullarum Missarum gravarunt. Legatorum Missarum fundi ita Conventus patrimonio immixti sunt, ut minime, vel saltem difficillime, eorum reditus singulatim cognosci posset. Interea Religiosi, transactis miserrimis temporibus, quae ab initio praesentis seculi decurrerunt, urgente necessitate nonnulla argentea vasa, aliaque ecclesiastica bona vendiderunt, nec non, civilis Legis sanctione coacti, census capitalem summam exegerunt, in omnibus inconsulto Summo Pontifice, ad quem liber non patebat accessus. Labente tempore, recta redituum oeconomia factum est, ut venditis rebus aliae substitutae sint, universaque Conventus substantia excreverit. Qua de re propriae conscientiae consulentes, Apostolicam expetierunt sanationem et absolutionem quoad praeteritum et reductionem in futurum.

69. Quum autem Mandrisii Patres, nomine auctorante et de legitima causa iudicante, alienationes perpetrarunt, videbantur statutis in poenis incidisse, eo magis quod, favente Deo, christiana restituta Republica, statim Apostolicam sanationem non postularunt. Attamen suo muneri supplicantes non deficisse videbantur. Iustam enim causam necessitatem Ecclesiae constituere et omnes tenent Doctores et iuris auctoritate probatur. Sancitum enim est: *Nisi necessitas aut utilitas Monasterii hoc expo-*

scat (1). Quod revera in casu necessitas intervenerit et Patres exposuerunt et Episcopus testatus est. Alienatio enim, aliis temporibus aliisque in circumstantiis illicita, tunc licita dici potuisset ex Iuris regula: *Quod non est licitum in Lege, necessitas facit licitum.* Accedebat denique, quod nullum Conventus ex hac venditione detrimentum acceperit.

70. His igitur perpensis, Sacra Congregatio, concessa etiam reductione Missarum ad decennium, iuxta votum Episcopi, proposito dubio: - IV. An et quomodo consulendum sit Sanctissimo pro condonatione omissionis Missarum et pro sanatione venditionis bonorum ecclesiasticorum in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Ad quartum, Affirmative in omnibus, celebrata unica Missa cum cantu et interventu omnium de Familia - *in Comen. Reductionis Missarum die 22 Iunii 1822.*

71. Ac eo vel magis Sacra Congregatio absolutionem a censuris et sanationem contractus venditionis bonorum Ecclesiae ex errore peractae indulsit, cum in facto esset, quod Rector in utilitatem eiusdem Ecclesiae bona fide et ardenti desiderio augendi cultum divinum pretium erogaverat *in Fanen. Absolutionis et Sanationis Contractus die 19 Aprilis 1823.*

72. Enim vero Parochus Vincentius Monti anno 1819 ad fatiscentem Parochialem Ecclesiam reficiendam ampliandamque, pro Parochianorum opportunitate, requisivit a Sacra Congregatione facultatem alienandi nonnulla bona, ad Paraeciam spectantia. Sacra Congregatio praedictam facultatem concessit, servatis de iure servandis. Parochus Monti quum Sacrae Congregationis Rescripta executioni mandaret, alienavit pro summa scutorum quadringentorum quadraginta, et pro summa scutorum viginti quinque quamdam criptam, de quibus mentionem minime fecit S. Congregationi, existimans Monti hisce super bonis ipsi ablegatam alienandi facultatem. Quum primum autem suum cognoverit errorem Parochus Monti, illico supplicavit S. Congregationi, tum pro sanatione contractuum, tum quoque, si quae forent, pro absolutione a censuris.

73. Episcopus de bona fide Oratoris eiusdemque ardenti desiderio cultum Dei adaugendi, cum Sodalibus sub titulo Sanctissimi Sacramenti, qui Sodalitium ea in Ecclesia constituebant quique interesse habebant, testatus est ac imo laudibus eum cumulavit. Idcirco, ex eo etiam, quod ex testimonio ipsius Episcopi praefata summa integre erogata fuerit in constructionem novae domus Parochialis, propositis dubiis: - I. An et quomodo sanari debeat alienationis contractus Parochi Monti in casu etc. II. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro absolutione a censuris in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative in omnibus; facto verbo cum Sanctissimo. Ad secundum, Affirmative in omnibus - *in Fanen. Absolutionis et Sanationis Contractus die 19 Aprilis 1823.*

74. Etenim, qui bona fide res Ecclesiae distrahant, poenis in Extrav. *Ambitiosae* latis non subsunt *in Fanen. Absolutionis et Sanationis Contractus die 22 Martii 1823* §. *Pro* (2).

75. Quare, bona fide plus minusve concurrente, Sacra Congregatio pro absolutione respondere solet *in Fanen. Absolutionis et Sanationis Contractus die 22 Martii 1823* §. *Pro.*

Item *in Pisauren. Alienationis die 18 Augusti 1827* §. *Attamen.*

76. Atque bona fide contractus censetur initus, si reservatum fuerit Beneplacitum Apostolicum *in Pisauren. Emphytheusis die 18 Martii 1820* §. *E contra.*

77. Namque Beneplacitum Apostolicum poterit subinde obtineri, et retrotrahitur ad initium contractus, qui habet interim implicitum statum validitatis *in Pisauren. Emphytheusis die 18 Martii 1820* §. *E contra* (3).

78. Nisi vero fuerit praelaudatum Beneplacitum obtentum et exequutum non acquiritur dominium a Contrahente cum Ecclesia, nec ab ista illud abdicatur; sique tradita possessio fuerit, contractus nullus remanet, et a Summo Pontifice nedum sanatio contractus fructuumque indebite perceptorum obtinenda est, sed et absolutio a censuris *in Pisauren. Emphytheusis die 18 Martii 1820* §. *E contra* (4).

79. Hanc tamen conclusionem limitat Ful-

(1) Uti in Clem. I, de reb. Eccles. non alienaandis; cui concordat Cap. I, de pignoribus.
(2) Barbos. in Extrav. *Ambitiosae;* Reinffenst. in lib. 3 Decret. tit. 3, §. 3, n. 67.
(3) Card. Petra in Comment. ad Constit. Pauli II, Sect. 5, n. 22, tom. 5.
(4) Card. Petra loc. cit. n. 25.

gineus (1), nimirum: si Rector bona fide daret licentiam ingrediendi in possessionem et, non obtento Beneplacito, Emphytheuta ingrederetur; quia Constitutio *Ambitiosae* continet verbum *praesumpserit,* quo casu non comprehendit eos, qui sine dolo vel contemptu, bona fide vel simplicitate faciunt *in Pisauren. Emphytheusis die 18 Martii 1820* §. *E contra.*

80. His propterea ceterisque huiusmodi attentis circumstantiis, Sacra Congregatio quandoque, praevia etiam declaratione nullitatis contractus, imo et sanatione contractus et Beneplacito denegatis, absolutionem ad cautelam tantum concedit *in Pisauren. Emphytheusis die 18 Martii 1820.*

81. Propositis quippe dubiis: - I. An constet de nullitate Emphytheusis initae die 22 Iunii anni 1793 in casu etc. *Et quatenus affirmative.*

II. An et quomodo sit locus sanationi et Beneplacito Apostolico in casu etc.

IV. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo, pro absolutione a censuris in casu etc.-, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Negative. Ad quartum, Affirmative ad cautelam - *in Pisauren. Emphytheusis die 18 Martii 1820.*

82. Quin imo, attentis Alienantis bona fide temporum angustiis rerumque necessitate, S. Congregatio nedum sanationem contractus concessit, sed nec esse locum dispensationi respondit *in Mathelicen. Sanationis die 1 Martii 1817.*

83. Siquidem Capitulum et Canonici Ecclesiae Cathedralis Mathelicensis censum annuum scutorum decem emerant a Communitate, pretio scutorum biscentum quinquaginta. Anno 1808 ab Invasoribus Pontificiae Ditionis Provincia Piceni Regni Italici Dominationi et legibus subiecta est. Hinc aes alienum Communitatum in publicum aerarium translatum fuit; hinc coacti Creditores in publicis Tabulis credita huiusmodi inscribere, et in extinctionem recipere chirographa illa, quae *Rescrizioni* appellabantur, quaeque in acquisitionem bonorum fiscalium (Fiscalium autem bonorum nomine veniebant etiam bona ecclesiastica a laica Potestate usurpata) erogari poterant.

84. Capitulo itaque Mathelicensi, pro credito census cum Communitate, traditum fuit chirographum *Rescriptionis,* pro summa libellarum italicarum 1310 06, quae sorti scutorum biscentum quinquaginta respondebant. Ne vero in acquisitione bonorum Fiscalium sese implicaret Capitulum, melius futurum putavit, si chirographum illud venderet, cum per leges liceret *Rescriptiones* huiusmodi promercales habere et iura sua acquirentibus cedere. Vendidit hinc eo pretio, quod tunc in foro reperiebatur, scilicet scutorum duodecim pecuniae numeratae in singula centum valoris *Rescriptionum,* et summam scutorum 29, 78, 1 redegit, quam ne omnino perderet aut infrugiferam haberet, una cum aliis pecuniis Capituli vertit in utilem emptionem cuiusdam agri, quem a privato acquisivit.

85. Restituto tandem Pontificio Regimine, veriti sunt Canonici, ne contra canonicas sanctiones hanc alienationem, nullo interveniente Beneplacito Apostolico, fecissent, a Sacra Poenitentiaria implorarunt absolutionem a censuris, quae eisdem indulta est pro foro conscientiae sub conditione, ut ad Sacram Congregationem, *pro ulteriori provisione* recurrerent. Unde Capitulum pro sanatione supplicavit, quatenus in hac alienatione committenda peccaverint in Extravagantem *Ambitiosae.* Nam quod creditum census inscripserint in publicis tabulis, quodque *Rescriptiones* in extinctionem census receperint, id quidem Canonicorum culpae verti non posse videbatur; nisi enim censum apud publicas tabulas professi essent Canonici, illum omnino amisissent, et nonnisi coacte *Rescriptiones* receperunt.

86. Nec sane in rerum mobilium vel immobilium speciem chirographa huiusmodi *Rescriptionum* accensenda esse videbantur. Namque prae se ferebant potius speciem pecuniae, cum in pretium acquisitionis bonorum Fiscalium erogari possent. Utrum vero pecuniae cadant sub censura Extravagantis *Ambitiosae,* controversia est inter Canonistas. Alii enim negant, quia inventa est pecunia ad commutationem emendumque et non datur aut accipitur, ut conservetur, sed ut in alios usus convertatur, nec servata ullum fructum parit, sed otiosa remanet; adeoque res est, quae ex sua natura et fine servando servari nequit: tales autem res alienari absque solemnitate possunt (2). Alii vero distinguunt inter pecunias, quae ex fructibus bonorum congeruntur, et pecunias re-

(1) In Tract. de Iur. Emphyth. quaest. 16, n. 16.

(2) Schmalzgrueb. in Ius Eccles. tom. 3, part. 1, tit. 13, §. 2, n. 30.

dactas ex venditione bonorum et destinatas ad acquirendas res immobiles vel mobiles pretiosas; has enim erogandas in destinatos usus, adhibitis solemnitatibus, plures tenent (1).

87. Quidquid tamen sit de varia Doctorum sententia hac super re, Sacra Congregatio censuit, alienationem, de qua agitur, factam fuisse contra praescriptum Extravagantis *Ambitiosae*, quamquam sanationem, attenta temporum conditione, causa alienandi, ne scilicet *Rescriptiones* perirent, nec non consensu Episcopi sic praestito, ut facerent, quod melius Ecclesiae futurum iudicassent, indulserit; quin obstaret, quod si chirographum *Rescriptionum* servassent integrum tunc etiam stetisset creditum census, et nullum damnum Ecclesia passa esset. Proposito enim dubio: - An sit consulendum Sanctissimo pro sanatione et dispensatione ab irregularitate in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative, quoad sanationem, et quoad dispensationem, in casu de quo agitur, non indigere - *in Mathelicen. Sanationis die 1 Martii 1817.*

88. Quum autem initus fuerit contractus absque reservatione Beneplaciti Apostolici, conceditur quidem absolutio a censuris, sed imposita aliqua salutari poenitentia *in Vercellen. Emphytheusis et Absolutionis die 6 Martii 1819.*

89. Si praesertim Contrahentes propriam inspexerint utilitatem, et electus unus fuit ex Compatronis, qui quidem sacerdotali dignitate insignitus, sanctas Ecclesiae Leges ignorare non poterat; hoc enim in casu eo magis culpabilis videtur omissio Apostolici Beneplaciti *in Vercellen. Emphytheusis die 13 Februarii 1819* §. *Quaeritur.*

90. His quippe in terminis, proposito dubio: - II. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo, pro absolutione in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad secundum, Affirmative; imposita aliqua salutari poenitentia, arbitrio Episcopi - *in Vercellen. Emphytheusis et Absolutionis die 6 Martii 1819.*

91. Hinc poenitentia vel poena pro culpae ratione plus minusve rigida imponitur; quandoque enim et ipsa Sacra Congregatio eam praecise indixit ac designavit. Proposito enim dubio: - II. An sit consulendum Sanctissimo, pro absolutione in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad secundum, Affirmative; pro absolutione dispensatione et rehabilitatione, peractis ad decem dies Exercitiis Spiritualibus - *in Collen. Emphytheusis die 2 Maii 1818* (2).

92. Ceterum, attenta bona fide, Sacra Congregatio concessit quidem absolutionem a censuris ad cautelam, sed merito sanationem venditionis rei Ecclesiae eidemque iam infixae denegavit, etsi a Rectore tamquam propria vendita esset *in Pisauren. Alienationis die 18 Augusti 1827.*

93. Iamvero Sacerdos Caietanus Fabri Oeconomus primum, deinde Parochus Ecclesiae Roncaleae, dum Occonomi munere fungebatur, quoddam organum pneumaticum anno 1811 a Demanio propria pecunia, ut ipse asseruit, emit, et in memorata Ecclesia collocavit, parieti infixit atque ornamento decoravit, eoque per undecim annos usus est. Paraeciam dimissurus Organum vendidit Parocho Florentiae pretio scutorum centum. Quum vero, orta dubitatione, utrum ad Paraeciam Organum pertineret, pecuniam penes Sacram Aedem deponi iusserit Episcopus, ideo Sacerdos Fabri confugit ad Sacram Congregationem, ut quaestio dirimeretur.

94. Rogatus de more Episcopus, pro informatione et voto, in ea manifesta inhaesit sententia, ut Organum ad Ecclesiam, non vero ad Oratorem Fabri pertineret (3). Frustra hinc Fa-

(1) Vasquez de Redit. cap. 2, §. 2, n. 44; Donat. Prax. Regul. tom. 1, part. 2, tract. 11, quaest. 52, n. 1; Pirrhing. in Ius Can. lib. 3, tit. 13, n. 13; Schimer. in lib. 3 Decret. part. 2, de reb. Eccles. non alien. Cap. 4, n. 41.

(2) Vid. Verb. *Emphytheusis.*

(3) Haec sane Episcopus deduxit, ut in §. *Rogatus* - ibi - Supervento aliquo dubio super dicto contractu, censui utrique Parti consulere cum deposito scutorum centum in Capsa Ecclesiastica exequendo, prout factum fuit. Rem inter satius perpendens et factum mature exequens, cognovi Organum non pertinere ad Oratorem Fabri, sed ad Ecclesiam. Res per se patet. Sacerdos Fabri coemit Organum, dum erat Oeconomus supradictae Ecclesiae, aptavit parieti, ne ad libitum moveri posset, ac ornamentis fulcivit. Numquam reclamavit, numquam poenituit, et numquam ut suum recognovit, adeo ut in notula iurata, quam in actis exhibuit, occasione allegati Cap. *Odoardus*, de mobilibus sibi spectantibus, numquam reperitur dictum Organum, de quo sermo est. Similique iureiurando confirmavit, se nulla alia mobilia possidere, quam quae in actis descripta, ut legere est in dicta notula, quam in copia publica adnectendam credidi. Post haec facta mihi videtur, rem non esse dubiam; et propterea venditionem non cecidisse super re propria, sed ad Ecclesiam pertinentem -.

bri iura et facta in medium proferre studuit, ut ostenderet, ad se Organum ex eo etiam spectare, quod nunquam donatio praesumatur, nisi probetur. Quin interim bona fides eidem ad obtinendam saltem sanationem venditionis profuerit; dum ipse adstruit, post proborum Virorum consilium venditionis contractum patrare deliberavisse. Ceterum bona fides profuit, ut obtineret absolutionem ad cautelam, si in censuras atque poenas revera in themate incidisset.

95. Propositis quippe dubiis: - I. An constet Organum spectare ad Paraeciam Roncaleae in casu etc. *Et quatenus affirmative.*

II. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro sanatione venditionis in casu etc.

III. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro absolutione a censuris in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Negative. Ad tertium, Affirmative ad cautelam, etiam quoad Emptorem *in Pisauren. Alienationis die 18 Augusti 1827.*

96. Hinc ne quidem dubium, quod in alienationibus ecclesiasticis semper requiritur Beneplacitum Apostolicum, eo etiam in casu, quo Ecclesia servituti sit subiicienda *in Asculana Beneplaciti Apostolici die 10 Maii 1755* §. *Homines.*

97. Servitus enim cum sapiat alienationem cadit sub censura Extravagantis *Ambitiosae*, nec induci potest, nisi ex necessitate vel utilitate Ecclesiae *in Senogallien. Permutationis die 20 Februarii 1802* §. *Obstare* (1).

98. Idcirco, absque Beneplacito Apostolico, subiici nequit Ecclesia servituti transitus *in Senogallien. Permutationis die 20 Februarii 1802* §. *Obstare.*

99. Ac multo minus fieri potest aedificatio in solo Ecclesiae, absque Beneplacito Apostolico *in Asculana Beneplaciti Apostolici die 10 Maii 1755* §. *Homines.*

100. At legitime censetur facta aedificatio in solo Ecclesiae de consensu Rectoris, sed absque Beneplacito Apostolico, cum illa in eiusdem utilitatem vertat ac de re exigua agatur *in Asculana Beneplaciti Apostolici die 10 Maii 1755.*

101. Quandoquidem muris Ecclesiae Parochialis Villae Rosarae Asculanae Diaeceseos adhaerebat hortulus, qui, usibus Parochi destinatus, ad Ecclesiam ipsam spectabat. Huic hortulo, facta inter Parochum et Homines Villae conventione, impositum fuit ab iisdem Hominibus aedificium, duabus partibus constans (2). Quum superior pars huius aedificii ab iisdem Hominibus retineretur pro Monte Frumentario, Parochus Cretti anno 1750 postulavit coram Vicario Generali Asculi contra Homines dictae Villae reintegrationem ad possessionem superioris partis eiusdem aedificii, eamque obtinuit, facto prius ab eodem Vicario Generali accessu ad locum, auditisque Testibus et delineata a Peritis charta: sed Rota Maceratensis, ad quam Homines Villae provocaverant, duplici sententia revocavit Decretum Vicarii Generalis. Confugit Parochus ad Sacram Congregationem, petiitque avocationem Causae a Rota Maceratensi eiusque reassumptionem, quia haec cognitio ad Eminentissimos Patres pertinebat. Postulavit enim, ut alienatio Hortuli et aedificatio illa, defectu Beneplaciti Apostolici, nulla atque irrita declararetur.

102. Proposito vero dubio: - An aedificatio facta in solo Ecclesiae fuerit legitime facta, absque Beneplacito Apostolico in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative, et amplius - *in Asculana Beneplaciti Apostolici die 10 Maii et die 2 Augusti 1755.*

103. Ac eo vel magis id edicendum, si Ecclesia contractum per Rectorem initum probaverit; namque Rectoris arbitrio permittendum nullo modo videtur, ut assensum revocet et contractum intercipiat, quem necessarium vel certe evidenter utilem Ecclesia agnovit, ac declaravit *in Sutrina Emphytheusis die 29 Maii 1824* §. *Nihil notius.*

104. Hinc traditum est iamdiu, quod contractus alienationis rei Ecclesiae fit nomine Ecclesiae et sic transit obligatio in Successorem, quodque non sit locus recessui a contra-

(1) Card. De Luc. de Servitut. disc. 18, n. 8; Corrad. in prax. dispens. lib. 9, cap. 4, n. 15; Monacell. in Form. Legal. tit. 5, formul. 15, n. 20.

(2) Conventio haec reperiebatur manu Parochi scripta in libris Baptismatum his verbis, ut in §. *Muris* - ibi - 1704 fu fatta la fabbrica dietro la Chiesa dalle compagnie con patto, che sotto debba servire per loro, e di sopra per il Curato con pagargli il tetto, e fare il pianconato a loro spese, quando se ne vorrà servire, e nello stesso tempo a spese delle dette Compagnie fu rialzata la muraglia -.

*

ctu per Successorem, obtento Beneplacito in vita Antecessoris, etiamsi non fuisset illud praesentatum Delegato *in Sutrina Emphytheusis die 29 Maii 1824* §. *Nihil notius* (1).

105. Imo, si Beneplacitum Executor errasset et novum idcirco Beneplacitum exquiri vel debuisset vel voluisset, impetrato novo Beneplacito, non requiritur novus consensus Rectoris; quia semper urget, quod verificata solemnitate et utilitate, consensus primus sufficiat, quia concurrunt omnia extrema *in Sutrina Emphytheusis die 29 Maii 1824* §. *Nihil notius* (2).

106. Contractus quippe de bonis ecclesiasticis, non Rectoris, cui nulla est alienandi facultas et cuius nullum est dominium, sed Ecclesiae nomine initur *in Sutrina Emphytheusis die 29 Maii 1824* §. *Nihil notius* (3).

107. Compertum hinc est, quod quaelibet bonorum Ecclesiae aut Beneficii interdicta est alienatio in Extrav. *Ambitiosae* de rebus Ecclesiae non alienandis *in Lauretana Nullitatis Contractus die 30 Augusti 1788* §. *Domus.*

108. Quod enim per canonicam erectionem profanum erat, fit sacrum, Deoque perpetuo dicatur *in Neapolitana Beneplaciti Apostolici die 21 Septembris 1822* §. *Res.*

Item *in Pisana die 30 Augusti 1851* §. *Cum super; in Pinnen. Beneficii et Iurispatronatus die 28 Aprilis 1860* §. *Auctoritatis* (4).

109. Res proinde sacrae et religiosae, utpote specialiter Deo dicatae, non sunt in commercio nec pignorari, nec emi, nec vendi possunt *in Pisana die 30 Augusti 1851* §. *Cum super.*

110. Huiusmodi autem prohibitio respicit, tam immobilia, quam mobilia pretiosa *in Senogallien. die 10 Februarii 1770* §. *Huiusmodi.*

111. Nomine vero immobilium veniunt omnia, quae loco moveri non possunt, ut praedia domus, agri, et similia *in Senogallien. die 10 Februarii 1770* §. *Huiusmodi.*

112. Nec non census et annui reditus, iura, actiones, et servitutes *ia Senogallien. die 10 Februarii 1770* §. *Huiusmodi.*

113. Siquidem in Clementina *Exivi* (5) ita cautum habetur: - Annui reditus inter immobilia censentur a iure - *in Romana die 16 Augusti 1806* §. *VI dubium.*

114. Praeterea in Constitutione Benedicti XIV incipien. *Universalis Ecclesiae,* et clarius in Concilio Tridentino sess. 22 Cap. 11 de reformatione fructus etiam cuiusque Loci Pii quocumque quaesito colore usurpantes et in suos usus convertentes, iisdem perpetui interdicti poenis, contra alienantes Ecclesiae bona latis, subiiciuntur, donec restituerint *in Romana die 16 Augusti 1806* §. *Non est ergo.*

115. Iustis vero de causis absolutionem dispensationem et condonationem concessit Sacra Congregatio *in Romana die 16 Augusti 1806.*

116. Enimvero proposita instantia est a Capitulo S. Hieronymi Illyricorum, ut probarentur ea, quae ipsum retroactis annis gessit atque decrevit, circa administrationem reditum Congregationis Illyricae. Inter alia agebatur de censuris per Capitulares incursis, sive ob male gestam Loci Pii administrationem, largitionibus sibimetipsis adsignatis, sive ob perceptos reditus vacantium Beneficiorum Sacrario debitas, et de contracta irregularitate, ob non intermissam celebrationem. Namque, ut in insolitos erogarentur sumptus, implorandum fuisset Apostolicum Indultum. Verum Oratores per abusum administrationis, quam gerebant, nedum in insolitas erogarunt impensas, sed imo conspicuas sibimet ex Loci Pii reditibus largitiones decretas, nec obtenta nec reservata venia Apostolica in parte exegerunt, suosque in usus erogarunt. Itaque in poenas atque censuras, contra alienantes Ecclesiae bona inflictas, Capitulares ob usurpatum Sacrarii censum inciderunt. Nam transactio et confirmatorium S. M. Pii VI Breve hoc imperabat, ut reditus vacantium Capitularium Sacrario cederent, si Capitulum intra octiduum Sacerdotes eorum supplendo servitio non substituerit. Iamdiu duo vacabant Beneficia: Capitulares pro his Sacerdotes licet non subrogarint, reditus illorum ad Sacrarium spectantes sibi diviserunt.

117. Ceterum Eminentissimus Visitator haec

(1) Card. Petra in Com. ad Constit. Pauli II *Ambitiosae,* Sect. 5, n. 38, tom. 5.
(2) Card. Petra loc. cit. n. 71 in fin.
(3) De Luc. ad Decis. 163 Franch. n. 6, et ad Gratian. discept. 514, n. 7.
(4) Lotter. de re benef. lib. 1, quaest. 5, n. 14; Rot. in Pampilonen. Capellaniae 25 Maii 1646, n. 30, coram Corrado.
(5) Tit. de verb. signif. §. Cumque.

quoad absolutionem dispensationem et condonationem in medium protulit: – Ad gratiam facit error forte eorum animis irreptus, quod nimirum crediderint, non incidisse in censuras, ex quo capitalia non distraxerint, ignorantes par ius de reditibus dictum, et quoad non impletam pro vacantibus Beneficiis Sacerdotum subrogationem, forte putarunt, sibimetipsis reditus tribui posse, qui vacantium vices supplebant, vel ita saltem sentiendum, donec declaratoria Iudicis aliter decerneret. Hinc prosequutum exercitium Ordinis, non a spretu censurarum, sed potius ab huiusmodi errore repetendum. Spectanda quoque sunt publicarum perturbationum tempora, quibus prima Decreta in sui favorem tulerunt, et rei familiaris angustiae, inter quas versabantur post reditum ad residentiam, quo tempore novissime edita sunt. His ita excusari circumstantiis censeo, ut pro utraque gratia absolutionis et dispensationis indulgentiam summi Pontificis mereantur.

118. Ex praemissa tamen Sacrorum Canonum disciplina ab huiusmodi gratia inseparabilis esset conditio restituendi, tam Loco Pio seu Illyricae Congregationi, quam Sacrario, quidquid iniuste ex illorum reditu perceperunt. Hinc ad Sacrarii reintegrationem nedum Oratores tenentur ob hactenus neglectam subrogationem Sacerdotum, duobus vacantibus Capitularibus, sed imo inhabiles declarandi forent, hac durante vacatione, ad eorumdem lucrandos reditus, etiamsi deinceps substitutos nominarent; hoc enim ius caducitatis favore Sacrarii ex transactione et Piani Brevis litera resultat, hoc agnoscentes Capitulares, ideo oblatis precibus condonationem, quoad praeteritum et futurum adstipulari flagitant.

119. Huic vero gratiae obstat recitata transactio et Pianum Breve, quibus volitum, ut in casu neglectae subrogationis ultra octo dierum lapsum, ab Eminentissimo Titulari aut Protectore cogatur Capitulum ad eam explendam, salvo semper iure Sacristiae, pro perceptione portionis absentis aut vacantis Beneficii. Obstat indigentia sacrarum Supellectilium, quae Collegiatae Sacrario erepta sunt in novissima temporum calamitate, unde vix hodie iis praestat, quae ad divinum Ecclesiae servitium sunt necessaria; et demum obstant Nationalis Congregationis angustiae, quae cum multo aere alieno sit obaerata, impar proinde est sumptui ad sacras supellectiles reficiendas.

120. Imploratae nihilominus condonationis favore, illud adverti posset, quod Sacrarium pro diurna officiatura est decenter et necessaria supellectile instructum, quodque si Congregatio, cui eius manutentionis onus incumbit, nunc supplere nequit sumptibus ad pretiosores pro solemnioribus functionibus comparandas, perpetua non erit haec eius conditio; sperandum immo, ut post non plurium annorum decursum, praesenti retenta oeconomia, splendide huic satisfacere queat oneri: interim satis est, ut ordinariam praestet manutentionem. Transactio vero et Pianum Breve non ex pacto, sed in poenam neglectae subrogationis portionem vacantis Beneficii, iam inservientibus Capitularibus adiudicatam, in Sacrarium defert. Exploratum autem in iure est, ut quaevis causa etiam irrationabilis ad vitandam poenam sufficiat, plures vero adductas a Capitularibus audivimus. Gratia condonationis eo magis digni videntur Oratores, quoniam plerique ob novissimas temporis aerumnas vel ob pessumdatam rei domesticae administrationem multo premuntur aere alieno, quod spem restitutionis eludit. Ex his excitanda videtur Sanctissimi commiseratio ad indulgendam cum absolutione et dispensatione perceptorum simul redituum quoad praeteritum condonationem et ad percipiendos quoad futurum decurrendos, pro praedictis duobus Beneficiis rehabilitationem, ea lege tamen, ut intra octiduum in transactione praefinitum, capitulares vacantibus duobus Beneficiis totidem Sacerdotes substituere teneantur. Ideo rescriberem: *Affirmative, deputatis infra octo dies Sacerdotibus supplementariis.*

121. Proposito hinc dubio: – VI. An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione dispensatione et condonatione in casu etc. –, S. Congregatio responsum dedit: – Ad sextum, Affirmative in omnibus; iuxta votum Eminentissimi Visitatoris et Relatoris – *in Romana die 16 Augusti 1806.*

122. Nomine autem pretiosorum mobilium comprehenduntur vasa argentea, pretiosa supellectilia, insignes Sanctorum reliquiae, armenta, nec non arbores frugiferae, quarum incisio gravem praedio deteriorationem inferat *in Senogallien. die 10 Februarii 1770* §. *Huiusmodi.*

123. Siquidem armenta inter res enumerantur, quae absque solemniis alienari non possunt, tradunt omnes ecclesiastici iuris Interpretes *in Compsana Caducitatis die 2 Augusti 1845 §. In exhibita* (1).

124. Hinc hucusque exposita doctrina non tantum valet in rebus immobilibus, verum etiam in iis, quae solo adhaerent, idest arbores *in Capuana die 15 Iulii 1848 §. Huic* (2).

125. Explorati propterea iuris est, arbores sine Solemnitatibus et Beneplacito Apostolico caedi ac vendi non posse, quando incisio et venditio magnam illarum quantitatem comprehendat, cum notabili fundi deterioratione *in Senogallien. die 10 Februarii 1770 §. Vulgatum.*

126. Nec non quando arbores non sint caeduae, sed annuum fructum reddant, ut poma, nuces, castaneae, olivae, aliaeque huiuscemodi, ex quarum incisione notabiliter fundus deterior evadat *in Senogallien. die 10 Februarii 1770 §. Vulgatum* (3).

127. Populorum arbores infructuosae haud inter ea numerari videntur, quae pretiosa sunt, sed potius iis accensenda, quae servando servari nequeunt, ac nullam aliam Domino afferunt utilitatem, nisi pretium ex venditione proveniens *in Capuana die 15 Iulii 1848 §. Neque minus.*

128. Hinc in harum rerum distractione non exigi videntur solemnia iuris, si doctrina in Extrav. *Ambitiosae* contenta, necnon a sacrorum Canonum Expositoribus tradita, inspiciatur *in Capuana die 15 Iulii 1848 §. Neque minus* (4).

129. Verum Sacra Congregatio *in Papien. Incisionis Arborum die 15 Martii 1710*, in qua res erat de arboribus populeis, quas dicunt *pioppi*, quae, etsi non essent caeduae, nihilominus tamquam inutiles sola Vicarii Generalis auctoritate caesae fuerant, cum disputatum fuisset: - I. An subsistat licentia pro incisione arborum data. *Et quatenus negative.* - II. An teneatur Canonicus Mombellus ad restitutionem pretii dictarum arborum incisarum - responsum prodiit: - Ad primum, Negative. Ad secundum, Affirmative ad effectum investiendi in stabilibus, pro Beneficio - *in Senogallien. die 10 Februarii 1770 §. Verum.*

130. Praesertim, si ipsae nullum afferre damnum fundo possint, neque necessitas urgeat recidendi populos, qua timeri nequit, ne proprio pondere ob vetustatem ruant *in Capuana die 15 Iulii 1848 §. Neque pariter.*

131. Cum enim nondum maturi sint, volvente tempore, maiores proventus reddere possunt *in Capuana die 15 Iulii 1748 §. Neque pariter.*

132. Hinc non facile Sacra Congregatio eiusmodi arborum incisionem concedere solet ceu videre est in Senogallien. die 9 Decembris 1651, in qua Canonicus, cui onus inerat reparandi ex fructibus Canonicatus domum canonicalem, nihilominus petierat arborum incisionem, respondit: - Incisionem arborum petitam pro reparanda domo canonicali non esse concedendam - *in Senogallien. die 10 Februarii 1770 §. Sacra.*

133. Certum tamen est, etiam sine Apostolico Beneplacito fieri posse incisionem arborum, vel quando sunt vetustae ac inutiles, vel quando sunt nimis densae et opacae, cum densitas et opacitas seu umbra noceat, vel quando primario sunt ad caedendum destinatae *in Senogallien. die 10 Februarii 1770 §. Vulgatum.*

134. Hinc in una Viterbien. die 14 Ianuarii 1679 proposito dubio: - An in alienatione arborum silvae destinatae ad caedendum requiratur Beneplacitum Apostolicum -, Sacra Congregatio respondit: - Negative - *in Senogallien. die 10 Februarii 1770 §. Vulgatum.*

135. Immo necessaria omnino esse videtur arborum incisio, quas Peritus infrugiferas, inutiles, et damnosas retulit, et quarum copia, huc illuc per agros dispersa, nullam affert utilitatem, immo praediis nocet *in Senogallien. die 10 Februarii 1770 §. Inquit.*

136. Ipsarum proinde incisio permitti solet,

(1) Praesertim Molin. tract. de iust. d. 65, n. 4; Barbos. lib. 3 iur. eccles. cap. 30, n. 44; Pal. pag. 15, §. 1, n. 3; Wag. in Extrav. *Ambitiosae* 5 de fructibus, not. 1; Tamburin. de iur. Abbat. tom. 3, decis. 13, n. 13 et 41; Gibalin. art. 1, n. 10; Konig. n. 9; Wiest. n. 29; Schmalzgrueb. Ius Eccles. univers. part. 1, tit. 13, n. 34.

(2) Ricc. in prax. alienation. rerum Eccles. resol. 50, n. 1 et seqq.

(3) Barbos. in Concil. Trid. sess. 22, cap. 11 de reform.; Rot. in Decis. 553, n. 1, part. 2 Recent.

(4) Schmier de iur. Canon. lib. 3, tract. 1, part. 2, cap. 4, sect. 2, §. 2; Card. De Luc. de alienat. disc. 1, n. 26; Rot. in decis. 63, n. 1, part. 2, tom. 2 Recent.

etiamsi Testatoris praeceptum obstaret *in Senogallien. die 10 Februarii 1770* §. *Inquit* (1).

137. Praesertim, quando earum pretium non in Beneficiati commodum cedit, sed erogatur in ipsius Ecclesiae utilitatem, et in eam causam, cui aliunde provideri non possit *in Senogallien. die 10 Februarii 1770* §. *Inquit*.

138. Et eo vel magis, si petitae incisioni assensum praebeant Episcopus omnesque interesse habentes *in Senogallien. die 10 Februarii 1770* §. *Advertit*.

139. Quin obstet dissensus, qui non sit legitimus Contradictor *in Senogallien. die 10 Februarii 1770* §. *Advertit* (2).

140. Hinc censura Extravagantis *Ambitiosae* extenditur etiam ultra alienationes, de quibus in litera eiusdem Constitutionis agitur *in Romana Beneplaciti die 24 Novembris 1804* §. *Quamquam*.

Item *in Fanen. Transactionis die 27 Aprilis 1816* §. *Censura* (3).

141. Nam nefas habetur, sine venia Apostolica, celebrare Contractus omnes, in quibus Ecclesia laesionem ferre possit *in Romana Beneplaciti die 24 Novembris 1804* §. *Quamquam*.

Item *in Fanen. Transactionis die 27 Aprilis 1816* §. *Censura* (4).

142. Quilibet sane Contractus, qui speciem alienationis rerum Ecclesiasticarum praeseferat, nullius est roboris, nisi Sedis Apostolicae aut Episcopi, prout rei alienandae postulaverit valor, intercesserit auctoritas *in Pisauren. Alienationis die 18 Augusti 1827* §. *Si Emi*.

143. Emphytheusis propterea alienationem sapit, et sub censura venit Extravagantis Ambitiosae *in Tudertina Emphytheusis die 22 Iulii 1815* §. *Sane*.

Item *in Fesulana die 19 Aprilis 1823* §. *Notissima*.

144. Emphytheusis quippe utilis dominii translationem secumfert *in Fesulana die 19 Aprilis 1823* §. *Notissima* (5).

145. Praesertim emphytheusis perpetua, quae alienationi, communi Doctorum sententia, aequiparatur *in Vercellen. Emphytheusis et Absolutionis die 13 Februarii 1819* §. *Agitur*.

146. Quae propterea expressim prohibita est a Concilio Romano *in Vercellen. Emphytheusis et Absolutionis die 13 Februarii 1819* §. *Agitur* (6).

147. Hinc alienatio bonorum, per contractum emphytheusis perpetuae, absque Beneplacito Apostolico, nulla ac irrita omnino censenda est *in Ferrarien. die 15 Septembris 1787* §. *Nullam*.

148. Verum in Extrav. *Ambitiosae* de rebus Ecclesiae non alienandis, in qua universae bonorum Ecclesiae alienationes sine Beneplacito Apostolico prohibentur, limitatio habetur, scilicet praeterquam de rebus et bonis in emphytheusim ab antiquo concedi solitis *in Faventina Emphytheusis die 17 Augusti 1787* §. *Ad protuendum*.

Item *in Terracinen. et Setina die 23 Ianuarii 1790* §. *Hinc* (7).

149. Quamvis autem ad constituendum huiusmodi solitum duae saltem requirantur emphyteuticae concessiones per quadraginta annos observatae *in Faventina Emphytheusis die 18 Augusti 1787* §. *Ad protuendum* (8).

150. Hoc tamen procedit in minus solemnibus investituris; nam una omnino sufficit, si cum Beneplacito Apostolico expleta fuerit *in Faventina Emphytheusis die 18 Augusti 1787* §. *Ad protuendum* (9).

151. Neque beneplacitum Apostolicum requiritur, cum agatur de Emphytheusi activa, quae acquisitio est, non abdicatio dominii, per Extravagantem *Ambitiosae* interdicta *in Terracinen. et Setina die 23 Ianuarii 1790* §. *Hinc* (10).

(1) Rot. in Ravennaten. Iuris lignandi quoad Pineta magna 17 Ianuarii 1755, §. 13, coram Card. Bussio.

(2) Cetera vid. in Verb. *Arborum incisio*.

(3) Redoan. de reb. Eccles. non alienan. rub. 1, Can. 27, n. 14; Leuren. ius canon. lib. 3, tit. 13, quaest. 142.

(4) Rot. in decis. 235, n. 7, part. 17 Recent.

(5) Redoan. de reb. Eccles. alien. vel non, rubr. 1, cap. 47, n. 14; Azor. part. 2, lib. 9, cap. 1, quaest. 2.

(6) In tit. 19, n. 10.

(7) Quam limitationem exornant Piton. in discept. Eccles. 131, n. 23; Fulgin. de contract. Emphyth. quaest. 9, n. 1.

(8) Card. Petra ad Constit. Pauli II *Ambitiosae*, sect. 2, n. 52, 53, tom. 5.

(9) Card. De Luc. de emphyth. disc. 53, n. 7; Fulgin. de contract. emphyth. quaest. 9, n. 2; Piton. discept. Eccles. 153, n. 2.

(10) Navarr. in Comment. tit. de alienat. rer. Eccles. in princ. n. 1; Piton. discept. Eccles. 102, n. 33; Rot. in decis. 415, num. 1.

Cetera vid. in Verb. *Emphytheusis*.

152. Ceterum indubii iuris est, alienationis nomine, locationem et conductionem ultra triennium, in fundis nimirum, ex quibus fructus quolibet anno percipiantur, comprehendi ex Cap. 5, de rebus Ecclesiae alienandis vel non *in Portuen. Affictus die 21 Februarii 1818* §. *Haec.*

153. Compertum propterea est apud omnes, quod locatio bonorum Ecclesiae ultra triennium fieri non potest, inconsulta Sede Apostolica *in Romana Beneplaciti die 24 Novembris 1804* §. *At contractus.*

Item *in Compsana Caducitatis die 2 Augusti 1845* §. *Quod si* (1).

154. Nisi agatur de fundo ultra triennium locari solito *in Romana Beneplaciti die 24 Novembris 1804* §. *At contractus* (2).

155. Solitum autem huiusmodi probari debet, aut per unam solemnem locationem ad novennium, vel per alias non solemnes, per annos saltem quadraginta observatas *in Romana Beneplaciti die 24 Novembris 1804* §. *At contractus* (3).

156. Quare, si non constat, fundum locari consuevisse ad novennium, profecto ex hoc videtur infectus contractus, quod, nullo intercedente vel reservato Beneplacito Apostolico, fundus ad novennium locatus sit *in Romana Beneplaciti die 24 Novembris 1804* §. *At contractus.*

157. Conventio autem prosequendi affictum de triennio in triennium, si adiecta dicatur, ut servaretur locatio usque ad exitum novennii, tunc reincideret in casum, a quo incipere non poterat, nimirum in novennalem affictum, qui sine Beneplacito Apostolico nequit stipulari *in Nullius Farfen. die 30 Maii 1818* §. *At vero.*

158. Sane hae clausulae de triennio in triennium consentur appositae ad eludendam censuram Clementinae Constitutionis, quae, iis non obstantibus, suas exerit vires, ut irrita ac illicita habeatur locatio *in Nullius Farfen. die 30 Maii 1818* §. *At vero* (4).

159. Sub censuram quoque Extravagantis *Ambitiosae* cadere videtur locatio ad tempus indefinitum stipulata *in Compsana Caducitatis die 2 Augusti 1845* §. *Quod si.*

160. Verum, cum nihil depactum fuerit circa tempus, quo duratura foret locatio, praesumitur ad annum *in Compsana Caducitatis die 2 Augusti 1845* §. *Quod si huiusce* (5).

161. Hinc nedum alienatio interdicitur absque Apostolica venia, sed etiam renovatio ac prorogatio alienationis alias peractae, non intercedente Apostolico Beneplacito *in Anconitana Nullitatis Contractus die 6 Maii 1820* §. *Nullitatem* (6).

162. Opus tamen non est Beneplacito Apostolico, si non sit renovatio contractus, sed tantum eiusdem continuatio *in Anconitana Nullitatis Contractus die 6 Maii 1820* §. *Nullitatem* (7).

163. Si vero nova ac diversa statuantur pacta alienationis contractus; dici nequit continuatus, sed renovatus *in Anconitana Nullitatis Contractus die 6 Maii 1820* §. *Nullitatem* (8).

164. Praeterea, cessio remissio transactio speciem praeseferunt alienationis *in Perusina Transactionis die 20 Decembris 1823* §. *Ecclesiae.*

165. Onerosam enim continent inter Partes conventionem *in Perusina Transactionis die 20 Decembris 1823* §. *Ecclesiae.*

166. Fit ideo, ut, quemadmodum alienatio, ita cessio, remissio, transactio, de iuribus ac rebus in Pias Causas erogandis, vetita sit, nisi intercedat Beneplacitum Apostolicum *in Perusina Transactionis die 20 Decembris 1823* §. *Ecclesiae.*

167. Idcirco contractus Transactionis, absque Beneplacito Apostolico initus, manifesto nulli-

(1) Id quod eruitur ex ipsa Extrav. *Ambitiosae*, teste Louvrex dissert. Canon. 13, n. 71; Rot. in decis. 134, n. 3 et 4, coram Molin.

(2) Rot. in decis. 628, n. 3, part. 19 Recent.

(3) Rot. in decis. 252, n. 10, part. 7 Recent.

(4) Barbos. de potest. Episcop. Allegat. 95, n. 17; Pacion. de locat. et conduct. Cap. 14, §. 2, n. 1 et 2; Rot. in decis. 474, n. 5, tom. 2, part. 13 Recent.

(5) Montan. de tutor. etc. Cap. 33, n. 417; Pacion. de locat. et conduct. Cap. 4, n. 23; Soccin. Cons. 25, lib. 2.

(6) Urbanus VIII in Constit. quae incipit: *Humanae salutis.*

(7) Pichler in Ius Canon. lib. 3, tit. 13, n. 16; Card. Petra ad Constit. Apostol. tom. 5, pag. 423, n. 54.

(8) Cetera vid. in Verb. *Contractus.*

tatis vitio laborat *in Novarien. Transactionis die 20 Ianuarii 1821 §. Porro.*

Item *in Perusina Transactionis die 20 Decembris 1823 §. Transactionis; in Faventina Beneplaciti Apostolici die 21 Ianuarii 1826 §. Quaestio* (1).

168. Amplia, etiamsi Transactio ineatur super bonis, ad Sodalitium, auctoritate Episcopi erectum, spectantibus *in Faventina Beneplaciti Apostolici die 21 Ianuarii 1826 §. Quaestio.*

169. Huiusmodi enim bona, quamvis a Laicis administrata, inter Ecclesiastica, nempe Ecclesiae et Piis Operibus dicata, sunt recensenda *in Faventina Beneplaciti Apostolici die 21 Ianuarii 1826 §. Quaestio* (2).

170. Hinc Sodalitium, auctoritate Ordinarii erectum, alienare nequit bona stabilia, absque Beneplacito Apostolico *in Viterbien. Legati die 8 Augusti 1767 §. Spernendam.*

Item *in Nullius Nonantulae Subsidiorum Dotalium die 6 Maii 1797 §. Quod Abbas* (3).

171. Nec defectum huius Beneplaciti Apostolici sanare valet approbatio Transactionis Ministri DEL CULTO *in Faventina Transactionis die 21 Ianuarii 1826 §. Quaestio.*

172. Iusta tamen causa, necessitate scilicet, vel utilitate interveniente, concedi solet sanatio, et Beneplacitum Apostolicum suppletur *in Perusina Transactionis die 20 Decembris 1823 §. Transactionis* (4).

173. Hinc et permutatio sapit alienationem, et sub censura Extravagantis *Ambitiosae* venit *in Feretrana Permutationis die 16 Februarii 1805 §. Postulatur.*

Item *in Aesina Permutationis die 6 Augusti 1808 §. Permutatio; in Alatrina Translationis et Permutationis die 3 Iulii 1819 §. Agitur* (5).

174. Nemini propterea dubium, inter alienationes lato modo sumptas recenseri Permutationes *in Alatrina Translationis et Permutationis die 3 Iulii 1819 §. Agitur.*

175. Ex ipsa enim natura contractus Permutationis est, ut aeque bonum vicissim tribuatur *in Faventina Permutationis die 19 Ianuarii 1805 §. Ex ipsa.*

176. Praesertim, cum inter Ecclesias agatur, quae, si non in lucro inter se, in damnum certe minime esse debent *in Faventina Permutationis die 19 Ianuarii 1805 §. Ex ipsa* (6).

177. Concurrentibus hinc iustis causis, Sacra Congregatio facultatem vendendi bona, pro Capellae et Capellaniae erectione assignata, et permutationem cum acquirendis passim indulget *in Alatrina Translationis et Permutationis die 31 Iulii 1819.*

178. Siquidem, antequam Angela Valeri Loci Vici Alatrina Diaecesis ad secundas nuptias convolaret foedusque coniugale iniret cum Nicolao Antonucci eiusdem Oppidi laicalem in Ecclesia Parochiali S. Mariae Rosarii fundavit, sub invocatione Sanctarum Marthae et Magdalenae, Capellam et Capellaniam, intuitu secundi huiusce ineundi Matrimonii. Pro dote Capellae et Capellaniae assignavit singula bona stabilia dumtaxat, quae sibi ex Parentum et Avunculi hereditate obvenerant, quorum tamen usumfructum, donec viveret, sibi retinuit: post suam verum mortem legavit suo Viro Nicolao Antonucci, huiusque fratribus Ignatio Carolo et Iacobo, eorumque ex linea descendentibus. Post plures annos vero, nondum erecta Capellania, Privernium transtulerunt lares Elisabeth Antonucci et Ioseph Tomeucci, reique familiaris causa excogitarunt alienare omnia bona sive hereditaria sive dotalia, quae in Oppido Vici possidebat, summamque ex venditione retrahendam impendere Privernii, in emptionem bonorum defuncti Marchionis Mosca Pisaurensis. Inter bona alienanda etiam ea, quae Capellaniae dotem constituebant, recensebantur.

179. Haud itaque immemores hypothecae bonorum Legatis Piis obnoxiorum, quae in tertios extraneosque Possessores transit, expostu-

(1) Urceol. de transact. quaest. 6, n. 2; Gratian. discept. 674, n. 14 et 15; S. Congregatio in Mileten. 19 Februarii 1701.

(2) Cap. *Ad haec* 5 de Relig. domib.; ibique Glossa; Rot. in Faventina Nullitatis Transactionis 17 Februarii 1823, inter impressas decis. 122, n. 2, coram Gamberini.

(3) Abbas in Cap. *Nulli* 5, n. 14 de reb. Eccles. non alienan. Redoan. de reb. Eccles. non alienan. rubr. an appellatione rei ecclesiasticae veniant Loca Pia, n.1 ad 6, pag. 230; Guttier. quaest. Canon. l. 1, cap. 35, n. 33; Sperell. decis. 135, n. 3; Panimoll. decis. 12, n. 33; Rot. in decis. 502, n. 2, coram Bichio.

(4) Thesaur. quaest. foren. 37, n. 2, lib. 3; Menoch. Consil. 134, n. 34 et 35; Rot. in decis. 16, n. 3, part. 7 Recent. Cetera vid. in Verb. *Transactio.*

(5) Card. De Luc. de alienation disc. 16, n. 7; Card. Petra in Comment. ad Constit. Apost. tom. 1, pag. 157, n. 18.

(6) Card. De Luc. de alienat. disc. 11, n. 7.

larunt a Sacra Congregatione, ut ipsis facultas fieret bona, quae Vici extabant, libere alienandi ac vicissim subrogandi, ex acquirendis bonis ad hereditatem Mosca spectantibus, vel unum vel plura praedia, prout aequum Eminentissimis Patribus videretur, pro dote Capellaniae. Cumque praeterea Capella a Fundatrice praescripta, ob fundorum tenuitatem nunquam fuerat erecta, postularunt, ut celebratio Missarum ex Ecclesia S. Mariae Rosarii Oppidi Vici transferri possit ad alterutram ex Capellis iurispatronatus Familiae Tomeucci, Privernii existentibus, quarum una extructa erat in Cathedrali Ecclesia, sub invocatione B. M. V. Lauretanae, altera in Collegiata, sub titulo SS. Petri et Pauli.

180. Sicut vero alienationes huiusmodi prohibentur a pluribus Conciliorum Decretis et Sanctorum Pontificum Constitutionibus, nec nisi Ecclesiae utilitate et rationabili causa concurrentibus permittuntur, idem certe dicendum est de permutationibus. At rationabilis causa deducebatur ex domicilio Oratorum Privernii et existentia bonorum Vici, in quorum proinde melioramentum et culturam difficilius illi incumbere poterant. Dum interea nec voluntas Testatricis obstare videbatur, Episcopus Alatrinus et Parochus assensum praebebant.

181. Propositis hinc dubiis: -I. An et quomodo sit concedenda venditio bonorum Capellaniae SS. Marthae et Magdalenae et permutatio cum bonis acquirendis ex hereditate Mosca in casu etc.

II. An sit concedenda translatio Missarum in casu etc. *Et quatenus negative.*

III. An et quomodo sint cogendi Oratores ad extructionem Capellae in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative ad utramque partem, constituto capitali pro dote Capellaniae in bonis acquirendis, in summa scutorum quingentum cum solitis cautelis. Ad secundum, Affirmative ad alteram ex Capellis iurispatronatus Familiae Tomeucci, arbitrio Episcopi Privernensis. Ad tertium, Negative; sed cogendos esse Oratores ad erectionem Iconis SS. Marthae et Magdalenae in Altari designando, ut in secundo dubio, et addito onere celebrandi quotannis unam Missam lectam in festo Sanctae Marthae, et alteram in festo Sanctae Mariae Magdalenae, facto verbo cum Sanctissimo - *in Alatrina Translationis et Permutationis die 31 Iulii 1819.*

182. Imo Sacra Congregatio iustis de causis etiam durioribus in casibus huiusmodi Permutationes permittit *in Aesina Permutationis die 6 Augusti 1808.*

183. Enimvero Sacra Aedicula divo Blasio dicata in Oppido Maiolati pertinebat ad paternatum Familiarum Mancia. Vetustate iam fatiscens et terraemotu labefactata in eo erat statu, ut cl. me. Cardinalis De Pretis Episcopus Aesinus onera Missarum, quae in ea Ecclesia a patronis Mancia erant implenda, transtulerit ad altare maius (cuius patronatu fruebantur aeque Familiae Mancia) proximae Ecclesiae S. Annae, quae filialis erat Ecclesiae Parochialis. Sed mense Decembri anni 1806 luctantes per turbinem venti, excusserunt turrim campanariam Ecclesiae S. Blasii, quae, supra ipsam concidens Ecclesiam, tectum praecipitem deiecit et muros quassit. Factum hinc est, ut necesse esset, Ecclesiam illam S. Blasii a fundamentis excitare, cum restaurari nullo modo posset, atque pro hac reaedificatione necessaria esset ex iudicio Peritorum expensa scutorum 189, 15.

184. Quam autem expensam quum ferre non possent familiae Mancia egerunt cum Parocho Maiolati de Permutatione ineunda; scilicet, ut Familiae Mancia darent Parocho coementa et solum ruinosae Aediculae S. Blasii, quae omnia a Perito aestimata fuerant scuta 42, 76, nec non adnexam domunculam valoris scutorum 45, 43, quae cum graveretur onere Missarum quatuordecim in annos singulos, onus in se suscipiebat Franciscus Mancia ex Patronis alter, Missarumque celebrationem suo sumptu curaturum promisit. Parochus vero abdicare et cedere debebat omnia iura, reservatis tamen Parochialibus, quae habebat super Ecclesia S. Annae, ita ut haec in patronatum Familiarum Mancia transirent. Ut rite haec fieri et stipulari posset veniam Apostolicam implorarunt familiae Mancia.

185. Verum in proposita specie cum in Permutationem veniret ipsa Ecclesia S. Annae, non tam de utilitate permutationis quaerendum erat, quam num iure fieri permutatio posset. Etenim Parochus cedebat iura, quae habebat super Ecclesiam, Parochialibus exceptis, atque ipsam Ecclesiam. Haec vero omnia habent spiritualitatem adnexam, ut proinde in commercio esse non possint, nec procul a simonia

permutari, quemadmodum iuspatronatus certo convento pretio vendi non potest. Neque ad rem faciebat, quod Ecclesia S. Annae cum altera S. Blasii permutabatur, itaut nullum intercederet pretium, quod simoniaca labe permutationem coinquinaret. Non enim Ecclesia S. Blasii permutabatur cum altera S. Annae, sed illius coementa et area una cum domo adnexa pretio aestimata cum hac permutabatur, ut propterea si non verbis, re tamen ipsa, pretium interveniret.

186. Ceterum nulla inficitur simonia permutatio, quae ut licite iniri posset, Apostolica postulabatur venia. Inquirendum potius erat, an iustae concurrerent causae, ut permutatio cum pactis conditionibus probaretur. Causas vero desumptas ex paupertate Patronorum et utilitate Parochi nec non ex nullo Populi damno, cum iam pluribus ab illinc annis Aedicula labefactata clausa et deserta maneret, iustas in themate censuit Sacra Congregatio. Unde proposito dubio: - An et quomodo sit probanda permutatio, ita ut sit concedendum Beneplacitum in casu etc. -, responsum dedit: - Affirmative, translatis oneribus ad Ecclesiam S. Annae, et apposita Icone S. Blasii in aliquo eius Sacello, dummodo tamen valor coementorum et soli Ecclesiae demoliendae investiantur cum solitis clausulis, et cedat una cum domuncula favore Paraeciae, et per Franciscum Mancia assignetur idoneus fundus ab Episcopo approbandus, pro implemento quatuordecim Missarum, facto verbo cum Sanctissimo - *in Aesina Permutationis die 6 Augusti 1808.*

187. Itaque nec cessio seu donatio iuris nominandi ad Capellaniam mere laicalem in correspectivitatem certi pretii fieri potest *in Tudertina die 3 Iulii 1762* §. *Excipit.*

Item *in Fanen. Beneplaciti die 8 Augusti 1801* §. *Nihilominus.*

188. Etenim - cum inconveniens sit vendi iuspatronatus, quod est spiritualitati adnexum - (1); sequitur, ut nec in commercio hominum sit (2), nec procul a simonia vendi possit *in Fanen. Beneplaciti die 8 Augusti 1801* §. *Nihilominus.*

189. Quae cum aperte obtineant in iurepatronatus ecclesiastico, ita etiam porriguntur ad laicale *in Fanen. Beneplaciti die 8 Augusti 1801* §. *Nihilominus.*

190. Nam huiusmodi venditiones, si non simoniaca labe infectae, saltem tamquam illiciatae et irreligiosae ab Ecclesia reprobantur *in Tudertina die 3 Iulii 1762* §. *Excipit.*

191. Hinc nullo pacto a sancta Sede approbandae *in Tudertina die 3 Iulii 1762* §. *Excipit.*

192. Re quidem vera Sacra Congregatio *in Viterbien. Alienationis die 15 Ianuarii 1661,* in qua agebatur de cessione iuris nominandi ad Capellaniam mere laicalem facienda a Carmelitanis, favore Capituli Cathedralis in correspectivitatem certi pretii, disputatis dubiis: - I. An absque simoniae nota possit dictus contractus iniri? II. An agatur de casu, in quo per Sedem Apostolicam possit dispensari? III. An expediat, ut dispensatio concedatur -, responsum dedit: - Dispensationem non esse concedendam (3) - *in Tudertina die 3 Iulii 1762* §. *Excipit.*

193. Insuper simile Beneplacitum denegatum subinde fuit *in Neapolitana Beneplaciti die 4 Martii et 6 Maii 1690 lib. 40 Decretorum pag. 161 et 297.*

Item *in Vercellen. Beneplaciti die 27 Aprilis 1709 lib. 59 Decretorum pag. 119; in Tudertina die 3 Iulii 1762.*

194. Atque Cardinalis Petra (4) et Pitonius (5) hanc sententiam late tuentur *in Tudertina die 3 Iulii 1762* §. *Excipit.*

195. Amplia, id eo etiam in casu Sacra Congregatio denegavit, quo futuris Vocatis prospici videbatur, favorabile Episcopi votum concurrebat, atque pretium in Causam quodammodo Piam erogandum esset *in Tudertina die 3 Iulii 1762.*

196. Iamvero testamento, quod condidit anno 1757 binisque confectis codicillis, Simon Sensini de Terra Aquaspartae Tudertinae Diaecesis, fundavit Capellaniam mere laicalem in Sacello S. Iosephi, quod aere suo construxerat in Ecclesia Collegiata Sanctae Caeciliae

(1) Cap. *De iure* 16, de iurepatronat.
(2) Gloss. in Can. *Piae mentis,* Caus. 16, quaest. 6.
(3) Ceu prostat in lib. 22 Decretorum pag. 392.
(4) In Com. ad Constit. 7 Eugenii IV, n. 22, tom. 4, pag. 50
(5) In Alleg. 67, n. 37 et 38, de Controv. Patron.

eiusdem Terrae (1). Et circa ius nominandi Capellanum, quod in testamento reliquerat Iosepho Valle eiusque Filiis et Descendentibus, in eodem posteriori Codicillo addidit, quod praedictum ius nominandi pertineret dumtaxat praefato Iosepho Valle eiusque Filiis masculis, horumque defectu ad filios Caroli Sensini ac eorum Successores in infinitum (2).

197. Prole masculina carens Ioseph Valle, praefatum ius nominandi statuit cedere, praevia Sedis Apostolicae auctoritate, favore Caroli Sensini, qui obtulit eapropter scuta mille, ad effectum illa erogandi in dotationem quinque Filiarum Iosephi Valle et Catharinae Cerroni Coniugum: hac tamen adiecta lege, quod in casu molestiae inferendae a nascituris Filiis masculis Iosephi, qui, paterna cessione impugnata, obtinerent iure proprio regressum ad praedictum ius nominandi, Ioseph eiusque Hereditas tenerentur Carolo restituere solum scuta septingenta.

198. Oblatae itaque fuerunt preces Summo Pontifici, pro eiusdem faciendae cessionis approbatione; illisque remissis ad Sacram Congregationem, auditus fuit de more Episcopus, qui retulit, Filiarum statui, sive in seculo, sive in Religione, prospici non posse a Iosepho, nisi cum gravi admodum rei familiaris impendio; et ideo annuendum putaret eius precibus, ut commodius ipse suis queat consulere Filiabus. Datus praeterea fuit Curator futuris Vocatis, quo citato cum aliis interesse habentibus, Causa hinc inde expensa est.

199. Namque Iosephus Valle disputavit, indulgendam esse petitam cessionis approbationem, quia res erat de iure nominandi ad Capellaniam mere laicalem, regulis Beneficialibus non subiectam, cuius respectu simoniacae non reputantur conventiones initae privata auctoritate (3); et quia proposita cessio nullum detrimentum allatura erat nascituris Filiis masculis Iosephi, quorum iura praeservabantur, illiusque pretium erogandum in Causam quodammodo Piam dotationem filiarum Iosephi. Excepit tamen praedictus Curator, quod Filiarum dotationi accurri poterat a non inope Genitore Iosepho, quodque praeservatio iurium pro Filiis masculis, quorum ob adhuc florentem Iosephi et Catharinae aetatem non cessavit spes, neque videbatur istis profutura, ob conventam restitutionem scutorum septingentorum, neque omnium Vocatorum consuluit indemnitati, cum etiam Feminae veniant nomine Descendentium.

200. Proposito hinc dubio; - An sit locus approbationi cessionis iuris nominandi Capellanum in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Negative, et amplius - *in Tudertina die 3 Iulii 1762* (4).

201. Unde et donationes iuris nominandi, intuitu certi et determinati matrimonii, inter onerosas et correspectivas accensentur *in Sutrina Iurispatronatus die 11 Aprilis 1818* §. *Si EE. PP.*

202. Constans quippe sententia fuit S. Congregationis, ut tamquam illicitas reiiciat huiusmodi venditiones, etiamsi ageretur de cessione facta inter Coheredes, conventa inter eosdem pretii temporalis compensatione *in Neapolitana Beneplaciti die 4 Martii et 6 Maii 1760.*

203. Quin imo eas reiecit Sacra Congregatio, etsi res esset non de Capellania, auctoritate Ordinarii erecta, sed de Legato Missarum *in Vercellen. Beneplaciti die 27 Aprilis 1709.*

Item *in Fanen. Beneplaciti die 8 Augusti 1801* §. *Nihilominus.*

204. Ac eo etiam in casu easdem reiecit Sacra Congregatio, ubi pretium ex cessione retrahendum, in Causas Pias erogaretur vel in Ecclesiam *in Spoletana Capellaniae die 15 Novembris 1710.*

Item *in Fanen. Beneplaciti die 8 Augusti 1801* §. *Nihilominus.*

(1) Quod expresse in Codicillis edixit, ut in §. *Testamento* – ibi – Dichiarando altresì, e replicando essere sua Volontà, che la suddetta sua Cappellania sia mera laicale, nè possa mai l'Ordinario di Todi metterci le mani, nè in quanto all'erezione, nè in quanto all'istituzione e collazione –.

(2) Addidit quippe, ut in §. *Testamento* – ibi – Che la nomina del Cappellano della suddetta sua Cappella di S. Giuseppe l'abbino solamente esso signor Giuseppe Valle e suoi Figli maschi; e mancando questi, essa nomina cada alli Figli del signor Carlo Sensini, e loro etc. *in infinitum* –.

(3) Barbos. de iur. eccles. univers. lib. 3, cap. 1, n. 3; Gonzalez ad Reg. 8 Cancell. Gloss. 5, n. 35; Amostaz de Caus. Piis, lib. 3, cap. 2, n. 55; Piton. de Controv. Patron. Allegat. 67, n. 2.

(4) Cetera vid. Verb. *Iuspatronatus.*

205. Nil ergo dubium, quod huiusmodi donationes ac cessiones sapiant venditionem, quae a Tridentino prohibita est *in Sutrina Iurispatronatus die 11 Aprilis 1818* §. *Si EE. PP.* (1).

206. Ceterum Sacra Congregatio quandoque, attenta praesertim Patroni paupertate, huiusmodi cessionem permisit *in Fanen. Beneplaciti die 12 Septembris 1801.*

207. Iamvero orta est controversia anno 1798 inter Mariam Abbondi et Antonium aliosque Gradara super iuspatronatus Capellaniae S. Mariae in *Cartoceto*. Propositis dubiis: - I. An et cuius favore constet de iurepatronatus activo in casu etc. *Et quatenus affirmative favore Mariae Abbondi.*

II. An quomodo et cui valeat eadem Maria cedere iuspatronatus in casu etc. -, Sacra Congregatio die 20 Ianuarii 1798 rescripsit: - Ad primum, Affirmative favore Mariae Abbondi. Ad secundum, Iterum proponatur - *in Fanen. Beneplaciti die 8 Augusti 1801* §. *Orta.*

208. Evenit tum rerum publicarum perturbatio, et Collitigantes pessimo consilio rem transegerunt non minus illegitime, auctorante scilicet Iudice Laico, quam illicite dum, pactae inter se, conditiones simoniam redolerent. Resipiscentes postea, impetrarunt absolutionem a censuris, et cum quaestio super iurepatronatus a Sanctissimo delegata fuerit Eminentissimo Pro-Datario, hic censuit, ut Litigantes inter se novam et licitam atque legitimam inirent transactionem. Hanc tum Maria Abbondi tum Aldebrandus Gradara stipulati sunt inter se, nullo sibi Apostolico Beneplacito praeservato. Verumtamen illico post perfectam concordiam, eam exhibuerunt S. Congregationi, ut Apostolico Beneplacito probaretur.

209. Inspecta transactionis indole (2), perpensum est, utrum inter Mariam Abbondi et Aldebrandum Gradara cessio intercesserit iurispatronatus licet laicalis, certo convento pretio, ita ut potius, quam cessionem nomine tenus, veram reipsa perfecerint venditionem. Cessiones enim, quas vocant, onerosae et correspectivae, in quibus certa quantitas pro translatione iuris repromittitur, venditioni aequiparantur. Verum, etsi verba cessionis correspectivitatem prae se ferre viderentur, maxime cum contractus stipulatus sit, ut nec intercesserit Ordinarii auctoritas vel praeservatum fuerit Beneplacitum Apostolicum, aperta tamen erat mens Contrahentium, qui tum praestationem annuam, tum remissionem pecuniarum, quae in Mariam coaluerunt, ad aliam causam attribuebant, prorsus a cessione diversam. Unde patebat, pacta licita esse, cum Sacri Canones permittant, ut Patroni eorumque Filii redacti ad inopiam ab eadem Ecclesia suffragium vitae pro temporis usu percipiant. Defectus autem auctoritatis Ordinarii in ipso cessionis actu, et reservationis Beneplaciti Apostolici impedimento non erat, quominus concordia, concurrente legitima causa, probari posset.

210. Proposito hinc dubio: - An et quomodo sit concedendum Beneplacitum in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Affirmative; iuxta votum Episcopi (3), salvis iuribus Capellani agendi contra quos de iure, pro vin-

(1) Concil. Trid. Sess. 25, cap. 9, de reform.

(2) Huius transactionis summa haec praecipua erat, ut in §. *Huius* - ibi - Mulier cedit Aldebrando ius nominandi simulque transfert in Capellaniam domum hortumque hereditarium in compensationem alienationum, quas de bonis Capellaniae Maiores sui patrarunt. Contra eadem Mulier sibi stipulat *l'obbligo, che detto suo Nepote debba pagare alla medesima scudi 12 vita naturale durante, attesa la sua indigenza ed indisposizioni, secondo le canoniche disposizioni, le quali concedono al Patrono povero di detrarre qualche porzione dal Benefizio.* Rursus Maria sibi ex cessa domo et horto hereditario reservavit *scudi sei di piggione, che il Gradari dovrà pagare all'anno, finchè vivrà detta Maria.* Tandem Aldebrandus spopondit, ut nequiret - ripetere nè inquietare per qualunque capo essa Maria del sopravanzo del fruttato stagnato e colato in sue mani, qualunque altra somma per il compenso del dispendio avuta nella lite in Roma non meno che a ragione delle sue disposizioni -.

(3) Episcopus haec in casu deducere censuit, ut in §. *Episcopus* - ibi - Novas vero conditiones, quas nunc ineundas proponunt cum diligenter expenderim, nihil in eis cognovi quod adversetur iustitiae et religioni, dum probentur Apostolica sanctione; quoniam licet pacisci super re Beneficiaria, ubi iurium legitima quaestio intercedit. Ut probentur autem in causa esse videtur praecipue utilitas Capellaniae, cum sic prospiciatur, ne ipsa longius, dum in iudicio contenditur, Capellano careat, et quoniam praeterea augentur eius bona in summa fere scutorum 600, quae pro bonorum alienatione si quae acciderit culpa suorum Maiorum ipsa ultro, dono dat anxie religiosa. Item ex lege Iuris ecclesiastici, ut reservetur ipsae Mariae concedenti familiae Gradari Patronatum Capellae pensio quotannis exolvenda scutorum 12. Adeo enim ad egestatem redacta est, ut ex corrogatis eleemosynis opus ei sit miserrime victum quaerere -.

dicatione bonorum Capellaniae - *in Fanen. Beneplaciti die 12 Septembris 1801.*

211. At multo magis prohibita censetur cessio, qua Rector ex fundis congruae assignatis cedere velit capitale scutorum septingentorum sexaginta tres *in Senogallien. die 8 Augusti 1801* §. *Dum.*

212. Certe quidem alienationem bonorum Ecclesiae committit, cum solemne in iure sit, quod translatio dominii sapiat alienationem *in Senogallien. die 8 Augusti 1801* §. *Dum.*

213. Nam praeter Textum in Can. *Apostolicos 13*, Can. *Sine exceptione 52*, Caus. 12, quaest. 2, Cap. *Nulli 5*, de reb. Eccles. alienandis vel non, aperte in ipsa Extrav. *Ambitiosae* prohibetur quodcumque pactum translativum dominii *in Senogallien. die 8 Augusti 1801* §. *Dum.*

214. Donatio autem tacita habetur, si Beneficiatus rebus proprio etiam aere acquisitis stigmata, aliaque insignia suae Ecclesiae attexuerit, vel res illas ita eidem Ecclesiae aptaverit, ut a primaeva sua emptione ipsa dicata ac donata videantur *in Pisauren. Alienationis die 18 Augusti 1827* §. *Nihilominus* (1).

215. Hinc eo vel magis census impositio quaedam est alienationis species; ac proinde sub prohibitione omnino cadit notissimae Extravagantis *Ambitiosae* de rebus Ecclesiae non alienandis *in Lauretana Cappellaniae die 11 Martii 1843* §. *Census* (2).

216. Imo, cum et ipsa reductio fructuum Census sapiat alienationem et secumferat remissionem debiti; ideo, salva forma, Beneplacitum Apostolicum non est omittendum, ad censuram Extravagantis *Ambitiosae* de rebus Ecclesiae non alienandis *in Veliterna Fructuum Census die 19 Iunii 1802* §. *Nullum* (3).

217. Secus enim reductio huiusmodi, absque Beneplacito Apostolico gesta, nulla atque irrita censetur, et Contrahentes in censuras incidunt *in Veliterna Fructuum Census die 19 Iunii 1802.*

218. Praesertim, si causa Pia laesa extiterit, tunc enim eidem etiam restitutio in integrum conceditur, ut, irritato contractu, procul a se omne avertat detrimentum *in Veliterna Fructuum Census die 19 Iunii 1802* §. *Idcirco* (4).

219. Siquidem Legatam a Ioachimo Setini pecuniam scutorum 3344. 83, ut fructus omnes Missis celebrandis cederent, constituta eleemosyna obulorum quindecim, Capitulum Collegiatae Sanctae Mariae Pietatis Civitatis Corae collocavit in censum cum defuncto Alexandro Prospero Buzi, stipulato die 23 Februarii 1785 instrumento, in quo usurae trientes sive scuta quatuor in singula centum conventae fuere. Census huiusmodi debitor inde erat sacerdos Antonius Prosperus Buzi, qui cum Romae esset die 5 Iulii 1798, qua die lata Lex erat de abrogandis *cedulis*, statim Coram advolavit, et sequenti die 6 extraiudicialiter per interpositam Comitis Iosephi Cataldi personam Capitulo nunciavit, se statim Censum redempturum in tot *cedulis*, quas deposuisse simulavit. Corae promulgata adhuc non erat Lex, quae *cedulas* proscribebat, eademque prorsus ignota erat Capitulo. Quod subverens, ne sibi Debitor redempto censu *cedulas* traderet, istae quamprimum essent periturae, ut publicus ferebat rumor, studuit rem componere cum Prospero, qui proposuit, se neque tum neque per triennium proximum Censum redempturum, si conventae in impositione usurae, quadrunces, ad triunces reducerentur, scilicet a scutis quatuor ad scuta tria in singula centum. Postridie convocata fuere Comitia Capitularia, placuit conditio, acceptata est, dataeque fuerunt Canonico Camerario facultates, ut instrumentum reductionis stipularet, quod eadem die 7 confectum est, nulla tamen accedente vel reservata venia Apostolica, vel saltem Ordinarii.

220. Verum cum in Civitate Corae vulgata est Lex de proscriptione *cedularum*, novit tum demum Capitulum se deceptum a Prospero, cui abrogatis *cedulis* impossibile erat Censum retroemere. Graviter tulit, concessisse reductionem fructuum, ex qua celebratio Missarum diminuebatur. Quare prae sua religione subinde

(1) Rot. divers. part. 3, lib. 3, decis. 582, n. 7 et 9; Ventrigl. tom. 2. annot. 16, §. 1, n. 11; Ferrar. in biblioth. canon. verb. *Spolium*, n. 17.

(2) Card. De Luc. in disc. 10 et seqq. de alienation.

(3) Tradidit Rot. passim et praecipue in decis. 139, n. 11, coram Card. Herzan.

(4) Rot. in decis. 312, n. 6, coram Lancetta; in Interamnen. Manutentionis et Reintegrationis 29 Aprilis 1777, §. 3, coram Mannelli.

integrum Missarum numerum celebravit. Tacite haec Canonici dissimularunt toto tempore publicarum perturbationum. Restituta vero ad sua munera Sacra Congregatione, hanc supplicarunt, ut auctoritate sua irritaret Instrumentum cum Prospero initum, super reductione usurarum, simulque absolutionem concederet, pro incursis censuris, ob stipulatam reductionem fructuum, nullo reservato vel obtento Beneplacito Apostolico.

221. Itaque, in contradictione Litigantium, propositis dubiis: - I. An et in qua summa sit locus solutioni fructuum in casu etc.

II. An sit consulendum Sanctissimo, pro absolutione a censuris in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative; ad formam Instrumenti 23 Februarii 1785. Ad secundum, Affirmative - *in Veliterna Fructuum Census die 19 Iunii 1802.*

222. Quin imo nulla ac irrita censetur reductio fructuum Censuum seu pensionum etiam a Capellanis fundationi proximis facta; ac inde per lapsum temporis fere centum annorum, Capellania, Rectore destituto, nihil omnino exigere valuit *in Avenionen. Capellaniae die 16 Septembris 1780.*

223. Enimvero Sacerdos Iacobus Nance e Villa Relhone Aquensis Diaecesis anno 1613 fundavit Capellaniam ad Altare S. Annae sitam in Parochiali et Collegiata Ecclesia S. Petri Avenionensi: voluit, quod Capellanus, pro duabus primis tantum vicibus nominandus a Philippo Melva Canonico dictae Collegiatae Ecclesiae, subindeque ab eiusdem Fundatoris Heredibus et Successoribus, annuas dumtaxat quinque Missas certis praescriptisque diebus celebraret. Pro dote vero Capellaniae et pro ea Rectoribus pro tempore instituendis Fundator cessit donavitque pensionem annuam scutorum novem ex solidis sexaginta Turonensibus pro quolibet scuto, quam praecedenti anno 1612 saepedictus Fundator emerat pretio scutorum similium centum viginti octo et solidorum triginta sex a Benedicto Moine una cum Michaela Guigardo Moine huius Matre e Loco de Thoro nuncupato Cavallicensis Diaecesis: adiecta tamen lege, quod in casu, quo cessa pensio restituto pretio redimeretur a Debitore, nequiret Capellaniae Rector idem pretium seu capitale recipere, nisi coram Archiepiscopo Avenionensi, ad effectum illud erogandi in acquisitionem alterius pensionis vel alicuius praedii, favore dictae Capellaniae.

224. Primus huius Capellaniae Rector fuit praefatus Canonicus Melva, qui post obitum Fundatoris ad erectam Capellaniam seipsum nominavit, eoque defuncto, illius Heres in novum Capellanum praesentarunt Sacerdotem Philippum de Robert. Uterque Capellanus pensionem annuam sive fructus Census, pro Capellaniae dote assignatos, proprio arbitratu, favore illius Debitoris, imminuit atque reduxit. Nam primus Capellanus Melva anno 1637 eam reduxit ad annuas Libras viginti septem: secundus vero de Robert ad annuas Libras viginti tres solidosque duos anno 1687.

225. Sequuto obitu Capellani de Robert anno 1697, nemo fuit, qui novum nominaret Capellanum; unde Capellania destituta fuit Rectore suo a dicto anno 1697 usque ad annum 1778, quo tempore a Curia Legationis Avenionensis de ea provisus fuit Sacerdos Antonius Alexius Arnavon Canonicus Coadiutor in Capitulo Parochialis et Collegiatae Ecclesiae S. Agricolae eiusdem Avenionensis Civitatis, qui coram Auditore Generali dictae Legationis in ius vocavit Spiritum Martinum Moine tamquam heredem et successorem praefatorum Debitorum pensionis, pro dote Capellaniae assignatae, ut eam solveret tam decursam a dicto anno 1697, quam imposterum decurrendam.

226. Dum acta in Curia Legationis agebantur, Moine Debitor anno 1779 recursum habuit ad Reverendam Fabricam Sancti Petri de Urbe, postulans compositionem cum absolutione eius debiti, tam decursi, quam decurrendi, eo sub titulo praesumptae illius extinctionis, ob non solutam nec requisitam pensionem per tanti temporis lapsum, votique compos edito Rescripto effectus fuit, quoad praeteritum tantum, delegata quoad futurum illius petitione, ad Sacram Congregationem.

227. Ut autem vi huius Rescripti Debitor absolveretur ab annua praestatione pensionis seu fructuum dicti Census, preces idem Debitor exhibuit Sacrae Congregationi, datisque Literis, ut moris est, Archiepiscopo Avenionensi pro informatione et voto, is retulit quae supra dicta sunt; censuitque, non esse adhaerendum iuribus Debitoris, eumque propterea teneri ad solutionem annuae pensionis sive fructuum Census in annuis scutis novem ab

anno 1697, quo vacavit Capellania, geminis non obstantibus illius reductionibus expletis a primis Capellanis de anno 1637 et 1687, quia factae fuerunt nulla intercedente vel Ordinarii vel Apostolicae Sedis auctoritate, nec etiam obstante compositione per ipsum Debitorem clam et in fraudem litis pendentis in Curia Avenionensi, super solutione dictae pensionis, impetrata a Rev. Fabrica S. Petri; quia res non erat de Missarum onere ab auctore Moine debitore relicto, vel ab eius Herede neglecto, unde compositionem mereretur, sed agebatur de eius debito solvendo Capellanis Capellaniae fundatae a Iacobo Nance, ut praescriptae ab ipso Missae celebrarentur, eaque fuit in Sententia laudatus Archiepiscopus, exigendas esse pensiones seu fructus Census ab anno 1697 decursos et non solutos ad annos 1778, quo fuit de Rectore provisa Capellania, in istius et Capellanorum pro tempore existentium commodum et in augmentum esse investiendum.

228. Substinuit hinc modernus Capellanus, praesumendam non esse Census sive Pensionis extinctionem, ex quo illius fructus soluti non fuerint ab anno 1697, quo vacavit Capellania; nam, ut praesumatur Census extinctio, centenaria concurrat necesse est, quae, in hoc casu excludebatur, dum adhuc septem anni deficiebant. Centenaria quippe, quae in actibus Ecclesiae praeiudicium divinique cultus decrementum inferentibus, plene integreque completa requiritur, veluti post notissimam Constitutionem S. M. Urbani VIII, incipien. *Romanus Pontifex,* unanimiter firmant Barbosa (1) Gratianus (2) atque S. Rota (3).

229. Itaque proposito dubio; - An et a quo tempore et in qua summa debeantur annuae pensiones seu fructus Census in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative in annuis scutis novem tantum monetae Gallicae ab anno 1697 imposterum, et quoad annualitates praecedentes deducet iura sua, ut iterum omnino audiatur a S. C. Rev. Fabrica Sancti Petri - *in Avenionen. Capellaniae die 16 Septembris 1780.*

230. Amplia, eo etiam in casu nulla ac irrita edicenda est reductio fructuum, absque Beneplacito Apostolico gesta, ubi res esset de Loco Pio, quin eam validare voluerit S. Congregatio, quoad praeteritum; imo, etsi quoad futurum id permiserit, arbitrio Episcopi, quoad praeteritum reservavit iura agendi contra Reductores *in Senogallien. Censuum die 2 Iulii 1718.*

231. Enimvero Leopardus Leopardi annis 1693 et 1696, favore Confraternitatis Sanctissimi Sacramenti, duos Census in sorte scutorum 370, imposuit conventis fructibus ad rationem quinque, pro centenario. Hyppolitus vero dicti Leopardi filius ab Officialibus dictae Confraternitatis anno 1699 reductionem obtinuit fructuum Censum ad rationem quatuor pro centenario, absque Apostolico Beneplacito. Quare supplicavit Eminentissimos Patres, ut vel talem reductionem validam declarare, vel eam tam pro praeterito, quam pro futuro tempore, praecipue attenta bona fide, revalidare dignarentur *in Senogallien. Censuum die 15 Ianuarii 1718* §. *Leopardus.*

232. Eminentissimus Cardinalis Paraccianus, in Urbe summis Pontificis Vicarius, anno superiori, quo Ecclesiae praesidebat Senogalliensi, retulit, se, de huiusmodi reductionibus factis a Lociis Piis, propria auctoritate, nixum plurimorum Doctorum opinionibus, dubitasse et potissimum Oraculo S. Congregationis Episcoporum et Regularium, quae in terminis rescripsit per haec verba: - Praevia Oratorum absolutione ad cautelam, quatenus non adsit in promptu aliud investimentum magis utile et idoneum, praefatam reductionem, pro suo arbitrio et conscientia, revalidet atque confirmet - *in Senogallien. Censuum die 15 Ianuarii 1718* §. *Leopardus.*

233. Auctoritatibus autem praefatis, Eminentissimus Relator subdidit, Oratorem opponere auctoritatem Cardinalis De Luca (4), - distinguentis Census consignativos a reservativis, ut in illis non sit opus Apostolico vel Episcopali Beneplacito, in istis vero utique pro moderatione antedicta -; ideoque censuit, necessarium esse sapientissimum Sacrae Congregationis Oraculum, pro exemplari regula *in Senogallien. Censuum die 15 Ianuarii 1718* §. *Leopardus.*

(1) In Allegat. 95, n. 72, de potest. Episcop.
(2) In discept. forens. Cap. 867, n. 50.
(3) In Romana oblationis 23 Iunii 1725, §. 5, coram Crispolto.
(4) In disc. 6, n. 5, de alienat.; et in disc. 14, n. 4, de censibus.

234. Propositis hinc dubiis: - I. An reductio fructuum Censuum sine Beneplacito Apostolico sustineatur in casu etc. *Et quatenus negative.*

II. An sit locus revalidationi et confirmationi contractus reductionis, tam pro praeterito, quam pro futuro -, Sacra Congregatio respondit: - Dilata, et exhibeat Instrumentum reductionis - *in Senogallien. Censuum die 15 Ianuarii 1718.*

235. Quaestio quippe erat inter Doctores, an in censu consignativo fieri posset fructuum reductio, absque Beneplacito Apostolico; namque alii negative respondent (1), alii autem affirmative (2). Hinc Sacra Congregatio, expenso Census instrumento; repropositis praefatis dubiis: - I. An reductio fructuum Census sine Beneplacito Apostolico sustineatur in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An sit locus revalidationi et confirmationi contractus reductionis, tam pro praeterito, quam pro futuro -, respondit: - Ad primum, Negative in casu, de quo agitur. Ad secundum, Negative quoad praeteritum; reservato iure Hyppolito agendi contra Priores, qui reduxerint Censum; et, quoad futurum, arbitrio Eminentissimi Episcopi - *in Senogallien. Censuum die 2 Iulii 1718.*

236. Idcirco, quod nullae sint factae reductiones pensionum seu fructuum Census absque Beneplacito Apostolico, etiam utraque mature perpensa Doctorum hinc inde pugnantium opinione, definivit S. Congregatio in Senogallien. Censuum die 2 Iulii 1718 *in Avenionen. Capellaniae die 16 Septembris 1780* §. *Quod autem.*

237. Ac eo vel magis propterea nulla ac irrita censetur distractio Censuum in sorte Scutorum sexcentum constituentium dotem Beneficii, facta a Patrono auctoritate Ordinarii *in Ariminen. Beneficii seu Capellaniae super Reintegratione die 18 Novembris 1747.*

238. Unde, nulla ac irrita declarata distractione Censuum in sorte scutorum sex centum auctoritate Ordinarii gesta, Sacra Congregatio reintegrationem demandavit, etiamsi in dotem Beneficii seu Capellaniae, assensu eiusdem Ordinarii, subrogata fuerint bona immobilia, et praeteriti Capellani huiusmodi subrogationi quieverint, quin interim vero damna et interesse, pro tempore praeterito, refici deberent *in Ariminen. Beneficii seu Capellaniae super Reintegratione die 18 Novembris 1747.*

239. Siquidem fundavit Iulianus Nuccius ex Oppido Verruculi Beneficium quoddam seu Capellaniam in Ecclesia eiusdem Oppidi, quae tunc a Patribus, qui Servitae nuncupantur, possidebatur; dotemque ei constituit tot Censuum capitalis scutorum tercentum, reditus vero annui scutorum duorum supra viginti, reservato sibi suisque iurepatronatus, iunctoque onere Rectori agendi Sacrum bis in hebdomada et festo quolibet B. V. die. Post haec decessit Gentilis Fabri eius Uxor, quae Virum scripsit heredem, dato hinc Beneficio seu Capellaniae Legato scutorum 300 sive in pecunia sive in immobilibus, ita tamen, ut Capellanus ter singulis hebdomadis pro remedio animae suae celebrare teneretur.

240. Obsequens huic voluntati Iulianus heres tot census summam a Testatrice statutam constituentes, reditus vero annui scutorum duorum supra viginti, Capellaniae assignavit. Acta haec fuerunt, annuente Episcopo, prout eo annuente, translatum fuit Beneficium ad aliam Ecclesiam S. Agnetis Verruculi, et ad illud praesentatus primum fuit Sacerdos Paulus Riccius, cui assignati fuerunt fructus scutorum sex centum, constituentes annua scuta 43. Verum cum paulo post redemptus fuit Census scutorum 300, satius duxit Iulianus fundator et patronus, propria auctoritate, reliquos etiam alienare et praedium emere, ut dotem Beneficii constitueret.

241. Reclamavit Riccius Capellanus, et Franciscus Nuccius Iuliani, qui interim decesserat, heres, parendo Decreto Episcopi Ariminensis agrum vendidit, et Census annui reditus scutorum 44. 50 comparavit, favore Capellaniae. Hoc rerum ordine ventum est ad annum 1603, quo idem Franciscus Episcopi assensu Census sibi sumpsit et immobilia pretii scutorum mille subrogavit, cui subrogationi, tum primus ille Capellanus Riccius, tum, qui sequuti sunt, alii

(1) Nimirum Ricc. dec. Curiae Archiep. Neapolitanae dec. 134 part. 1; Idem in resolut. 37, part. 1, n. 1; De Marinis resolut. iuris cap. 6, n. 10 et 11, tom. 1; Barus in suo Torcular. iuris resolut. 100 per tot.; Ventrigl. in prax. part. 1, annot. 1, §. 2, n. 6.

(2) Scilicet Card. De Luc. loc. cit. et in conflict. leg. observ. 201; Carolus Ant. De Luc. ad Ventrigl. in prax. part. 1, annot. 1, §. 2, n. 4; Petra ad Constit. Apost. 1, pag. 138, n. 88; Monacell. tom. 4 in supplem. ad tom. 2, pag. 151, n. 140 et seqq.

quieverunt; quiescere tamen noluit Antonius Colluccius, qui tunc Capellanus erat, precesque obtulit Sacrae Congregationi, ut dos Beneficii iterum in Census redigeretur.

242. Audito hinc Episcopo, propositis dubiis: - I. An distractio Censuum in sorte scutorum sex centum facta a Francisco Antonio Nucci, auctoritate Ordinarii, substineatur in casu etc. *Et quatenus Negative.*

II. An idem Nucci sive Robertus Sassatelli illius donatarius teneatur ad reintegrationem eorumdem Censuum in casu etc. *Et quatenus affirmative.*

III. An teneatur etiam ad damna et interesse, pro tempore praeterito?-, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Negative. Ad secundum, Affirmative. Ad tertium, Negative - *in Ariminen. Beneficii seu Capellaniae super Redintegratione die 18 Novembris 1747* (1).

243. Ad validam propterea bonorum Ecclesiae aut Loci Pii alienationem requiritur Beneplacitum Apostolicum ex Extrav. *Ambitiosae,* cui omnes subiiciuntur Ecclesiae, Monasteria, Conservatoria, aliaque Loca Pia, auctoritate Ordinarii multoque magis Summi Pontificis auctoritate erecta *in Romana die 29 Maii 1626 lib. 12 Decretorum pag. 351.*

Item *in Terracinen. et Setina die 23 Ianuarii 1790* §. *Defectus* (2).

244. Hinc Patroni fundos Beneficii alienare iure non possunt, qui eorum nec pollent dominio nec libera administratione *in Asculana die 5 Iunii 1790* §. *Alienare.*

Item *in Forosempronien. Capellaniae die 26 Martii 1831* §. *Quamquam; in Marsorum die 22 Ianuarii 1842* §. *Quibus* (3).

245. Et multo minus Beneficiatus potest bona Beneficii vendere, absque Beneplacito Apostolico *in Anconitana Emphytheusis die 14 Augusti 1824* §. *Arduum.*

246. Ei enim nulla est alienandi potestas *in Sutrina Emphytheusis die 29 Maii 1824* §. *Nihil.*

Item *in Anconitana Emphytheusis die 14 Augusti 1824* §. *Arduum.*

247. Rectores quippe Beneficiorum non sunt illorum domini, sed administratores tantummodo, cum facultate percipiendi fructus, eosque in proprios usus convertendi *in Sutrina Emphytheusis die 29 Maii 1824* §. *Nihil.*

Item *in Anconitana Emphytheusis die 14 Augusti 1824* §. *Arduum* (4).

248. Hinc nullus est omnino contractus, cum in Emptorem plus iuris transferre nequeat, quam ipse habet *in Anconitana Emphytheusis die 14 Augusti 1824* §. *Arduum* (5).

249. Immo Ecclesiarum Rectoribus vetita est quaecumque alienatio bonorum Ecclesiae, favore eorum, qui cum ipsis sanguine sunt coniuncti *in Auximana Emphytheusis die 29 Novembris 1783* §. *Habent.*

250. Quamquam animadverti debet, quod ex dispositione iuris communis, utrum irrita sit alienatio rerum Beneficii facta Consanguineis Beneficiati, non satis liquet *in Recanaten. Sanationis die 10 Septembris 1803* §. *Utrum.*

251. Alii enim affirmant, innixi Text. in can. *Decenter* 6 dist. 89, in quo sic legitur: -Quicumque igitur Pontificum deinceps aut sanguine Propinquis aut favore Personis quibuscumque sibi coniunctis talia lucra commendare tentaverit, ad suum nefandae praesumptionis excidium et quod iussum fuerit devocetur in irritum; et qui ordinaverit annuae excommunicationi subiaceat: quae vero ablata fortasse fuerint, ab eo, qui tulerit, reddantur in duplum - *in Auximana Emphytheusis die 29 Novembris 1783* §. *Habent.*

Item *in Recanaten. Sanationis die 10 Septembris 1803* §. *Utrum.*

252. Confirmatur etiam ex Can. *Episcopus* 7, Caus. 10, quaest. 2 *in Auximana Emphytheusis die 29 Novembris 1783* §. *Habent* (6).

253. Praesertim, si id prohibitum sit, ad formam Constitutionis Alexandri VII incipien. *In suprema,* in Synodo diaecesana *in Reca-*

(1) Cetera Vid. in Verb. *Census.*

(2) Card. Petra ad Constit. Pauli II. incipien. *Ambitiosae,* sect. 3, n. 15 et 27 tom. 5.

(3) Lambertin. de iurepatronat. part. 1, lib. 1, quaest. 3, art. 17, n. 1; Piton. de Controv. Patron. Allegat. 54, n. 47.

(4) Rot. in Asculana Beneficiorum 26 Iunii §. 6 et 7, coram Gamberini.

(5) Arg. ex Text. in cap. 79, de Regul. in 6; et in Leg. 54, eod. tit.

(6) Haec sane hoc in loco habentur - ibi - Si autem res ecclesiasticas Episcopus et in sua voluntate usurpare voluerit, et loca Ecclesiae et fructus agrorum non cum Presbiterorum vel Diaconorum consilio contaminaverit, aut Fratribus vel Filiis vel quibuscumque propinquis suis dederit potestatem, ut per eos latenter laedantur res Ecclesiae, tunc oportet obnoxium esse Concilio-.

naten. Sanationis die 10 Septembris 1803 §. *Utrum.*

254. Nam Alexander VII in Constitutione incipien. *In Suprema* sub datum die 23 Aprilis 1657 iussit, quod in Urbe Beneficiati, neque in Emphytheusim, neque Locationis titulo, possent bona suorum Beneficiorum concedere propriis consanguineis vel affinibus, usque ad tertium gradum inclusive *in Auximana Emphytheusis die 29 Novembris 1783* §. *Habent.*

255. Alii vero contendunt, quod Textus superius allegatus intelligendus sit, de Officiis Ecclesiasticis, ut patet ex rubrica: - Ecclesiastica Officia non committat Episcopus Propinquis vel Coniunctis - *in Recanaten. Sanationis die 10 Septembris 1803* §. *Utrum.*

256. Ceterum quidquid sit de huiusmodi quaestione, S. Congregatio in casu, ubi Lex Synodalis extabat, qua prohibebatur alienatio Consanguineis et Affinibus Rectorum, ad formam Alexandrinae Constitutionis, Sanationem quidem contractus inter Rectorem et eius Fratrem initi indulsit, sed admonere censuit Contrahentes, ut consulerent conscentiae suae *in Recanaten. Sanationis die 26 Novembris 1803.*

257. Amplia, etiamsi Frater Rectoris, per interpositam personam in publica auctione, rem ad Beneficii pertinentem emisset, et ipsa alienatio iam probata esset ab Sacra Congregatione *in Recanaten. Sanationis die 26 Novembris 1803.*

258. Siquidem geminam fatiscentem domum, alteram Recineti positam in regione S. Angeli, alteram in regione S. Mariae Montis Murello, utramque ad Capellaniam Mariotti pertinentem, vendere statuit eiusdem Beneficii Rector presbiter Nicolaus Forlani. Itaque apud Sacram Congregationem veniam postulavit, eiusque instantia relata fuit in Folio diei 10 Septembris 1785, in quo disputato dubio: - An sit locus alienationi duarum domorum Capellaniae, de qua agitur -, rescriptum fuit: - Affirmative, solutis interim fructibus, ad rationem quatuor pro centenario, et in fine quinquennii integro pretio, ad effectum investiendi cum solitis clausulis -. Quo impetrato Rescripto Capellanus Forlani domum sitam in regione S. Angeli, aestimatam a Perito scutis 570. 14, vendidit pretio scutorum 575 Petro Perazzi, quique pro persona nominanda domum emit, spoponditque ad formam Rescripti pretium intra quinquennium rependere, solutis interea fructibus compensativis scutorum quatuor, in singula centum.

259. Post non ita multo Perazzius personam declaravit nominavitque Sebastianum Forlani, germanum Fratrem Capellani Forlani. Qui domum restituit in meliorem formam, pretiumque nondum adhuc numeravit. Inde vero sibi exploratum fuisse dixit Decretum Synodale, quo irritantur contractus alienationis a Possessoribus Beneficiorum cum eorum Consanguineis initi, usque ad tertium gradum (1). Quare postulavit sanationem cuiuscumque nullitatis, quo inficiabatur contractus huiusmodi. Episcopus auditis collatoribus retulit, quod Canonicus Giostra alter ex Patronis huius Capellaniae Mariotti acriter sanationi repugnabat. Assentiebantur vero ceteri Patroni.

260. Proposito hinc dubio: - An et quomodo sit concedenda sanatio contractus in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Affirmative, iuxta votum Episcopi; dummodo pretium solvatur infra annum, ad effectum investiendi cum solitis clausulis, et Fratres Forlani consulant conscientiae suae - *in Recanaten. Sanationis die 26 Novembris 1803* (2).

261. Quin imo, etsi res esset de oblationibus publice peractis, Sacra Congregatio mandavit, ut instrumentum contractus Emphytheusis cum eo stipularetur, qui nullo sanguinis vinculo Rectori Beneficii coniunctus existebat, cum praesertim maior erat eiusdem oblatio prae illa per Fratrem germanum praedicti Rectoris exhibita *in Auximana Emphytheusis die 20 Ianuarii 1784.*

262. Iamvero Clericus Franciscus Consoli, Rector simplicis Beneficii S. Ioannis Baptistae,

(1) Revera in Synodo Recinetensi celebrata ab Episcopo Vecchioni cavebatur, ut in §. *Utrum* - ibi - Locationes praediorum et concessiones in emphytheusim ad tertiam generationem et similia etc. fieri prohibemus cum Consanguineis et Affinibus Rectorum Canonicorum Confratrum aliorumque Administratorum usque ad tertium gradum inclusive sub poenis contentis in iure et Constitutione *In suprema* Alexandri VII -. Quae sanctiones licet loquantur de locationibus et emphytheusi, attamen eo magis extendi posse videbantur ad venditiones, quo ex his gravius esse potest Ecclesiae detrimentum.

(2) Episcopus quippe indulgendam putavit sanationem, dummodo pretium solveretur, quod ex Rescripto Sacrae Congregationis repetendum erat post quinquennium.

*

erecti in Ecclesia B. M. Virginis Terrae Montis Fani, in Emphytheusim tradidit Hyacintho Consoli praedium, situm in Territorio dicti Oppidi in contrada *Beldiletto*, capacitatis rubrorum sex cum dimidio, ad dictum Beneficium pertinens, cum annuo canone scutorum decem. Ut huiusmodi contractus suam haberet firmitatem, petiit, ut a Sacra Congregatione approbaretur. Affixis de more edictis, maior fuit oblatio Comitis Francisci Corradori, qui persolvere promisit annua scuta viginti septem cum dimidio, et onus assumpsit meliorandi praedium; quare istius favore die 15 Aprilis 1780 indulta fuit facultas ineundi contractum.

263. Apostolicis Literis nondum expeditis nec stipulato inter Contrahentes instrumento, alii tres Oblatores comparuerunt, nempe Pascalis Falascone, qui obtulit annua scuta 32. 50, Augustinus Piccioni, qui pro annuo canone obtulit scuta 34, ac demum Iosephum Passarini cuius oblatio pervenit ad scuta 33, onere tamen ab omnibus assumpto meliorandi praedium. In hoc rerum statu mandatum fuit Licitatoribus, ut propria iura in Sacra Congregatione deducerent; hinc proposito dubio: - An sint recipiendae novae oblationes, seu potius procedendum sit ad expeditionem Literarum Apostolicarum, favore Comitis Francisci Corradori in casu etc. -, die 12 Maii 1781 placuit EE. PP. Causae resolutionem differre et mandare: - ut affigerentur nova edicta, firma tamen remanente oblatione Passarini -.

264. Iussa Sacrae Congregationis exequutus est Eminentissimus Episcopus, qui testatus est, quod: - Intra tempus in publicatis Edictis praefinitum, duo comparuerunt Oblatores, quorum primus Aloisius Canonicus Consoli eiusdem Rectoris Francisci germanus frater, qui obtulit scuta 35. 50, alter vero Ioannes Traluci, qui annuum obtulit canonem scutorum 36, cum onere idem praedium meliorandi, pacto adiecto, primam generationem incipiendam esse ab eius Filiis Musculis iam natis, prosequendam in ceteris nascituris, de qua conditione penes acta meae Curiae idem Orator protestatus fuit nec esse nec fore admittendam -.

265. Proposito hinc dubio: - An et cuius favore sit stipulandum instrumentum Emphytheusis in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Instrumentum Emphytheusis stipulandum esse favore unius ex Filiis Ioannis Traluci, ad tertiam generationem masculinam tantum - *in Auximana Emphytheusis die 10 Ianuarii 1784.*

266. Praeterea seiunctio etiam fundorum Paraeciae, ex quibus annuatim ac temporarie pensionem hauriatur ad reaedificandam Ecclesiam, speciem praesefert alienationis saltem ad tempus, quam certo Sacri Canones improbant *in Ferentina Reaedificationis Ecclesiae die 19 Aprilis 1834* §. *Ceterum* (1).

267. Qua de re Sacra Congregatio huiusmodi segregationem minime indulget, cum alius extet modus, quo id expleri valeat, etiamsi modernus Episcopus segregationem illam magis aptam ad rem conficiendam arbitretur *in Ferentina Reaedificationis Ecclesiae die 13 Augusti 1836.*

268. Enimvero saepe ab anno 1801 implorata nunquam tamen perfecta fuit restauratio Ecclesiae Parochialis S. Valentini in Civitate Ferentina, quae tecto ruinosa erat, parietibus fatiscens, ornatu squallens, humiditate soli et foetore sordida, et, pro frequenti Parochianorum numero ad Capita supra bismillia, omnino angusta. Nam Parochiani metu ruinae commoti, preces porrexerunt a mense Augusti dicti anni 1801, tum ut suspensionem Ecclesiae translationemque Paraeciae ad aliam filialem impetrarent, tum ut restaurationi quoquo modo consuleretur.

269. Singulis ad rem mature perpensis, proposito dubio: - An et quomodo providendum sit Fabricae Ecclesiae S. Valentini in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative, iuxta votum Episcopi, exceptis a contributo Sodalitio S. Antonii Patavini et Beneficiis et Capellaniis extra Ecclesiam erectis, et Episcopus curet, ut reliqui reditus Paraeciae et Contribuentium integre omnino impendantur in reaedificationem Ecclesiae, exacta singulis annis redditione rationis - *in Ferentina Reaedificationis Ecclesiae die 25 Maii 1805.*

270. At Ferentinates spe frustrati sunt, eorumque moerore inceptum onus adhuc suspensum anno 1826 remanebat. Quemadmodum res se habuerit, narravit modernus Episcopus, haec disserens: - Mandatis S. Congregationis obsecu-

(1) Fagnan. in cap. *Nulli*, de reb. Eccles. alienand. vel non.

tus Episcopus Buschius Parochum quidem anno 1805 indicto rite concursu elegit Sacerdotem Aloisium de Dominicis, bonorum vero administrationem ac novi operis curam tradidit primario inter Ferentinos Viro Petro Stampa, utramque sustinuit ad annum usque 1808, gestaeque administrationis rationes Episcopus quotannis probavit, eamque demum anno eodem dimisit; quam Episcopus Parocho de Dominicis commendandam censuit. Is porro eam gessit ad annum 1810, quo patria exulare coactus est, quod vetito a Sede Apostolica iureiurando fidem suam obligare noluisset. Orbatam proinde eius administrationis provinciam Episcopus Buschius tradidit Augustino del Sere; qui eamdem sustinuit ad annum usque 1814 –.

271. Interim post annum 1808 in ea rerum perturbatione reditus Paraeciae et Fabricae in parandos equos pro Gallorum copiis aliosque similes usus fuerant impensi. Reversus inde Ferentinum Parochus De Dominicis administrandi munus recuperavit. Dissidia vero oborta sunt inter Parochum De Dominicis et Beneficiatos, praesertim circa contributionem expensarum, pro manutentione Sacrarii Ecclesiae.

272. Proposito hinc dubio: An et quomodo sit providendum Fabricae Ecclesiae in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative, iuxta votum Episcopi – *in Ferentina Reaedificationis Ecclesiae die 22 Iulii 1826.*

273. Parocho subinde graves adhuc de praestitutis conditionibus querelas ingeminante, iterum in examen Causa deducta est, ac proposito dubio: – An sit standum vel recendendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis diei 25 Maii 1805 et 22 Iulii 1826, iuxta modum, nempe annua scutata sexaginta durante vita tantum Parochi De Dominicis reducenda esse ad annua scuta quadraginta, incipiendo ab anno 1826, et teneri ad reaedificationem Capellarum iurispatronatus Capellanos, quatenus reditus sufficiant, sin minus Patronos – *in Ferentina Reaedificationis Ecclesiae die 22 Novembris 1828.*

274. Providentissimum hoc Decretum Parocho haud arrisit, qui, Episcopum de minus vera relatione incusans, iterato in illud preces festinavit, quas tamen ex Pontificis Maximi auctoritate die 22 Augusti 1831 reiectas indoluit eo Rescripto: – Orator pareat mandatis Sacrae Congregationis sub die 20 Novembris 1828; sin minus Episcopus deputet Ecclesiasticum Virum, qui bona et reditus Paraeciae, comprehensis etiam incertis stolae, administret, solutaque Oratori congrua scutorum centum triginta in singulos annos, ac, supportatis certis oneribus, quidquid reliquum fuerit eroget cum dependentia ab Episcopo in reaedificationem Ecclesiae, durante vita Oratoris, firma in reliquis remanente citata resolutione, et notificetur eidem Episcopo – *in Ferentina Reaedificationis Ecclesiae die 19 Aprilis 1834* §. *Electo.*

275. Parochus paulo post, ineunte scilicet anno 1832 morte functus est: hinc Curatores ab Episcopo adlecti iterum institere, ut Paraeciae collatio ad quinquennium prorogaretur. Episcopus in ea fuit sententia, ut, quoad modum exigendae pensionis pro novo Parocho praescribendae, tot fundi ex Praebenda segregarentur, quot iudicio Peritorum fructus centum viginti seu centum scutatis aestimandos quotannis laturi, ex agrarii regulis, censeantur: hos autem fundos sibi privatim servaret Curator Fabricae, nullo in praesens relicto in eos iure Parocho, cui tamen post illam summam integram susceptum reddendi erunt, ac ita quidem, ut sive plus sive minus fructuum atque pecuniae, vel pro temporum varietate, vel pro maiore industria collectum redactumve fuerit, id in beneficium aut damnum Fabricae totum recideret, ne Parochus iustam de graviori, quam oportuisset, onere sibi imposito conquerendi causam haberet. Modum hunc modernus Episcopus proposuit, ad omne removendum genus querelarum et contradictionis: experientia quippe constabat, valde molestum difficileque esse, ita ut interdum ne adhibitis quidem iudiciariis remediis obtineri posset huiusmodi pensionum exactio, cum Parocho numquam defutura essent argumenta, quibus ille vitari a se posse id oneris confidat.

276. Propositis vero dubiis: – I. An et quomodo sit providendum fabricae Ecclesiae S. Valentini in casu etc. *Et quatenus affirmative pro impositione pensionis super Paraecia.*

II. An et quomodo ipsa exigenda a Parocho sit, an potius proportionati fundi secernendi, iuxta votum Episcopi in casu etc. –, S. Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, Dilata; et scribatur Episcopo, qui referat, an pro celeriori Fabricae complemento expediat censum imponere scutatorum 2000 super Pa-

raeciae fundis, deposita quotannis congrua summa in extinctionem eiusdem - *in Ferentina Reaedificationis Ecclesiae die 19 Aprilis 1834.*

277. Retulit Episcopus, quae sibi magis expedire videbantur, ac rursum in id institit, quoad modum exigendae pensionis, aiens: - Restat de modo eius redigendae Pensionis, quem praeposueram responso a me dato XI kal. Iunii anno 1833. Difficultatem is habuit apud EE. VV., quod proposita Parochialium bonorum segregatio speciem praeseferret temporaneae saltem alienationis: dabo id equidem; quando tamen in ea sumus causa, quae satis eam alienationis speciem, ut in eo responso demonstrari, postulare existimetur: ad eumdem fere modum permitti videtur posse, uti prona est Sacra Congregatio ad permittendam specialem hypothecam, quae et ipsa, Fagnano cum aliis omnibus Doctoribus teste, in alienationibus numeratur - *in Ferentina Reaedificationis Ecclesiae die 16 Iulii 1836* §. *His.*

278. Repropositis tamen dubiis: - I. An et quomodo sit providendum Fabricae Ecclesiae in casu etc. *Et quatenus affirmative pro impositione pensionis super Paraecia.*

II. An et quomodo ipsa exigenda a Parocho sit, an potius proportionati fundi secernendi iuxta votum Episcopi in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Ad primum et secundum, Affirmative in omnibus, iuxta votum defuncti Episcopi - *in Ferentina Reaedificationis Ecclesiae die 13 Augusti 1836.*

279. Non desunt vero gravis nominis Doctores, qui docent, ius esse Beneficiorum Rectoribus sine Apostolico Beneplacito ad longum tempus, imo et ad vitam locandi et cedendi fructus, ad se spectantes *in Beneventana Beneplaciti die 14 Ianuariii 1829* §. *Initio* (1).

280. Siquidem eiusmodi contractibus nulla Beneficio infertur iactura, et ius Successoris sartum tectumque manet *in Beneventana Beneplaciti die 24 Ianuarii 1829* §. *Initio.*

281. Praesertim, si non vendatur ius seu titulus exigendi fructus, sed mera commoditas, quae ex communi Doctorum sententia libere in contractum, absque Beneplacito Apostolico, deduci posse videtur *in Lauretana Nullitatis Contractus die 30 Augusti 1788* §. *Meram* (2).

282. Pensionum ecclesiasticarum instar, quarum cessio interdicta non est, si de simplici fiat exigendi commoditate *in Lauretana Nullitatis Contractus die 30 Augusti 1788* §. *Meram* (3).

283. Et eo vel magis, si immemorabilis consuetudo adsit, qua semper huiusmodi contractus a Beneficiatis initi fuerint *in Lauretana Nullitatis Contractus die 30 Augusti 1788* §. *Immemorabilem.*

284. Haec enim consuetudo vim habet privilegii Apostolici, ex quo Beneficiorum reditus vendi possunt *in Lauretana Nullitatis Contractus die 20 Augusti 1788* §. *Immemorabilem* (4).

285. Hisce calculum addere videtur Constitutio Benedicti XIV, cuius initium: *Universalis Ecclesiae cura,* edita die 29 Augusti 1741, qua non omnes prohiberi videntur locationes bonorum Ecclesiae ad vitam Beneficiati, sed illae tantummodo, quae ea ineantur lege, ut Beneficiarius, recepta semel mercede, cedat Emptori seu Conductori fructus omnes Beneficii, quos ille dum vitam viveret, foret consequuturus *in Beneventana Beneplaciti die 24 Ianuarii 1829* §. *Initio.*

286. Idque ne, consumpta pecunia illa, stipem postea quaeritare adigatur ipse Beneficiarius *in Beneventana Beneplaciti die 24 Ianuarii 1829* §. *Initio.*

287. Verum huic Doctorum sententiae adversum tenet Textus in Extrav. *Ambitiosae,* vetans omnium rerum et bonorum Ecclesiasticorum alienationem, omneque pactum, per quod ipsorum dominium transfertur, concessionem, hypothecam, locationem et conductionem ultra triennium *in Beneventana Beneplaciti die 24 Ianuarii 1829* §. *Verum.*

288. Hinc communior ac tutior Doctorum opinio aientium, irritos atque illicitos esse con-

(1) Inter Doctores recensentur Pirrhing. in decret. lib. 3, tit. de location. n. 26; Leuren. quaest. 146; Schmalzgrueb. lib. 3 decret. tit. de locat. n. 37; Del Bene de immunit. tom. 2, cap. 17, dub. 24; Mantic. de tacit. ambig. lib. 14, tit. 13, n. 21; Ligor. theol. moral. lib. 4, cap. 2, dub. 3, art. 4, n. 187, not. 7.

(2) Gratian. discept. foren. cap. 238, n. 25 et seqq.; Redoan. de reb. Eccles. non alienan. quaest. 51, cap. 2, n. 1 et seqq. et n. 14 et 15; Card. de Luc. de alienation. disc. 12, n. 13; Ursaya discept. Eccles. 1, n. 96, tom. 8, part. 1.

(3) Amiden. de Styl. Datar. lib. 1, cap. 27, n. 7.; Card. De Luc. de alienation. disc. 12, n. 14.

(4) Piton. discept. Eccles. 116, n. 30 et seqq.; Rot. in decis. 11, n. 2, part. 2 Recent.

tractus locationis fructuum Beneficiorum ad longum tempus vel quoadusque naturaliter vivunt eorum Rectores, sine Apostolicae Sedis auctoritate initos *in Beneventana Beneplaciti die 24 Ianuarii 1829* §. *Verum* (1).

289. Praesertim, quia in Constitutione Benedicti XIV incipien. *Universalis Ecclesiae* huiusmodi alienatio de reditibus Beneficii sub poena nullitatis prohiberi videtur *in Lauretana Nullitatis Contractus die 30 Augusti 1788* §. *Domus*.

290. Viribus propterea subsistere non potest expleta venditio *in Lauretana Nullitatis Contractus die 30 Augusti 1788* §. *Domus* (2).

291. Praesertim, si non simplex commodum, sed ius percipiendi pensiones vendatur *in Lauretana Nullitatis Contractus die 30 Augusti 1788* §. *Idque*.

292. Hoc sane veluti inhaerens personae Beneficiati ac tamquam essentialis pars Beneficii abdicari non potest *in Lauretana Nullitatis Contractus die 30 Augusti 1788* §. *Idque*.

293. Nil aliud enim est Beneficium, quam ius percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis, Clerico propter divinum officium competens *in Lauretana Nullitatis Contractus die 30 Augusti 1788* §. *Idque* (3).

294. Hanc sententiam probavit ac sequuta est etiam Sacra Rota *in Beneventana Beneplaciti die 14 Ianuarii 1829* §. *Verum* (4).

295. Tandem Sacra Congregatio *in Tarentina Beneplaciti Apostolici die 4 Maii 1743* rogatus ab Archiepiscopo, an valide et licite fieri possent absque beneplacito Apostolico ad vitam Canonicorum, et Portionariorum locationes seu concessiones bonorum Ecclesiasticorum ad formam inductae consuetudinis, responsum dedit: – Praevia absolutione ad cautelam pro gratia sanationis, quoad concessiones hactenus factas; quo vero ad concessiones in posterum faciendas, recurrant in casibus particularibus - *in Beneventana Beneplaciti die 24 Ianuarii 1829* §. *Verum*.

296. Idemque fere edidit iudicium Sacra Congregatio in Lauretana Nullitatis Contractus die 30 Augusti 1788 et die 17 Ianuarii 1789 *in Beneventana Beneplaciti die 24 Ianuarii 1829* §. *Verum*.

297. Enimvero Sacerdos Ioannes Bernardinus Morichi, Beneficiatus Lauretanae Basilicae, vendidit anno 1777 absque reservatione Beneplaciti Apostolici Sacerdoti Ioanni Ginami, pretio scutorum centum triginta, annuum reditum scutorum quatuordecim ex Beneficio chorali proficiscentem. Promoto hinc sub annum 1784 ad aliud Beneficium, venditum transtulit ius ad domum ei adnexam, cum pacto redimendi semper et quandocumque. Poenitentia tandem ductus, querelam ad Eminentissimos Patres detulit nullitatis contractus, postulavitque restitutionem domum et fructuum, quos ad totum annum 1787 ultra solutum pretium Ginamus perceperat.

298. Lauretanus Vicarius Apostolicus retulit: - Praedictas domos usui choralium huius Basilicae addictas in Bullis Apostolicis super provisione Beneficiorum satis exprimi; immo pro dote et mansu Beneficiorum reputari, necnon singulis Beneficiis taxative et particulariter esse adnexas. Contra vero inficiari nequit, praedictas domos seu potius fructus eorumdem pluries a Beneficiatis fuisse contractui, de quo agitur, subiectos: sed iure, an iniuria, sub Iudice lis est; quin imo semper in privatis syngraphis, quae cum in tenebris latuerint, Episcoporum vigilantiam effugerant –.

299. Morichius itaque, Extravaganti *Ambitiosae* ac praesertim Constitutioni Benedicti XIV incipien. *Universalis Ecclesiae* adnixus, qua sub poena nullitatis interdicta est alienatio redituum Beneficii, viribus inquit subsistere non posse expletam venditionem (5), quin Emptori prodesse valeat, quod de minori agatur redituum parte ac de modica summa. Utraque enim Constitutio indefinita est, omnemque prohibet alienationem. Ex eo etiam, quod factum

(1) Bonaccin. oper. moral. quaest. unic lib. 2, n. 25, tit. de alienat. bonor. Eccles.; Garz. de benef. part. 1, n. 32; Guttier. quaest. canon. lib. 1, c. 8, n. 15; Aliique.

(2) Antonell. de regim. Eccles. lib. 1, cap. 4, n. 15; Leuren. for. Eccles. lib. 2, tit. 2, quaest. 156, n. 2, tom. 2; Navarr. de privileg. miserab. person. privileg. 130, n. 2.

(3) Corrad. in prax. benef. lib. 1, cap. 1, n. 2; Gagliard. de benef. cap. 2, n. 1; Lanfredin. resp. 16, n. 16.

(4) Praesertim in Comen. Locationis, coram Ramphil.; in decis. 826, coram Merlin.; in decis. 62 et 74 coram Olivatio.

(5) Ad tradita per Antonell. de Regim. Eccles. lib. 1, cap. 4, n. 15; Leuren. for. Eccles. lib. 2, tit. 2, quaest. 156, n. 2, tom. 2; Navarr. de privileg. miserabil. person. privileg. 130, n. 2.

id minime sit de licentia Episcopi, ac modica non videatur annua summa scutorum quatuordecim, quorum ad vitam iuvenis Beneficiati insigne est capitale. Nec ideo venditum fuit simplex commodum, sed ius percipiendi pensiones. Hoc sane veluti inhaerens personae Beneficiati, ac, tamquam essentialis pars Beneficii, abdicari non potest. Attenta propterea contractus nullitate, restituendum sibi esse conclusit praefatus Morichius ab Emptore quidquid ultra solutum pretium ex pensionibus percepit.

300. Ginamus vero actionem impugnavit Morichio petendi restitutionem domus ex nullitate contractus. Eam namque experiri non posse, ait, Beneficiatum in proprium commodum, sed nomine et favore Ecclesiae, ne ex culpa sua commodum consequatur; non aliter vero Ecclesiam ipsam audiendam esse, quam restituto pretio. Numerandas praeterea non esse contendit inter fructus Beneficii pensiones domus, cum ex Constitutione Clementis VIII reditus Beneficiorum Lauretanae Basilicae in numerata consistant pecunia. Hinc domus, singulis Beneficiatis assignatae, simplicem respiciunt eorum commodum, quod vendi posse affirmavit: idque ex communi Doctorum sententia libere in contractum absque Beneplacito Apostolico deduci posse (1). Pensionum Ecclesiasticarum instar, quarum cessio interdicta non est, si de simplici fiat exigendi commoditate (2). In casu praesertim, ubi probatam ex tribus singularibus Testibus censuit immemorabilem consuetudinem ineundi huiusmodi contractus. Demum bonam allegavit fidem, quae excusat a restitutione consumptorum fructuum, quos quis ex illicito contractu percepit (3).

301. His tamen non obstantibus, proposito dubio: - An constet de nullitate contractus, itaut sint restituendi fructus in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative in omnibus - *in Lauretana Nullitatis Contractus die 30 Augusti 1788.*

302. Reclamavit inde ab hoc Rescripto Sacerdos Ioannes Ginami, et alia praeteritis addidit exempla ad probandam consuetudinem alienandi commodum percipiendi ex domibus Beneficiorum Lauretanae Basilicae pensiones, ad vitam Beneficiati. Bonam rursum fidem urgere studuit, qua huiusmodi semper contractus a religiosis Viris initi fuerunt, et qua suadente Ginamus etiam venditionem, de qua agitur, explevit. Valdeque tandem, quoad restitutionem fructuum, in simillimo confidit casu, ab Sacra Congregatione resoluto (4).

303. Reproposito interim dubio, sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - In decisis, et amplius; et cui sint restituendi fructus, ad D. Secretarium cum Sanctissimo - *in Lauretana Nullitatis Contractus die 17 Ianuarii 1789.*

304. Hac tamen suspensa relatione, de restituendis actum fuit fructibus inter Summaria Precum in Congregatione diei 7 Februarii, prodiitque declaratio: - A die initi contractus, compensata sorte, fructus tantum superextantes -. Atque hinc in audientia diei 11 eiusdem mensis - Sanctitas Sua fructus superextantes relaxari mandavit, favore Ioannis Ginami - *in Lauretana die 18 Decembris 1790* §. *Emerat.*

305. Hoc fretus Pontificio Rescripto contendere cepit Ginamus, pro restitutione superextantium fructuum non usque ad diem primae resolutionis causae 30 Augusti 1788, sed ad diem 11 Februarii 1789, quo relaxationis gratiam obtinuit. Adversus eum vero notandum retulit Lauretanus Vicarius Apostolicus in facto, - consensum in actis praestitisse Ginamum, ut praedictus Morichi pensionem, de qua agitur, perciperet -; atque hinc censuit, - incongruum et irrationabile esse, ut quod semel placuit in iudiciali palestra, sibi postea displiceat, et ab EE. Vestris per viam gratiae expostulet, quod in actis ultro concessit - *in Lauretana die 18 Decembris 1790* §. *Hoc.*

306. Supplicem alterum Ginamus dedit libellum, et a resolutione monitus Causae cum Morichio, Eminentissimorum Patrum imploravit definitionem, super consimili contractu. Anno siquidem 1786 ius pariter emit a Lau-

(1) Gratian. discept. 238, n. 25 et seqq.; Redoan. de reb. Eccles. non alien. quaest. 51, cap. 2, n. 1 et seqq. et n. 14 et 15; Card. De Luc. de alienat. disc. 12, n. 13; Ursaya discept. Eccles. 1, n. 26, tom. 8, part. 1.

(2) Amiden. de styl. Datar. lib. 1, cap. 27, n. 7; Card. De Luc. de alienat. disc. 12, n. 14.

(3) Card. De Luc. de alienat. disc. 12, n. 17; Rot. in Romana Census Vitalitii 28 Ianuarii 1737 §. 4, coram Card. Elephantutio.

(4) Nimirum in Tarcutina Beneplaciti Apostolici 4 Maii 1743.

retano Beneficiato Vincentio Belardi exigendi annuam pensionem Beneficialis eius domus, pretio scutorum centum, eoque per nonnullos menses usus est. Acceptum hinc pretium, exactis demptis pensionibus, reddere pollicebatur Belardus, remque alias discussam expeditam autumabat Vicarius Apostolicus, itaut declarandum videretur, - venditionem iuris praedicti cum Belardo ab Oratore stipulatam, inter vetitas comprehendi, similique nullitatis vitio (ac illa Morichii) supponi -.

307. Tertia inter haec accessit instantia Laurentii Breccia, ut absolveretur a reddendis Morichio pensionibus, quas iamdiu ob parem emptionem percepit, nec in restitutam sortem imputavit; eademque illiciti contractus ratione arbitratus est Lauretanus Vicarius, quod quum Morichius in redemptione iuris praedicti integrum pretium refuderit, nec pensiones deduxerit, videtur, quod optimo iure easdem pensiones repetat, a Breccia receptas -. Sibi postremo timens Petrus Franciscus Gaudenti, si gratiam obtineret Breccia, ne concederetur rogavit. Ei anno 1772 ius vendidit exigendi ex Beneficiali domo pensiones Antonius Gaudenti, germanus illius frater, et Lauretanae Basilicae Archidiaconus, redditaque deinde sorte absque pensionum imputatione, similem anno 1783 iniit contractum cum Ioanne Corpi. Veritus est itaque, quin adversus ipsum retorqueretur gratia, quam ille implorabat, sibique facultas adimeretur repetendi summam, quae favore defuncti eius fratris imputata non fuit. Quum autem huiusmodi preces connexae essent reliquis, ad alias idcirco informationes se retulit Vicarius Apostolicus.

308. Ad Ginamum quod spectat, notavit ipse, in exhibitis animadversionibus, distinctum a Sanctissimo non fuisse in Rescripto diei 11 Februarii 1789 tempus, ad quod frui deberet Pontificia gratia; neque restringendum idcirco esse illius beneficium (1). Maxime quia uberiores, quas postulavit, pensiones decurrerunt ad summam scutorum septem, pendente ad Pontificem recursu, ex quo cedit tempus beneficio Recurrentis (2). Neque obesse, inquit, illarum exactionem post diem 11 Februarii; nam dictim cessisse censentur, licet non venisset dies solutionis (3).

309. Contra vero ponderabatur, num Rescriptum illud referri potius deberet ad eas pensiones, quas iam Sacra Congregatio reddendas decreverat; ideoque ad diem retrotrahi primae resolutionis (4). Idque etiam animadversionem merebatur, quod pensiones, ab ea die decursas, Morichio permisit Ginamius in iudicio, in quo quasi contrahitur (5).

310. Nullam altera Ginami instantia involvit difficultatem; ne dubium enim quidem, quin eius iuris venditio per Ginamum inita cum Belardo inter vetitas comprehenderetur. Id tamen deliberandum erat, num restitutio sortis, cum imputatione perceptarum pensionum permittenda esset in ratas portiones, de qua re principaliter Ginamus questus est. Favere poterat Belardo gravis eius paupertas, quam Ginamus ipse fatebatur; nam a qualibet etiam restitutione excusat impotentia (6). Alia vero ex parte cogi non potest Creditor ad minutam crediti exactionem (7).

311. Post haec supererat postulatum Laurentii Breccia, a cuius resolutione pendebat Gaudentii sors. Emptiones siquidem iuris exigendi pensiones, per eum initae cum Morichio et Gaudentio, iamdiu per restitutionem sortium resolutae fuerunt. Atque ex hoc non teneri, inquit, ad restituendum, quod vigentibus contractibus imputatum non est in sortem, ne ad vitam scilicet revocarentur gelidi similium contractuum manes cum gravi tot familiarum perturbatione. Ceterum quidquid sit de huiusmodi excusatione, semper quidem reddi debet, quod illicite exactum est (8).

312. His itaque perpensis, propositis dubiis:

(1) Text. in cap. *Si nulla* 36, de Praeben.; Paulut. dissert. 62, decis. 3, n. 95; Polit. dissert. 36, n. 23, de Dot. tom. 3.

(2) Pax Iord. Lucubrat. lib. 10, tit. 7, n. 360, tom. 2; Piton. de Controv. Patron. allegat. 54, n. 10.

(3) Gratian. discept. 20, n. 45; Rot. post Cenc. de Cens. decis. 177, n. 15.

(4) Iuxta Cap. *Si eo tempore*, de Rescript. in 6; Cost. de Retroact. Cas. 18, n. 3, pag. 141.

(5) Barbos. Axiom. 132, n. 3.

(6) Fagnan. in cap. Odoardus, n. 26, de Solut.; S. Congregatio in Syracusana 7 Februarii 1705 lib. 55 Decretorum pag. 44.

(7) Lup. de Usur. comm. 2, §. 2, n. 71; Rot. in decis. 229, n. 15, part. 9, tom. 15 Recent.

(8) Text. in Leg. 2, §. Item si dedero, ff. de condit. ob turp. vel iniust. caus.; Molin. de Iust. et Iur. lib. 1, tract. 2, discept. 83, col. 3 sub litt. D, vers. Quando autem.

-I. An et ad quod tempus relaxari debeant Ginamo fructus superextantes in casu etc.

II. An constet de nullitate contractus per eum initi cum Belardo, et quomodo sit restituendum pretium in casu etc.

III. An et quibus Laurentius Breccia reddere teneatur pensiones in casu etc.-, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative ad diem 30 Augusti 1788. Ad secundum, Affirmative; et restituendum esse pretium, imputatis pensionibus per Ginamum exactis, unica solutione. Ad tertium, Ad D. Secretarium cum Sanctissimo, iuxta mentem - *in Lauretana die 18 Decembris 1790.*

313. Nil proinde obstat, quod etiam de minori agatur redituum parte, ac de modica summa *in Lauretana Nullitatis contractus die 30 Augusti 1788* §. *Neque.*

314. Utraque enim Constitutio Paulina scilicet ac Benedictina indefinita est, omnemque prohibet alienationem *in Lauretana Nullitatis contractus die 30 Augusti 1788* §. *Neque.*

315. Nec modica dici valet annua summa scutorum quatuordecim, quorum ad vitam praesertim Iuvenis beneficiati insigne est capitale *in Lauretana Nullitatis contractus die 30 Augusti 1788* §. *Neque.*

316. Hinc nequit Rector Beneficii cum Debitore rei seu decimarum pacisci certam pecuniae vim sibi, dum vita fruatur, quolibet anno repraesentandam *in Beneventana Beneplaciti die 24 Ianuarii 1829.*

317. Nam fructus Beneficii statuto pretio Emptori seu Conductori cessit *in Beneventana Beneplaciti die 24 Ianuarii 1829* §. *Initio.*

318. Propterea huiusmodi pactio assimilatur contractui locationis fructuum Beneficii *in Beneventana Beneplaciti die 24 Ianuarii 1829* §. *Initio.*

319. Imo, etsi locatio fiat de sola decimalium fructuum commoditate, non impetrato Beneplacito Apostolico, contractus nullitate infectus habetur *in Constantien. Decimarum die 7 Iulii 1781* §. *Quo.*

320. Hinc adeo nullus ac irritus est contractus, perpetuo initus absque Beneplacito, per quem annuales persolvuntur Decimae in pecunia loco speciei, certa praefinita pecuniarum quantitate, pro qualibet specie colligendarum frugum, ut reintegratio merito petitur ac obtinetur, etiamsi lapsus triginta et ultra annorum cum pacifica observantia intercesserit *in Constantien. Decimarum die 28 Iulii 1781.*

321. Quandoquidem Ecclesia Oppidi de Stauffen Constantiensis Diaecesis, quae Parochialis erat et ab uno Rectore regebatur, anno 1535 erecta fuit in Collegiatam, compositam ab ipso Rectore, qui Praepositi nomen assumpsit, nec non a quatuor Canonicis, qui Praepositum in animarum curae exercitio coadiuvare deberent. Pro dote autem huius Collegiatae Ecclesiae et Canonicorum assignatae fuerunt Decimae, annualiter in natura sive in specie persolvendae a Parochis dicti Loci de Stauffen et a Filialistis in Thaal, a quibus ab anno erectionis Collegiatae usque ad annum 1712 Decimae in specie persolutae, et respective a Canonicis exactae fuerunt.

322. Eodem anno 1712 Capitulum super his Decimis contractum ad triennium duraturum et ab Episcopo approbandum inivit cum praefatis Parochianis et Filialistis, quibus data fuit facultas annuales persolvendi Decimas in pecunia loco speciei, certa praefinita pecuniarum quantitate, pro qualibet specie colligendarum frugum: pacto insuper convento, quod si aliquis ex Parochianis in hac solutione deficeret, tunc essent Decimae in specie exigendae solvendaeque. Hic contractus ad aliud triennium fuit prorogatus renovatusque anno 1715 ac anno 1720.

323. Anno autem 1739 alter inter easdem Partes et super eadem pecuniaria Decimarum solutione stipulatus fuit contractus, quamdam praeseferens perpetuae Locationis et Conductionis speciem, dum fuit conventum, quod - Contractus iste tamdiu ex parte Reverendissimi Capituli firmus et immutabilis sit, quamdiu supradicta conditio abs Communitate adimpleatur. Casu autem, quo negligentia in solvenda hac pensione irrepserit, DD. Clerici obligati sint et maneant DD. Armannum et Capitaneum in Thaal monere de hac negligentia, antequam Decimas in natura exigant, in finem, ut Parochiani ad solvendam pecuniariam summam adigi possint, quatenus autem, facta prius hac monitione, solutio intra quatuordecim dies non sequeretur, tunc a momento contractus irritus nullusque sit, Decimaeque in natura exigantur praestenturque -.

324. Biennio nondum elapso, nimirum anno 1741 Capitulum, praevia monitione facta, ut pactum fuerat, Armanno et Capitaneo in Thaal

iisque praesentibus declaravit acceptavitque penes acta nullitatem et revocationem mox dicti contractus anno 1739, ob non servata et impleta pacta conventa, Capitulumque protestatum est, se velle in posterum exigere Decimas in natura, et, quatenus exigerentur in pecunia, id factum intelligeretur non vi contractus, sed ex propria libera et arbitraria voluntate, sine tamen ipsius et Successorum damno et praeiudicio. Super his contractibus iudicialis lis Capitulum inter et Parochianos Stauffen et Filialistas in Thaal introducta fuit in ecclesiastica Curia Constantiensi, in qua anno 1773 lata fuit definitiva sententia, declarans, non fuisse in potestate Capituli devenire ad perpetuam Decimarum alienationem, absque consensu Ordinarii, decrevitque validum primum contractum anni 1712 tamquam temporaneum, nullum tamen postremum anni 1739, Parochianos vero compellendos esse ad solutionem Decimarum in natura, idest in specie.

325. Ab hac sententia appellarunt Parochiani, iidemque obtulerunt Capitulo concordiam, consistentem in peragenda renovatione praedicti contractus anni 1739 cum interventu Confirmationis Ordinarii, pro eiusdem contractus perpetuitate. Pacta novi ineundi contractus Capitulum exhibuit Parochianis, qui cum ea acceptare recusassent, litem in gradu appellationis prosequuti fuerunt coram Nuncio Apostolico apud Helvetios, qui, infirmata sententia Ecclesiasticae Curiae Constantiensis, pronunciavit, non constare de nullitate contractus anni 1739, ob defectum solemnitatum, ea superaddita ratione, quia ob lapsum triginta et ultra annorum una cum pacifica observantia praesumi debeat, illas in contractu adhibitas fuisse, pronunciavitque pariter, non constare de inadimplemento pactorum, unde contractus dicendus sit resolutus.

326. Capitulum recursum habuit ad Sacram Congregationem, ac enixe sustinuit, contractum perpetuae Decimarum locationis initum anno 1739, praetermissis antecedentibus, quia ad triennium tantum duraturis, insanabili infectum esse nullitate, non impetrato Beneplacito Apostolico, pro alienatione vel distractione bonorum Ecclesiae necessario, tametsi locatio facta fuisset de sola decimalium fructuum commoditate (1), ac nullum et irritum esse contractum anni 1739, utpote initum, neglecta illius iudiciali cognitione, nec reportato in scriptis Episcopi consensu, praescripserunt Synodales Constitutiones Constantienses (2). Addiditque Capitulum, interventum Beneplaciti Apostolici praesumi non posse ex lapsu triginta annorum cum observantia, nisi centenaria concurrat, iuxta celeberrimam Constitutionem S. M. Urbani VIII, quae incipit: *Romanus Pontifex* (3). Ideoque contendit idem Capitulum, Decimas in manipulis et in specie fructuum eidem deberi ab anno 1739, quemadmodum attenta nullitate contractus, eas deberi usque ab initio (4).

327. Propositis hinc dubiis: – I. An Capitulo Collegiatae Ecclesiae Stauffensis competat ius exigendi Decimas in natura sive in specie, seu potius obstent contractus Locationum et signanter ille anni 1739 in casu etc. – *Et quatenus affirmative ad primam partem.*

II. An et a quo tempore Parochiani teneantur reintegrare Capitulum de iisdem Decimis in natura sive in specie in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam. Ad secundum, Affirmative a die motae litis, pro summa liquidanda – *in Constantien. Decimarum die 28 Iulii 1781.*

328. Verum huiusmodi contractus confirmari videtur Apostolica sanctione, ut illo obstringantur etiam Beneficii Successores, si huius pactionis ope perimantur contentiones ac dissidia, quae in metiendis fructibus, ac in exigendas Decimas, facillime inter Partium Procuratores oriri solent *in Beneventana Beneplaciti die 24 Ianuarii 1829* §. *Decernere.*

329. Sacra Congregatio vero id passim de-

(1) In specie id firmat Reinffest. in Ius Can. de Decimis, lib. 3, tit. 30, §. 7, n. 136 et seqq.; Rot. in decis. 224, n. 4 et seqq. coram Kaunitz; in Chelmen. Decimarum 30 Martii 1753, §. 9, coram Canilliac; in Firmana Decimarum 1 Februarii 1762, §. 6, coram Olivatio. Et in genere ex praescripto in Extrav. *Ambitiosae* tradit Fagnan. in Cap. *Nulli* n. 12 et 34 de reb. Eccles. alien. vel non; Rot. in decis. 154, n. 3 et 4, coram Molin.

(2) Part. 2, tit. 21, §. 4.

(3) Quam Constitutionem sequuntur Card. Petra ad Constit. I Divi Leonis Magni, sect. 1, n. 58; Paulut. tom. 2, dissert. 62, n. 116; Rot. in decis. 154 per totum, et praesertim n. 6 et seqq.; decis. 199, n. 6, coram Molin.

(4) Rot. in Romana Nullitatis Contractuum 10 Decembris 1735, §. 9, coram Card. Bussio.

negare solet, nisi urgentissimae concurrant causae *in Beneventana Beneplaciti die 14 Ianuarii 1829.*

330. Propterea ob id etiam requiritur Beneplacitum Apostolicum, ut Rector beneficii licite ac valide pactionem ineat, qua ad vitam ipsius reditus, ex designatis fundis percipiendi, Dominis eorum per annuam pecuniae vim remittat; quamque Sacra Congregatio, deficiente praesertim necessitate ac utilitate, in aevum prorogare noluit, etsi iam nulliter perpetratam ad vitam Beneficiati quandoque sanare censuit, atque attenta bona fide Contrahentium absolutionem ad cautelam a censuris indulserit *in Beneventana Beneplaciti Apostolici die 24 Ianvarii 1829.*

331. Siquidem nobilis Neapolitana Familia ex Ducibus Carafa gaudebat iurepatronatus simplicis Beneficii sub invocatione Sancti Nicolai et Sanctae Mariae a Iammele, cuius fundatio vetustissima est, ac in tenebris antiquitatis delitescit. Huiusmodi Beneficium, in diruta Ecclesia intra ambitum latifundii seu rustici feudi Montis Leonis olim erectum, anno 1712 translatum fuit ad Archipresbiteralem Ecclesiam S. Rochi Oppidi *Pesco la Mazza* Beneventanae Diaecesis. Annuus illius reditus constabat ex vigesima tritici hordei, aliarumque frugum, quae ex praefato latifundio quotannis colligebantur. Ad vitandas vero lites, quae in exigenda vigesima identidem effervescebant, et ad alia, quae ipsam comitabantur exactionem, avertenda incommoda, modernus Beneficii Rector Clericus Ioannes Franciscus ex Ducibus Carafa die 1 Iulii 1814 pactionem iniit cum Duce Francisco et aliis de gente Carafa memorati latifundii Dominis, qua cautum fuit, ut in posterum loco vigesimae frumenti ceterorumque leguminum quotannis Beneficiato ex reditibus feudi rustici repraesentare obstringerentur libellas italicas sexcentas sexdecim seu ducata centum quadraginta, ab omni onere ac vectigali immunia.

332. Contractum huiusmodi, qui ex lege initae pactionis ad vitam tantummodo moderni Beneficiati erat duraturus, in aevum protrahi eoque futuros quoque Beneficii Rectores affici exoptavit gens Carafa, atque ob hanc causam eumdem contractum Apostolico Beneplacito roborari postulavit. At pactio illa, quam inierunt Contrahentes procul dubio Apostolicae Sedis venia indigebat, ut etiam vim exereret ad vitam Beneficiati. Nam ex eo pactio huiusmodi assimilatur contractui locationis fructuum Beneficii, quod huius Rector cum Debitore rei seu decimarum pactus est certam pecuniae vim sibi, dum vita fruebatur, quolibet anno repraesentandam; ideoque fructus Beneficii statuto pretio Emptori seu Conductori cessit. Quapropter pactio, quae inter Oratores intercessit, nullius roboris erat censenda. Hinc multo minus Apostolica sanctione confirmari poterat, ut illo obstringerentur etiam Beneficii Successores, ex eo etiam, quod nulla urgens necessitas vel utilitas concurrebat.

333. Propositis hinc dubiis:-I. An sit consulendum Sanctissimo pro sanatione Contractus ab Oratoribus initi ad vitam hodierni Beneficiati in casu etc.

II. An sit concedendum Beneplacitum Apostolicum pro perpetua prorogatione eiusdem contractus in casu etc.

III. An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione a censuris in casu etc. -, Sacra Congregatione respondit: - Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Negative. Ad tertium, Affirmative ad cautelam - *in Beneventana Beneplaciti Apostolici die 24 Ianuarii 1829.*

334. Idcirco nil obstitit in themate causa in medium prolata ad obtinendam perpetuam prorogationem, quod huius pactionis ope perimerentur contentiones et dissidia, quae in metiendis frugibus ac in exigenda vigesima facillime inter Partium Procuratores oriri solebant, quodque rationabilem id praeberet causam, ac etiam utilem; nam Beneficii Rectores a cunctis ferendis oneribus liberarentur, et quolibet anno iure pollerent exigenda ducata centum quadraginta, etiamsi modica fieri obtingeret frugum recollectio ac tritici leguminumque pretium vilesceret *in Beneventana Beneplaciti Apostolici die 24 Ianuarii 1829* §. *Decernere.*

335. Si enim quae allegabantur contentiones et dissidia iustam urgentemque exhiberent transigendi causam, iam omnes Parochi ac ceteri, qui iure decimarum gaudent, oporteret, ut simillimas pactiones contraherent. Insuper, si praestatio, quam offerebat Gens Carafa, cum decimis colligendis, ducto calculo per decennium, conferretur, aperte liquebat, penitus evanescere utilitatem Beneficii, uti animadvertebat Eminentissimus Archiepiscopus, ac propterea con-

tractus cedebat quidem in utilitatem Familiae Carafa, sed Beneficiario graviter noxius evadebat *in Beneventana Beneplaciti Apostolici die 24 Ianuarii 1829* §. *At nulla.*

336. Attenta propterea nullitate contractus, restituendum esse videtur ab Emptore quidquid ultra solutum pretium ex pensionibus percepit *in Lauretana Nullitatis Contractus die 30 Augusti 1788* §. *Idque* (1).

337. Nam, nullitate contractus declarata, fructus restituendos esse censuit Sacra Congregatio *in Lauretana Nullitatis Contractus die 30 Augusti 1788 et die 17 Ianuarii 1789.*

338. Infecto igitur Contractu, ex defectu Beneplaciti et evidentis utilitatis, perinde habetur ac si nunquam initus fuisset, et omnino deficit titulus, ut perceptos fructus suos quis facere possit *in Urbevetana Emphytheusis die 13 Septembris 1806* §. *Posita* (2).

339. Omnia enim in pristinum statum sunt revocanda *in Anagnina Reintegrationis die 28 Ianuarii 1832* §. *Capellania* (3).

340. Amplia, etiamsi in rem iudicatam transierint, in promptu semper est restitutio in integrum, quae passim dari solet Ecclesiae vel cuilibet Loco Pio, etiam adversus aliam Ecclesiam *in Caietana Reintegrationis die 5 Iulii 1856* §. *Exinde* (4).

341. Hinc, in vim Extrav. Ambitiosae, etiam Clerico alienanti res alienatas vindicandi facultas est *in Compsana Caducitatis die 2 Augusti 1845* §. *Quin.*

342. Imo, quando agitur de laesione vel damno Ecclesiae illato, quilibet etiam extraneus ad petendam bonorum reintegrationem, quemadmodum et ipse Iudex procedere valet ex officio *in Caietana Reintegrationis die 5 Iulii 1856* §. *Verum* (5).

343. Idcirco, etsi actionem petendi restitutionem experiri non posse videatur Beneficiatus in proprium commodum, ne ex culpa sua compendium consequatur, ne dubium quidem, quod eam experiri valeat, nomine Ecclesiae *in Lauretana Nullitatis Contractus die 30 Augusti 1788* §. *Actionem* (6).

344. Profecto expeditissima actio est a iure statuta, in casu illegitimae alienationis; nam Ecclesia habet actionem personalem contra male alienantem, ut damnum illatum resarciat, si est solvendo *in Ferrarien. Exequutionis Rescripti Alienationis Bonorum et Solutionis die 29 Iulii 1848* §. *Quid hinc* (7).

345. Quae actio transit etiam ad Heredes *in Ferrarien. Exequutionis Rescripti Alienationis Bonorum et Solutionis die 29 Iulii 1848* §. *Quid hinc* (8).

346. Quin imo Ecclesia habet etiam actionem in rem, contra Possessorem *in Ferrarien. Exequutionis Rescripti Alienationis Bonorum et Solutionis die 29 Iulii 1848* §. *Quid hinc* (9).

347. Siquidem in Oppido Gurgae Anagninae Diaecesis extabat Ecclesia, Deo in honorem S. Dominici dicata, quam Patronatus iure ad Familiam Apollonj pertinere acta SS. Visitationum ostendebant. Censuit vero modernus Anagninae Ecclesiae Apostolicus Administrator Episcopus Ferentinus in illius Aedis Visitatione, anno 1821 obeunda, certo constare de ecclesiastica quadam Capellania, quam congruo censu videbatur ditasse quidam Marcus seu Ioannes Apollonj, ea sub lege, ut bina singulis hebdomadibus ibidem Sacra fierent, attributo in Familiam suam legitimo eiusdem Capellaniae iurepatronatus. Hinc ex documentis in medium prolatis de institutione Capellaniae iurispatronatus laicalis persuasum fuit Apostolico Anagninae Ecclesiae Administratori; qui, posteaquam comperiisset, illiusmodi Capellaniae seu Ecclesiae S. Dominici bona stabilia, quae in exhibito inventario descripta cernerentur, sine ullo S. Sedis Beneplacito fuisse ab Heredibus Magdalenae Apollonj divendita, in ipsa S. Visitatione anni 1824 decrevit, – Possessores quoscumque praediorum, ut supra alienatorum, te-

(1) De Marin. quotidian. resolut. cap. 8, n. 1 et seqq.; Ventrigl. in prax. part. 1, annot. 1, §. 4, n. 6.
(2) Rot. in decis. 256, n. 2, coram Duran.; in decis. 289, n. 8, coram Rezzonico.
(3) Rot. in Romana nullitatis Contractus 10 Decembris 1755, §. 9, coram Bussio.
(4) Rot. in decis. 75, n. 7, part. 17 Recent.
(5) Ventrigl. in prax. for. Eccles. tom. 1, adnot. 1, §. 4, n. 7.
(6) Garz. de Benef. part. 3, cap. 1, n. 83 et seqq.
(7) Can. *Monemus,* caus. 12, quaest. 2; Arg. ex Leg. 5, Cod. Si Tutor vel Curator intervenerit.
(8) Abb. in Cap. *Ex praesentium,* n. 3, de pignor.
(9) Can. *Apostolicos* 8, caus. 12, quaest. 2.

neri ad ea favore Capellaniae reddenda, ac eiusdem Capellaniae favore mandatum de reintegrando vel immittendo relaxandum fore et esse, prout ex nunc relaxamus -.

348. Huius Decreti vis eo sane valuit, ut Sacerdos Ioannes Felix Giordani Foraneus Gurgae Vicarius inter cetera bona, quae eodem anno 1821 pro Capellaniae et Ecclesiae securitate peculiaris hypothecae vinculo apud acta publica subiecit, legitimam quoque inscriptionem susceperit in tres fundos, qui in territorio Oppidi Scurgulae siti reperiebantur. Ubi autem scitum est, eos fundos possideri tunc a Ioanne Baptista Posta ex eodem Oppido Scurgulae, cuius auctori publicis instrumenti tabulis anno 1786 exaratis venditi fuerant a Vincentio Lattanzi, qui Magdalenae Apollonj donatarius extiterat, Anagninae Ecclesiae Administrator Apostolicus mense Septembris 1827 alterum edidit S. Visitationis Decretum, quo declaravit, - constare per supradictum instrumentum, de indebita alienatione relatorum fundorum, absque ullo Sedis Apostolicae permissu; proindeque, nomine Capellaniae nunc vacantis Praefectum Piae Congregationis, in supradicta Ecclesia S. Dominici erectae, una cum R. D. Promotore Fisci Episcopalis immittendum fore et esse in possessionem seu redintegrationem memoratorum trium fundorum in territorio Scurgulae, amoto quolibet iniusto Detentore, servatis etiam iuribus pro recuperatione omnium et singulorum fructuum, hactenus in iisdem fundis perceptorum -.

349. Hinc Promotor Fiscalis, existentia Capellaniae nec non fundorum identitate probata, in id enixe institit, ut omnia in pristinum statum reducerentur, cum nec praescriptio intercesserit. Nam ab anno 1786, quo bonorum venditio peracta fuit, ad annum 1821, quo inscriptionem hypothecariam super iisdem bonis suscipiendam iussit Administrator Apostolicus, ostendit, non intercessisse annorum quadraginta spatium, quot sane concurrant oportet, una cum ceteris a iure requisitis, ad res immobiles Ecclesiae Piorumque Locorum praescribendas (1): imo de nulla in themate praescriptione agi posse sustinuit; quia contra Ecclesiam toto tempore, quo ipsa caret suo Rectore, praescriptio silet ac dormit (2).

350. At Ioannis Baptistae Posta Patronus sententiam Curiae Episcopalis putavit prorsus infirmandam, cum agi contenderit in casu de Legato Pio cum onere Missarum, non vero de Capellania; idque dein ab ipsa Curia Episcopali satis fuisse demonstratum, ex quo iussit anno 1821, inscriptionem hypothecariam, super iis bonis, esse capiendam. Haec enim haud iam suppeditat probationem dominii, sed simplicis crediti; imo omne excluditur ex ea dominium, quum in re aliena, non propria, hypothecam consistere doceat S. Rota (3). Tueri inde censuit praescriptionem quadragenariam; quia ab tempore emptionis venditionis anno 1786 peractae ad annum usque 1828, quo Episcopalis Curiae sententia illi delata fuit, praeter titulum et bonam fidem tempus etiam a lege praescriptum intervenit: quin eam interrumpere valuisset hypothecaria pro Ecclesia S. Dominici inscriptio, a Curia Episcopali anno 1821 sumpta; quippe quae suscepta fuit tantummodo adversus duos alios Possessores Lattanzi et Traietto, dum tamen illud explorati iuris esse inquit, ut inscriptiones suo stent robore in eos tantum, quorum nomina in ipso inscriptionis actu allegata reperiuntur. Quoniam vero ex parte Posta possessio bonorum, de quibus agebatur, anterior erat anno 1809, quo anno hypothecarium regimen apud nos invectum est, negavit in themate eiusdem Patronus, Clienti suo obesse posse, ob transcriptionis defectum, inscriptionem a Vicario Foraneo Gurgae susceptam, elapso iam tempore a Gallicis legibus praescripto, ad tradita per S. Rotam (4), quae vero contrariae postea adhaesit sententiae (5).

351. Hisce hinc inde expensis, proposito dubio: - An sententia Curiae Episcopalis sit confirmanda, vel infirmanda in casu etc. -, Sacra

(1) Cap. *De quarta* 4; cap. *Ad aures* 6; cap. *Illud autem* 8; cap. *Quia iudicantes* 9.

(2) Cap. 1 et 15 de Praescript.; Reiffenst. Ius Can. lib. 2, tit. 26, n. 199.

(3) In Romana seu Maceraten. Praelationis 5 Maii 1820 §. 10, coram Emo Marco; in Romana seu Viterbien. Exfractationis 27 Ianuarii 1823 §. ult. coram Spada; in Maceraten. Pecuniariae 23 Novembris 1826 §. 12, coram Bofondi.

(4) In Veliterna Executionis 27 Februarii 1818 §. 8, coram Zinanni.

(5) In Bononien. seu Ferrarien. Pecuniariae 5 Iulii 1824 §. 3 et seqq. coram Corsi; in Anconitana Hypothecae super II dubio 12 Decembris 1825 §. 3 et seqq. coram Emo Marco; et in eadem super III dubio die 13 Ianuarii 1826 §. 7 et seqq. coram eodem.

Congregatio respondit: - Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam - *in Anagnina Redintegrationis die 28 Ianuarii 1832.*

352. Quin imo Curia ecclesiastica agere debet, prout de iure, etiam contra Emptores vel Usurpatores bonorum ecclesiasticorum, inflictis poenis et censuris, ut illa respectivis Ecclesiis et Beneficiis restituant *in Reatina Censurarum die 27 Ianuarii 1827.*

353. Enimvero, Sacram Visitationem anno 1822 peragente in Oppidis Neapolitani Regni sibi subiectis Francisco Xaverio Pereira Episcopo Reatino, Presbiter Antonius Palmieri ex pago S. Viti sacrilegae emptionis bonorum Ecclesiae insimulatus fuit. Quare Episcopus sui muneris esse censuit eidem inhibere obeundi Sacrum, itemque iubere, ut Reatem pergeret, de initis contractibus rationem redditurus. Verum paucis post mensibus, instituto per Theologos examine, ac ipsis opinantibus in interiori dumtaxat conscientiae foro reum esse, a priori sententia recessit, eumque ad pristina restituit. Interim tamen datis Literis suo Vicario Generali Carolo Pacifici, processum formaliter confici decrevit. Episcopi mandatis obsequens Vicarius, accusationes plures acceperat ac Testes plures audierat, cum inter cetera, renuente Palmerio authographum exhibere, ex quo constaret de legitima emptione bonorum Monialium Sancti Leonardi Civitatis Montis Regalis, ipsum a divinis suspendit, et ad Coenobium Patrum Capuccinorum eiusdem Civitatis relegavit. Ortum hinc, ut praefatus Sacerdos in Claustro degens ad seculare Ministri Regii Tribunal, quod Neapolis residebat, primo confugerit; obligationem postmodum scripto emiserit de bonis Ecclesiae restituendis; ac demum, arrepta fuga, Romam petens, a Summo Pontifice suppliciter petierit absolutionem a censuris et dispensationem super irregularitate.

354. Precibus ad Sacram Congregationem remissis, die 15 Septembris 1824 annuente Summo Pontifice rescriptum fuit, pro gratia absolutionis a censuris et relegationis, dispensationis, et rehabilitationis ad cautelam arbitrio et conscientiae Episcopi usque ad exitum tamen causae, emissa obligatione de stando iuri et parendo mandatis Ecclesiae; et insuper mandatum fuit eidem Episcopo Reatino, ut distincte referret de singulis contractibus ab Oratore initis cum Patronis, utrum fundi ab eodem Oratore fuerint acquisiti in publicis licitationibus a Demanio factis, nec non praevia aestimatione fundorum a Monasterio S. Leonardi alienatorum per Peritum ex officio deputandum, referret de vero illorum valore, et utrum Vicarius Generalis facultates habuerit a praedecessore Episcopo, ad effectum suspendendi et relegandi Oratorem. Singulis sibi iniunctis satisfacere curavit modernus Episcopus Reatinus.

355. Namque is respondit, Vicarium Generalem facultates habuisse a praedecessore Episcopo, ad effectum suspendendi et relegandi Oratorem. Non defuit igitur in Vicario iurisdictio, nec aliquid actum est contra S. M. Clementis XIV praescriptum, pro Vicariis Generalibus in Regno Neapolitano. Hinc ad contractus quod spectat, Vicarius Generalis crimini vertit Presbitero Palmieri duodeviginti emptiones ecclesiasticorum fundorum, ac binas usurpationes. Presbiter autem Palmieri sese expurgare conatus est, exhibitis exemplaribus instrumentorum ac etiam scripturarum, quae privatim confecta fuere, occasione quorumdam emptionum.

356. Ex his aperte colligebatur, emptiones tres factas fuisse a Iosepho Palmieri ipsius Patre. Reliquos contractus a Sacerdote Palmieri initos fuisse compertum erat. Horum unus contigit cum Demanio die 18 Novembris 1812, et complectebatur fundos quosdam antea spectantes ad Moniales S. Clarae Montis Regalis. Quatuor dicebantur initi cum Patronis Beneficiorum, nempe 1. cum Timotheo Ricci die 5 Decembris 1816, pro bonis Beneficii SS. Nativitatis erecti in Ecclesia S. Mariae Montis Regalis; 2. cum eodem Timotheo Ricci, pro aliquibus fundis, quos in instrumento diei 21 Ianuarii 1814 ad se pertinere affirmavit Venditor, Vicarius autem dixit, spectare ad Capitulum eiusdem Civitatis; 3. cum Canonico Felice Antonio Cassiani per privatam scripturam diei 5 Decembris 1816, pro aliquibus fundis spectantibus ad Beneficium SS. Magorum in praedicta Ecclesia S. Mariae eiusdem Civitatis erecti; 4. cum Canonico Odoardo Ricci et Athanasio fratre ex instrumento diei 24 Ianuarii 1818, pro fundis Beneficii SS. Rosarii erecti in eadem Ecclesia S. Mariae Montis Regalis, patronatus Circi, ut Vicarius Generalis notabat. Ex decem, qui supersunt, novem exhibebant privatas personas.

357. Contractibus succedebant usurpationes. Ut a calumnia se vindicaret, quoad bona Eccle-

siae S. Viti, saepe recensitus Presbiter Palmieri dixit, se illa administrare dumtaxat, minime autem possidere; paratus, si opus fuerit, transacti temporis rationem reddere. Quoad alteram usurpationem, nonnisi infirmam exhibere valuit defensionem. Unde compertum erat, plura Ecclesiae bona a Presbitero Antonio Palmieri absque iusto titulo possideri. At emptiones omnes adnexam habebant vel publicam vel privatam scripturam. In ea Venditores omnes affirmabant, patrimonialia sua bona alienare et tradere. Aderat in pluribus Cancellarii fides, vel positiva inscriptione in publico Censu favore Venditorum, vel negativa, quam pro contractibus tunc sufficere in Neapolitano Regno testabatur Regius Iudex in Monte Regali. Insuper in quolibet contractu pretium solutum fuisse asserebatur. Ex his omnibus exurgebat praesumptio, quod emptor Presbiter, aut ignoraverit bona, quae acquirebat ad Ecclesiam pertinuisse, aut putaverit, ab Ecclesia ad Laicos aliquo modo antea transiisse.

358. Usurpationes autem paucissimae erant, nec magni pretii; et forte contingere potuit, quod Palmieri in ea fuerit sententia in aliis initis contractibus comprehendi praefata ecclesiastica bona, vel inter antiqua suae Familiae adnumerari. Sed e contrario non deerant momenta, quibus ignorantia facti excludi et contumacia probari videbatur. Praeterquamquod enim omnia fere bona superius relata in viciniis Patriae suae sita erant; unde facile verus eorum Dominus ipsi innotescere poterat, Testes plures extabant in processu, qui dicebant, ipsum non solum monita sprevisse, sed etiam callidas artes adhibuisse, ut a Patronis, vel solum Rectoribus, et Conductoribus traderentur. Accedebat, in obligatione ab eodem emissa die 26 Aprilis 1824 aperte fateri iamdiu agnitum ab ipso male se contraxisse et plura Ecclesiae bona retinere.

359. Ceterum, cum nemo de facto alieno reus haberi queat, planum erat, minime licere per ecclesiasticas censuras inquirere in Presbiterum Antonium Palmieri, propter emptiones bonorum Ecclesiae, quas fecit Ioseph Palmieri, illius Parens. Praeterea conventio, inter S. M. Pium Papam VII et Ferdinandum I utriusque Siciliae Regem anno Domini 1818 die 7 Martii signata, modum imposuit ecclesiasticis iudiciis, ne molestia ulla inferretur omnibus, qui possidebant Ecclesiae bona alienata citra Pharum sub militari Regimine, quemadmodum legenti articulum XIII perspicuum erat. Siquidem ex historia patebat, bona plura a Maioribus Ecclesiae dicata in Neapolitano Regno per Demanium alienata fuisse; ac insuper, lege lata die 18 Iunii 1807, bona immobilia Legatorum Piorum, Capellaniarumque Laicalium ac Beneficiorum curam animarum vel residentiae onus non habentium, bonis Laicorum inter cetera aequata fuisse, facta Patronis facultate plenam eorum possessionem adire post mortem eorum, qui ea tunc temporis possidebant. Quae quidem Lex, quamvis subsequenti Decreto Ferdinandi Regis die 20 Iulii 1818 abrogata fuerit, postmodum tamen die 28 Augusti 1819 per Regium Thesauri Administrum, assentiente rerum ecclesiasticarum Ministerio, declaratum fuit, vim suam retinere relate ad bona Beneficiorum, quae ante praefatum Decretum a Patronis alienata fuerint vel inter ipsos divisa. Quare idem Presbiter nequibat quoque in iudicium vocari propter bona, quae a Demanio, sive immediate sive mediate soluto pretio accepit, vel sibi comparavit contractu inito cum Patronis, quorum Beneficia extincta fuerint.

360. Attamen ex Lege memorata nonnisi post mortem Rectorum, Patroni ius acquirere poterant in simplicia Beneficia. Unde nullitatis vitio laborabat contractus cum Timotheo Ricci initus, pro bonis Beneficii SS. Nativitatis in Ecclesia S. Mariae Montis Regalis. Namque constabat, huius Beneficii Rectorem iam ab anno 1785 institutum fuisse D. Iosephum Mannetti ab Antrodoco. Sacerdos hic adhuc vivebat ac in Patria morabatur, Canonici Theologi munus exercens, nec unquam Beneficium resignaverat. Patronus igitur non poterat Beneficii bona vendere tamquam secularem proprietatem iamdiu a se possessam, quomodo in instrumento mendaciter asserebatur, nulla insuper facta adnexorum onerum mentione, nec Palmerius omnibus inspectis circumstantiis ea acquirere. Praeterea in processu idem Riccius testabatur de fraudibus a Palmerio patratis in hoc et in altero contractu cum eodem inito. Insuper apud seculare Tribunal Montis Regalis, instante Presbitero Laurentio Santoni, Rectore Beneficii SS. Magorum Regum, actum fuit de spolio cuiusdam fundi, ad idem Beneficium spectantis, ac definitiva sententia damnatus Sacerdos Pal-

mieri, ut illum restitueret; nec tamen id adhuc ab ipso praestitum erat.

361. Propositis hinc dubiis: – I. An et quae bona Orator teneatur restituere Monasterio S. Leonardi in casu etc.

II. An teneatur restituere bona ad Beneficium S. Ioannis Baptistae pertinentia in casu etc.

III. An constet, fundum in territorio *le Pianche* spectare ad Paraeciam de Aringo, illumque Orator eidem Paraeciae teneatur restituere in casu etc.

IV. An teneatur restituere cetera bona ecclesiastica in casu etc.

V. An Orator inciderit in excommunicationem et suspensionem in casu etc. *Et quatenus affirmative.*

VI. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo, pro absolutione in casu etc., – Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative; pro bonis expositis sub numero primo et sexto, iuxta votum Eminentissimi Relatoris (1), pro reliquis providebitur in quarto. Ad secundum, Affirmative; iuxta votum Eminentissimi Relatoris (2). Ad tertium, Providebitur in quarto. Ad quartum, quoad praedium S. Viti, Affirmative (3); in reliquis Episcopus, vocatis omnibus interesse habentibus, procedat prout de iure, etiam cum facultatibus S. Congregationis. Ad quintum, Affirmative; sed pro nunc satis provisum per Rescriptum diei 15 Septembris 1824. Ad sextum, Provisum pro nunc, ut supra; firma remanente reincidentia, et, expletis causis coram Episcopo, recurrat Orator commendatus ab Episcopo, et tunc ad D. Secretarium cum Sanctissimo – *in Reatina Censurarum die 27 Ianuarii 1827.*

362. Unde quilibet Possessor compelli potest ad rem huiusmodi, cum omnibus fructibus inde perceptis, restituendam *in Ferrarien. Exequutionis Rescripti Alienationis Bonorum et Solutionis die 29 Iulii 1848* §. *Quid hinc* (4).

363. Quod si restitutio haec obtineri nequeat, tenentur Alienantes redintegrare Ecclesiam in quantum ex commissa alienatione deterior eius conditio facta est in *Mathelicen. Sanationis die 1 Martii 1817* §. *Alienantes.*

Item *in Massen. Pii Legati die 23 Aprilis 1842* §. *Quod* (5).

364. Ceterum et bona fides excusat a restitutione consumptorum fructuum, quod quis ex contractu illicito percepit *in Lauretana Nullitatis Contractus die 30 Augusti 1788* §. *Quantum* (6).

365. Secus enim integre debentur fructus, tum ex fructifera bonorum qualitate, cum ratione dominii, nunquam ab eo avulsi *in Setina die 23 Ianuarii 1790* §. *Sequela* (7).

366. Speciale quippe est in alienatione rei Ecclesiasticae nulliter peracta, quod Possessor teneatur ad fructuum restitutionem non solum a die motae litis, sed ab ipsa die, qua fuit contractus celebratus *in Nullius seu Asculana die 8 Martii 1723* §. *Ad primum* (8).

(1) At Eminentissimus Relator haec deduxit in numero primo, ut in §. *Primus* – ibi – Primus respicit praedium cupparum sex et dexteri unius cum dimidio, situm in Territorio *Vici Mopolino*, quod accepit a Paschale Flamini, ut ex instrumento Iosephi Perilli 10 Iulii 1813. Hunc tamen Moniales S. Leonardi Montis Regalis affirmant fuisse dumtaxat Conductorem, et praedium ad se pertinere; quia unum ex bonis suo Monasterio assignatis ac unitis ex altero suppresso S. Clarae –. Haec autem prostant in numero sexto, ut in §. *Sextus* – ibi – Sextus accidit inter Palmerium et Antonium quondam Caroli Circi confecto instrumento die 7 Septembris 1814 per rogitum Ioannis Baptistae Perilli. Amplectitur praedia quatuor: primum in Territorio, quod dicitur *Marignano*, cupparum trium et dexterorum 82; tertium et quartum in Territorio *Mopolino*, illud dexterorum 36, hoc cuppae unius et dexterorum 25. Circa haec animadvertendum est, praedictas Moniales S. Leonardi insurgere, ut ea sibi vindicent, innixas venditioni cum pacto retrovenditionis Monasterio factae a Nicolao Circi anno 1798 sub die 13 Ianuarii –.

(2) Siquidem praedium cupparum septem in Territorio Villae Savignano Palmerius per instrumentum a Notario Zaccaria Fabi exaratum die 20 Septembris 1812 emit a Clerico Todoni quem Vicarius Generalis narravit esse simplicem Rectorem Beneficii S. Ioannis Baptistae in Ecclesia S. Petri in Savignano, eidemque Beneficio venditum praedium pertinere.

(3) Praediolum hoc pertinens ad Ecclesiam S. Viti Palmerius usurpaverat, atque adhuc eiusdem possesssionem et usum retinebat.

(4) Arg. ex Cap. *Si quis Presbiterorum* 6, §. fin. tit. de reb. Eccles. alienan. vel non; Reiffest. lib. 3 decret. tit. 13, §. 2, n. 62 et 63; Pirrhing. eodem tit. n. 69 et 70.

(5) Arg. ex Can. *Moncmus* 18, caus. 12, quaest. 2; cap. *Ex praesentium* 3, de pignor.; tradit Reiffest. in ius can. lib. 3, tit. 13, §. 3, n. 62.

(6) Card. De Luc. de alienat. disc. 12, n. 17; Rot. in Romana Census Vitalitii 28 Ianuarii 1757, §. 4, coram Card. Elephantutio.

(7) Rot. in Aversana Manutentionis super fructibus 22 Iunii 1757, §. 3, coram Olivatio.

(8) Cap. *Si quis*, de reb. Eccles. alienan. vel non; et late Conrad. in prax. dispensat. lib. 9, cap. 11, n. 13, §. Ex quibus,

367. Imo et damna esse reficienda videntur, iuxta vulgatam illam Iuris regulam: quod damnum, qui causam dat, reficere debet *in Terracinen. et Setina die 23 Ianuarii 1790* §. *Sequela* (1).

368. Namque sequela rescissionis contractus est reintegratio ad bona alienata, iis etiam redditis, quae ab Emptore accepta sunt *in Terracinen. et Setina die 23 Ianuarii 1790* §. *Sequela* (2).

369. Alienationum consectarium hinc est Capellaniae seu Ecclesiae reintegratio, per Extravagantem ipsam *Ambitiosae* et Sacrum Concilium Tridentinum in Cap. 11 sess. 22 de Reformatione *in Fanen. Capellaniae die 29 Ianuarii 1791* §. *Alienationum*.

Item *in Urbevetana Emphyteusis die 13 Septembris 1806* §. *Posita*.

370. Idcirco Rector Capellaniae seu Beneficii ad reintegrationem tenetur *in Fanen. Capellaniae die 29 Ianuarii 1791* §. *Alienationum*.

371. Quod si alii bona alienaverint, praescribendum Rectori tempus ad agendum vel contra hereditates eorum, qui et ipsi bona Capellaniae alienaverint, non turbatis tamen Possessoribus bonae fidei, quotiescumque hereditates huiusmodi sint solvendo pares *in Fanen. Capellaniae die 29 Ianuarii 1791* §. *De omnibus*.

372. Vel contra eos, qui fundos ad hereditatem Fundatoris spectantes possideant, quando impares sint reintegrationi Alienantium hereditatis *in Fanen. Capellaniae die 29 Ianuarii 1791* §. *De omnibus*.

373. Hinc licet compensandi viderentur Emptori suorum bonorum fructus et ob bonam fortasse fidem Beneplaciti etiam melioramenta, de quibus contra Peritum Loci Pii nonnulli sunt Testes *in Terracinen. et Setina die 23 Ianuarii 1790* §. *Licet* (3).

374. Res tamen expedita non est, quoad fructus scutorum exempli gratia 1082. 42, quae sterilis sunt pecunia *in Terracinen. et Setina die 23 Ianuarii 1790* §. *Licet* (4).

375. Praesertim, si ad alienum aes dimittendum creare forsan debuisset Locus Pius fructiferum censum, ita ut pecuniae solutae fructus quodammodo compensativi videantur *in Terracinen. et Setina die 23 Ianuarii 1790* §. *Licet*.

376. Satis tamen non videtur ratio possibilis census, ut fructiferam reddat pecuniam, quae semper fuit sterilis *in Terracinen. et Setina die 23 Ianuarii 1790* §. *Licet*.

377. Potiori insuper animadverti posset iure, quod si ratio habeatur favore Loci Pii de integris bonorum suorum fructibus commodum sentiisset accepti pretii, et plenariam pro parte vendita consequeretur bonorum reintegrationem contra aequitatem Legis *Curabit* Cod. de action. empti *in Terracinen. et Setina die 23 Ianuarii 1790* §. *Licet* (5).

378. Si praesertim Locus Pius pecuniam accepisset cum licentia Superioris *in Terracinen. et Setina die 23 Ianuarii 1790* §. *Licet*.

379. Ceterum, etsi contractus permutationis initus esset, ex licentia Cardinalis Protectoris Loci Pii et sub reservatione Beneplaciti Apostolici inter ipsum Locum Pium ac eiusdem Deputatum, Sacra Congregatio nedum nullitatem contractus permutationis et respectivae venditionis declaravit, ac Beneplaciti Apostolici concessionem denegavit, sed esse locum reintegrationi et restitutioni fructuum et refectioni melioramentorum edixit *in Terracinen. et Setina die 23 Ianuarii 1790* (6).

380. At haec vim quandoque non habere videntur; nam Beneplacitum Apostolicum necessarium non esse censent non pauci Doctores, cum res sit de Pio Opere mere Laicali *in Bovinen. Capellaniae die 13 Septembris 1834* §. *Iamvero*.

Item *in Bononien. Redditionis Rationis et Beneplaciti Apostolici die 2 Martii 1839* §. *Quod*.

et §. Sicut; Gall. ad Constit. Urban. VIII, n. 138; Ventrigl. in prax. rerum Eccles. tom. 1, annot. 1, §. 3, n. 6; Card. De Luc. de alienat. disc. 1, n. 105.

(1) Cap. *Damnum* 86, de Regul. Iur. in 6; L. Quod quis 203, ff. eod. tit.

(2) Card. de Luc. de alienation. disc. 1, n. 99 et seqq.; Card. Petra ad Constit. Paulinam sect. 4, n. 15.

(3) L. *Paulus* in fin. ff. de dol. except., L. *Si in area*, ff. de condict. inebit.; Garz. de expens. et meliorat. cap. 1, num. 24.

(4) Leotar. de usur. quaest. 33, n. 30; et quaest. 43 in appen. n. 3.

(5) Cui Legi plaudunt Groenwegen. ad Leg. 19, Cod. de contrahen. empt.: Voet. in pandect. lib. 19, tit. 1, num. 11; Donnell. in Commentar. iur. civil. tom. 8, pag. 1047, n. 6.

(6) Speciem ac resolutionem dubiorum Causae huius habes in Verb. *Administrator* §. IV, n. 103, 104, 105, et 106.

381. Propterea censuram Extravagantis *Ambitiosae* ad Pia Loca, nulla Episcopi vel Pontificis auctoritate erecta, minime protendi propugnant *in Bononien. Redditionis Rationis et Beneplaciti Apostolici die 2 Martii 1839* §. *Quod* (1).

382. Amplia, nec ad bona, quae in simplices usus pios sunt destinata, ac laicalem retinent qualitatem *in Bononien. Redditionis Rationis et Beneplaciti Apostolici die 2 Martii 1839* §. *Quod* (2).

383. Hinc dispositio Extravagantis *Ambitiosae* in alienationibus procedere videtur bonorum ecclesiasticorum, quae ad Ecclesias pertinent et Loca Pia, auctoritate Ordinarii erecta, non item bonorum, quae in simplices pios usus destinata sunt, ac laicalem retinent qualitatem *in Ferrarien. die 16 Februarii 1788* §. *Plura* (3).

384. Quamobrem bona, Capellaniae laicali destinata, distrahi posse videntur, absque Beneplacito Apostolico *in Perusina Capellaniae die 15 Septembris 1827* §. *Si EE. VV.*

Item *in Forosempronien. Capellaniae die 26 Martii 1831* §. *Quamquam* (4).

385. Nam iuris Canon esse videtur, bona pro Anniversariis et laicalibus Capellaniis relicta, non cadere sub censura Extrav. *Ambitiosae* de reb. eccles. non alienandis *in Camerinen. die 9 Maii 1840* §. *Itaque.*

Item *in Caietana Reintegrationis die 5 Iulii 1856* §. *Atque in themate; in Terlitien. Capellaniae die 29 Ianuarii 1859* §. *Si ergo.*

386. Propterea possunt libere, nullisque requisitis solemniis, alienari *in Caietana Reintegrationis die 5 Iulii 1856* §. *Atque in themate.*

Item *in Terlitien. Capellaniae die 29 Ianuarii 1859* §. *Si ergo.*

387. Salvo tamen onerum adimplemento *in Caietana Reintegrationis die 5 Iulii 1856* §. *Atque in themate.*

Item *in Terlitien. Capellaniae die 29 Ianuarii 1859* §. *Si ergo* (5).

388. Capellaniae siquidem laicales sub regulis beneficialibus non cadunt, maxime in odiosis *in Senogallien. die 21 Novembris 1840* §. *Ceterum.*

Item *in Caietana Redintegrationis die 5 Iulii 1856* §. *Atque in themate.*

389. Nihilominus alii Doctores tenent, Beneplacitum Apostolicum omnino necessarium esse in alienationibus etiam rerum, quae ad pios usus sunt destinatae *in Vicen. Assignationis die 20 Novembris 1762* §. *Et a defensoribus* (6).

390. Hinc alienatio bonorum, quae in pios usus destinata fuerunt, absque Beneplacito Apostolico peracta, nulla atque irrita censenda *in Ferrarien. die 15 Septembris 1787* §. *Nullam* (7).

391. Praesertim, si alienata fuerint ex ordinaria Episcopi auctoritate, postquam res delata erat ad Sacram Congregationem *in Ferrarien. die 15 Septembris 1787* §. *Nullam* (8).

392. Idcirco etiam Hospitalia tantum Pia, absque Episcopi auctoritate fundata, iuris solemnioribus, ad alienanda bona Ecclesiae requisitis, indigent in bonorum suorum alienatione *in Bononien. Redditionis Rationis et Beneplaciti Apostolici die 2 Martii 1839* §. *Pressius* (9).

393. Quod itaque intelligendum etiam de

(1) Pichler in ius canon. lib. 3, tit. 13, de reb. Eccles. non alienan. n. 3; Rot. in decis. 248, n. 18 et seqq. part. 11; in decis. 313, part. 10, n. 9 Recent.

(2) Card. de Luc. de alienat. disc. 1, n. 15.

(3) Redoan. de reb. Eccles. non alienan. pag. 358, n. 2 et 3 et pag. 261, n. 1 et seq.; Card. Petra ad Constit. Apostol. *Ambitiosae*, sect. 3, n. 26, tom. 5; Pacion. de locat. cap. 14, §. 6, n. 23 et 33; Rot. in decis. 238, n. 1, part. 5 Recent.; in Romana seu Leodien. Immissionis 3 Februarii 1755, §. 3, coram Card. Caprara.

(4) Card. De Luc. de alienat. disc. 1, n. 11; Card. Petra ad Constit. Apostol. *Ambitiosae*, sect. 3; Rot. in Romana seu Leodien. Immissionis 3 Februarii 1755, coram Caprara.

(5) Redoan. de reb. Eccles. non alienan. quaest. 49, n. 5 et 6; Card. Petra in Comm. ad Constit. 5 Pauli II, sect. III, n. 26; Berard. Ius eccles. in append. de benef. Improp. §. Deinde.

(6) Amostaz de Caus. Piis lib. 4, cap. 11, n. 29.

(7) Antonell. de regim. Eccles. lib. 1, cap. 4, n. 15; Leuren. for eccles. lib. 2, tit. 2, quaest. 156, n. 2, tom. 2; Navarr. de privil. miserabil. personis, privil. 130, n. 2.

(8) Arg. ex text. in cap. *Studuisti* 2, de offic. legat., quem ibi exornat Fagnan. n. 1, lib. 1; Barbos. de potestate Episcop. part. 3, allegat. 93, n. 8; Leuren. for eccles. lib. 2, tit. 2, quaest. 125, n. 3, tom. 2.

(9) Arg. ex text. in authen. de non alienan. §. Nos igitur; Afflict. decis. 67 in fin.; Ricc. in Collect. 1886, vers. quod quartam, t. 1, resol. 37; Navarr. q. 54, n. 4; Nald. in summa, Verb. *Hospitale.*

locatione ultra triennium bonorum, quae ad Confraternitates laicorum pertinent *in Bononien. Redditionis Rationis et Beneplaciti Apostolici die 2 Martii 1839* §. *Pressius.*

394. Nam, etiam quoad istas, quatenus exercent opera pietatis, requiritur Beneplacitum Apostolicum, etiamsi non sint fundatae cum auctoritate Episcopi *in Bononien. Redditionis Rationis et Beneplaciti Apostolici die 2 Martii 1839* §. *Pressius* (1).

395. Idcirco, licet de Pio Legato vel de laicali Capellania dumtaxat res sit, sarta semper tectaque bona illa servanda sunt, nec vendi possunt, nisi ab illo, qui iure dominium ipsorum tenet, vel liberam eorumdem administrationem sibi datam nactus sit *in Burgi S. Sepulchri Domnini die 22 Iulii 1833* §. *De dominio.*

396. Hinc et in casu, quo agebatur de simplici Legato Pio, et quidam Manzalius praefati Legati Pii administrationem extorserat atque bona in emphytheusim seu usum acceperat pro se suisque Filiis ac Heredibus auctoritate Vicarii Generalis, Sacra Congregatio irritam declaravit praefatam emphytheusim, Pia Opera ad formam Testamenti esse implenda, et Manzalium fructus restituere debere, quamvis inde ex gratia absolutionem quoad praeteritum concesserit. Propositis enim dubiis: - I. An et quomodo sustineatur Instrumentum emphytheusis sive usus in casu etc.

II. An et quomodo sint adimplenda Pia Opera ordinata a Romano Boari in casu etc.

III. An et quomodo sit providendum, quoad praeteritum in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Negative. Ad secundum, Affirmative; iuxta votum Eminentissimi Archiepiscopi. Ad tertium, Affirmative; iuxta liquidationem, faciendam ab Eminentissimo Archiepiscopo - *in Ferrarien. die 15 Septembris 1787.*

397. Repropositis dein dubiis, sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, In decisis; et ad D. Secretarium cum Sanctissimo, iuxta mentem. Ad secundum, In decisis; iuxta modum, nempe in omnibus et per omnia ad formam Testamenti Romani Boari, sed in iisdem Operibus Piis esse eroganda scuta quadraginta, quae sibi retinent Usuarii, titulo administrationis, ac similiter nec posse sibi retinere scuta quadraginta pro Hospitio PP. Capuccinorum, sed eas solummodo impensas esse admittendas, quae vere in eorum alimoniam et Hospitium persolvuntur; et Archiepiscopus debere esse perpetuum administratorem Operis Pii. Ad tertium, praevio recessu a decisis, Consulendum Sanctissimo pro absolutione, quoad praeteritum; et amplius - *in Ferrarien. die 16 Februarii 1788.*

398. Idcirco non obstitit Doctorum opinio per Manzalios in medium prolata, qua necessitatem negarunt Beneplaciti Apostolici in controverso *usu*, seu iuxta concordatam ipsius dubii formulam, *emphytheusi*, eo quod Extravagantis Ambitiosae dispositio in alienationibus procedit bonorum ecclesiasticorum, quae ad Ecclesias pertinent, et Loca Pia, auctoritate Episcopi erecta, non item bonorum, quae in simplices pios usus destinata sunt ac laicalem retinent qualitatem *in Ferrarien. die 16 Februarii 1788* §. *Plura.*

399. Nec insuper diuturna octoginta annorum observantia Manzaliis profuit. Namque sedulo notatum fuit, Beneplacitum Apostolicum in alienationibus Bonorum Ecclesiae aut Pii Operis non praesumi, quam per completam centenariam. Maxime, quia ex ipso investiturae instrumento apparebat, initum fuisse contractum ordinaria Archiepiscopi auctoritate. Cuiuscumque enim temporis intervallum tanti non est, ut praesumamus id gestum, quod revera gestum minime fuisse demonstrat Instrumentum ipsum (2) *in Ferrarien. die 15 Septembris 1787* §. *Unicum* (3).

400. Nam, etsi agatur de Capellania mere laicali, eius est distrahendarum rerum arbitrium, qui earum pollet dominio, vel saltem liberae administrationis fungitur officio *in Forosempronien. Capellaniae die 26 Martii 1831* §. *Quamquam.*

Item *in Anagnina Redintegrationis die 28 Ianuarii 1832* §. *Capellaniae; in Neapolitana Capellaniae die 28 Iulii 1838* §. *Quum;*

(1) Redoan. de reb. Eccles. non alienan. rubr. *An in materia alienation.* n. 9; Ricc. Resol. 45, n. 6, vers. tertio sit conclusio p. 1, *et ideo tutius esse illud requirere, licet de rigore non sit necessarium.*

(2) Rot. in Romana Salviani super nullitate mandati Procurae 25 Iunii 1773 §. 6, coram Litta.

(3) Causae huius species prostat in Verb. *Administrator* §. IV, n. 212 et seqq.

in Camerinen. Capellaniae die 9 Maii 1840 §. *Itaque; in Senogallien. Alienationis die 24 Augusti 1844* §. *Res* (1).

401. Hinc, si quis saltem legitima destituatur Capellaniae administratione, Capellania etiam non oblato pretio est reintegranda, in possessionem praedii alienati *in Perusina Capellaniae die 15 Septembris 1827* §. *Si.*

402. Patroni autem hoc iure non pollent, cum ipsi careant dominio, aut saltem administrationis non fungantur officio *in Bovinen. Capellaniae die 13 Septembris 1834* §. *Iamvero.*

403. Propterea quidquid sit de praecisa necessitate Beneplaciti Apostolici, cum res sit de laicalis Capellaniae bonis alienandis, tutius est illud exquirere *in Senogallien. Alienationis die 24 Augusti 1844* §. *Res* (2).

404. Ea praesertim ex ratione, ut penitius constet de iustis causis id peragendi *in Senogallien. Alienationis die 24 Augusti 1844* §. *Res.*

405. Secus enim bona etiam Capellaniae laicalis alienata, absque Beneplacito Apostolico, reintegrari debent *in Forosempronien. Capellaniae die 26 Novembris 1831.*

406. Enimvero Angelus Vici supremis tabulis anni 1699 Capellaniam laicalem et ad nutum suorum Heredum amovibilem sub auspiciis B. Mariae Virginis in Caelum Assumptae erigi iussit in Ecclesia Parochiali Castri Palatii Diaeceseos Forosemproniensis. Pii Testatoris filius ac heres Dominicus Vici Capellaniam neglexit: at inde in ultimo suae voluntatis elogio die 11 Aprilis 1714 cavit, ut Heredes medietatem fundi vulgo l'*Isola* Capellano traderet, qui onera iniuncta implere deberet. Capellaniae dotem anno 1756 auxit Magdalena memorati Dominici filia; quum, aliis praescriptis oneribus, Capellae B. Mariae Virginis in Caelum assumptae, in praefata Ecclesia erectae, fundum *le Moglie* tribuerit.

407. Utraque praedia varias dein passa sunt vicissitudines. Etenim anno 1793, dum Sacerdos Franciscus Bonetti Capellaniam eiusque bona in dotem tradita possidebat, Hieronymus Santini, qui Capellaniae patronatu per illud temporis fruebatur, proprio marte et consensu Capellani haud exquisito, praedium *l'Isola* cum finitimis terrulis permutationis titulo per privatam syngraphum cessit Iosepho Baldiserri; fundumque, cui nomen *Sterleto* seu *Scotanara,* a Iosepho acceptum, in Capellaniae dotationem subrogavit. Paulo post, nimirum anno 1795, praefatus Baldiserri praedium illud, tamquam ab omni vinculo exemptum, privata similiter obsignata syngrapha, vendidit Dominico Biaschelli. Hieronymus interim Santini, tum subrogati fundi, tum alterius *le Moglie,* nacta possessione, universos fere annuos fructus in proprium suaeque Familiae usum convertere ausus est, et anno 1799 ab Sede Apostolica nedum absolutionem a praeteritis omissionibus, sed etiam Missarum reductionem impetravit.

408. Tandem nubenti Filiae Hortensiae dotis titulo idem Hieronymus tradidit praedium *le Moglie,* alterum vero fundum *Serleto* seu *Scotanara* occupavit Fiscus, ut publica vectigalia a Familia Santini eatenus non soluta sibi rependeret. Illud autem ex moderni Forosemproniensis Antistitis vigili cura apposite accidit, ut antequam a Baldiserrio et Biaschellio permutationis ac emptionis transcriptio in publicis tabulis expleretur, inscriptio hypothecaria super fundo *l'Isola,* ad iura Capellaniae tuenda, facta fuerit. Praeterea Episcopus, dum sacram anno 1828 ageret visitationem, reductionem Missarum anno 1795 obtentam, utpote obreptionis ac subreptionis labe infectam, nullam irritamque declaravit. Quum res ita se haberent, Hortensia Santini, quae pluribus gravabatur Filiis, ac gravi premebatur rei familiaris angustia, supplex Sacram adiit Congregationem, duo enixis precibus rogans, scilicet absolutionem a quibusvis anteactis omissionibus ac facultatem perpetuo retinendi praedium *le Moglie,* quin unquam sibi suisque Heredibus ulla a Capellaniae Possessoribus inferri posset molestia, spondens se iugiter curaturam, ut Missae septuaginta, ad tramites Testamenti Magdalenae Vici, adamussim in posterum litentur.

409. Episcopus in id enixe institit, ut Capellania, etiam non oblato pretio, redintegranda esset, summa scutorum quadraginta excepta, quam emptor Biaschelli, pro vinculi emphyteu-

(1) Instit. de rer. divis. §. 40; L. 21, Cod. Mandat.; L. ult. Cod. de reb. alienan. vel non; L. 1, §. 2, ff. de reb. eor. qui sub tutor. vel curat.; Berard. ius eccles. cap. 3, append. de benef. impr.

(2) Pacion. de locat. et conduct. cap. 14, §. 6, n. 21.

sis affrancatione, solvit. Quin bona fides iustus titulus ac spatium longi temporis, nimirum quinque ac triginta annorum possessio, obstaret; ex eo etiam, quod ab anno 1793 legitima Capellaniae possessione expoliari quidem contigerit Sacerdotem Bonetti, sed ei nullum postea alium suffecerit Patronus. Unde sancitum est, praescriptionem contra Ecclesiam dormire toto eo tempore, quo Ecclesia suo destituitur Rectore (1). Ac multo minus aliquid negotii facessere poterat facultas, a Dominico Vici suis Heredibus tributa, permutandi scilicet praedium *l'Isola* cum aliis bonis; continuo enim Fundator subiunxit, cum consensu etiam Capellani pro tempore. Adeo autem a veritate alienum erat, intercessisse Capellani consensum, ut hunc Patronus a Capellaniae possessione penitus depulerit.

410. Idcirco, propositis dubiis: - I. An Capellania Vici sit redintegranda in possessionem praedii *l'Isola* cum finitimis fundis in casu etc.

II. An et quomodo praedium *le Moglie* sit tribuendum Hortensiae Santini in casu etc.

III. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro absolutione ab antoactis omissionibus in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative; solutis, iuxtam votum Episcopi. Ad secundum, Negative; et Episcopus curet fieri transcriptionem omnium fundorum, favore Capellaniae, nec non nominari Capellanum, qui super fructibus praedii *le Moglie* solvat quotannis Oratrici, donec vixerit, scuta duodecim; superextantes vero fructus eiusdem fundi eroget in celebrationem Missarum ad manualem, facto verbo cum Sanctissimo. Ad tertium, Affirmative; celebratis quatuor Missis sumptibus Hortensiae Santini et Dominici Biaschelli - *in Forosempronien. Capellaniae die 26 Martii 1831.*

411. Hinc singuli bonorum Detentores cogendi iure sunt ad restitutionem, servata eisdem actione, pro reintegratione pretii, contra quos et quatenus de iure *in Massen. Pii Legati die 23 Aprilis 1842* §. *Quod.*

412. Amplia, etiamsi fundus pro Capellaniae dote designatus, veluti simplex Pium Relictum onere Missarum gravatum, per lapsum fere centum annorum ab Heredibus Fundatoribus possederetur *in Callien. die 21 Septembris 1816.*

413. Siquidem vivens Canonicus Federicus Bonclerici anno 1628 solemni stipulato Instrumento contractum, praesente et probante Episcopo, correspectivum inivit cum Sodalibus Confraternitatis S. Andreae, erectae in Ecclesia S. Andreae et Philippi Civitatis Calliensis, in quo isti dederunt, tradiderunt, cesserunt et concesserunt praedicto Federico stipulanti et acceptanti pro se et suis facultatem iurispatronatum erigendi et constituendi in Altare et Capella praedicta, illudque dotandi, et Capellanum nominandi: atque Canonicus Federicus promisit expendere in servitium et beneficium dicti Altaris et Capellae scuta centum currentis de grossis viginti, necnon irrevocabiliter titulo donationis inter vivos dedit tradidit cessit concessit donavit et in dotem assignavit unam possessionem sitam in Curia Civitatis Callii in vocabulo *Panaiola* cum omnibus suis pertinentiis, ac etiam censum pretii scutorum biscentum cum onere tantum Capellano celebrandi Missam unam qualibet hebdomada et Missas decem in festivitate S. Federici, reservato sibi et suis Heredibus in perpetuum dicto iurepatronatus seu iure praesentandi ac nominandi Capellanum ad dictam Capellam.

414. Praedium huiusmodi *Panaiola* Capellae donatum anno 1801 (latebat omnino quo iure) Antonius Lenci Gangelli vendidit Antonio Valcelli, qui suscepit obligationem celebrationis Missarum, quas Canonicus Bonclerici celebrari iusserat. Subinde mense Maii 1816 hoc ipsum praedium *Panaiola* a Valcellio emerunt Fratres Dominicus et Petrus Benincasa, et, licet a Peritis aestimatum fuerit in scutis 1737. 45, attamen ex conventu auctum fuit pretium ad scuta bismille et biscentum, ea interim expressa conditione, ut contractus nullius interim roboris esset, si praefatum praedium tamquam dos ad Capellam pertineret: unde Venditor obligationem declarandi illud veluti simplex Relictum Pium, onere dumtaxat Missarum gravatum, assumpsit.

415. Quare Antonius Valcelli, cui intererat contractus exequutionem, postulavit, declarari a Sacra Congregatione iniunctam a Canonico

(1) Cap. 1 et 15 de praescript.; ac tradunt Reiffest. Ius Can. lib. 2, tit. 26, n 196; Rot. in decis. 415, n. 3, part. 2 Recent.

Bonclerici celebrationem Missarum non esse Capellaniam, sed simplex Relictum Pium, ita ut facta alienatio sustineretur. Episcopus retulit, quamdam observantiam ab anno 1718 intercessisse, quo tempore Heredes fundum possedisse et suos fecisse illius fructus, quin vestigium ullum collationis a Curia factae deprehendere potuerit, praeter unam Canonici cuiusdam Zamperoli simplicem cartulam, narrantis anno ipso 1718 officium peragendi Sacra vacavisse, quo tempore erat Romani Pontificis deferre, sibique fuisse per signaturam, ut aiunt, delatum. At observantia haec nullius roboris esse videbatur, cum, aperte repugnans literae fundationis, centum annos non excedebat, ut praeseferret meliorem titulum, ad fundationem destruendam (1).

416. Proposito idcirco dubio: - An sit probanda alienatio fundi *Panaiola,* seu potius et quomodo sit providendum in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Negative; et scribatur Episcopo, iuxta mentem: Mens est, ut Episcopus, praefixo congruo termino, compellat Patronos ad praesentandum, quo elapso, ipse nominet iure devoluto, et omnibus iuris et facti remediis cogat Possessores fundi ad illum tradendum Capellano nominando, qui onera impleat, ad formam fundationis reservato iisdem Possessoribus iure, pro restitutione pretii, contra quos et quatenus de iure, et moneantur omnes Contrahentes, ut consulant conscientiae suae, quoad praeteritum, et Literae consignentur Agenti Episcopi - *in Callien. die 21 Septembris 1816.*

417. Stante quippe nullitate contractus, iure meritoque Capellania, etiam non oblato pretio, in possessionem praedii alienati redintegranda est - *in Perusina Capellaniae die 15 Septembris 1827* §. *Si EE. VV.*

Item *in Neapolitana Capellaniae die 28 Iulii 1838* §. *Ast; in Camerinen. Capellaniae die 9 Maii 1840* §. *Itaque.*

418. Amplia, etiamsi Patronus a Fundatore descendens inopia pressus partem Capellaniae alienaverit, et Ordinarius eidem favens alias modum redintegrandi Capellaniam proposuerit, cum is nullatenus ob egestatem id explere valeat *in Neapolitana Capellaniae die 9 Maii 1840.*

419. Nec imo reductionem et absolutionem a praeteritis omissionibus huiusmodi Patrono indulgere censuit Sacra Congregatio, cum adhuc extarent reditus ad id satisfaciendum; quamquam, demandata nominatione Capellani, qui onera impleret ad formam Testamenti seu fundationis, superextantes reditus in Patroni substentationem per septennium esse erogandos indulserit *in Neapolitana Capellaniae die 28 Iulii 1840.*

420. Iamvero Capellaniam laicalem supremis tabulis erigi iussit Nicolaus Giordano die 25 Octobris 1694, in eiusque dotem certos et distinctos fundos legavit, varia scilicet et credita in immobilibus sua natura fructiferis post eius mortem convertenda, et fundum modiorum circiter sexdecim in Territorio S. Sebastiani positum. Testatore vita functo, eius voluntas adamussim executioni commissa fuit; nam praescripta bona in immobilibus redacta adsignata sunt, et Capellaniam primus eiusdem Filius obtinuit, cui nepos Ioachimus successit, qui legitimis auctus facultatibus praedium Capellaniae addictum, in Territorio S. Sebastiani positum, in emphytheusim concessit anno 1743, solemni exarato instrumento, Angelae et Ianuario Maglione, depacto annuo canone ducatorum centum sexaginta, qui posthac anno 1770 altero instrumento auctus est ad ducata centum octoginta quatuor ab altero ex eius successoribus Antonio Giordano.

421. Tandem generationibus volventibus et annis, cum plures ex Familia Giordano pluribus in iurepatronatus sive activo sive passivo successisset, ius nominandi ad Capellaniam in uno Andrea Giordano seniore consolidatum fuit. Tres huic erant liberi, Nicolaus scilicet, Antonius, qui ultimus fuit Capellanus Familiae, et Raphael. Andrea seniore decesso, in bonis universis ac iuribus successerunt eiusdem Filii Nicolaus et Raphael. Horum primus sex liberos genuit, alter vero unum tantum, Andream nomine, qui in causa versatur. Hic existimans, ut inquit, dum adhuc Capellaniae potiretur Sacerdos Antonius Giordano, de quo mox facta mentio est, nec alius adesset tunc Presbiter ex eadem Familia, sese ex dimidia parte fore, post Capellani obitum, successurum dominio directo in bonis iurispatronatus (quippe ex di-

(1) Ut ad rem in Rot. in Ravennaten. Immissionis in specie quoad praedium S. Petri in Trentula 9 Ianuarii 1784 §. 3, coram Origo.

midio heres fuerat Andreae seniori), miseriis undique praefocatus atque aere alieno pressus, ius istud successionis, ut aiebat, vendidit favore equitis Alexii Cicellyn Comneno die 22 Martii anno 1832, depacto et constituto pretio in ducatis 1201 et granis 60 (quorum partem debitor existens iam antea receperat), ducata vero tercenta infra duorum mensium spatium se persoluturum pollicebatur Comnenus, nulla interim usura decurrente; quae tamen nunquam exacta sunt, ob controversias exortas: ducata demum 500 in Acquirentis manibus remanere debuissent, qui obligationem inde suscipiebat ducata annua triginta pensitandi, *per passarsi al Cappellano estraneo, come metà della limosina della Messa quotidiana* (1). Ad effectum huius cessionis, statuebat Andreas, ut praefatus Comnenus in bonis veluti dominus versaretur (2).

422. Mense Martio 1834 e vivis sublatus est Capellanus Antonius Giordano, statimque eques Comneno praedii possessionem nactus est. Andreas vero memoratus in sequenti Novembre adfuit Sacrae Congregationi; ac, ne verbo quidem admoto, super venditione iam facta, petiit reductionem Missarum, quarum onus sibi incumbebat, ut eiusdem inopiae consulere posset (3). Qua super re Sacra Congregatio die 29 Novembris 1834, Emo Archiepiscopo mandavit, ut, auditis Coheredibus, referret de valore, annuo reditu, et oneribus bonorum Capellaniae, quo tempore, quaque auctoritate, bona fuerint divisa, Missarum adimplemento quoad praeteritum, legitima causa reductionis, et tempore necessario. Tunc autem Emus Archiepiscopus haec edocuit ac etiam plura addidit, quae fundi venditionem respiciebant (4). Unde iterum Literae datae sunt eidem Emo Archiepiscopo, ut, Possessore fundi etiam audito, doceret de annua saltem quota deponenda ex reditibus Capellaniae, pro redintegratione capitalis: qui Emus Archiepiscopus remisit diligenter equitis Comneno epistolas, quibus ille pandebat, sese ad contractum cessionis memoratum devenisse, quia rite condominium Andreae Giordano super Capellania cognoverat (5).

(1) Insuper quoad haec triginta ducata Contrahentes edixerunt, ut in §. *Testatore* – ibi – Che quante volte esso cessionario Giordano otterrà il Breve della S. Sede per l'alienazione della Messa giornaliera, ora per allora esso Signor Cicellyn Comneno si obbliga e promette di corrispondere ad esso Signor Giordano annui ducati trenta, quei medesimi ritenuti dal prezzo: con facoltà al medesimo Giordano in caso di mancanza farsi distaccare tanta quantità di territorio suddetto, per quanto sarà capiente alla suddetta rendita di annui ducati trenta –.

(2) Statuit quippe ut in §. *Testatore* – ibi – Che potesse il Signor Comneno farsi liberamente riconoscere dai Debitori ceduti, esigere, praticare indistintamente qualunque altro atto dominicale, niuno escluso o eccettuato –.

(3) Siquidem exposuit dumtaxat, ut in §. *Mense* – ibi – Per passaggio di discendenze appartenere detta Cappellania unitamente ai fondi, una metà all' Oratore, ed una metà all' altro Coerede, e si nell' una che nell' altra linea non eservi Cappellano di famiglia –. Atque hinc – ibi – trovandosi in uno stato di vera indigenza supplica le EE. VV. a volersi degnare di liberarlo dall' obbligo di far soddisfare la metà della Messa quotidiana, acciò possa in parte sollevarsi dalla sua indigenza –.

(4) Haec sane Episcopus ad rem retulit ut in §. *Qua* – ibi – Avendo interpellato i Coeredi, i medesimi han fatto conoscere d' esser contrarii alla domanda dell' Oratore, dicendo non vantar lui alcun diritto sul riferito padronato, senza però presentare alcun documento per questa loro assertiva; per l'opposto l' Oratore ha dimostrato, che Egli è nella stessa distanza, chè i suoi Cugini Coeredi, e che egual diritto vi hanno tutti i di lui discendenti senza eccezione non avendola mai sottoposta a' vincoli di Maggiorato, o altra sostituzione Fedecommissaria qualunque, come chiaro rilevasi dal testamento, e che attesa la sua povertà avrebbe desiderato un sostentamento. Ha verificato inoltre che la rendita totale della Cappellania ascende a circa ducati 200 annui, ed i pesi ivi annessi sono la sola celebrazione di una Messa quotidiana *ubique;* che i beni soggetti alla Cappellania non sono mai stati divisi, se non la mentovata porzione della Masseria, che si è venduta dall' Oratore, della quale vendita esiste tuttavia una porzione della somma in mano del Compratore; che il diritto di patronato si è diramato in due linee, in quella dell' Oratore, cioè che è il solo della sua linea, ed in quella de' suoi Cugini, che sono altri tre; che le Messe in quanto al passato si sono celebrate dal Cappellano della Famiglia, e dall' epoca della morte del medesimo si sono fatte celebrare da un Cappellano estraneo, come prescritto dal Testamento di fondazione.

Dopo tuttociò io crederei, che la Sagra Congregazione non opina diversamente di assolvere l' Oratore dalle pene incorse per la vendita fatta della metà della Masseria, perchè appartenente a benefizio ecclesiastico, e potendo in appresso, che sborsi l'Oratore il prezzo della vendita da lui fatta a favore della Cappellania, trovandosi in uno stato deplorabile; che la porzione esistente in mano del Compratore resta immobilizzata per far parte della Cappellania; che si devenga subito alla nomina del Cappellano, giusta la disposizione del Testatore –.

(5) Is itaque contractum iniit, ut in §. *Hisce* – ibi – Avendo legalmente conosciuto il condominio di detto Andrea Giordano sulla Cappellania..... e che i suddetti ducati 300 di resto non per anco li ha pagati al Venditore Giordano,

423. Neminem vero latebat, eius esse distrahendarum rerum arbitrium, qui eorum pollet dominio, vel saltem liberae administrationis fungitur officio (1). Quare, etsi ageretur de Capellania laicali, cuius bona potuissent ullo absque Apostolico Beneplacito rite alienari (2), attamen alterutrum ex his iuribus et facultatibus habere debuisset Andreas Giordano, ut licite valideque potuisset ad Capellaniae alienationem procedere. Ast neutrum penes ipsum extitisse ex eo liquebat, quod Capellaniae Fundator certa eidem assignaverit bona, quae dotem eiusdem perpetuam constituere debuissent; quae proinde familiaris patrimonii partem non amplius efficiebant.

424. Praeterea Fundator usumfructum Capellano dumtaxat assignavit integrum, si ad suam Familiam pertinuisset, imminutum, si ad extraneam; ita tamen, ut residuum futuro semper Capellano de eadem Familia nominando servaretur. Tandem iuspatronatus voluerit gentilitium, ad Descendentes scilicet suos perpetuo et in infinitum transiturum, quo in casu nequit unus ex vocatis praeiudicare aliis sequentibus (3). Quare videbatur, nullius esse roboris ille contractus; atque hinc iure meritoque foret Capellania, etiam non oblato pretio, in possessionem praedii redintegranda (4).

425. Verum quidquid sit de iuris rigore, peculiares miserrimasque, quibus premebatur, rei familiaris angustias, ob oculos Eminentissimorum Patrum, exposuit infelix Orator: siquidem omni fortunarum expers compendio, alioque subsidio destitutus, atque horrendum in carcerem coniectus, nullam nisi in Eminentissimorum Patrum benignitate spem confovere valebat. Exinde vero confidit, Eminentissimos Patres ratum habituros esse quidquid in eo contractu gestum fuerit, atque Sanctissimo fore consulturos, ut Eminentissimi Archiepiscopi propositio, pro reintegrando Capellaniae capite, quod amisit, exciperetur. Per eam namque, dum miserrimo succurrebatur Patrono, quod et Sacris Canonibus et Sacrae Congregationis disciplinae congruebat, quae licet fundos Beneficii alienare non concedat, ut Patrono Pauperi opituletur, attamen ex eorum fructibus semper succurrere consuevit. Porro in themate quum ratio pateret fundum alienatum redintegrandi, idem erat ac ex solis fructibus miserrimo Andreae Patrono ac a Fundatore descendenti opem ferre. Nulli praeterea fiebat iniuria, quia nemo de Familia aderat, qui Capellanum agere posset; et quindecim annorum spatio, quot redintegrando capiti assignabat Archiepiscopus (5), difficile erat extiturus.

giacchè per effetto della ripristinazione delle Cappellanie laicali già avvenuta al momento del contratto sin d' allora non è nel libero godimento della casa comprata –.

(1) Instit. de rer. divis. etc. §. 40; L. 21, Cod. mandat.; L. ult. Cod. de reb. alien. vel non; L. 1, de reb. eorum, qui sub tut. vel cur; Berard. ius eccles. cap. 3, append. de benef. impr.

(2) Card. Petr. ad Constit. *Ambitiosae*, sect. 3, n. 2 et seqq. tom. 5; Rot. in Romana seu Leodien. Immissionis 3 Februarii 1735 §. 2 coram Caprara.

(3) Tondut. quaest. benef. p. 3, cap. 144 et 15; Vivian. de iurepatronat. lib. 4, cap. 2, n. 33 et seqq.; Covar. lib. 2, cap. 18, n. 14.

(4) Nimirum ex L. 3 et 4 Cod. de rei vindicat.

(5) Reapse praefatus Archiepiscopus ita rem exposuit ac urgere censuit, ut in §. *His* – ibi – Intanto sono di già due anni, da che il Cappellano di Famiglia D. Antonio Giordano (ch' è stato l'ultimo) è trapassato; ed il peso annesso a detta Cappellania non è stato per anco soddisfatto, mentre i Censuarii non hanno corrisposto l'annuo canone stante le vertenze insorte... Del resto sono nell' obbligo di sottometterle, che la situazione del detto Andrea è infelicissima, mancante del tutto de' mezzi di sussistenza, trovandosi incarcerato ad instanza de' suoi Creditori, cho lo fanno inumanamente perire, ove almeno non li si dia in transazione qualche somma sui loro averi; cosa che Andrea Giordano non potrebbe praticare, qualora Sua Santità non si degnasse di omologare la vendita già fatta, giusta quanto da codesta Sagra Congregazione fu impetrato con altra relazione del 21 Gennaio di questo cadente anno 1836, e permettergli di riscuotere li residuali ducati trecento, che il Compratore si obbligò di sborsare, rimanendo nelle di costui mani i ducati cinquecento per corrispondere gli annui interessi in ducati trenta, che uniti all' altra metà del censo in annui ducati settantatre e grani sessanta compiono la somma di ducati centotre e grani sessanta più che sufficienti alla celebrazione della messa quotidiana; che anzi da due anni, che i Censuarii non hanno pagato, vi rimane un supero annuale di ducati trentuno e grani sessanta, che posti a profitto sino a che non si verificherà un Cappellano di Famiglia, costituiranno senza dubbio un capitale a quell' epoca capace a supplire la perdita degli annui ducati quarantatre e grani sessanta alienati dall' Oratore Andrea Giordano.

In tal modo verrà soddisfatto il peso annuale annesso alla Cappellania della Messa quotidiana, e dopo l'elasso di altri anni quattordici, gli annui ducati trentuno e grani sessanta posti a lucrare con l'interesse in aumento del

426. His tamen non obstantibus, propositis dubiis: - I. An et quomodo sit redintegranda Capellania in casu.

II. An et quomodo sit annuendum precibus Andreae Giordano, quoad Missarum reductionem in casu.

III. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo, pro absolutione et condonatione super praeteritis omissionibus in casu.

IV. An et quomodo sit locus nominationi Capellani in casu -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative; et Capellaniam esse redintegrandam in possessione fundi alienati. Ad secundum, Negative. Ad tertium, Negative; et Missas inadimpletas esse celebrandas ex canonibus non solutis ad taxam eleemosynae manualis supplendam ex superextantibus reditibus, qui favore iurispatronatus sunt investiendi. Ad quartum, Affirmative; et esse nominandum Capellanum a Patronis, ad formam Testamenti, aucto eidem annuo stipendio, iuxta taxam Diaecesanam eleemosynae manualis, superextantes vero reditus esse per septennium erogandos favore Andreae Giordani in sui substentationem, docto, facto verbo cum Sanctissimo - *in Neapolitana Capellaniae die 28 Iulii 1838.*

427. Itaque eo etiam in casu Sacra Congregatio redintegrationem fundi alienati, a Testatore pro dote Capellaniae mere laicalis designati, non oblato pretio per vindicationem demandavit, quo Heredes Testatoris nunquam per octoginta annos praedictum fundum Capellano nominando tradiderunt; sed, satisfactis oneribus, suos fructus fecerunt, atque demum Patronus, proprio marte, alienationem perpetravit, translato etiam in Emptorem onere Missarum, fundo inhaerentium *in Camerinen. Capellaniae die 6 Iunii 1840.*

428. Enimvero postremis tabulis die 25 Iulii 1734 exaratis duplex addidit codicillum Ferdinandus Nicolini de Terra Serrae S. Quirici in Camerinensi Diaecesi. In primo, quod die 11 Iunii 1742 subsignavit, bina legavit praediola, posita in regione vulgo *Mergo,* quibus Capellania excitaretur cum onere Capellano per Heredes suos nominando celebrandi binas Missas, pro qualibet hebdomada. In altero confecto ad diem 13 Iunii proxime sequutam legatum huiusmodi abrogavit, iussitque invicem, ut post eius obitum, ex fundo posito in *Mergo,* erigeretur iuspatronatus mere laicale in Altare designato et Ecclesia S. Quirici cum onere duarum Missarum in unaquaque hebdomada; ius vero nominandi Rectorem seu Capellanum Heredibus ac Successoribus tribuit.

429. Defuncto Testatore constabat, eiusdem Heredes nihil aliud perpetuo curasse, quam celebrationem binae Missae per singulas hebdomadas; ac, retento sibi fundo Capellaniae addicto, Sacrorum dumtaxat eleemosynam Sacerdoti celebranti pensitasse. Anno 1821 die 3 mensis Decembris Comes Antonius Giacobini bonorum memoratorum tunc heres fundum positum in *Mergo,* quem Testator in Capellaniae dotem constituerat, libere transtulit emptionis venditionis contractu in Angelum Antonium Bocci, addito pacto, ut hic implere obstringeretur onus Missarum fundo inhaerentium, et in casu, quo praefatus Comes reductionem Missarum obtineret, id in emptoris Bocci commodum ac utilitatem cedere deberet. Die 31 Iulii 1830 ad Sacram Congregationem confugit memoratus Angelus Bocci, ut, attenta eiusdem paupertate, reductionem Missarum indulgeret.

430. Archiepiscopus, pluries his super precibus rogatus, favit Oratori (1). At in facto erat, quod Testator legavit fundum pro dote

cinque per cento, che paga il debito consolidato, ripianano il capitale di ducati settecento uno e grani sessanta, cioè ducati quattrocento uno e grani sessanta già riscossi e ducati trecento, che ora verrebbe a percepire il ricorrente Andrea per sollevarsi dall' oppressione, giusta il conteggio fatto, cioè

Supero annuale per anni quattordici	Sc.	805	—
Interessi in aumento partorito dai superi parziali	»	210	15
Totale	»	715	75
Mancanza del capitale per la vendita fatta da Andrea	»	701	60
Rimane uno di più dal completo del capitale	»	14	15

(1) Haec sane Archiepiscopus die 21 Martii 1835 deducere censuit, ut in §. *Archiepiscopus* - ibi - Preces Angeli Antonii Bocci inniti veritati videntur. Siquidem ipse Orator fortunae bonis fere destitutus et alieno aere gravatus maiorem sui patrimonii partem in praedio, de quo in precibus, computat. Annuus eiusdem praedii deditus ex Peritorum iudicio penes acta Curiae Archiepiscopalis exhibito ad scuta 46. 30 assurgit; ex quibus, detractis oneribus, iuxta artis peritiam scutata supersunt 22. 23, quae tamen summa impendi deberet, pro Missarum celebratione in numero 104

Capellaniae; voluitque, ut ab Heredibus suis Capellanus nominaretur, qui sane Capellaniae fructibus perfrui debuisset, uti etiam ab exceptione facta per Testatorem favore Augustini Lucidi, qui ad vitam possessione fundi frui debebat cum onere faciendi celebrare Missas, satis patebat. Hinc porro designavit Ecclesiam et Aram pro Missarum litatione ac Patronos appellavit. Fundus nihilominus nunquam traditus erat; imo vero alienatus extabat. Quin itaque Capellanus nominaretur, Missae dumtaxat celebratae sunt arbitrio Heredum, qui reliquos fructus suos effecerunt.

431. Perpendebatur inde merito, quod similibus in casibus iussum est, Capellaniam redintegrandam esse in possessione fundi alienati, etiam non oblato pretio, quum, etsi ageretur de Capellania mere laicali, cuius bona rite possent absque Apostolico Beneplacito alienari, attamen vulgatum erat, eius distrahendarum rerum arbitrium est, qui earum pollet dominio, vel saltem liberae administrationis fungitur officio, quibus ferme facultatibus praedicti Heredes destituebantur. Orator vero, etsi in bona fide versaretur, nihil cum Testatoris Familia commune habebat; atque patebat, quod, satisfactis etiam Missarum oneribus, simbola aliqua omnino libera, in manibus gravati, superesset.

432. Idcirco, propositis dubiis: - I. An et quomodo redintegranda sit Capellania in casu.

II. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo, pro absolutione et condonatione fructuum perceptorum in casu. *Et quatenus affirmative ad primum dubium.*

III. An et quomodo sit locus nominationi Capellani in casu.

IV. An potius et quomodo sit consulendum Sanctissimo, pro reductione et libera celebratione Missarum, favore Oratoris Antonii Bocci in casu –, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative per vindicationem fundi a Testatore legati sub die 13 Iunii 1742; et Archiepiscopus curet transcriptionem in erectione Capellaniae. Ad secundum, Affirmative in omnibus. Ad tertium, Affirmative ad formam Testamenti. Ad quartum, Provisum in praecedentibus – *in Camerinen. Capellaniae die 6 Iunii 1840.*

433. Ceterum Sacra Congregatio, attenta Oratoris paupertate et periculo litium ad tutandum contra Patronum venditorem ius evictionis, subrogationem fundi quandoque indulsit; proposito enim dubio: – An et quomodo approbanda sit subrogatio in casu –, responsum dedit: - Affirmative in omnibus, iuxta votum Archiepiscopi; dummodo tamen prius ipsi constiterit, de plena fundi subrogandi libertate, ab omnibus vinculis et hypotecis - *in Camerinen. Capellaniae die 6 Decembris 1845.*

434. Amplia, etiamsi res sit de Capellania mere laicali, et ex tabulis fundationis facultas tribuatur Capellanis, alienandi bona, sed cum onere investiendi pecuniam in aliis bonis stabilibus, et Ordinarius in S. Visitatione alienandi potestatem fecerit Patrono ex vigore facultatum eidem a supremo Pontifice generaliter quoad Visitationem impertitarum, et subinde lapsus ultra quadraginta annorum cum pacifica observantia effluxerit: unde Capellanus reintegrationem bonorum petere ac urgere potest, quamvis ipsi Patroni liti renuncient. Sacra Congregatio vero, attentis peculiaribus circumstantiis, quandoque gratiam quoad modum redintegrationis, magna tamen cum disquisitione, indulget *in Caietana Reintegrationis die 5 Iulii 1856.*

435. Siquidem, quae postremis tabulis suae uxori Morganae reliquerat, bona pientissimus Vir Bernardinus de Rubeis Oppidi Valiscursae, voluit, ut: – post mortem dictae dominae Morganae remanerent penes aliquem Locum Pium ad dispositionem et voluntatem ipsius dominae Morganae, mediante celebratione Mis-

a Fundatore praefixo. Audito unico Compatrono Antonio Giacobini de Staffolo Auximanae Diaecesis, hic suis literis liberum assensum praebuit. Audito vero Plebano Rectore Ecclesiae S. Quirici, in qua Sacra celebranda sunt, attenta canonica causa in Oratoris paupertate constituta pro Missarum reductione morem ipse gessit Supplicanti; remit tamen pro earumdem translatione, utpote Populi commoditati obnoxia. Eleemosyna pro singulis Missis impendenda, utensilium onere Sacristiae soluto, ad obulos quatuordecim cum dimidio ascendit: pro melioramentis tandem enunciati praedii nullae necessariae videntur extraordinariae expensae. Quare in votis essem, ut EE. VV. relate ad aliquam et temporaneam reductionem Oratoris preces benigne exciperent –.

Deinde sub die 1 Martii 1840 addidit, ut in §. *Deinde* – ibi – Nullam in superius memorato venditionis contractu intercessisse Auctoritatem, Rectoris nominationem nunquam locum habuisse, et onerum satisfactionem Ecclesiae Sancti Quirici Plebano plerumque ab interesse habentibus commissam fuisse –.

sarum et divinorum Officiorum, pro anima ipsorum Coniugum –. Cuius votis obsequuta uxor Morgana per actum inter vivos, ope publici instrumenti anno 1601: – donavit Ven. Societati Corporis Christi, erectae in Ecclesia S. Martini eiusdem Terrae Valliscursae, omnia ipsius bona –, quae inibi singillatim recensentur.

436. Atque illico ad onera Capellaniae designanda, et ad primi Capellani nominationem devenit in persona presbiteri Antonii eius ex Fratre Nepotis; voluitque, ut tam is, quam ceteri pro tempore Capellani onus haberent celebrandi duas Missas lectas in qualibet hebdomada in Altare, ubi est erecta praefata Sodalitas, nec non duo Anniversaria quolibet anno, pro spirituali ipsorum Coniugum animarum bono. Haec inter Donatrix non modo verbum de Ordinarii auctoritate in Capellaniae erectione interponenda nullum fecit, verum et collatio, quominus ab eo fieret, vel unquam per negligentiam Patronorum ad ipsum devolveretur, expresse prohibuit (1).

437. Ne temere vero bona praefatae Capellaniae relicta eidemque Corporis Christi Sodalitio ab se donata distraherentur, consultum voluit: – cum expressa prohibitione, quod dicti Capellani, sub quovis praetextu ac causa etiam urgentissima, non possint dicta bona, ut supra donata, vendere seu alienare aut quovis modo distrahere seu obligare, nisi in casum alicuius investimenti pretii dictorum bonorum in aliis similibus bonis stabilibus seu censibus, quod investimentum sit et esse debeat in meliori et evidenti utilitate et conditione dicti Beneficii; et in tali casu pretium, donec fiet dictum investimentum, deponi debeat penes aliquam idoneam personam, ne dicta sors principalis in aliquo modo distrahatur seu dissipetur –.

438. Nihilominus anno 1808 cum sacra Visitatio a Vicario Generali perageretur, pro bonorum secularizatione, supplicem se praebuit Michael Gaioni (2): ac eiusdem precibus annuit Vicarius Generalis Massarellà vigore facultatum eidem impertitarum a summo Pontifice Pio VII (3). Ceterum Capellani ad normam fundationis nominati semper inveniebantur a descendentibus Gaioni independenter ab Ordinarii collatione, una postremi Capellani Eustachii institutione excepta, quae per Bullas ab Episcopo expeditas concessa fuit ad nominationem praefati Michaelis Gaioni anno 1794. Vacare autem contigit Capellaniam mense Ianuario anni 1850 per obitum praedicti Eustachii: tunc adversus ius institutionis reclamantes moderni Patroni, supplices extiterunt apud Caietae Archiepiscopum ad hoc, ut redintegrarentur ad possessionem liberae facultatis nominandi Capellanum, iuxta formam fundationis; eorumque preces benigne exceptae fuerunt Archiepiscopali Rescripto sub die 30 Iulii 1852.

439. Post haec die 18 Octobris 1852 descendentes Gaioni iure suo utentes nominarunt in Capellanum Iosephum Capo in sacris constitutum, qui et ipse a Vincentia Gaioni ortum

(1) Id sane hisce verbis edixit, ut in §. *Haec* – ibi – Dicti de Gaionibus habere debeant iuspatronatus praesentandi et conferendi dictum Beneficium, ac ad ipsos spectet et pertineat dicta collatio, nullo unquam tempore devolvenda ad Rmum Ordinarium sive ad quamcumque aliam personam pro tempore existentem –. Atque in casu negligentiae in nominando devolvi ius idem voluit directe ad Priores eiusdem Sodalitatis.

(2) Eu verba precum, ut in §. *Nihilominus* – ibi – Michele Gaioni di Vallecorsa rappresenta a V. S. Illma e Rma, che da certa Morgana Gaioni di lui antenata furono lasciati alcuni beni ai successori di casa Gaioni. Nel tratto successivo essendosi dispersi molti censi, estinti e non rinvestiti, come ancora deteriorati molti beni soggetti al detto peso e gravati di dazii, che prima non lo erano i beni rimasti, convenne all' Oratore supplicare la Santità di N. S. ad avere in veduta tuttociò e diminuire il peso delle Messe da celebrarsi, conforme benignamente Sua Beatitudine si compiacque annuire alla istanza avendo tolto del tutto i detti anniversarii e ridotte le Messe a sole 64 annuali. In oggi l'Oratore supplica l'innata bontà di V. S. Illma e Rma, che essendo stata rivestita delle opportune facoltà dalla lodata S. Santità, nelli accennati riflessi di ulteriori deteriorazioni accadute, spese ed aggravii sopragiunti, si compiaccia di annullare l'anzidetta Cappellania, e rendere affatto liberi i suddetti beni da qualunque peso, vincolo, titolo etc.–.

(3) Praefatus Vicarius hisce verbis id indulsit, ut in §. *Precibus* – ibi – Vigore facultatum Nobis impertitarum in S. Visitatione a Sanctissimo D. N. Papa Pio VII, attentis expositis atque narratis, bona subiecta Capellaniae a quadam Morgana Gaioni institutae favore Oratoris, ab omni titulo, onere, vinculo dictae Capellaniae in perpetuum absolvimus et liberamus, prout in precibus, et liberam omnino reduci volumus atque mandamus, Missasque celebrandas in numero 64 reducimus ad 16 solummodo, iniuncto onere Oratori et suis Heredibus in perpetuum celebrandas annuatim in Ecclesia S. Michaelis Archangeli Terrae Valliscursae... Fundanae Diaecesecos, pro expiatione animarum, pro quibus instituta fuit dicta Capellania, relicto onere dictarum Missarum 16 hypothecato in praedio Olivarum arborum 72 circa, posito in contrada *Piaggia*, aestimato scut. 75 etc.–.

habuit. Hic e re duxit vadimonium indicere omnibus, qui bona Capellaniae possiderent, ut eidem restituerent. Quare sub die 24 Novembris 1852 in iudicium rapuit Fratres Calamita, Iosephum Giuliani et Fridericum Mauri, ut eidem bona restituerentur. Huic undequaque arrisit sententia sub die 7 Ianuarii 1853 ab Vicario Valliscursano lata.

440. Ab eadem sententia indirecte perculsa Paula De Sanctis Originali ob eadem, quae ei obvenere bona ad Cappellaniam spectantia ex testamento prioris sui Viri Andreae Gaioni, quaeque ipsamet in Reos conventos transtulerat sub die 5 Maii 1853, ad Sacram Congregationem provocavit. Auditus de more Archiepiscopus, ostendit, Decretum anni 1808 ab Ordinario editum in Visitatione obreptionis subreptionisque vitio infici, atque Vicarium omnem iurisdictionis limitem excessisse, quin reintegrationi bonorum obstaret praefati Decreti antiquitas executio et pacifica observantia per annos ultra quadraginta, nec non indoles laicalis Capellaniae, qua enim posita, bona eidem addicta libere nullisque requisitis solemniis, seclusa prohibitione fundantis, alienari possint, salvo onerum implemento (1).

441. Proposito vero dubio: - An sententia Curiae Archiepiscopalis sit confirmanda, vel infirmanda in casu -, Sacra Congregatio, etiamsi praedicti Fratres Calamita appellationis iudicio renunciaverint, et praefata Paula Originali id etiam deduxerit, quod fundi statum in meliorem immutati fuissent, nec facile possent secerni ab aliis fundis adiacentibus, quibuscum immixti reperiebantur; separatio enim novis litibus inter praetendentes atque modernos Possessores et Heredes Gaiones causam praeberet, responsum dedit: - Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam - *in Caietana Reintegrationis die 5 Iulii 1856.*

442. Hinc Paulina De Sanctis eladem passa impetravit novae audientiae beneficium, ac postea libellum dedit pro novi dubii formula, super transactione concinnanda; proponens, quod, si eximeretur a praediorum restitutione, exhiberet capitale annui reditus scutorum quindecim, pro integra satisfactione sexaginta quatuor Missarum. Res autem in Partium contradictione dimissa fuit Rescripto: - Utatur iure suo in die propositionis -. Quaestio igitur subinde vertit super redintegrationis modo. Qui enim Paulinae De Sanctis partes egit probare visus est, oblatam summam tercentum scutorum vel in *consolidato Romano*, uti vocant, constituendam vel aliter collocandam, aequam esse ac Piae Causae perutilem; idque sive inspiciantur Capellaniae onera, sive tunc praesens praediorum status.

443. E converso, qui Capellaniae causam defendit, falso ac illegitimo fundamento inniti, contendit, praetensam conciliationem. Ad eam siquidem obtinendam actualem statum Paulina exhibuit vel descriptionem praediorum Capellaniae, qui confusionem ingerit et contradictionem involvit. Contra enim praediorum ordinem exaratum in fundationis instrumento descripta tunc exhiberi ea monuit in confuso et loco viginti praediorum, tantum novem supra decem recenseri. Quare non attendendum illum esse conclusit, etiam quia varia praedia inter ea, quae non reperiebantur amplius recensebat, quae reperta iam erant, vel reperiri facile poterant. Insuper non minus spernendam esse peritiam ex adverso allatam ad docendum praediorum valorem: quippe ea incerta erat atque illegitima. Hisce addidit, haud expedire Capellaniae, loco bonorum stabilium recipere capitalia in pecunia, quae deperire facile possunt cum Piae Causae destructione, quemadmodum experientia monet rerum magistra.

444. Reproposito tamen dubio: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - In decisis, iuxta modum; nempe, ut loco redintegrationis fiat infra mensem depositum scutorum quatuorcentum favore Beneficii, ut tuto investiantur pro eiusmodi dotatione, firma remanente celebratione sexaginta sex Missarum - *in Caietana Redintegrationis die 29 Augusti 1857.*

445. Huic Resolutioni haud acquiescendum duxit Procurator Canonici Iosephi Capo, qui Capellaniam possidebat. Is enim aequissimam proposuit concordiam; nimirum ex viginti quot erant Capellaniae praediis, decem tantum, quae adhuc Paulina retinebat, restituerentur. Siquidem, cum praedia extent, nihil iuri magis con-

(1) Redoan. de reb. Eccles. non alienan. in rubr. *An appellatione Ecclesiae veniant Loca Pia*, pag. 230, n. 6, pag. 238, n. 3 et pag. 261 n. 1 et seqq.; Card. De Luc. de alien. disc. 1, n. 12 et 15; Card. Petr. in Constit. 8 Pauli II, sect. 3, n. 26; Berard. in Ius eccles. in append. de Benef. post cap. 3.

sentaneum, quam ut ipsa restituantur, minime vero illorum aestimatio et valor; agebatur enim de vindicatoria actione, cuius natura est rem ipsam persequendi, cui iudicio et ipsi bonae fidei Possessores subiiciuntur (1). Ex eo etiam, quod iuris ecclesiastici sanctio non permittit dotes pro Piis Relictis refundere in pecuniis, in censu, vel alia sorte, nisi capitalia in stabilibus frugiferis deficiant (2).

446. Proposito interim dubio, quin aliquid adhuc deduxisset Procurator Paulinae Originali-De Sanctis: - An sit standum in primo, seu potius in secundo loco decisis in casu -, Sacra Congregatio, scissis in utramque partem suffragiis, respondit: - Iterum proponatur - *in Caietana Redintegrationis die 30 Ianuarii 1858.*

447. Ac inde eamdem ob causam nulla fuit capta resolutio; reproposito enim dubio, sub formula praedicta, S. Congregatio denuo responsum tulit: - Iterum proponatur - *in Caietana Redintegrationis die 27 Februarii 1858.*

448. Demum, reproposito dubio: - An sit standum in primo, seu potius in secundo loco decisis in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Attentis peculiaribus circumstantiis in secundo loco decisis, aucto tamen pretio bonorum ad scuta quingentum, facto verbo cum Sanctissimo - *in Caietana Redintegrationis die 27 Martii 1858.*

449. Unde et bona Confraternitatum per Laicam Potestatem absque Beneplacito Apostolico applicata Nosocomio sunt eisdem restituenda, etsi applicatio huiusmodi in publicam verteret utilitatem *in Lunen. Sarzanen. Commutationis Voluntatis Applicationis et Reductionis die 22 Aprilis 1826.*

450. Enimvero Administratores Hospitiorum cum intelligerent, in Noscomio Civitatis Sarzanae ex Aegrotantium copia Parochorum curam quandoque deficere, Presbiteri electionem sunt meditati, qui spiritualibus Infirmorum indigentiis solicite opitularentur. Ad congruam vero vitae sustentationem ipsi exhibendam onerum translationem et reductionem implorarunt, itaut pro numero Missarum nonigentarum sex, quo Nosocomium onerabatur, Sacrum tantum quotidie faceret in Sacello Hospitalis idem Sacerdos et integram eleemosynam Gallicarum libellarum sexcentum, scuta decem supra centum et quadraginta obulos perciperet. Onera autem inter cetera haec erant, ex Confraternitatibus Sanctissimi Rosarii octoginta tres Missae, Sanctissimae Trinitatis bis centum quinquaginta quatuor.

451. At Confratres Sanctissimi Rosarii nec non Sanctissimae Trinitatis, quorum Sodalitia, pace Ecclesiae tributa, in antiquum statum redierant, hinc petitionibus Administratorum Hospitalis contradixerunt ac efflagitarunt, ut bona, quae transactis temporibus ab Italico Regimine Nosocomio fuerunt addicta, eorum Sodalitiis restituerentur. Nullum enim ius in eisdem bonis Nosocomium adquisivisse contenderunt, ex defectu Beneplaciti Apostolici, quin ex subsequenti possessione aliquid iuris ipsi accesserit, nam quod ab initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere (3).

452. Proposito hinc dubio: - IV. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatum et bonorum Confraternitatum applicatione in casu etc. *Et quatenus affirmative.*

V. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo, pro translatione et reductione Missarum in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad quartum et quintum, Non expedire - *in Lunen. Sarzanen. Commutationis Voluntatis Applicationis et Reductionis die 22 Aprilis 1826.*

453. Quare bona Sodalitii, ab illegitima Auctoritate ablata et Noscomio applicata, sunt eidem omnino restituenda, etsi Nosocomium seu Hospitale admodum inopia prematur, magisque intersit Civibus hoc, quam privatam Sodalitatem ditescere. Inopia tamen et publica Civium utilitate concurrentibus, Sacra Congregatio quandoque indulsit pensionem ex bonis restituendis solvendam, imposito interim aliquo onere respective satisfaciendo - *in Mathelicen. die 18 Novembris 1826.*

454. Iamvero Sodalitas Misericordiae, erecta in Ecclesia S. Ioannis Civitatis Mathelicae et posita in Solo Lateranensi, plura possidebat

(1) Voet ad Pandect. lib. 6, tit. 1, tom. 2, n. 22.

(2) Iuxta Decretum Urbani VIII, relat. in Bullar. Mainard. tom. 4, Constit. 45; et docet Sacra Congregatio in Urbanien. Contractus die 18 Septembris 1862.

(3) L. 29, ff. de Reg. Iur.

bona a piis Testatoribus relicta, domumque habebat Ecclesiae annexam, qua Pauperes Peregrinos praesertim aegrotos Hospitio exciperet, ac Infantes expositos retineret, ut inde ad Fabrianense Brephotrophium transmitteret. Publicarum privatarumque rerum ordine labefactato, ille qui summam Imperii tenebat, Sodalitatis bona anno 1808 Instituto Charitatis addixit et anno 1813 tribuit Hospitali S. Solliciti Mathelicensis Civitatis. Pace Ecclesiae restituta ac Sodalitate pristino sacrarum functionum exercitio, auctoritate Episcopi, reddita, Confratres bonorum restitutionem ab Administratoribus Hospitalis S. Solliciti petierunt.

455. Verum Administratoribus bona restituere abnuentibus, ob rei familiaris inopiam, qua Hospitale tunc premebatur, Episcopus controversiam amica transactione componere studuit, proposuitque, ut Sodalitati restitueretur bonorum possessio, onere eidem imposito scuta quinquaginta singulos in annos solvendi Hospitali S. Solliciti, et ex alia parte Hospitale S. Solliciti onus sibi assumeret transferendi ad Nosocomium Fabriani Infantes expositos Peregrinosque Hospitio excipiendi. At Confratres, rati huic transactioni haud sibi esse acquiescendum, supplices sacram Congregationem adierunt, bonorum restitutionem efflagitantes, et quatenus repulsam ferrent, postularunt: 1, ut duo Confratres Sodalitatis Misericordiae adiungantur Congregationi deputatorum Nosocomii S. Solliciti; 2, ut idem Nosocomium in posterum vocitetur communi nomine SS. Solliciti et Ioannis *della Misericordia;* 3, ut quicumque diem supremam illic clauserit, in die obitus nigro induatur sacco; 4, ut, restitutis Sodalitati omnibus bonis, eadem Sodalitas teneatur quotannis repraesentare Nosocomio S. Solliciti scuta triginta ad sustinenda onera, quae antea Confraternitati imminebant.

456. Eminentissimus Archipresbiter Lateranensis Capituli censuit, bona Nosocomio S. Solliciti addicta eidem esse relinquenda ad maiorem Pauperum et Infirmorum utilitatem; aequum tamen existimavit, ut Sodalitii iura sarcirentur. Id fieri posse, inquit, si Nosocomii administratio Deputatis partim ab Episcopo, partim a Sodalitio electis committeretur. At Lateranense Capitulum bonorum restitutionem clamavit: quam bonorum restitutionem etiam Episcopus necessariam existimavit, tum ad controversias componendas, tum ex eo, quod eadem praedia magnis expensibus et instaurationibus egebant, quibus obviare et succurrere Nosocomium impar omnino erat. Sed quae postularunt Confratres in primis tribus articulis nullo modo concedi posse existimavit, quin praeiudicium iuribus Hospitalis inferretur et notabiliter sua commoda atque utilitates negligerentur. Praeterea cum simul essent Praefecti Nosocomii et Confratres Societatis, facile oriri poterant perturbationes atque dissidia. Quod vero pertinebat ad annuam pensionem, Nosocomio pendendam, in scutis quinquaginta adsignare censuit (1).

457. Propositis hinc dubiis: - I. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo, pro approbatione transactionis in casu etc. *Et quatenus Negative.*

II. An sit restituenda bonorum possessio Sodalitati S. Ioannis Baptistae in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit : - Ad primum, Affirmative; iuxta Votum Episcopi. Ad secundum, Provisum in primo - *in Mathelicen. die 18 Novembris 1826.*

458. Atque nedum bona, sed etiam ius administrandi ab illegitima Auctoritate ablatum ac alteri Pio Instituto traditum, absque Beneplacito Apostolico, restitui debent; nonnisi enim urgentissimis de causis id quandoque nec tamen absolute Sacra Congregatio, precibus duorum Episcoporum simul concurrentibus, permittere ac probare censuit *in Faventina Redintegrationis die 28 Augusti 1830.*

459. Enimvero Sacerdos Gaspar Bolis anno 1635 heredem instituit Sodalitatem Sanctis-

(1) Singulis quippe expensis, quae inopiam Nosocomii et reditus bonorum restituendorum annua scuta 87, 05 ferentes, respiciebant, ita Episcopus concludere censuit, ut in §. *Precibus* - ibi - Ex hactenus dictis sperare audeam, EE. VV. sapientissime ac congruissime decretaturos esse, quemadmodum humillime precor, ut pro Hospitali Infirmorum constituatur atque praescribatur annuus canon scutorum quinquaginta, solvendus a Confratribus S. Ioannis *della Misericordia*, ut duo onera eiusdem Confraternitatis pluries nuncupata, quae Hospitali interposita sunt, possit sustinere, et e contra Hospitale ipsum omnes fundos, quorum fructibus hactenus fruitus est, eidem Societati restituat. Tali siquidem pacto negotium huiusmodi componetur absque praeiudicio Societatis et cum omni eius decore, et Hospitale pro egenis Infirmis aequam et convenientem habebit compensationem -.

simi Sacramenti, in Collegiata Ecclesia S. Stephani Terrae Cotiniolae erectam, eamque Piorum quorumdam devinxit Legatorum implemento. Quamlibet etiam vetuit falcidiae detractionem integrosque amplae hereditatis fructus certis sub legibus erogari iussit, ac praesertim in erectionem Orphanotrophii, eidemque meliorem, quam gerere posset, curam concredidit (1). Voluntati pii Testatoris religiosissime obsecuta est Sodalitas, atque Orphanotrophii gessit administrationem, usque dum Italicum Regimen turbulentissimis praeteritis temporibus Confraternitates suppressit, bonis iuribusque expoliavit. Tunc enim Oratrix quoque Sodalitas naufragium fecit, et qua Orphanotrophii, qua hereditatis Bolis administratio translata est in Congregationem Instituti Charitatis Cotiniolae existentem. Reddita Ecclesiae pace ac memorata Sodalitate in antiquum statum restituta, Confratres in administrationem Orphanotrophii et hereditatis Bolis redintegrari postularunt. Verum repulsam passi ab Episcopo, ad Sacram Congregationem confugerunt. Quum preces remissae fuerunt pro informatione et voto adhuc vitae fruebatur usura Faventinus Episcopus Bonsignori, qui votum suum aperiens satis innuit, maiori Puellarum bonó conducere, ut Orphanotrophii et bonorum administratio penes Congregationem Charitatis relinquatur, nec permittendum uspiam, - ut bona Gasparis Bolis Sodalitio Sanctissimi Sacramenti olim legata, exin vero Cotiniolae Puellis alendis educandisque solemniter adsignata, aliter erogentur, quam illos ferat praeclara utique et perutilis Institutio -.

460. Et sane utilitatis ac necessitatis intercedente causa posse supremas Testatorum voluntates commutari liquet. Utramque in themate occurrere causam suadere sunt adnisi Congregationis Deputati. Utilitatem ex eo aperte colligi affirmarunt, quod Instituto Charitatis praesint Viri selecti: unde hereditas Bolis, quae anno 1811 sortem non excedebat scutorum 15745, anno 1825 summam conflaret scutorum 20623, 20. Necessitatem vero in eo collocarunt, quod, ex redintegratione Sodalitatis in antiqua iura, contentiones et iurgia inter Confratres et Congregationem Charitatis facile orirentur.

461. Siquidem Institutum Charitatis aliorum quoque Piorum Legatorum administrationem gerebat, plura bona iure hereditario acquisivit, Coenobium Monialium S. Clarae obtinuit, atque illuc transtulit Puellarum Orphanotrophium. Etiamsi igitur Sodalitas Sanctissimi Sacramenti in pristina iura administrationis, tum Orphanotrophii, tum hereditatis Bolis, restitueretur, nihilominus Congregatio Charitatis et Sodalitium Sanctissimi Sacramenti Puellis praesiderent; quod quidem confusionem pareret, bonumque regimen everteret. Nihil itaque innovandum clamarunt Deputati Congregationis, praesertim quia Sodalitas duobus ab illinc annis obtinuerat a Rev. Camera Apostolica annuos reditus scutatorum quadraginta novem super bona stabilia et census, ut Archipresbiter Cotiniolae testabatur.

462. Contra vero obstabat Testatoris voluntas, quin ullum ius ex Italici Regiminis decreto sibi acquisivisse Institutum Charitatis ex eo patebat, quod nullum accesserit Apostolicum Beneplacitum. Hisce interim perpensis, proposito dubio: - An hereditas Bolis atque administratio Orphanotrophii sit restituenda Sodalitati Sanctissimi Sacramenti in casu etc.-, Sacra Congregatio respondit: - Dilata, et exquiratur votum novi Episcopi - *in Faventina Redintegrationis die 28 Aprilis 1827.*

463. Mandatis Sacrae Congregationis obediens modernus Episcopus, animi sui sententiam aperuit (2): qua inde cum aliis in medium supramemoratis rationibus mature expensa, re-

(1) Id hisce edixit verbis, ut in §. *Sacerdos* - ibi - Cioè tre quarti per gli obblighi lasciatigli, e specialmente per l'erezione di un' Ospitale di Orfanelle e per mantenimento e dote di quelle; e l' altro quarto a quello che meglio parera a detta Compagnia, non le piacendo d'impiegarlo in quest' Opera di Orfanelle, come avrebbe sommamente a caro il Testatore... e vuole, che la detta Compagnia ne abbia mai sempre quella miglior cura, che si potrà -.

(2) Nimirum his verbis, ut in §. *In comitio* - ibi - Cum de precibus a Sanctissimi Sacramenti Cotiniolae Confratribus nonnulla bona reclamantibus, quae olim sui iuris erant, quaeque nunc a Charitatis Instituto administrantur, EE. VV. Reverendissimis iterum perrectis referre debeam, exponere mihi iuvat, Charitatis Institutum non fuisse dicto Sodalitio speciali Apostolica Auctoritate subrogatum, sed mihi videri, id generalium Pontificii Gubernii Legum vi evenisse, in quibus cum omnes praeteriti Italici Gubernii, a quo extinctarum Sodalitatum bona Demanio unita fuerunt, contractus confirmentur, earum extinctionem, antiquis iuribus eas orbando, ratam habuisse arbitror. Quae leges, cum fuerint a Pio Papa VII gloriosae recordationis sancitae, Extravaganti, *Ambitiosae* aliisque contrariis canonicis sta-

proposito dubio: - An hereditas Bolis atque administratio Orphanotrophii sit restituenda Sodalitati Sanctissimi Sacramenti in casu etc.-, Sacra Congregatio respondit: - Negative, adlecto tamen inter Administratores Instituti Charitatis Priore Sodalitatis; iuxta votum Episcopi - *in Faventina Redintegrationis die 28 Augusti 1830.*

464. Si vero singula Beneficii seu Capellaniae iurispatronatus bona per legem fundationis erogari debeant a Capellano in celebrationem Missarum, nihil prodest huiusmodi Lex civilis ciusque ratihabitio urgentissimis de causis gesta *in Bovinen. Capellaniae die 23 Martii 1839.*

465. Re quidem vera Ioannes Franciscus Longo a fundamentis excitavit Altare in Cathedrali Ecclesiae Bovinensi, quod B. Mariae Virgini Perdolenti dicavit, et Capellaniam laicalem in eo instituit, relinquens iuspatronatus suae Familiae. Hinc Capellaniae assignavit dotem ducatorum septingentorum monetae Neapolitanae, ex quibus redibant singulis annis ducati triginta octo cum dimidio. Praefatus pius Fundator Codicillum inde condidit, in quo dotem Capellaniae auxit aliis ducatis nongentum, sed imperavit, omnes reditus erogandos fore in Missarum celebrationem. Accidit autem, ut post Fundatoris decessum annuus reditus longe multum auctus fuerit. Etenim labente anno 1816, dum ultimus Capellanus obiit, pertingebat ad ducatos fere centum triginta duos. Sex erant Patroni, qui ius nominandi Capellanum ex fundationis actu habebant. Hi autem satius duxerunt, bona Capellaniae sibi addicere ac viritim dividere; hanc enim facultatem illis tribuebat lex quaedam die 18 Iunii 1807 lata, exteris in Regno Neapolitano dominantibus; quae tamen lex aperte sanciebat, ut, qui Capellaniarum bona sibi sumebant, omnia Opera Pia adimplerent a Capellanis obeunda.

466. Alter ex his Patronis Ferdinandus Reale falsa ductus opinione, huic Capellano onus iniunctum esse unius Missae quotidianae, seque tantum sextae parti onerum subesse debere, quum sextam fundorum partem accepisset, singulis annis Missas sexaginta celebrare fecit: itaque ita suae obligationi satisfecisse autumabat. Verum anno 1833 stimulis forsan conscientiae actus, supplex absolutionem petiit a Sacra Poenitentiaria pro culpis ac censuris, in quas inciderat, ob divisam Capellaniam ac onera non integre impleta. Absolutio illi benigne fuit impertita, sub lege tamen, ut Sacram Congregationem adiret.

467. Episcopus, de more interrogatus, confirmavit ea, quae exposuit Ferdinandus Reale; addiditque, ceteros Patronos, qui bona Capellaniae sibi addixerunt, longe tenuissimum Missarum numerum celebrare fecisse, Oratorem Ferdinandum Reale promptum paratumque esse ad reddendam eam fundorum partem, quae ipsi obtigit in divisione; declaravit tamen, nullum inde bonum Capellaniae obvenire, quum alii Patroni id exequi recusarent, et plures etiam nequirent, ob gravem paupertatem. Namque alii praedicti Patroni ad legem die 18 Iulii 1807 latam (1) confugerunt: quam legem, etsi pientissimus Ferdinandus primus utriusque Siciliae Rex abrogaverit die 20 Iulii 1818, attamen alter ex primis supremi Principis Administris

lutis derogatum fuisse, idque ipsum ab huiusmodi superioris ratihabitionis ratione confirmatum videtur, ut innumera videlicet iurgia ac perturbationes evitarentur, peculiarium Sodalitiorum iuribus, publica expostulante utilitate, derogando. Quod autem ob istius Sacrae Congregationis Decretum Charitatis Congregatio nonnullos fundos seiunxerit, eosque alicui Pio Instituto, ut in adiunctis precibus exponitur, restituerit, mirandum non est: siquidem huiusmodi Institutum extinctum non fuit, sed aliis solummodo in Charitatis Congregatione adnexum, e contra Sodalitates extinctae fuerunt, suisque bonis expoliatae. Neque obstare videtur, quod aliqua Sodalitia nonnullos census ad ea olim pertinentes a Reverenda Camera Apostolica obtinuerint; cum enim fidem neque venditi, neque adsignati aut alio modo dispositi fuerint, eos ipsis restituere Gubernium poterat, quin alicuius iura laederentur. Quod si qua ratio petenti Sodalitati faveret, pro huiusce Diaecesis bono ac pace EE. VV. Reverendissimis etiam atque etiam adprecari debeo, ne quid innovationis eiusdem favore succedat; quoniam aliter omnes fere extinctae Sodalitates, aut ad Ecclesias, nunc Parochiales, olim sui iuris vindicandum, aut ad fundos Hospitalium utilitati adsignatos consequendos insurgerent; ex quo quis non videt, maxima oritura esse dissidia, quae sapientissimo EE. VV. iudicio praeteriri haud poterunt. Mihi tandem videretur, si qua gratia petenti Sodalitio concedi vellet, posse eiusdem Prior inter Charitatis Instituti Administratores connumerari, et sic quodammodo pii Testatoris Bolis menti satisfieret -.

(1) Lex illa decernebat, ut in §. *Verum* - ibi - Che i beni addetti a tali istituzioni (*Beneficiorum nempe iurispatronatus*) dopo la morte di tali Possessori saranno in proprietà dei legittimi Compratori, coll' obbligo di adempire le opere di pietà e di beneficenza, ai medesimi annesse -.

die 28 Augusti 1819 declaravit, exterorum legem obtinere in bonis Beneficiorum, quae ante praefatum Regis Decretum a Patronis alienata fuerint, vel inter ipsos divisa.

468. Dubium tamen adhuc erat, utrum praefatis Patronis subsidio esse poterat enunciata lex anni 1807, quatenus agebatur de Capellania, quae non uni tantum oneri Missae quotidianae obnoxia erat, sed cuius integri reditus in totidem Missarum celebrationem erant insumendi. Proposito hinc dubio: - I. An et quomodo sit redintegrandum Beneficium aut Capellania sub invocatione B. M. Virginis septem dolorum, seu potius bona ad eamdem pertinentia remanere debeant divisa inter Patronos Familiae Reale in casu etc.-, Sacra Congregatio responsum dedit: - Dilata; et scribatur Episcopo, iuxta mentem - *in Bovinen. Capellaniae die 22 Novembris 1834.*

469. Mens fuit, ut scriberetur Episcopo, ut, attenta praesertim obligatione Patronis relicta in Legibus latis sub Gallica occupatione curandi Piorum Operum implementum infixum bonis Beneficiorum, curaret, ut a Patronis, tam ex bonis superextantibus, quam recuperandis, redintegraretur Beneficium, cuius onera nedum hactenus inadimpleta condonari, verum etiam in posterum adimplenda reduci poterunt, eosdem Patronos moneret super hoc, ut consulant conscientiae suae, ac de resultantibus certioraret *in Bovinen. Capellaniae die 23 Martii 1839* §. *Sub.*

470. Episcopus vero, auditis ad rem Patronis, retulit, quod alii eorum ob paupertatem, alii prava infecti opinione, redintegrationem explere nollent, excepto praefato Ferdinando, qui ad id erat promptus ac illico paratus. Unde reproposito dubio: - I. An et quomodo sit redintegrandum Beneficium aut Capellania sub invocatione B. M. Virginis septem dolorum, seu potius bona ad eamdem pertinentia remanere debeant divisa inter Patronos Familiae Reale in casu etc.-, S. Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative ad primam partem; et interim pro virili Ferdinandi Reale in Cathedrali, emissa ab eodem renunciatione iurispatronatus, et Episcopus omnibus iuris et facti remediis cogat ceteros Patronos ad reintegrationem, ac capi inscriptionem hypothecariam, Negative ad secundam - *in Bovinen. Cappllaniae die 23 Martii 1839.*

471. Hinc eo vel magis in censuras Venditores et Emptores bonorum ecclesiasticorum incidunt ac eadem restituere tenentur, si illa pro veris ecclesiasticis subinde declarentur *in Burgi Sancti Domnini die 30 Augusti 1833.*

472. Amplia, etiamsi praefati Venditores et Emptores putaverint, quod praedicta bona non ad verum ecclesiasticum Beneficium, sed ad laicale salarium pertinerent *in Burgi Sancti Domnini die 3 Augusti 1833.*

473. Ceterum, attenta bona fide ac Oratorum egestate nec non Episcopi commendatione, Sacra Congregatio mirifice eisdem, pro temporum morum rerumque circumstantiis, consulere satagit *in Burgi Sancti Domnini die 3 Augusti 1833.*

474. Siquidem Gibertus Pallavicinus a Cremonensi Diaecesi supremis tabulis, quas condidit anno 1572 heredes dixit Iulium Filium Presbiterum Canonicum Ecclesiae Monticellis de Unginis ultra Padum, et Catharinam et Eleonoram filias; iussitque Iulio, stata hereditatis bona gravari, pro rata assignationis et legati aere, summa librarum quinquaginta singulo anno in perpetuum in remedio animarum suarum, prout ipsi Iulio placuisset. Voluntati Parentis obsequutus Iulius, Beneficium ecclesiasticum, auctis in id bonis atque extructo etiam Oratorio, erigi curavit. Fratres Motti sua repetentes iura in patronatu bonisque Capellaniae seu Beneficii a Iulio Pallavicino constituti, attenta gravi eorumdem aetate maximaque egestate, postularunt absolutionem ab Legati implemento, ut libere fundum hypothecae vinculo gravatum vendere possent.

475. At interea temporis lis instituta est per Fratres Motti apud Iudices laicos pro relaxatione Oratorii et bonorum per ipsos emptorum, quorum reditus post Guarnerii Capellani obitum sibi pacti fuerant ex contractus conditione, quem cum Roncoverio conciliaverant. Hinc contra Franciscum Zangardi, qui bona illa conduxerat, pro annua scutatorum nonaginta quinque summa, forensi actione contenderunt, tum ut se dominos eorumdem bonorum agnosceret, tum ut locationis pensionem sibi persolveret. Propitiam Instantibus sententiam Iudices pronunciarunt, iisdemque pensiones solvendas decrevere. Verum appellatione interposita, in qua Oeconomus etiam ab Episcopo electus iudicio se sistere debuit ad Beneficii

iura tuenda, causa ceciderunt Fratres Motti, qui condemnati fuerunt, praeter litis expensas, ad restituendam pecuniae summam, vi primae sententiae acceptam, quam Oeconomus penes fundi Conductorem reliquerat. Ea quippe sententia die 15 Decembris 1836 Iudices appellationis connisi sunt – eliminare argumenta primae Sententiae, statuendo verum ac reale Beneficium, non simplicem Capellaniam, neque laicale salarium esse illud, quod in Oratorio Pallaviciniorum nunc Roncoveriorum erectum est –.

476. Re ad Sacram Congregationem delata ac mature expensa Capellaniae qualitate, praelaudata Sacra Congregatio eam verum Beneficium ecclesiasticum declaravit, ac propositis dubiis: – II. An et quomodo consulendum sit, pro assecuratione census Capellaniae in casu etc.

III. An et quomodo consulendum sit Sanctissimo, quoad praeteritas omissiones in casu etc. –, respondit: – Ad secundum, Affirmative; et, firma remanente deputatione Administratoris, Episcopus, adhibitis etiam iuris et facti remediis, curet recuperationem et assecurationem bonorum. Ad tertium, Negative; et, adimpletis oneribus ex fructibus extantibus, e quibus, quod supererit, impertiatur favore Motti, iuxta votum Episcopi, facto verbo cum Sanctissimo; et Venditores et Emptores consulant conscientiae suae – *in Burgi Sancti Domnini die 3 Augusti 1833* (1).

477. Post haec dubitant nonnulli Doctores, utrum prohibitio alienationis obtineat, cum alienatio inter ipsas Ecclesias perficiatur *in Senogallien. die 18 Augusti 1801* §. *Dum* (2).

478. Immo sunt, qui arbitrantur fieri posse bonorum permutationem, transactionem, alienationem inter duas Ecclesias vel Beneficia, absque Beneplacito Apostolico *in Civitatis Castelli die 15 Iunii 1793* §. *Sunt immo* (3).

479. Cessat enim finis Extravagantis *Ambitiosae*, ne cum diminutione scilicet divini cultus convertantur Ecclesiarum bona in usus prophanos, nec inter laicos dispendantur *in Civitatis Castelli die 15 Iunii 1793* §. *Sunt imo.*

Item *in Senogallien. die 8 Augusti 1801* §. *Dum.*

480. Sed semper ad decorem domus Domini, sub dominio Ecclesiae universalis, remaneant *in Senogallien. die 8 Augusti 1801* §. *Dum.*

481. Cessat propterea illius prohibitio *in Civitatis Castelli die 15 Iunii 1793* §. *Sunt immo* (4).

482. Altera accedit huius sententiae ratio, quod in Extrav. *Ambitiosae* excipiuntur casus a iure permissi, ut est permutatio, aut quaevis alienationis species inter Ecclesias ex Cap. 1, de reb. Eccles. alienan. vel non *in Civitatis Castelli die 15 Iunii 1793* §. *Sunt immo.*

483. Nec aliter sentiendum, ex notissimo Urbani VIII Decreto, in quo nulla fit exceptionis mentio *in Civitatis Castelli die 15 Iunii 1793* §. *Sunt immo.*

484. Quum Decretum enim illud emanaverit, pro observantia Extravagantis, intelligendum idcirco videtur iuxta illius sensum, itaut in eo etiam excepti censeantur casus a iure permissi *in Civitatis Castelli die 15 Iunii 1793* §. *Sunt immo.*

485. Haec tamen disputatio tota adversatur apertae iuris dispositioni *in Senogallien. die 8 Augusti 1801* §. *Haec.*

486. Quotquot enim Summorum Pontificum Constitutiones prodierunt a Constitutione 1 Divi

(1) Siquidem Episcopus Placentinus, uti Oratorum Antistes, id proposuit, ob bonam Oratorum fidem, post duas praecedentes venditiones Oratorii et praedii in Fratres Brizzolesios et Antoninm Arcelli, summamque ipsorum egestatem, in quam redacti erant, post totam illorum substantiam in ipsam infaustam emptionem effusam. At Episcopus Burgi S. Domnini, in cuius Diaecesi erat Oratorium a Iulio Pallavicinio conditum, qui olim in eamdem sententiam devenerat, dein post tot damna illata Beneficio censuit, ut in §. *At* – ibi – Statim esse conferendum iuxta regulas Sacrorum Canonum Beneficium, firmis remanentibus, quae in fundatione praescribantur; et ne Fratres Motti, qui divites certe non sunt, graviorem patiantur iacturam, remitteret, tum pecuniae summam vi primae sententiae vindicatam, nempe sexcentum triginta quatuor scutata cum dimidio, tum expensas omnes causae ad centum sexaginta circiter scutata attingentes. Id consentaneum fore videtur pietati Ecclesiae, Matris omnium Fidelium, ac etiam opportunum ad praecavendas obtrectationes et scandala, quae secus hisce praesertim temporibus apud seculares personas certo orirentur –.

(2) Tamburin. de iur. Abbat. tom. 3, disc. 13, quaest. 2, n. 19.

(3) Prae ceteris Rice. in prax. resol. 35, n. 3; Bordon. resolut. 97, quaest. 2, num. 3; Barbos. de iure Eccles. lib. 3, cap. 30, n. 38.

(4) Passerin. de stat. homin. quaest. 185, art. 7, n. 146.

Leonis Magni, relata in Canone *Sine exceptione* 52, caus. 12, quaest. 2, usque ad Constitutionem Pauli II transcripta in Extrav. *Ambitiosae*, omnes interdicunt alienationem bonorum Ecclesiae, nullo facto discrimine, utrum alienatio facta sit inter Ecclesias, an secus *in Senogallien. die 8 Augusti 1801 §. Haec.*

487. Quare generatim extendendae sunt ad quascumque alienationes, cum Leges, verbis generalibus conceptae, latissime sunt applicandae; nec, ubi Lex non distinguit, exceptione uti licet, ad regulam expressam in Leg. *Non distinguemus*, ff. de recept. arbitr. *in Senogallien. die 8 Augusti 1801 §. Haec.*

488. Idcirco, dum in Extrav. *Ambitiosae* interdicuntur *alienationes bonorum Ecclesiasticorum, exceptis casibus a iure permissis*, profecto nisi alienatio inter ipsas Ecclesias expresse permissa detegatur, semper et haec incidit sub censura Extravagantis *Ambitiosae*, *in Senogallien. die 8 Augusti 1801 §. Haec.*

489. Atqui in nullo iuris loco permittitur sine solemnitatibus alienatio de una in aliam Ecclesiam, immo reprobatur aperte ab Innocentio IV in Cap. 1 de reb. Eccles. alienan. vel non in 6 *in Senogallien. die 8 Augusti 1801 §. Haec.*

490. Sequitur hinc, ut in alienationibus inter Ecclesias necessariae sint quoque solemnitates et venia Apostolica *in Senogallien. die 8 Augusti 1801 §. Haec.*

Item *in Alatrina die 23 Decembris 1826 §. Quamquam* (1).

491. Idcirco, etiamsi contractus inter duas Ecclesias vel Loca Pia seu Confraternitates ineatur, requiritur Beneplacitum Apostolicum *in Viterbien. Legati die 8 Augusti 1767 §. Spernendam* (2).

492. Ex receptione quidem Canonistarum sententia Extrav. *Ambitiosae* sibi vindicat in alienationibus quoque de una in aliam Ecclesiam perficiendis *in Sutrina Concordiae die 19 Ianuarii 1805 §. Hoc.*

493. Hanc sententiam, ad Textum in Cap. 1. de reb. Eccles. alienandis vel non, sequuta est S. Rota (3) *in Senogallien. die 8 Augusti 1801 §. Haec.*

Item *in Sutrina Concordiae die 19 Ianuarii 1805 §. Hoc* (4).

494. Praeterea eamdem firmavit sententiam Sacra Congregatio *in Terracinen. Capellaniarum die 20 Augusti 1701.*

Item *in Senogallien. die 8 Augusti 1801 §. Haec; in Sutrina Concordiae die 19 Ianuarii 1805 §. Hoc.*

495. Siquidem Mondulphum Piceni Oppidum duobus praecipue ornabatur Ecclesiis, Collegiata scilicet, in qua Archipresbiter ceteris eminebat, et Ecclesia S. Michaelis, in qua iamdudum erat Vicaria curata. Haec nuperis illis temporibus (in quibus Sacerdos Natalis Ricci ex gratia Apostolica vacantem Archipresbiteratum consequutus erat) suppressa fuit et unita Archipresbiteratui. Cura proinde animarum, quae erat penes Vicarios S. Michaelis translata est ad Archipresbiteros Collegiatae, quibus addicta quoque et applicata fuere tum bona, in Vicariorum congrua destinata, tum fundi a piis Testatoribus relicti pro celebrandis Sacris in altare in eadem Ecclesia S. Michaelis nuncupato B. M. V. Pietatis. Ut vero Fidelium cultus, qui erga B. M. V. Pietatis erat praecipuus, servaretur incolumis, et Archipresbiter Collegiatae ab Ecclesiae S. Michaelis manutentione et satisfactione legatorum, quibus in vim unionis et applicationis adstringeretur, perpetuo exemptus esset, S. Pontifex in iisdem Bullis Archipresbitero indulsit, ut Ecclesiam S. Michaelis Confratribus Sodalitatis Suffragii - gratis concedere possit et valeat, cum hoc tamen, quod praefatae Ecclesiae manutentionis et legatorum piorum satisfactionis onera eidem Confraternitati perpetuo infixa remaneant -. Quo vero facilius Sodalitas Suffragii, cui tenues erant opes, impositum posset ferre onus, eidem concessum est, ut suis cumularet reditibus eleemosynas, quae in re, quae in pecunia ex piis redibant oblationibus, penitus abrogato quodam Decreto Vicarii Generalis Episcopi Senogalliensis, quo imperatum erat, ut eleemo-

(1) Card. De Luc. de Canon. disc. 30, n. 19; Rot. in decis. 190, n. 12, part. 7 divers.

(2) Guttierez in lib. 1, cap. 35, n. 33, quaest. Can.; Sperell. decis. 155, n. 3; Panimoll. decis. 12, n. 33; Rot. in decis. 502, n. 2, coram Bichio.

(3) Nimirum in Compostellana Permutationis 1 Decembris 1749 §. 2, coram Millino.

(4) Ferrar. in Biblioth. verb. *Confraternitas*, art. 6, n. 2.

synae eiusmodi in Sacrificiis Defunctorum animas expiatoriis erogarentur.

496. Postquam haec omnia impetravit ex Bullis Apostolicis Archipresbiter, protinus de explenda cessione Ecclesiae S. Michaelis egit cum Confratribus Suffragii. Qui, ubi noverunt onera huic cessioni imposita, statim habitis comitiis cunctis suffragiis declararunt, se praedictam Ecclesiam cum onere manutentionis acceptare, non vero obligationem implendi onera Legatorum, nisi et capitalia simul cederentur. Quo factum est, ut Archipresbiter satius duxerit rem omni concordia transigere, cuius haec erant praecipua capita, quae ad propositum propius pertinebant. Nimirum spondebant Confratres Ecclesiae manutentionem, itidemque celebrationem, tum Sacrorum octo in menses singulos, tum Missarum tresdecim quotannis, tum unius Sacrificii solemnis in quolibet sabato non impedito. In huius assumpti oneris correspectivitatem Archipresbiter repromisit Sodalitati cedere capitale scutorum 763 annui reditus scutorum 26. 38 ex fundis legato Missarum subiectis. Ex quibus quod reliquum erat retinebat Archipresbiter, sibique assumpsit celebrationem duarum Missarum in menses singulos et alterius Sacri in festo S. Michaelis.

497. Rebus utrinque compositis, Archipresbiter Ricci deprecatus a Sacra Congregatione Beneplacitum Apostolicum, ex quo concordia probaretur. Ceterum, etsi Archipresbiter studuisset probare, quod constaret de necessitate ac utilitate translationis dominii seu cessionis capitalis scutorum 763, proposito dubio: - An et quomodo sit probanda concordia in casu etc.-, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative, iuxta modum; nempe, dempta cessione capitalis annui reditus scutorum 26. 38 facta ab Archipresbitero, firma remanente apud eum obligatione celebrationis Missarum, et ad Secretarium cum Sanctissimo – *in Senogallien. die 21 Novembris 1801.*

498. Insuper ad Aram maximam Parochialis et Collegiatae Ecclesiae S. Martiani geminae superextabant a cornu Evangelii et a cornu Epistolae hinc inde mansiones seu Coretti, quae in interiori parte communicabant cum Aedibus Archipresbiteri Ecclesiae contiguis. Hinc olim Archipresbiteri pro libitu ex utraque mansione a domo in Ecclesiam, vel ab hac in illam accedebant. Cum vero postea Canonici, saeviente hyeme, chorum exercere cepissent in mansione, quae stabat a cornu Evangelii, ex Decreto Episcopi apposita fuit ultra citraque fores serra, ut transitus omnis a domo Archipresbiteri esset interclusus ad mansionem a cornu Evangelii, et tantum eidem pateret aditus ad Ecclesiam per alteram mansionem, quae sita erat a cornu Epistolae. Quod Episcopi Decretum probatum fuit per Sacram Congregationem. Proposito enim dubio: - II. An communicatio domus Archipresbiteralis cum Choro, ubi in hyeme officiant Canonici, claudi debeat, reservata Archipresbitero altera, quam habet, communicationem cum Ecclesia in latere opposito in casu etc.-, Sacra Congregatio respondit: - Ad secundum, affirmative; iuxta Decretum Eminentissimi Episcopi anni 1781 – *in Senogallien. die 13 Iunii 1789.*

499. Inde vero pluribus de causis Archipresbiter Vincentius Primavera incommodam sibi noscens hibernam Chori officiaturam in illa mansione, quae erat a cornu Evangelii, cum Canonicis egit; ut eam transferrent ad alteram mansionem a cornu Epistolae, ut sibi pateret ad Ecclesiam accessus per primam illam mansionem. Canonici quidem non repugnarunt, sed quasdam proposuerunt conditiones, sub quibus esset stipulanda huiusmodi cessio. Archipresbiter ultro libenterque conditiones, per Canonicos propositas, acceptavit; immo, ut in causam huius cessionis factae a Capitulo aliquid retribueret, usum cedere promisit quarumdam sacrarum supellectilium.

500. Obstare tamen videbatur petitae permutationi, tum Iuris dispositio, tum Decretum Episcopi, tum Sacrae Congregationis Resolutio. Ad Iuris vero dispositionem quod spectat, quae prohibet, ne Ecclesia servituti transitus subiiciatur, cum servitus sapiat alienationem et cadit sub censura Extrav. *Ambitiosae,* observabatur, quod non ageretur tunc de inducenda nova servitute. Nam Archipresbiter gaudebat transitu ab Aedibus in Ecclesiam, per alteram mansionem a cornu Epistolae. Quare illud inquirendum erat, num posset cum Capitulo convenire, ut per alium locum transitus huiusmodi fieret, id quod nec servitutem nec alienationem sapere videbatur. Permutatio autem Chori Capitulo non nocebat; cum, facto periculo, aeque bene exerceretur Chorus hyemalis in mansione a cornu Epistolae, ut ipsi Canonici in Capitularibus comitiis professi sunt. Archipre-

sbitero vero prodesse patebat haec hyemalis Chori permutatio ex iis rationibus, quas, ut Capituli consensum obtineret, Canonicis adduxit.

501. Quoad cessionem usus sacrorum supellectilium, quae ad Sacrarium Parochiale pertinebant, videbatur sane, quod Parochus detrimentum inferret suis Successoribus, qui contractus huiusmodi servare debebant, licet sacra supellex diuturno usu deterior evaderet. Susceptum nihilominus per Capitulum manutentionis onus cessionem ipsam utilem forte Paraeciae et Archipresbiteris ostendebat, et vicissim cum inita esset cessio ad praecidendam imminentem ea de re controversiam, probationem mereri poterat. Transactio enim, quae lites inter ecclesiasticas Personas praecidit, saepe probata fuit a Sacra Congregatione (1).

502. Proposito hinc dubio: – An et quomodo probanda sit translatio Chori et cessio sacrarum supellectilium in casu etc.–, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative, iuxta consensum Capituli – *in Senogallien. Permutationis die 10 Aprilis 1802* (2).

503. Immo Sacra Congregatio, proposito dubio: – An alienationes inter Monasteria eiusdem Ordinis, et quidem cum utriusque Monasterii utilitate fiant, ita prohibita atque interdicta censeantur, ut absque Sacrae Congregationis licentia perfici non possint, – rescripsit: – Ita esse prohibitas – *in Regularium Alienationis die 27 Februarii 1666 lib. 25 Decretorum pag. 50 a tergo.*

Item *in Senogallien. die 8 Augusti 1801* §. *Haec.*

504. Quaestio praeterea viget inter Canonistas, utrum Clericis eiusdem Ecclesiae liceat proprio marte inire pactionem, super modo gaudendi fructibus et emolumentis communis massae *in Verulana Massae Communis et Missae pro populo die 21 Novembris 1829* §. *Quaestio.*

505. Hinc non desunt Doctores, qui tradant, haud esse necessariam S. Sedis veniam, pro ineunda pactione inter Clericos eiusdem Ecclesiae, super modo gaudendi fructibus et emolumentis communis massae *in Sutrina Concordiae die 19 Ianuarii 1805* §. *Hoc.*

Item *in Alatrina die 22 Decembris 1826* §. *Quamquam; in Alatrina Mensae Capitularis die 28 Aprilis 1827* §. *At; in Verulana Massae Communis et Missae pro populo die 21 Novembris 1829* §. *Quaestio.*

506. Nam, etsi absque Sedis Apostolicae venia ecclesiasticorum bonorum vetita sit alienatio per Extrav. *Ambitiosae* de reb. eccles. non alienandis, attamen pactio illa nullam praeseferre videtur abdicationem ac translationem dominii ab uno corpore in alterum *in Alatrina die 23 Decembris 1826* §. *Quamquam.*

Item *in Verulana Massae Communis et Missae pro populo die 21 Novembris 1829* §. *Quaestio* (3).

(1) Ceteris hic missis id generatim probavit in *Faventina Transactionis* die 29 Novembris 1795.

(2) Capitulum autem hisce conditionibus consensum praestitit, ut in §. *Nunc* – ibi –1. Che il Signor Arciprete pensi egli di ottenere a sue spese le opportune e necessarie facoltà, dalle quali resti in perpetuo convalidata la cessione di detto Coretto; 2. Debba in perpetuo mantenere a sue spese detto Coretto con li suoi annessi, non farvi innovazione in usi disdicenti alla venerazione e decenza del luogo; 3. Debba traslatare li banconi, che ora vi sono all'altro Coretto opposto; 4. Gli cessi immediatamente il diritto, che Egli ha presentemente della comunicazione in Chiesa delle sue camere a Levante mediante il Coretto *a cornu Epistolae*, e scala a lumaca, e si obblighi di risarcire l'uscio della detta comunicazione, quale resta sempre munito di cartoccio e chiave al di dentro, qual chiave debba unicamente ritenersi dal Canonico Sacrista; 5. Stabilisca la scala a lumaca e finestrini del Coretto a Levante, ove brama trasferita l'Officiatura, faccia la vetrata al fenestrone tutto a sue spese; 6. Pensi egli e li suoi Successori ad ovviare a tutti gl'inconvenienti, che potessero mai accadere quante volte ottenga e si prevalga del libero ingresso ed egresso dalle sue camere per questa Collegiata; 7. Che sia lecito andare e stare in detto Coretto e da esso passare alla Chiesa, e venire alle riferite Camere al solo Signor Arciprete e suoi Cappellani curati, mai però coll'altre persone di qualunque condizione e sesso, e neppure alle donne di sua casa; 8. Che un tal'uso del Coretto non possa mai pretendersi privativo a favore del Signor Arciprete, ma debbano cumulativamente ritenerlo anche gli altri capitolari, per li quali il Canonico Sacrista debba ritenere la chiave, e sia lecito al Capitolo occupare parte di quel sito per cose di Chiesa; e perciò non possa mai l'Arciprete *pro tempore* farci la minima innovazione o divisione e molto meno appropriarselo in tutto o in parte, e convertirlo in uso domestico o profano; 9. Che qualora dal Signor Arciprete, s'accettino tali condizioni, debba il Capitolo trasferire l'Officiatura d'inverno nell'opposto Coretto *a cornu Epistolae*, ed il Signor Arciprete debba far apporre alla porta, che comunica fra quell'altre sue stanze contigue con questo Coretto un Cartoccio al di dentro dalla porta di esso Coretto con serratura e chiave da ritenersi perpetuamente dal Signor Canonico Sacrista.

(3) Card. De Luc, de Canon, disc. 30; et de alienat. disc. 54, n. 8; Scarfanton, ad Cercoper. lucub. canon. lib. 4, tit. 13, n. 64.

507. Censura quidem Extravagantis *Ambitiosae* sibi vindicat in alienationibus quoque de una in aliam Ecclesiam perficiendis, sed hac in re agitur de pactione inter Canonicos eiusdem Ecclesiae, nec alienatio ulla patratur, sed de emolumentis ipsis debitis statuitur, hoc potius vel illo modo distribuendis *in Sutrina Concordiae die 19 Ianuarii 1805* §. *Hoc*.

508. Quare, cum nec Ecclesia bonis privetur, nec damnum ullum ferre possit, omnino cessare videtur ratio, quamobrem alienatio, nulla praecunte venia Apostolica, inter Ecclesias interdicta sit, et nullo modo propterea requiri videtur Apostolicum Beneplacitum *in Sutrina Concordiae die 19 Ianuarii 1805* §. *Hoc* (1).

509. Ceterum hoc etiam in casu necessarium videtur Apostolicum Beneplacitum: unde Sacra Congregatio concordiam inter Canonicos primae et secundae erectionis Collegiatae S. Aegidii Oppidi Tulpharum, super distributione emolumentorum initam et exequutam, antequam impetraretur Apostolicum Beneplacitum, probavit ad formam Iudicati A. C. Priocca, qui caput dictae concordiae delendum esse definiverat (2) *in Sutrina Concordiae die 19 Ianuarii 1805*.

510. Siquidem septemdecim Canonici constituebant in Oppido Tulpharum Collegiatam S. Aegidii, quorum sex primae erectionis, undecim secundae appellabantur. Antiquitus enim Ecclesiam illam administrabant duo Parochi, qui decimas a Populanis exigebant, sed anno 1588 cum iisdem certos fundos assignasset Communitas Tulpharum facta est prima Collegiatae erectio, et alii quatuor adiuncti sunt Canonici, qui una cum duobus Parochis unum corpus constituerunt. Sequioribus temporibus ab anno 1597 ad annum 1747 undecim alii Canonici erecti fuere, eisque a piis Fundatoribus inditum nomen est, scilicet: Segni, Pisanelli, Smacchini et Gemma, Pugnalotti, Ciancaleoni, Gruppi, tres Ambrogetti, Ripari, Pasquini.

511. Non diu tamen stetit animorum concordia inter utrumque Canonicorum Coetum. Anno siquidem 1628 Canonici primae erectionis noluerunt admittere Canonicum Rasponi, qui possidebat Canonicatum Segni secundae erectionis ad participationem distributionum particularium. Secus tamen decrevit Episcopus Moroni in Sacra Visitatione diei 23 Septembris eiusdem anni 1628, iubens, ut Rasponus fieret particeps omnium emolumentorum Capitularium, simulque ut perciperet fructus ex piis Legatis Capitulo factis a die erectionis Canonicatus, et viceversa hic concurreret pro sua parte in expensas Sacrarii. Sed lis non ex hoc peremta fuit.

512. Nam, renuentibus Canonicis primae erectionis concedere iura Canoniae tribus secundae erectionis Canonicis Segni, Pisanelli et Smacchini, alterum in Sacra Visitatione diei 9 Iulii 1675 Decretum tulit el. me. Card. Spinola Episcopus Sutrinus, quo pares fecit utriusque classis Canonicos in omnibus honoribus et oneribus. Quod Decretum licet fuerit exequutioni commissum usque ad annum 1692, attamen postea Canonici primae erectionis reclamarunt; et Episcopus Sutrinus Cianti Decreto suo in Sacra Visitatione 4 Iunii 1692 permisit, ut per modum provisionis res ad pristinum statum redirent. Inde silentium consequutum est ad annum 1780, quo ad iudicium coram Vicario Generali Sutrino controversiae omnes deductae fuere et agitatae; tandemque die 24 Iulii 1781 Vicarius Generalis protulit Decretum, quo declaravit, Canonicis secundae erectionis competere ius Canoniae, et, quoad participationem Legatorum, distributiones quotidianas, contributionem expensarum, incundam esse utrinque Concordiam intra mensem.

513 Quamquam Canonici primae erectionis reclamaverint ab hoc Decreto ad A. C. Gioia, attamen postea a lite recesserunt, stipulata Concordia per publicum Instrumentum diei 24 Decembris 1782. Ex hoc patebant ea, quae superius exposita sunt, simulque viginti capita conventionum, quae Canonici hinc inde acceptarunt per constitutos Procuratores, quibus

(1) Card. Petra ad Constit. Apost. tom. 5, pag. 438, n. 12; Card. De Luc. de canon. disc. 30, de alienat. disc. 54; Scarfant. ad Ceccoper. tit. 1, n. 20, tom. 1; Rot. in decis. 218, n. 3, part. 7 Recent.; in Sulmonen. iuris participandi 3 Martii 1752 §. final. coram Canilliac.

(2) Haec vero in praedicto capite V praefatae concordiae Canonici statuerant, ut in §. *Quamquam* – ibi – Che da detta Massa comune debba detrarsi e contribuirsi ai Signori Rettori e Canonici di prima erezione la quarta parte della cera ed emolumento detto della Stola, che si percepisce nell'associazione dei Defonti in qualunque Chiesa per titolo e ragione della quarta, che i medesimi annualmente corrispondono alla Mensa Vescovile –.

mandavit, ut pro Concordiae confirmatione Sacrae Congregationi Episcoporum et Regularium vel Sacrae Congregationi Concilii supplicarent.

514. At, utrum petitum fuerit Beneplacitum, incertum erat. Nam Canonici testimonio Secretarii Capitularis confirmabant, ob eam rem preces dedisse Sacrae Congregationi Concilii, quae Episcopo pro *Informatione* remissae fuerunt, sed nihil horum in Regestris Secretariae reperiebatur. Haec vero fatebantur Canonici, quod antequam Beneplacitum impetratum esset, transactio illa fuit exequutioni commissa. Nova hinc lis super exequutione emersit. Nam Canonici secundae erectionis praestare nolebant, quod in capite V conventum fuerat. Negabant enim Canonici secundae erectionis, quidquam nomine quartae partis tribui a Canonicis primae erectionis Mensae Episcopali; adeoque, disceptata causa coram A. C. Priocca, hic edita sententia die 26 Septembris 1786 definivit: – Capitulum quintum transactionis, tamquam falso titulo et causa innixum, pro annullato et abrogato haberi voluit atque mandavit –.

515. Postularunt subinde Canonici, ut transactio inita anno 1781 approbaretur, deleto capite V, quod ex sententia A. C. iam erat abrogatum. Episcopus in sua informatione haec habuit, quoad transactionem: – Quod pactum fuit Capite quinto Transactionis deinde abrogatum fuisse agnovi per sententiam A. C., uti falso titulo innixum. Verum in eodem Capite de iuribus Episcopalis Mensae quodammodo agitur. Nam in eodem conventum fuit, eidem Mensae quartam funerum quotannis persolvi, quam mihi hactenus non fuisse persolutam indubium est; ita, ne ex approbatione sententiae latae indefenso Promotore Fiscali iura Mensae laedantur, obsecro EE. VV., ut quoties Instrumentum adprobandum censeant, iura eiusdem Mensae praeservare dignentur –. Unde Antistes iterum respondit: – Se nunquam obstitisse, quominus transactio fieret et Beneplacitum Apostolicum obtineretur, modo Episcopalis Mensae iura, super quarta funerali a Capitulo solvenda, intacta manerent –.

516. Canonici vero in id enixe institerunt, ut in huiusmodi transactione necessarium non esset Apostolicum Beneplacitum, ex eo etiam quod haec transactio facta fuit, ita decernente Vicario Generali, qui, re cognita, ad litem omnem submovendam, ad animorum concordiam revocandam, decrevit, transactionem esse ineundam, ut foedere certo partirentur emolumenta distributionum, in quibus percipiendis dissociatae erant Canonicorum sententiae. Quum itaque necessaria fuerit, tum aequa omnino videbatur. Consona siquidem erat antiquioribus Decretis S. Visitationis Episcoporum Sutri, scilicet Moroni 23 Septembris 1628 et cl. me. Card. Spinola 9 Iulii 1675, quibus Canonici secundae erectionis ad ius Canoniae et ad participationem emolumentorum admittebantur. Quare si transactio eo pertinuit, ut pro diverso tempore, quo erecti fuerunt Canonicatus admitterentur ad Legatorum participationem, ad expensarum contributum, si onera divisa pro modo fructuum percipiendorum, iam aequa videbatur transactio et hoc ipso probanda, quod diuturnas et semper reviviscentes lites penitus extinxerit: ita tamen probanda, excepto Capite quinto, quod iam abrogavit sententia A. C. Priocca.

517. Proposito hinc dubio: – An et quomodo sit probanda Concordia in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative, iuxta modum; nempe ad formam pro nunc Iudicati A. C. Priocca, salvis iuribus Mensae Episcopalis, pro consequutione quotae, et salvis iuribus Rectoribus et Canonicis primae erectionis repetendi eamdem quartam a Canonicis secundae erectionis, ad formam Capituli quinti Concordiae, prout et quatenus de iure – *in Sutrina Concordiae die 19 Ianuarii 1805.*

518. Adde eiusmodi pacta, inter Capitulares inita, Successores afficere non possunt *in Verulana Massae Communis et Missae pro populo die 21 Novembris 1829* §. *Quaestio* (1).

519. Hinc explorati iuris est, ex causa laesionis agi posse ad rescindendam divisionem, quin factum Canonicorum, consentientium in eiusmodi divisionem, iacturam inferre potuerit Successoribus *in Alatrina Mensae Capitularis die 28 Aprilis 1827* §. *Verum.*

520. Pacta enim inter Capitulares, etiam super praeeminentiis inita, Successores paciscentium afficere nequeunt, nisi Apostolica Auctoritate fuerint roborata *in Surrentina Processionum die 16 Aprilis 1825* §. *Nihil.*

(1) Card. Petra ad Constit. Apost. tom. 5, pag. 438; Gonzalez ad cap. 1, n. 5, de solut.

Item *in Alatrina Mensae Capitularis die 28 Aprilis 1827* §. *Verum; in Verulana Massae Communis et Missae pro populo die 21 Novembris 1829* §. *Quaestio* (1).

521. Quare Sacra Congregatio Communis Mensae partitionem et peculiarium praebendarum attributionem modo confirmandam, modo respuendam censuit, prout rerum ac temporum circumstantiae suggerere visae sunt *in Verulana Massae Communis et Missae pro populo die 21 Novembris 1829* §. *Quaestio*.

522. Enimvero Ecclesia S. Mariae Terrae Fumonis Alatrinae Diaecesis, anno 1781 in Collegiatam erecta, octo constabat Canonicis et duabus Dignitatibus, quarum prima Archipresbiter, Abbas altera nuncupabatur. Novae Collegiatae mensam constituerunt bona plurium Beneficiorum eorumque fructus in duodecim aequales partes dividi iussit erectionis Bulla, quarum decem inter Archipresbiterum Abbatem et ceteros Canonicos aequaliter distribuerentur; - de duabus autem partibus seu ratis remanentibus una integra sit pro Archipresbitero, ut respectu aliorum duplum habeat, et medietas alterius partis seu ratae Canonico Abbati Curato, ut prae ceteris Canonicis habeat partem unam integram cum dimidio; dimidium medietatis residuae ratae integrae Canonico Teologo, alterius medietatis dimidium Canonico Presbitero Sacramentales Christifidelium Confessiones excipiendi onus habenti accrescant; assignata in usum distributionum quotidianarum tertia parte dictorum septingentorum vigintiquinque scutorum respective aequaliter detrahenda a partibus uniuscuiusque -.

523. Huiusmodi bona communiter administrarunt Canonici, annuosque fructus ad tramites Bullae erectionis inter se partiti sunt ad annum usque 1799. Etenim superiorum annorum experientia docti Canonici, communem illam bonorum administrationem in detrimentum cedere totius Collegiatae; siquidem modo imperitia, modo negligentia et fraude Administratorum, interdum vero Cultorum nequitia eveniebat, ut longe minores colligerentur fructus, et agrorum cultura negligeretur, rem sibi utilem gerere putarunt, si fundos eodem ferme modo, quo reditus ex fundationis lege erant distribuendi, inter se dividerent, ac decem efformarent Praebendas, ut quisque ex Capitularibus suam possidere et administrare posset praebendam. Hinc praefato anno 1799, auctorante Episcopo, optatam absolverunt divisionem, relicta fundorum parte pro massa communi, qua publica vectigalia aliaque Capituli perferrentur onera.

524. Verum anno 1807 Episcopus *Della Casa*, qui tunc Alatrinam regebat Ecclesiam, illicitum et invalidum denuntians divisionis actum, ob defectum Beneplaciti Apostolici, statuit, ut fundi communiter denuo administrarentur, absolutionemque a censuris, si quas Canonici ob peractam divisionem incurrerint, ab summo Pontifice impetravit. At nihilominus Capitulares, animo recolentes praeterita incommoda atque etiam iurgia, quae inter ipsos Canonicos oriebantur, dispertitas Praebendas possidere, eisque frui sunt prosequuti, donec moniti ab moderno Episcopo preces Sacrae Congregationi porrexere, ut bonorum divisio firma maneret, et Apostolica Auctoritate roboraretur.

525. Requisitus de more Episcopus, pro informatione et voto, Canonicorum precibus favit, qui necessitatem confirmandi inductam divisionem in eo collocarunt, quod, si communis Mensa denuo praeciperetur, iurgia et contentiones, quae post bonorum partitionem finem habuere, statim reviviscerent; utilitatem vero sitam putarunt in uberiori fructuum perceptione. Cum enim fere omnes agri Collegiatae S. Mariae essent *montuosi e sassosi*, ideoque sine multa cultura magnoque labore vix aliquem fructum edere valerent, expediebat quam maxime, ut bona separatim administrarentur. Hinc et Episcopus necessariam et utilem iam inductam seu praestitutam divisionem edixit, - aucta tamen, prout opus videbitur, quae obtinet, communi Capsula, ut plene onerum adimplemento et fallentiarum, ut vocant, satisfactioni tuto provideatur -.

526. Idcirco, proposito dubio: - An et quomodo sit probanda bonorum divisio in casu etc.-, Sacra Congregatio respondit: - Praevia absolutione quoad praeteritum, Affirmative; aucta tamen Massa communi per Episcopum, ad formam Bullae erectionis, facto verbo cum Sanctissimo - *in Alatrina die 23 Decembris 1826* (2).

527. Sacra Congregatio vero nec gestam

(1) Card. de Luc. de Canon. disc. 30, n. 1.

(2) Ceterum ad gratiam confirmationis obtinendam non obstitit, quod secus iam penitus destruere oporteret com-

contra Bullam erectionis divisionem bonorum communis Mensae probare nec novam statuere censuit, cum praesertim supremus Pontifex, in actu erectionis Ecclesiae in Collegiatam, communem Mensam constituerit *in Alatrina die 28 Aprilis 1827.*

528. Amplia, etiamsi auctoritas Ordinarii, lapsus longi temporis et pacifica observantia, intercesserint *in Alatrina die 28 Aprilis 1827.*

529. Siquidem anno 1750 S. M. Benedictus XIV Parochialem Ecclesiam S. Michaelis Archangeli Terrae Vici Alatrinae Diaecesis in secularem Collegiatam erexit, eamque constare voluit ex octo Canonicatibus et una Dignitate Praepositurae titulo insignita. Ad novae Collegiatae dotem constituendam plura suppressit Beneficia nonnullaque alia, ubi primum vacarent, supprimenda decrevit. Edixit insuper, ut eorumdem Beneficiorum Rectoribus omnibus vita functis - et universis fructibus reditibus et proventibus simul sumptis, ac deinde pro aequali medietate divisis -, una medietas divideretur - in decem aequales ratas cum dimidio alterius ratae similis -, quarum duae integrae - Praepositurae ultra medietatem emolumentorum stolae -, et reliquae septem cuilibet ex septem canonicatibus aequa lance tribuerentur; altera vero aequalis medietas - pro usu quotidianarum distributionum inter omnes aequaliter dividenda converteretur -.

530. Imo, ad augendas quotidianas distributiones, eidem Collegiatae tradidit Pontifex nedum reditus cuiusdam simplicis Beneficii exigui valoris, sed etiam quamdam Massam ex Piorum eleemosynis institutam, et ad annuam pecuniae vim scutorum octoginta ascendentem, - ita ut quod tam dicta medietas universorum fructum redituum et proventuum praefatorum ac Beneficii huiusmodi fructus, quam dicta Massa in usum huiusmodi (scilicet quotidianarum distributionum) semper stare debeant -. Tandem circa punctaturas Canonicorum a Choro absentium statuit, ut, - illae non inter praesentes et divinis Officiis interessentes dividantur, sed singulae et omnes mulctae seu punctaturae huiusmodi integraliter in celebrationem Missarum cedant -.

531. Quid in huiusmodi Apostolicarum Literarum executione evenerit, quomodo Canonici leges in eisdem latae servaverint, penitus latebat: illud autem convenit inter Canonicos, quod anno 1805 cuncta bona Collegiatae fuerint divisa ac novem constitutae Praebendae, quin tamen ullus inveniretur praestitutus Census pro quotidianis distributionibus. Quod vero pertinebat ad fallentias, quaedam proferebantur Capitulares Constitutiones, diversas pro ratione absentiae statuentes punctaturas. De hac bonorum divisione propter Praebendarum inaequalitatem, ac Massae communis defectionem, cum quererentur nonnulli Canonici, in Comitiis capitularibus anni 1823 actum est, de nova ineunda pactione, sed bonorum inventariis, instrumentis, aliisque opportunis documentis delitescentibus, et quibusdam Canonicis rem perficere permorantibus, Canonicus dell'Orco a Secretis Capituli Sacram Congregationem adiit, novam implorans Praebendarum divisionem ac constitutionem Massae quotidianarum distributionum.

532. Namque divisio illa nedum Bullam erectionis subvertit, sed laesionem intulit; quin factum Canonicorum, consentientium in huiusmodi divisionem iacturam inferre potuerit Successoribus, ex eo etiam, quod Apostolica Auctoritas non accesserit. Praepositus Pelloni vero divisionem praefatam anni 1809 ratam esse habendam contendit; quia (ut ipse asseruit), auctorante Episcopo, peracta fuit quin esset necessaria Sanctae Sedis venia, pro ineunda huiusmodi pactione inter Clericos eiusdem Ecclesiae, super modo gaudendi fructibus et emolumentis communis Mensae, et quia decem et octo abilline annis quilibet Canonicus divisa bona pacifice possederat. Nec ullam intercessisse laesionem suadere nisus est, cum sub ipso erectionis Collegiatae initium bonorum divisionem peracta fuerit, et anno 1809 ope Peritorum reiterata, quin postea ullus Canonicorum de Praebendarum inaequalitate fuerit unquam conquestus. Exinde arguit, omnia rite esse expleta, et, si qua tunc aderat inaequalitas, eam proficisci ex maiori dumtaxat agrorum cultione.

munes Capitulorum Mensas, quas in Ecclesia vetustissimas ostendit cap. *Cum M. Ferrariensis* 9, de constit., quaeque etiam adhuc vigent in pluribus Capitulis. Incommodis vero facile occurri posse videbatur per electionem diligentissimi Administratoris. Imo gravioribus sumptibus pro Templi aedificiorumque tuitione aut maiori agrorum cultione agendis expeditius prospicitur ex fructibus Mensae communis, quam ex symbolo a singulis Canonicis conferendo.

533. Hisce hinc inde perpensis, proposito dubio: – I. An et quomodo probanda sit bonorum divisio in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative in omnibus; et Episcopus curet omnia in pristinum restitui, ad formam Bullae erectionis - *in Alatrina Mensae Capitularis die 28 Aprilis 1827.*

534. Ac multo minus probare censuit Sacra Congregatio divisionem Massae communis proprio marte a Beneficiatis ac eodem Episcopo subinde reclamante gestam, cum ex huiusmodi divisione, nihil etiam pro Ecclesiae et Sacristiae manutentione assignato, cultus divinus languesceret et onera Beneficiis annexa negligerentur *in Verulana Massae Communis et Missae pro populo die 12 Decembris 1829.*

535. Iamvero vetustissima prope Turricem exurgit Ecclesia Apostolorum Principi dicata, in eaque septem extabant ecclesiastica Beneficia, quorum primum Archipresbiteratus titulo insignitum et animarum cura gravatum, Archipresbytero ac reliquis Beneficiatis a tempore, quod hominum vincit memoriam, onus imminebat sive per se sive per substitutum festis diebus canendi vesperas, Archipresbytero Missam solemnem celebranti inserviendi, completorium in feriis quadragesimae cantu absolvendi nonnullasque alias peragendi sacras functiones, ac etiam Missam pro Populo dominicis aliisque festis diebus in orbem applicandi. Nemo certa ac peculiari olim praeditus erat praebenda, sed una ac eadem erat omnium Mensa, atque ex ea desumi consueverat quidquid necesse foret, pro implendis Missarum legatis, pro sacris obeundis functionibus, et pro tuenda Ecclesia; reliqui autem bonorum fructus ita dividebantur, ut singulis Beneficiatis aequa et Archipresbitero dupla obtingeret portio.

536. At anno 1814 quum Archipresbiter et Beneficiati inter se, nulla Sedis Apostolicae aut Episcopi impetrata venia, Ecclesiae bona distribuerint ac peculiares constituerint Praebendas, factum est, ut Beneficiati ab antiquo et immemorabili desciverint instituto, et lucrum quidem omne amplectebantur, onus autem eidem annexum omnino respuebant. Quare neque per se neque per substitutos tunc Missam pro Populo celebrabant, punctationi amplius non subiiciebantur, qui sacris aberant functionibus, languebat divinus cultus, et reliqua onera, quae communi agebantur impensa, interea negligebantur. Aegre id passus est modernus Archipresbiter Aloisius Ciccolini, et Sacrae Congregationis auctoritatem imploravit, ut omnia in antiquum statum restituerentur.

537. Episcopus, pro informatione et voto requisitus, retulit, quod et ipse conquestus fuerit cum Beneficiatis de communis Massae divisione, in actu sacrae Visitationis, ex eo etiam, quia nullam partem assignaverant pro manutentione Ecclesiae et Sacristiae aliisque expensis cuiuslibet generis, ad quas communiter tenebantur. Ex quo interim fiebat, ut Ecclesia et Sacristia, Populo admirante et obtrectante, etiam necessariis destituta conspiceretur. Hinc Beneficiati, quum et monitioni Episcopi inobedientes se ostenderint, penitus latebat, quibus rationum momentis, ipsi adducti fuerint, ut proprio marte, communis Mensae bona inter se partirentur.

538. Quare, proposito dubio: - I. An sit probanda bonorum divisio, seu potius redintegranda Massa communis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad primum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam - *in Verulana Massae Communis et Missae pro Populo die 12 Decembris 1829.*

539. Quandoque vero Summus Pontifex etiam Viros Laicos seu Administratores Loci Pii adeo amplis donavit facultatibus, ut non subiacerent Extrav. *Ambitiosae,* prout de facto Clemens VII huiusmodi privilegium indulsit Administratoribus Ecclesiae et Hospitalis sanctae Mariae Consolationis, atque Sacra Congregatio in contradictione Episcopi confirmavit *in Tudertina Iurisdictionis die 22 Septembris 1742* (1).

540. At eadem Sacra Congregatio alienationem bonorum spectantium ad Hospitale factam a Communitate, ad effectum solvendi aes alienum, vigore facultatis ei concessa a R. C. A. nullam ac irritam declaravit *in Narnien. Alienationis die 29 Aprilis 1713 lib. 63 Decretorum pag. 163.*

541. Hinc et alienantes praedicta bona, prout et eadem detinentes, consulere debere propriae conscientiae, rescripsit Sacra Congregatio *in*

(1) Dubiorum resolutionem habes in Verb. *Administrator*, §. IV, n. 43: species vero causae huius prostat in Verb. *Administrator*, §. VI, n. 299 et seqq.

Narnien. Alienationis die 29 Aprilis 1713 lib. 63 Decretorum pag. 163.

542. Amplia, etiamsi Hospitale creditum fuerit mere laicale, ob non interventam Ordinarii auctoritatem, in illius fundatione *in Narnien. Alienationis die 29 Aprilis 1713 lib. 63 Decretorum pag. 163.*

543. Unde praelaudata Sacra Congregatio reintegrationem una cum fructuum restitutione demandavit *in Narnien. Alienationis die 29 Aprilis 1713 lib. 63 Decretorum pag. 163.*

544. Propositis quippe dubiis: - I. An sustineatur alienatio bonorum S. Catharinae, facta vigore facultatis concessae a R. C. A. de mense Aprilis 1641. *Et quatenus negative.*

II. An et in quas poenas inciderint eiusdem Auctores, et qui vigore ipsius adhuc detinent et occupant bona Hospitalis eorumque pretium in casu etc.

III. An Communitas S. Gemini teneatur reintegrare Hospitale S. Catharinae in quieta et pacifica possessione bonorum nulliter alienatorum una cum fructibus, vel saltem restituere pretium, una cum fructibus recompensativis in casu etc.

IV. An et quibus iuris et facti remediis sit cogenda Communitas ad praemissorum implementum in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: -Ad primum, Negative. Ad secundum, Per eos consulendum esse conscientiis suis. Ad tertium, Affirmative. Ad quartum, Cogendam esse Iuris tantum remediis - *in Narnien. Alienationis die 29 Aprilis 1713 lib. 63 Decretorum pag. 163.*

545. Ceterum firma ac rata habetur huiusmodi facultas alienandi, nedum si concedatur a Supremo Pontifice, sed etiam si eadem ab ipso Fundatore seu Testatore tribuatur; alienatio enim vineae et arundineti, legati Societati Sanctissimi Rosarii, facta absque Beneplacito Apostolico, stante expressa mente Legantis, quod venderetur a Prioribus pro tempore Societatis, cum interventu cuiusdam Abbatis, nullo requisito Beneplacito Apostolico vel Ordinarii, valida fuit declarata *in Albanen. Legati die 3 Octobris 1705 lib. 55 Decretorum.*

546. Siquidem - in postremo suo Testamento condito de anno 1688 Lucretia Bartolini Vineam cum Arundineto legavit Societati Sanctissimi Rosarii erectae in Collegiata Ecclesia Sancti Barnabae Terrae Mareni, ut a Prioribus et Officialibus dictae Societatis absque ullo Apostolico Beneplacito et Ordinarii Decreto cum solo interventu et assistentia Abbatis pro tempore dictae Collegiatae praefata bona legata, praevia aestimatione, libere venderentur, pretiumque sine ulla pariter Apostolica vel Ordinarii facultate per eosdem Officiales et Abbatem respective in aliis bonis stabilibus tutis et securis vel in Locis Montium investiretur; fructus vero huiusmodi investimenti Priori aut Camerario pro tempore dictae Societatis traderetur, qui per decem dies ante festivitatem Sanctissimi Natalis D. N. in Capella Sanctissimi Rosarii intra Ecclesiam praedictam existente decem Missas lectas in suffragium animae ipsius Testatricis eiusque Mariti et aliorum de genere Defunctorum, celebrari curarent, et, si quid postea superesset, ceram pro Novena, quae in dicta Ecclesia per Societatem praedictam tunc peragi solet, inde compararent.

547. In emptione autem Vineae et Arundineti Hilarium Gagliardi eiusque Filios et Heredes praeferri mandavit, quos, si pecuniis deficerent, ad fructus recompensativos ad rationem scutorum trium pro quolibet centenario et anno interim solvendos teneri voluit, iterum repetens, quod hoc Societas absque ulla pariter Superiorum licentia indulgere posset.

548. Praemissa igitur aestimatione, iuxta quam Vineam et Arundinetum praedictum scutis 189,70 dumtaxat valere Peritos retulisse, asseritur, Priores et Officiales cum solo interventu Augustini Gagliardi dictae Ecclesiae Collegiatae olim Abbatis, Ioanni Pilarde de Nobilibus eadem bona vendiderunt pro scutis biscentum, in sacro Monte Pietatis Urbis depositis, ex cuius pretii rata scutorum 93 binas mansiones a supradicto Hilario de Gagliardis successive emerunt.

549. At quia de anno 1694 Vicarius Generalis Albanensis in Visitatione alienationem praedictam esse nullam et Ecclesiae praeiudicialem, dicta vero scuta 93 restituenda esse pronunciavit ex eo, quod eaedem mansiones emptae dirutae forent ac pene inhabitabiles, propterea dictae Societatis Officiales apud Sacram Congregationem insteterunt, ut alienationem et investimentum praedictum validum esse declararet.

550. Ea tamen, expetita et accepta relatione Vicarii Successoris, sub die 20 Augusti 1701

ita respondit: - Oratores doceant de reintegratione et adimplemento Decretorum -. Nunc itaque dicto quoque Hilario Gagliardo instante pro ulteriori rei definitione ab EE. VV. quaeritur: - An sit standum vel recedendum a decisis sub die 29 Augusti 1701 in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Praevio recessu a decisis, alienationem Vineae substineri, et quoad emptionem mansionum causam remisit ad Iudices suos - *in Albanen. Legati die 3 Octobris 1705 lib. 55 Decretorum p. 359 a tergo* (1).

551. Sacra Congregatio validam pariter censuit alienationem per Administratores Pii Operis, stante facultate expressa Testatoris, absque Beneplacito Apostolico gestam *in Bononien. Redditionis Rationis et Beneplaciti Apostolici die 2 Martii ad II dubium* (2).

552. Contra, si hominis prohibitio superaccesserit, tunc alienandi facultas difficilius solet impertiri *in Veliterna Permutationis die 3 Augusti 1771* §. *Bonorum.*

Item *in Regien. Permutationis die 3 Iulii 1784* §. *Permittitur* (3).

553. Quia decedentium voluntas nonnisi raro et quando magna Ecclesiae utilitas vel necessitas urgeat debet immutari *in Veliterna Permutationis die 3 Augusti 1771* §. *Bonorum.*

Item *in Regien. Permutationis die 3 Iulii 1784* §. *Permittitur* (4).

554. Hinc alienatio domus, spectantis ad hereditatem relictam Hospitali ex lege, ut nulla unquam illius pars posset alienari sub poena caducitatis, reiecta fuit etiam oblatione data evidentis utilitatis praedicti Hospitalis heredis *in Caesenaten. Domus die 13 Maii 1713 lib. 63 Decretorum.*

555. Enimvero iampridem Sebastianus Lancetta heredem ex asse nominavit Hospitale Sanctissimi Crucifixi cum expressa districtaque prohibitione neque minimum alienandi seu quomodocumque in alios dominium transferendi: - Nec etiam, ut ipse inquit, (cum semper bona gratia procedente) per Sanctissimum Papam nunc temporis etiam pro aliqua causa piissima, quomodocumque qualitercumque maxima et necessaria -, poena quadrupli adiuncta ipso iure applicanda PP. Sancti Francisci de Caesena. Prae ceteris vero bonis in hereditate praelibatus Testator reliquit domum quamdam sitam in Civitate, quam locandam mandavit honestis Conductoribus, ut ex reditibus quolibet anno celebraretur officium Missarum saltem quinquaginta, quemadmodum latius ex testamenti particula in Summario danda. Diu quidem, absque Conductore, eiusmodi domus remansit, at nuper, quatuor oblationum schedulis superventis, compertum fuit, quod Ioannes Antonius Almericius licitationem affictus prosequutus fuit in scutis quadraginta quinque annuatim, paratumque se obtulit intra unius anni curriculum extinguere censum passivum in sorte scutorum mille centum viginti super eadem domo impositum, si Hospitale id gratum haberet. Alteram quoque oblationem mox dictus Ioannes Almericius interposuit, in qua repilogando antefatam schedulam adiunxit, si quando domus saepedicta ad perpetuam locationem sibi eiusque germano fratri, perdurante ipsorum descendentia masculina, concederetur, eadem extincta, sese Hospitali donaturos capitale praeindicati census scutorum mille centum viginti, praeter annualem affictum scutorum quadraginta quinque. Alter vero Antonius Almericius, pro affictu unius anni, obtulit scuta quinquaginta persolvenda semestratim praeventive. Postremo Ioannes a Flumine pro persona nominanda oblationem exposuit scutorum quadraginta quinque, quin etiam licitationem promovit in uno scuto plusquam alii Oblatores, si qui insurgerent. Maturo examine, uti perhibetur, his schedulis suis ponderibus libratis, placuit Prioribus Hospitalis secundo dictam praeacceptam praehabere, quam exposuit Ioannes Antonius Almericius pro perpetua conductione domus; proptereaque supplices confugium habuerunt ad Sanctissimum Dominum Nostrum, precibus ad hanc Sacram

(1) Si vero alienatio haec subinde nullam S. Congregatio declaraverit id factum est ex novis iuribus per interesse habentes deductis.

(2) Ceu videre est in Verb. *Administrator*, §. IV, n. 75 et seqq. Atque latius huius causae speciem habes in Verb. *Administrator*, §. VI, n. 292 et seqq.

(3) Amostaz de Caus. Piis lib. 1, cap. 14, n. 12 et 18; Piton. de controv. patron. allegat. 30, n. 5; Rot. in decis. 114, n. 30 et 31, part. 9 Recent.

(4) Fagnan. in cap. *Dudum*, de elect. n. 28; Farg. de iurepatronat. part. 2, cas. 21, c. 5, n. 10.

Congregationem reiectis, pro Apostolico Beneplacito.

556. Interea vero Ioannes a Flumine adivit Sacram Congregationem, Episcoporum et Regularium negotiis praepositam, contendens sibi prae ceteris maiori Oblatori in uno scuto, adiudicandum esse affictum domus, exquisitaque desuper Episcopi relatione, idem ipse allegationes quasdam sibi exhibitas transmisit, quae latius a causae Patronis hinc inde prosequuntur: ceterum votum suum aperiens, censuit, expediens potius esse domum hanc vendere, quam locare, cum ut minimum pretium Hospitale retraheret scuta tres mille, ex quibus retrovendito praememorato censu scutorum mille centum viginti liberum ipsi remaneret capitale scutorum 1880, quemadmodum uberius ex relatione in summario pariter describenda. Verum enim vero ab Eminentissimo tum Auditore Sanctissimi eiusmodi causa remissa fuit ad EE. PP. Consessum, modo praelibatus Ioannes a Flumine enixe insistit, ut domus alienatio decernatur, nihil attenta Testatoris voluntate, quae si praevalere debeat, tunc eo minus eam perpetuo locari posse, subdit. At contra insistentibus Fratribus de Almericis, qui ulterius Episcopi supputationes inficiantur.

557. Partibus monitis, quid desuper decernendum sit, relinquitur summae EE. VV. sapientiae et prudentiae sub concordatis dubiis:

I. An domus, de qua agitur, sit alienanda in casu etc. *Et quatenus negative.*

II. An sit decernenda locatio, iuxta oblationem factam a Ioanne Flumine et Marchione Albitio declaratorio, vel potius Ioanni Antonio de Almericis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata – *in Caesenaten. Domus die 13 Maii 1713 lib. 63 Decretorum.*

558. Repropositis dein dubiis, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative, et huiusmodi dubium amplius non proponi mandavit. Ad secundum, censuit, affigenda esse nova edicta pro recipiendis novis oblationibus, pro locatione triennali, quam ad longum tempus – *in Caesenaten. Domus die 13 Maii 1713 lib. 63 Decretorum pag. 190.*

559. Immo ex nuda prohibitione, per Testatorem facta, de non permutandis aut quovis modo alienandis fundis, Sacra Congregatio nec permutationem concedere censuit *in Regien. Permutationis die 24 Iulii 1784.*

560. Enimvero Carolus Laura et Eleonora de Folianis anno 1673 Capellaniam ad nutum amovibilem instituerunt ad Altare S. Mariae Magdalenae, in Parochiali Ecclesia Villae de Regnano erectum; Capellano onus iniunxerunt celebrandi Sacrum in dicto altari quolibet die Festo, nec non celebrare faciendi sex Missas in Festo S. Titularis; Patronatum activum Fundatores, quoad vixerint, sibi reservarunt, et post eorum obitum illum transferri voluerunt ad Archipresbiterum Ecclesiae Cathedralis Regiensis; pro dote huius Capellaniae assignarunt quamdam Domum et nonnulla alia praedia ruralia, sita in Territorio dictae Villae Regnano; hanc assignationem expleverunt sub conditione, quod dicta bona nunquam omnino permutari ac alienari sub quavis rationis specie possent (1).

561. Anno 1779 modernus Episcopus Mutinensis ultimus ex praeclara Familia Foliani donationis titulo cessit Comiti Francisco Piazzi omnia bona eiusdem Familiae, quae extant in Territorio praefatae Villae Regnano, comprehensis etiam praediis, quae ad Capellaniam pertinebant. Cum autem bona in dotem Capellaniae assignata ita essent commixta cum aliis bonis ad Familiam Foliani spectantibus, ut dividi et separari non possent absque gravi damno dicti Comitis Piazzi, hinc ipse duo postulavit, nempe approbationem donationis, quoad bona Capellaniae, necnon facultatem subrogandi alia praedia sita in dicta Villa, quae essent eiusdem Capitalis et reditus.

562. Episcopus exposita in precibus confirmavit, insuperque addidit, tam Episcopum Mutinensem, quam Archipresbiterum Cathedralis Regii permutationi bonorum assensum praebere, et se quoque permutationem probare. His tamen non obstantibus proposito dubio: – An sit locus incorporationi et respective assignationi aliorum bonorum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative – *in Regien. Permutationis die 24 Iulii 1784.*

(1) Hisce verbis id praescripsit, nimirum bona illa ceu in §. *Carolus* – ibi – Mai possino essere permutati, alienati, nè contrattati in qualsivoglia modo, nè sotto qualsivoglia pretesto, e che il Cappellano sia amministratore dell' entrata dei beni e con l' obbligo a detto Cappellano d'abitare la maggior parte dell' anno la casa come sopra donata, e ciò per maggior sicurezza della celebrazione delle Messe –.

563. Quando praesertim nec tanta alienationis utilitas concurrat, ut causam praebere valeat commutandi voluntatem Testatoris *in Veliterna Permutationis die 31 Augusti 1771.*

564. Hoc enim in themate proposito dubio: - An sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis Caesaris Toruzzi, quoad alienationem domus, de qua agitur, in casu etc.-, Sacra Congregatio respondit: - Negative - *in Veliterna Permutationis die 31 Augusti 1771.*

565. Verum quaecumque hominis prohibitio spernenda videtur, si nulla honesta et laudabili causa nitatur *in Veliterna Permutationis die 3 Augusti 1771* §. *Bonorum.*

Item *in Regien. Permutationis die 3 Iulii 1784* §. *Permittitur* (1).

566. Ne scilicet Ecclesia deterioris sit conditionis, quam Heredes extranei, quibus a prohibitione recedere, ea deficiente, permittitur *in Veliterna Permutationis die 3 Augusti 1771* §. *Bonorum.*

Item *in Regien. Permutationis die 3 Iulii 1784* §. *Permittitur* (2).

567. Quum hinc ex facto non ambigatur de distantia praediorum distrahendorum, de necessitate, de annuo praediorum reditu, de imminenti aedificiorum rusticorum ruina, de pretio eorumdem bonorum, et de oblatione maioris quantitatis facta ab Emptore parato, nihil proponitur, cur locus esse non debeat facultati alienandi, spreta Testatorum prohibitione, spretoque dissensu Substituti *in Bononien. Beneplaciti die 14 Martii 1744* §. *Cum.*

568. Vincit enim prohibitionem Testatorum auctoritas et potestas Summi Pontificis, iustas ob causas alienationi indulgentis, quam ipsi Testatores si viverent concessuri essent *in Bononien. Beneplaciti die 14 Martii 1744* §. *Cum.*

569. Immo et tollitur eadem Principis auctoritate lex caducaria a Testatoribus adiecta *in Bononien. Beneplaciti die 14 Martii 1744* §. *Cum.*

570. Dissensus autem Substituti posthabendus est, cum praesertim nulla vehemens et legitima recusandi causa proponatur *in Bononien. Beneplaciti die 14 Martii 1744* §. *Cum.*

571. Atque ob id, vel officio Iudicis compelli debet ad praestandum consensum, vel alienandi venia danda sit, spreto dissensu iniuste recusantis *in Bononien. Beneplaciti die 14 Martii 1774* §. *Cum* (3).

572. Hinc, cum utilitas manifesta sit, tum ex maiori pretio venditione reducendo, tum ex maiori reditu bonorum emendorum, omnis ratio postulat, ut, non spectato Substituti dissensu, gratiae alienationis sit indulgendum *in Bononien. Beneplaciti die 14 Martii 1744* §. *Compendium* (4).

573. His enim in terminis Sacra Congregatio, non obstante mandato expresso Testatoris, qui alium substituit in casu vetitae alienationis, atque Substituti dissensu, alienationem permisit *in Bononien. Beneplaciti die 28 Martii 1744.*

574. Iamvero duo Testatores Hannibal Favarius et Peregrinus Ioanninius bona quaedam et hereditatem reliquerunt Hospitali Pauperum Mendicantium Bononiae. Primus testamento scripto anno 1617 onus adiecit praestandi quotannis perpetuo dimidiam fructuum et redituum partem Monasterio Sanctissimi Corporis Christi; vetuitque, ne bona quocumque modo distraherentur et alienarentur, neve facultas alienandi et dispensatio peti posset; si secus fieret, substituit Hospitale S. Francisci iisdem legibus et conditionibus. Alter vero testamento scripto anno 1639, post data onera quaedam Sacrorum, vetuit alienationem et venditionem bonorum immobilium suae hereditatis (5), substitutis, si detraherentur, Monialibus et Monasterio Convertitarum.

(1) Passerin. de stat. homin. tom. 1, quaest. 181, n. 309.

(2) L. *Pater* 36, §. Iulius Agrippa, ff. de Legat.

(3) Bartol. in Leg. 1, §. Si plures, n. 9, ff. de exercit. action.; Gratian. discept. foren. cap. 616, n. 9; aliique innumeri, qui congregari facile possent.

(4) Arg. ex text. in can. *Sine exceptione* 52, caus. 12, quaest. 2; et in cap. *Ut super*, §. Possessiones de reb. Eccles. alien. vel non; tradunt Redoan. de reb. Eccles. alienan. quaest. 20, n. 54; Barbos. de iur. Eccles. lib. 3, cap. 30, num. 13; Card. Petra ad Constit. I Divi Leonis Magni, sect. 4, n. 183; Sperell. decis. 154, n. 15, 16, et 85.

(5) Vetuit quippe alienationem, ut in §. *Duo* - ibi - Cioè solamente delli due suoi luoghi di Terra lavorativa ed altre qualità, uno posto nel Comune di Castel Franco chiamato la *Carossa*, l'altro nel Comune di Piolo e Rastellino detto la *Quaresima*, perchè la mente ed intenzione di detto Testatore è, che sempre ed in perpetuo detti beni così si mantenghino e conservino in detta sua eredità, e non altrimenti nè in altro modo -.

575. Duo praedia, alterum *le sei Vie*, alterum *la Torretta*, sita pariter in Territorio Castri Franchi, quae veniebant ex hereditate Hannibalis Favarii, atque alia duo, quae distrahi vetuit Peregrinus, cum quindecim fere passuum millibus a Bononia aliisque Hospitalis bonis distarent, temporis fuga deteriora facta erant, et rustica aedificia, quae in iis erant, ruinam faciebant, eorumque annui reditus longe diminuti praestabant summam scutorum nonaginta sex monetae Romanae: universum autem illorum pretium aestimatione publici Periti erat librarum 16796, 17, 2, quae peraequabant scuta 3359, 37, 2. Optimum igitur futurum fore visum est Curatoribus Hospitalis, si haec praedia distraherentur, eaque pecunia alia emerentur, quae et pinguiores reditus praestarent, et aliis Hospitalis bonis adhaererent, aditoque Optimo Maximoque Pontifice hanc alienandi facultatem et remissionem caducitatis libello postularunt, praesertim quod paratus esset praediorum illorum Emptor Ioseph Antonius Coppius, a quo oblata fuerant scuta quatuor millia.

576. Data postulationis huiusce cognitione Sacrae Congregationi, auditaque, ut fieri solet sententia Vicarii Generalis Bononiae, qui censuit, facultatem alienandi indulgendam esse, monstravitque pluribus rationibus cessuram alienationem in utilitatem et compendium Hospitalis, rescriptum fuit ab Sacra Congregatione die 21 Iulii anni 1742: - Pro facultate, arbitrio Vicarii Generalis, praevia Edictorum affixione et accedente consensu Substitutorum -. Sed, negantibus Substitutis consensum praestare, novus libellus Sacrae Congregationi a Curatoribus Hospitalis datus est, rescriptumque ab Eminentissimis Patribus: - Vicario Generali, pro informatione et voto, auditis Substitutis, eisque praefixo termino ad deducendum iura in Sacra Congregatione -. Interpellatis igitur Substitutis, Monasterium Convertitarum intra statutum tempus consensum praestitit, quem tamen praestare noluit Hospitale S. Francisci substitutum in testamento Annibalis Favarii, postularunt, audito iterum Vicario Generali, Curatores Hospitalis Mendicantium declarari a Sacra Congregatione, locum esse Beneplacito Apostolico, non obstante dissensu Hospitalis S. Francisci.

577. Proposito hinc dubio: - An sit locus Beneplacito Apostolico, non obstante dissensu in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative; ita tamen, ut unico contextu fiat investimentum, et amplius - *in Bononien. Beneplaciti die 28 Martii 1744.*

578. Quin imo, urgente iusta causa, quandoque conceditur Beneplacitum Apostolicum, etiamsi prohibitio alienandi bona per Fundatorem facta, confirmata fuerit a Summo Pontifice *in Malacitana Beneplaciti die 26 Ianuarii 1709.*

579. Siquidem Capellani Ecclesiae Cathedralis Malacitanae solutionem pretii iam aestimati quorundam domorum, quibus opus erant pro constructione Ecclesiae et Conventus Patrum Discalceatorum Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum recipere, ob difficultatem investimenti, renuerunt. Qua de re Ordinarius eisdem indixit, ut actus fundationis exhiberent. Ex hisce vero constitit, quod prohibitio vendendi commutandi atque extinguendi Capellaniarum bona, anno 1522 confirmata fuerit ab Hadriano VI. Idcirco eisdem Apostolicum Beneplacitum expostulantibus, pro alienatione ad aliud idoneum investimentum faciendum, Sacra Congregatio respondit, ut Iudex causae, cum res esset de coacta, non vero volontaria alienatione per Testatorem prohibita, non obstante Brevi Apostolico, procederet prout de iure - *in Malacitana Beneplaciti die 26 Ianuarii 1709.*

580. Hinc et Patroni possunt quidem opponi, ne bona vendantur *in Anconitana Venditionis die 21 Aprilis 1792* §. *Neque.*

Item *in Firmana Emphytheusis die 21 Iulii 1792* §. *Insanabilem.*

581. Quando praesertim Patroni etiam bonorum administrationem ex fundatione nanciscantur, ac implicite Testatrix alienationem prohibuerit, quin etiam necessitas vel Ecclesiae utilitas concurrat *in Anconitana die 21 Aprilis 1792* (1).

582. Immo, cum res non sit de simplici nominatione ad Beneficium in qua ex Cap. *Quoniam*, de iurepatronatus maior Patronorum pars

(1) Late huius causae species evolvitur, ac dubium propositum resolvitur in Verb. *Administratio*, §. 1, a n. 48 ad 61.

trahit ad se minorem, sed de alienatione bonorum, ob singulorum interesse, melior est conditio Prohibentis *in Firmana Emphyteusis die 21 Iulii 1792* §. *Insanabilem* (1).

583. Verum nulla habenda est ratio de illorum dissensu in alienatione Ecclesiae utili; quum ipsi nullam habeant potestatem super bonis Ecclesiae, solumque valeant se opponere, ne illa dissipentur aut sine causa distrahantur *in Pistorien. seu Praten. Emphyteusis die 21 Novembris 1761* §. *Neque* (2).

584. Siquidem Ecclesia Abbatialis S. Mariae de Monteplano, Pistoriensis Diaecesis de iurepatronatus Comitum de Bardis, possidebat praeceteris bonis fundum stadiorum quatuordecim circiter, positum in suburbiis Civitatis Prati, qui constabat tribus petiis Terrae cultis ad usum horti cum domo colonica amplisque aedibus dominicalibus: eiusque valor, iuxta exhibitam peritiam ascendebat ad ducata 1600 monetae Florentinae iuliorum septem pro quolibet ducato; et ratione damnorum, quibus obnoxiae erant Terrae praedictae ob frigidum aerem et eluviones contermini fluminis Bisentii, illarum reditus calculabatur in dicta petia in annuis ducatis quadraginta quinque.

585. Has Terras, quae etiam tunc locatae erant pro annua pensione ducatorum quadraginta quinque, Comes Flaminius de Bardis modernus Abbas dictae Ecclesiae deliberavit in emphytheusim masculinam in infinitum concedere Comiti Horatio de Bardis Patri suo et Abbatiae Compatrono, pro annuo canone ducatorum quadraginta quinque, cum onere meliorandi aedificia pro valore ducatorum tercentum; et ad hunc effectum preces obtulit Summo Pontifici, deinde ad Sacram Congregationem remissas, quibus postulabat, Apostolicum assensum indulgeri, cum derogatione Synodalibus Diaecesis Constitutionibus prohibentibus emphytheuticas concessiones erga Patronos Ecclesiae vel Consanguineos Beneficiatorum.

586. Datae idcirco fuerunt Literae ad Episcopum, ut praevia Edictorum affixione et auditis Patronis, S. Congregationem instructam redderet et votum suum aperiret. Retulit autem Episcopus, quod, affixis Edictis, nullius oblatio vel oppositio supervenit, quodque moniti Comites Vincentius et Carolus de Bardis, quorum Familia gaudebat patronatu activo cum familia Oratoris, ac etiam passivo alternatim, aperte dissenserant per epistolas in Curia Episcopali exhibitas, quas tamen Episcopus non transmisit. Verum ex libello Oratoris eruebatur, illos dissentire, ne Abbates alternatim eligendi ex eorum Familia privarentur commodo et oblectamento nobilium aedium, in praefatis Terris existentium, neve sine causa distraherentur bona Ecclesiae, quum in huius utilitatem cessura non videretur emphytheusis facienda pro canone solum adaequante consuetas Terrarum pensiones; quoniam in suburbanis pensio emphytheutica metienda erat non ex reditibus, sed ex vigesima rei valoris in viginti annos repartiendi, quando emphytheusis conceditur ad tertiam generationem (3).

587. Orator vero ostendit, haud negari posse evidentem Ecclesiae utilitatem, nec ad minuendam Ecclesiae utilitatem opponi posse contendit oblectamentum nobilium aedium in Terris existentium, quia Testium depositione probabatur, illas constructas fuisse non a Fundatore Beneficii, sed a Comite Gualterotto de Bardis Propatruo Oratoris, dum erat Abbatiae possessor; et ideo censuit, suae Familiae invidendum non esse usum dictarum aedium ab aliis Compatronis, qui nihil impenderunt in illarum constructione. Nihilominus ut ostenderet Orator, se in proposito contractu emphytheutico non lucrum quaerere suae Familiae, sed utilitatem Ecclesiae, alium obtulit libellum, post adventam Episcopi relationem, in quo Compatronis tribuit optionem, ut, si malint, ipsi acciperent Emphytheusim, sub antedictis conditionibus. At, quatenus ipsi nollent praeferri, disputavit, nullam habendam esse rationem de illorum dissensu, in concessione emphytheutica Ecclesiae utili.

588. Idcirco, proposito dubio: - An sit locus concessioni Emphytheusis in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Affirmative; praefixo termino Compatrono, pro optione - *in*

(1) Arg. ex Text. in cap. *Quod omnes*, de Reg. Iur. in 6; et Gloss. in cap. *Quum omnes*, Verb. *Constitutum*, vers. secus in iuribus singulorum; Barbos. de canon. et dignit. cap. 38, n. 13.

(2) Post Can. *Filii*, Caus. 16 quaest. 7, notat Lotter. de re benef. lib. 1, quaest. 11, n. 63.

(3) Ceu sancitum est in §. *Quia vero Leonis*, versic. Si vero alicuius, Authen. de non alien. aut permut. reb. Eccles. immobil.

Pistorien. seu Praten. Emphytheusis die 21 Novembris 1761.

589. Ceterum, supra expositis non obstantibus, nonnullae extant res ecclesiasticae, quarum alienatio, etiam sine Beneplacito Apostolico, non prohibetur *in Forosempronien. Visitationis Sacrorum Liminum die 21 Iulii 1827* §. *Nihilominus.*

590. Huiusmodi sunt Terrulae, Vineolae, aliaeque res parvi valoris *in Forosempronien. Visitationis Sacrorum Liminum die 21 Iulii 1827* §. *Nihilominus.*

591. Legitur enim in Can. *Terrulas,* Caus. 12, quaest. 2. – Terrulas aut Vineolas exiguas et Ecclesiae minus utiles, ut longe positas, parvas, Episcopus sine consilio Fratrum, si necessitas fuerit, distrahendi habeat facultatem - *in Forosempronien. Visitationis Sacrorum Liminum die 21 Iulii 1827* §. *Nihilominus.*

592. Huic autem Canoni, neque derogatum fuisse per Extrav. *Ambitiosae,* neque per Concilium Tridentinum in Cap. 11 sess. 22 et 25 de Reformatione, ad unum omnes docent Doctores *in Forosempronien. Visitationis Sacrorum Liminum die 21 Iulii 1827* §. *Nihilominus.*

593. Atque expresse declaravit S. Congregatio, edicens, quod neque Constitutio Pauli II, neque Concilium Tridentinum derogaverint Can. *Terrulas,* Caus. 12, quaest. 2 *in Compsana 1595 lib. 8 Decretorum pag. 195.*

594. Quod rursum Sacra Congregatio edixit subinde die 11 Ianuarii 1596 *in Forosempronien. Visitationis Sacrorum Liminum die 21 Iulii 1827* §. *Nihilominus* (1).

595. Hinc et generalis Legis dispositioni quamdam interpretationem seu limitationem adiecit benigna Tribunalium sententia, ut videlicet res minus pretiosae et exigui valoris alienari possent, evidenti tamen interveniente utilitate, consentientibus interesse habentibus, atque accedente auctoritate legitimi Superioris, idest Ordinarii *in Capuana die 15 Iulii 1848* §. *Huic* (2).

596. Idcirco tenuitas summae alienationem reddit licitam, si de re fiat minus utili, et de licentia Episcopi *in Caesenaten. Beneplaciti die 22 Martii 1755* §. *Prope.*

Item *Lauretana Nullitatis Contractus die 30 Augusti 1788* §. *Neque.*

597. Siquidem huiusmodi facultate ita pollet Episcopus, ut licentiam venditionis arborum usque ad tenuem summam concedere possit, absque consensu Capituli, etiamsi de bonis ad Vicariam perpetuam curatam Ecclesiae Cathedralis pertinentibus agatur *in Caesenaten. Beneplaciti die 20 Martii et die 8 Maii 1756* (3).

598. Imo nec Patroni consensus his necessariis alienationibus, ex quibus nullum infertur damnum, requiritur *in Caesenaten. Beneplaciti die 22 Martii 1755* §. *Prope* (4).

599. Cum autem, neque ex memorato Can. *Terrulas,* neque ex alia Constitutione, appareat quaenam res sint exigui valoris, Canonistae in varias abeunt sententias *in Forosempronien. Visitationis Sacrorum Liminum die 21 Iulii 1827* §. *Nihilominus.*

Item *in Capuana die 15 Iulii 1848* §. *Huic.*

600. Glossa, in praefato Canone, verb. *Exiguas,* terrularum valorem statuit in solidis viginti, seu scutis triginta *in Lauretana Nullitatis Contractus die 30 Augusti 1788* §. *Neque.*

601. Quidam vero terrulas ac res modici valoris vocant, quae non aestimantur ultra vigintiquinque ducata de Camera seu vigintiquinque scutata aurea, quae summam constituunt scutorum 41 et obulorum vigintiquinque monetae Romanae *in Forosempronien. Visitationis Sacrorum Liminum die 21 Iulii 1827* §. *Quidem* (5).

602. Hinc alii ad summam evehunt scutorum quadraginta *in Lauretana Nullitatis Contractus die 30 Augusti 1788* §. *Neque* (6).

603. Alii tenuem esse summam illam, subiectamque dispositioni Can. *Terrulas* docent, quae in scutis quinquaginta praefinitur *in Caesenaten. Beneplaciti die 22 Martii 1755* §. *Prope* (7).

(1) Teste Fagnan. in cap. *Nulli,* de reb. Eccles. alienan. vel non.

(2) Nicol. prax. canon. tom. 2, n. 12 et seqq.; Fagnan. in cap. *Nulli,* de reb. Eccles. alien. vel non, n. 16 et seqq. Aliique.

(3) In verb. *Arborum incisio* speciem ac dubiorum resolutionem habes.

(4) Lotter. de re benef. lib. 1, quaest. 11, n. 66 et seqq.; Corrad. in prax. benef. lib. 9, cap. 5, n. 14.

(5) Thesaur. for. eccles. part. 4, cap. 1, n. 73; Del Bene cap. 17, dub. 1, n. 23.

(6) Gratian. in discept. 452, n. 10; Corrad. in prax. dispens. lib. 9, cap. 4, n. 45.

(7) Quarant. in summ. bullar. Verb. Alienatio, n. 41; Antonell. de regim. Eccles. lib. 1, cap. 8, §. 2; Barbos. de potest. Episcop. part. 3, allegat. 95, n. 51.

604. Alii censent, res exigui valoris eas esse, quae pretium non attingunt aureorum centum, quaeque annuum non afferunt fructum quinque aureis maiorem *in Forosempronien. Visitationis Sacrorum Liminum die 21 Iulii 1827* §. *Quidam* (1).

605. Tandem nonnulli, media incedentes via, prudenti Iudicis, hoc est Episcopi, arbitrio relinquendum, arbitrantur *in Forosempronien. Visitationis Sacrorum Liminum die 21 Iulii 1827* §. *Quidam.*

606. Ut ipse scilicet, perpensis facultatibus Ecclesiae alienantis, valore rei alienandae, temporum circumstantiis, ac locorum consuetudine, iudicet quaenam Terrulae, Vineolae, ceteraeque res sint modici valoris *in Forosempronien. Visitationis Sacrorum Liminum die 21 Iulii 1827* §. *Quidam* (2).

607. Unum tamen prae oculis habere debent Episcopi, ne nimio scilicet utantur arbitrio *in Capuana die 15 Iulii 1848* §. *Huic* (3).

608. Huic postremae sententiae adhaesisse videtur aliquando Sacra Congregatio *in Forosempronien. Visitationis Sacrorum Liminum die 21 Iulii 1827* §. *Huic.*

609. Cum enim Massanensis Archiepiscopus declarari efflagitasset, ad quam usque quantitatem sibi liceret Terrulas ac Vineolas minus utiles sine Apostolico Beneplacito alienare, Sacra Congregatio die 13 Decembris 1613 respondit: - Petendum esse a iure communi - *in Forosempronien. Visitationis Sacrorum Liminum die 21 Iulii 1827* §. *Huic.*

610. Immo alias censuit non esse tutum definire, quae res dicantur exiguae *in Forosempronien. Visitationis sacrorum Liminum die 21 Iulii 1827* §. *Huic* (4).

611. Verum alii affirmant, Sacram Congregationem die 12 Aprilis 1698 Archiepiscopo Barensi percontanti in Visitatione Sacrorum Liminum, ad quem usque valorem facultatem tribuere posset alienandi res ecclesiasticas, responsum dedisse: - Non posse Episcopum concedere facultatem ultra viginti quinque scutata aurea - *in Forosempronien. Visitationis Sacrorum Liminum die 21 Iulii 1827* §. *Huic* (5).

612. Eamdemque referunt editam fuisse Resolutionem a Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium in Faventina die 22 Martii 1711 *in Forosempronien. Visitationis Sacrorum Liminum die 21 Iulii 1827* §. *Huic.*

613. Hisce pondus addere nituntur ex Rescripto Sacrae Congregationis, quae *in Papien. Incisionis Arborum die 15 Martii 1710* censuit, non subsistere licentiam datam pro incisione arborum, valorem scutorum sexaginta, deductis expensis, non excedentium *in Forosempronien. Visitationis Sacrorum Liminum die 21 Iulii 1827* §. *Huic.*

614. Sed animadvertere praestat, nullitatem veniae in eo casu impertitae ex alio etiam fonte scatere potuisse, nimirum ex Decreto inhibitionis non incidendi arbores litigiosi Beneficii, aut ex defectu forsitan specialis mandati Episcopi favore Vicarii Generalis, qui veniam caedendi populeas arbores praeposito Mombellio tribuerat *in Forosempronien. Visitationis Sacrorum Liminum die 21 Iulii 1827* §. *Huic.*

615. Nam Vicarius, sine speciali Episcopi mandato, frustra veniam concedere alienandi bona Ecclesiae videtur *in Forosempronien. Visitationis Sacrorum Liminum die 21 Iulii 1827* §. *Huic* (6).

616. In hac interim rerum dubietate, ac sententiarum varietate, magni facienda videtur consuetudo centenaria, aut saltem quadragenaria, quae in Diaecesi inolevit *in Forosempronien. Visitationis Sacrorum Liminum die 21 Iulii 1827* §. *In hoc.*

617. Nihil sane magis tritum inquit Benedictus XIV, (7) quam legem quamlibet humanam etiam canonicam posse, contraria consue-

(1) Leuren. ius canon. lib. 3, tit. de reb. Eccles. non alienan. quaest. 112, n. 2; Castropal. tract. 12, disc. unic. part. 15, §. 1, n. 2; Zerol. prax. Episcop. V. *Alienatio*, §. ad sextum.

(2) Menoch. de arbitr. iudic. lib. 2, cas. 145, n. 4; Card. De Luc. de alienat. disc. 1, n. 117, 118; Reiffenst. lib. 3 decret. tit. 13, n. 38.

(3) Card. Petra in Comment. ad Constit. Pauli II in proem. n. 61 et seqq.

(4) Teste Fagnan. in cap. *Nulli*, n. 26, de reb. Eccles. alien. vel non.

(5) Card. Petra in Comment. *Ambitiosae* Pauli II, tom. 5, n. 66, pag. 427; Girald. exposit iur. Pontif. lib. 3 decret. tit. 13, sect. 444.

(6) Card. Petra ad Constit. *Ambitiosae* Pauli II, tom. 5, n. 68; Redoan. de reb. Eccles. non alienan. quaest. 41, n. 60; Rot. in in decis. 14, n. 8, coram Emerix.

(7) In cap. 8, lib. 12 de Synod. Diaeces.

tudine, quae sit rationabilis et legitime praescripta, abrogari, iuxta Textum in Cap. final. de Consuetudine *in Forosempronien. Visitationis Sacrorum Liminum die 21 Iulii 1827* §. *In hac.*

618. Consuetudo autem centenaria, imo etiam quadragenaria, actorum frequentia praedita, bonis moribus non adversa, nec ecclesiasticae disciplinae nervum disrumpens, potis est abrogare canonicam legem *in Nullius Sublacen. Iurium Parochialium die 29 Ianuarii 1825* §. *Rationabilis.*

Item *in Forosempronien. Visitationis Sacrorum Liminum die 21 Iulii 1827* §. *In hac.*

619. Quod quidem eo magis in praesenti casu locum sibi vindicare debet *in Forosempronien. Visitationis Sacrorum Liminum die 21 Iulii 1827* §. *In hac.*

620. Siquidem non agitur de abroganda lege, sed tantummodo de praefiniendo valore, intra cuius limites ad praescriptum Can. *Terrulas* contineatur Episcoporum potestas, in impertienda facultate alienandi bona Ecclesiastica *in Forosempronien. Visitationis Sacrorum Liminum die 21 Iulii 1827* §. *In hac.*

621. Hinc Sacra Congregatio consuetudinem centenariam aut quadragenariam, qua Episcopi veniam tribuere consueverunt alienandi bona ecclesiastica, Romanorum scutatorum quinquaginta aestimationem non excedentia, probandam esse censuit *in Forosempronien. Visitationis Sacrorum Liminum die 21 Iulii 1827.*

622. Enimvero Episcopus Forosemproniensis antiquam in Forosemproniensi Diaecesi invaluisse deprehendit consuetudinem, qua Episcopi decessores veniam tribuere consueverunt alienandi bona ecclesiastica, Romanorum scutorum quinquaginta aestimatione non excedentia. Verens autem, ne huiusmodi consuetudo Sacris Canonibus atque Apostolicis Constitutionibus adversaretur, priusquam eam divellere aut confirmare aggrederetur, Sedis Apostolicae sensum exquirendum deliberavit. Quamobrem in postrema status suae Ecclesiae relatione postulavit, num memorata consuetudo, sive centenaria, sive quadragenaria, sit probanda.

623. Proposito hinc dubio: - An sit probanda consuetudo centenaria aut quadragenaria in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Affirmative - *in Forosempronien. Visitationis Sacrorum Liminum die 21 Iulii 1827.*

624. Valor autem tabulae pictae, porphyreticae columnae Sculptoris manu elaboratae ac similium, non est desumendus ex materia tantum, sed habita ratione operis Artificis, etiamsi facta fuerit facultas vendendi huiusmodi res cuidam Capellae adnexas ea cum conditione, ut solveretur pretium coementorum tantum a Peritis liquidandum *in Mathelicen. Beneplaciti super declaratione Rescripti die 22 Iunii 1805.*

625. Siquidem omnia bona, quae in agro et Civitate Mathelicensi possidebat Ioannes Bezzi cum vendidisset Philippo de Sanctis, quaesitum est, num in Emptorem Venditor transferre posset iuspatronatus Capellae et Sepulchri in Cathedrali situm, et materialem locum Capellae venumdare. Hinc Bezzio postulanti Beneplacitum rescriptum fuit: - Affirmative; cesso cum universitate bonorum Iurepatronatus Capellae et Sepulchri, et soluto pretio coementorum eorumdem tantum a Peritis liquidando - *in Mathelicen. Beneplaciti die 12 Maii 1804.*

626. In aestimatione a Peritis ab Emptore de Sanctis deputatis facta quoad tabulas pictas, quae erant in eadem Capella, habita ratio est de tela et coloribus tantum, ita ut valor ei datus non excederet scuta tria et obulos quinquaginta. Ita fieri oportere contendit Emptor de Sanctis, quia pretium tantum coementorum solvendum erat ex Rescripto S. Congregationis. Nam coementa significant materiam, unde opus aliquod conficitur, adeoque tabulas pictas aestimari contendebat pro valore telae et colorum, ex quibus hoc opus perficitur. Contra Venditor Bezzius putavit, quod aestimandum quoque esset in tabulis pictis opus Artificis, et in pretio haberi deberet operis praestantia. Nam, dum Sacra Congregatio iussit, ut solveretur pretium coementorum tantum, hoc vocabulum ea significatione adhibitum censeri debet, ne pretio aestimaretur quicquid spirituale annexum est Capellae, quod Sacri Canones in commercio esse prohibent.

627. Putavit itaque, coementa non esse cohibenda ad solam materiam, ita ut, quatenus in Capella, ex Apostolica venia cum Universitate bonorum vendenda, porphyreticae existerent columnae cum epystiliis excellentis Sculptoris manu elaboratis, non essent haec pro pretio tantum marmoris aestimanda, atque ita nec tabulae pictae, de quibus agitur, pro valore tantum telae et colorum. Etenim, si ma-

teria ex forma perfectionem praestantiamque acquirit, tum sane forma ipsa aestimanda est, cum forma ipsam materiam superet.

628. Dubitari tamen posset, num tabulae pictae, quatenus in Capella venerationi expositae sint, aliquam spiritualitatem acquirant, ut in commercio esse nequeant. Sed, si ad materialia Capellae non pertinet Tabula picta, certe quidem inter sacra Supellectilia erit recensenda. Haec autem vendi posse interveniente venia Apostolica definivit Sacra Congregatio *in Dubio Alienationis rerum Ecclesiae die 7 Augusti 1683 lib. 33 Decretorum pag. 243.*

629. Proposito hinc dubio: - An et quomodo sint vendendae Tabulae pictae, de quibus agitur in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Affirmative; habita ratione operis Artificis - *in Mathelicen. Beneplaciti super declaratione Rescripti die 22 Iunii 1805.*

630. Itaque Capitulum et Canonici Collegiatae Ecclesiae Urbis Laviniae nonnulla bona ad idem Capitulum spectantia absque Apostolica licentia locaverunt ac alienarunt. Moniti inde ab Ordinario de huiusmodi errore, implorarunt Apostolicum Beneplacitum et absolutionem a censuris, quatenus in eas incidissent. At Sacra Congregatio mandavit, ut Canonici revocarent intra mensem ultimam locationem, alias declararet eosdem censuris irretitos; prohibuitque, ne in futurum auderent facere huiusmodi locationes absque sua expressa licentia: quoad marmora vero et statuas edixit, ut Partes consulerent propriae conscientiae *in Albanen. Beneplaciti die 17 Novembris 1703 ad I et II dubium.*

631. Demum Beneplacitum Apostolicum necessarium non esse videtur in Ecclesiae obligationibus *in Pisauren. Rescissionis Contractuum die 30 Ianuarii 1762* §. *Ponderandum* (1).

632. In obligationibus praesertim emissis, pro celebratione Missarum, quarum onus etiam perpetuum a Regularibus acceptari potest, de licentia sui Provincialis seu Generalis *in Pisauren. Rescissionis Contractuum die 30 Ianuarii 1762* §. *Ponderandum* (2).

633. Atque consensus Capitularis Monachorum post contractus exequutionem et post lapsum centum triginta annorum probatus dici potest, ex enunciativa per Procuratorem emissa in eodem instrumento, quod contrahebat, - stante licentia obtenta a Reverendissimo P. Generali ac consensu Patrum Conventus - *in Pisauren. Rescissionis Contractuum die 30 Ianuarii 1762* §. *Ponderandum.*

634. Unde, etsi in medium nullitas huiusmodi contractuum peremptio fundi ac laesio proferrentur, proposito dubio: - An constet de laesione, itaut sit locus rescissioni Contractuum, seu potius reductioni ad aequalitatem in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Negative, et amplius - *in Pisauren. Rescissionis Contractuum die 13 Martii 1762.*

635. Ac eo vel magis id edicendum, si contractus fit ex causa necessaria, ut aiunt, *necessitate iuris,* tum enim valere contractum sine Beneplacito Apostolico tenent Canonistae, qui sequuntur theoricam Antonii de Butrio in Cap. *Pastoralis,* tit. de iis, quae fiunt a Praelat. etc. n. 11 *in Ordinis S. Francisci die 18 Martii 1719* §. *Absque.*

Item *in Romana Beneplaciti die 24 Novembris 1804* §. *Quamquam* (3).

636. Propterea Syndici Ordinis S. Francisci habent facultatem alienandi mobilia et immobilia, Fratribus sub modo licito relicta *in Ordinis S. Francisci die 18 Martii 1719* §. *At loquendo.*

637. Quam facultatem, exceptis mobilibus pretiosis Ecclesiae incorporatis, confirmavit Sacra Congregatio, cum conditione tamen, ut venditio fieret, praevia Edictorum affixione. Proposito enim dubio: - An et quale temperamentum sit capiendum in casu etc. -, responsum dedit: - Quoad mobilia pretiosa Ecclesiae incorporata, esse necessarium Beneplacitum Apostolicum; quo vero ad omnes alias res, in posterum non posse Syndicos procedere ad venditionem, nisi praevia Edictorum affixione, et venditio fiat maiori Oblatori - *in Ordinis Sancti Francisci die 18 Martii 1719.*

638. Hinc, si quis in contractu debitum fassus sit, id fecisse videtur necessitate iuris, ita ut necessarium non foret Beneplacitum Apo-

(1) Rot. in Romana Vexilli 17 Martii 1731, §. 6, coram Figueroa.

(2) Ut innuunt decreta anni 1625, relata inter Constitutiones Urbani VIII, in Constit. 43, §. 7.

(3) Prae ceteris Fagnan. in Cap. *Nulli,* n. 27 de reb. Eccles. alien. vel non; Gal. de alienation. pag. 165, vers. 6; Card. De Luc. disc. 1, n. 120 de alienation.; Card. Petra ad Constit. Apostol. tom. 1, pag. 101, n. 3.

stolicum *in Romana Beneplaciti die 24 Novembris 1804* §. *Quamquam.*

639. Quemadmodum necessarium non esse videtur in confessione debiti praeexistentis *in Romana Beneplaciti die 24 Novembris 1804* §. *Quamquam* (1).

640. Praesertim, si ea stipulatus fuerit conditione contractus, ut obtineri deberet Beneplacitum Apostolicum *in Faventina Beneplaciti Apostolici die 21 Ianuarii 1826* §. *Ceterum.*

641. Et eo vel magis, si ob publicarum rerum perturbationes facile peti ac obtineri non potuisset Beneplacitum Apostolicum *in Faventina Beneplaciti Apostolici die 21 Ianuarii 1826* §. *Ceterum.*

642. Ideoque Contrahentibus succensendum non esset, si postea tantummodo illud implorent *in Faventina Beneplaciti Apostolici die 21 Ianuarii 1826* §. *Ceterum.*

643. Praesertim, cum ad validitatem quidem contractus, de rebus Ecclesiae initi, requiratur praedictum Beneplacitum, attamen non sit formalis solemnitas, sed mere effectualis eiusdem contractus, quae superaccedere atque idcirco eiusdem defectus suppleri potest *in Faventina Beneplaciti Apostolici die 21 Ianuarii 1826* §. *Ceterum* (2).

644. Quidquid vero sit de huiusmodi contractibus sic initis, Sacra Congregatio, attentis rerum circumstantiis ac Ecclesiae vel Loci Pii utilitate vel necessitate, quandoque sanationem contractus indulsit (3), quandoque Beneplacitum Apostolicum concessit (4), aliquando vero denegavit *in Faventina Beneplaciti Apostolici die 25 Februarii 1826.*

645. Quaevis autem Clerici obligatio, respectu Patrimonii sacri, ad cuius titulum sacris Ordinibus fuit initiatus, absque licentia Episcopi contracta, nulla ac irrita omnino censetur *in Tusculana die 5 Aprilis 1783* §. *Iuxta* (5).

646. Ceterum, qui onus suscepit impetrandi Beneplacitum Apostolicum cogendus est ad illud impetrandum, manentibus conventionibus in implicito statu validitatis *in Novarien. die 12 Decembris 1761* §. *Nec putat* (6).

647. Quum autem illud in stipulatione contractus reservatum extet, prius quam superveniat, locus est, favore Ecclesiae aut Loci Pii, post etiam rem traditam, poenitentiae *in Terracinen. et Setina die 23 Ianuarii 1790* §. *Defectus* (7).

648. Praeterea Beneplacitum Apostolicum non suppletur ex contraria observantia *in Terracinen. et Setina die 23 Ianuarii 1790* §. *Defectus* (8).

649. Unde Beneplacitum praesumi non potest ex lapsu triginta vel quadraginta annorum cum observantia, ac requiritur centenarii temporis lapsum, post celeberrimam Constitutionem Urbani VIII, quae incipit: Romanus Pontifex *in Asculana Beneplaciti Apostolici die 10 Maii 1755* §. *Homines.*

Item *in Constantien. Decimarum die 7 Iulii 1781* §. *Additque* (9).

650. Idcirco ad hanc inducendam praesumptionem completissima requiritur centenaria *in Faventina Emphytheusis die 18 Augusti 1787* §. *Huiusmodi* (10).

(1) Gratian. discept. foren. cap. 365, n. 35; Rot. in decis. 310, n. 16, part. 11 Recent.; in decis. 24, n. 4, coram Merlin.

(2) Thesaur. quaest. foren. 37, n. 2, lib. 3; Menoch. consil. 134 et 135; Rot. in decis. 16, n. 3, part. 7 Recent.

(3) Ut in Perusina die 31 Ianuarii 1824.

(4) Ceu in Romana Beneplaciti die 24 Novembris 1804.

(5) Cetera Vid. Verb. *Patrimonium sacrum.*

(6) Fulgin. de iur. emphyth. de contr. emphyth. quaest. 17, n. 1 et 2; Rot. in Cracovien. Venditionis 11 Martii 1754 §. 10, coram Vicecomite.

(7) Card. De Luc. de alienation. disc. 1, n. 56 et seqq.; Card. Petra ad Constit. Pauli II, sect. 4, n. 4; et sect. 5, n. 37, tom. 5.

(8) Abb. in Cap. *Nulli,* n. 6 de reb. Eccl. alien. vel non; Cavarruv. lib. 2 var. resol. cap. 17, n. 4; Arias var. resol. lib. 3, cap. 13, n. 16.

(9) Card. de Luc. de alienation. disc. 1, n. 95; Card. Petra ad Constit. Apost. tom. 1 in Commentar. ad Constit. 1 Divi Leonis Magni, sect. 1, n. 58; Paulut. tom. 2, dissert. 62, n. 116; Rot. in decis. 154 per tot. et praesertim n. 6 et seqq. decis. 199, n. 6 coram Molin.

(10) Card. Petra ad Constit. S. Leonis Magni incipien. *Occasio,* sect. 1, n. 58, tom. 1.

§. IV.

ALIENATIO BONORUM ECCLESIAE QUOAD NECESSITATEM VEL UTILITATEM.

1. Nihil quippe exploratius, quam Beneplacitum Apostolicum, pro alienatione bonorum Ecclesiae, absque iusta causa, nunquam concedi *in Anconitana Emphytheusis die 14 Augusti 1824* §. *Nihil.*

Item *in Faventina Beneplaciti Apostolici die 21 Ianuarii 1826* §. *Quaestio.*

2. Iusta autem causa in necessitate vel evidenti eiusdem Ecclesiae utilitate consistit *in Anconitana Emphytheusis die 14 Augusti 1824* §. *Nihil.*

Item *in Faventina Beneplaciti Apostolici die 21 Ianuarii 1826* §. *Quaestio.*

3. Duo potissimum idcirco, quoad alienationem bonorum, spectanda sunt; necessitas, atque utilitas *in Camerinen. die 15 Septembris 1787* §. *Duo* (1).

4. Hinc regula iuris est, bona Ecclesiae vel alicui Pio Operi subiecta, non esse alienanda, nisi urgente necessitate et utilitate Ecclesiae vel Operis Pii *in Romana Alienationis Domus die 14 Martii 1778* §. *Regula.*

Item *in Ferentina Reaedificationis Ecclesiae die 19 Aprilis 1834* §. *Ceterum; in Ceriniolen. Alienationis Bonorum die 25 Ianuarii 1851* §. *Regula* (2).

5. Siquidem - Confraternitas B. V. Montis Carmeli Modugni supplicat pro facultate commutandi superiorem partem eiusdem domus, quam possidet in dicto loco cum alia petia annui reditus ducatorum quinque, et ulterius ducata decem, quae offert etiam titulo eleemosynae Vitus Antonius Santorus. Sacra Congregatio benigne commisit Archiepiscopo Barensi, ut, veris existentibus narratis, et, postquam compererit, in evidentem Confraternitatis utilitatem fore cessuram, petitam facultatem permutandi cum pacto supra expresso, pro suo arbitrio Officialibus eiusdem Confraternitatis gratis impertiatur; ita tamen, ut in casu evictionis et molestiarum super praedio in permutationem recipiendo, liceat ad propriam domum Confraternitatis Officialibus pro tempore quandocumque redire - *in Baren. die 4 Iulii 1716 lib. 66 Decretorum pag. 333.*

6. Similiter - Capitulum Collegiatae Ecclesiae Oppidi Massafrae, possidens territorium tumulorum novem circiter in loco nuncupato *Pozzano,* valoris in proprietate ducatorum 93 et fructus annui carolenorum 15, supplicat pro facultate illud permutandi cum alio Territorio maioris valoris et reditus, quod offert Ioannes Baptista Palmieri. Sacra Congregatio benigne commisit Ordinario Motulensi, ut, veris existentibus narratis, et, postquam compererit, in evidentem Capituli utilitatem fore cessuram petitam permutandi facultatem, pro suo arbitrio Oratori gratis impertiatur; ita tamen, ut in casu evictionis et molestiarum, super petia terrae in permutationem recipienda, liceat Capitulo ad proprium territorium quandocumque redire - *in Motulen. die 4 Iulii 1716 lib. 66 Decretorum pag. 312.*

7. Unde Curia Ecclesiastica etiam contra eos, qui absque Apostolico Beneplacito bona Ecclesiae ac etiam Loci Pii permutare seu alia substituere praesumpserint, procedere potest ad declarationem censurarum, prout de iure; secus enim etiam acta Curiae, ad quam appellatio interposita fuerit, circumscribuntur *in Ugentina seu Hydruntina die 15 Aprilis 1741* (3).

8. Ac necessitas vel utilitas sic urget, ut quandoque Sacra Congregatio rescripserit, non esse locum alienationi, nisi in casu evidentis utilitatis et necessitatis, verificandae coram seipsa *in Anconitana Venditionis die 21 Aprilis 1792.*

9. Proposito enim dubio: - An et quomodo sit locus venditioni domorum hereditatis Comitissae Ferretti in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Negative, nisi in casu evidentis utilitatis et necessitatis, verificandae coram

(1) Card. Petra ad Constit. Paulinam, incipien. *Ambitiosae* per tot. de reb. Eccl. alien. vel non.

(2) Post Text. in Leg. *Tigni,* §. Item Municipes, ff. ad exhiben.; Leg. Municipibus 97, ff. de condit. et demonstrat., firmat Gonzalez lib. 3 decret. tit. 13, cap. 1, n. 4 in fin. de reb. Eccles. alienan. vel non; Fagnan. in Cap. *Nulli,* de reb. Eccles. alienan. vel non.

(3) Species ac resolutio dubiorum causae huius prostant in Verb. *Acta,* §. 1, n. 31, et seqq.

Sacra Congregatione - *in Anconitana Venditionis die 21 Aprilis 1792* (1).

10. Quin imo, nec servitus quidem in Ecclesia induci potest, nisi ex necessitate vel utilitate *in Senogallien. Permutationis die 20 Februarii 1802* §. *Obstare* (2).

11. Praesertim, si agatur de directi dominii alienatione, tunc enim de necessitate atque utilitate in primis quaerendum *in Fulginaten. die 29 Augusti 1789* §. *De necessitate* (3).

12. Idcirco, si necessitas urgeat, ad bonorum alienationem deveniendi, alienatio fiat cum utilitate, non autem cum detrimento Ecclesiae vel Pii Operis *in Romana Alienationis Domus die 14 Martii 1778* §. *Regula.*

Item *in Ceriniolen. Alienationis Bonorum die 25 Ianuarii 1851* §. *Regula* (4).

13. Unde, si necessitas urgeat, ad bonorum alienationem deveniendi, alienatio fieri debet cum utilitate, non vero cum detrimento Ecclesiae, etiamsi Capitulum cum Episcopo nedum consensum praestent, sed facultatem alienationis enixe efflagitent *in Ceriniolen. Alienationis die 31 Ianuarii 1852.*

14. Enimvero, dum Literis sub plumbo datis die 18 Iulii 1819 aeternae memoriae Pius VII Ecclesiam Ceriniolensem ad Concathedralis gradum extulit, eamque Cathedrali Asculanae in Apulia aeque principaliter univit, hoc praeter alia Ceriniolensi Capitulo onus imposuit Pontifex, ut nimirum, ad Episcopi commodam ac decentem habitationem, unum ex pluribus palatiis ab illo possessis assignaretur (5). At nullum ex iis palatiis tale repertum vel ab initio fuisse videtur, ut commodam decentemque habitationem suppeditare posset Episcopo; nec ideo primus Antistes, eiusve Successores palatii possessionem capessere perrexerunt. Requevera, praeterquam singula vetustate commota apparebant, sita etiam erant in humillimis abiectisque Civitatis locis, ubi impurus etiam expirabatur aer, et parum haud distabant a Concathedrali Ecclesia. Quam ob causam Episcopus singulis annis, iis posthabitis, in conductam a Capitulo domum divertere fuit coactus, ex quo non parum sensit incommodi. Ad quod avertendum atque ad opus illud implendum, quod in citata Bulla impositum fuit, idem Capitulum supplex coram Sacra Congregatione adstetit, postulans, ut sibi liceret extruere novum palatium ad Episcopi habitationem, ne is quolibet anno aegre huc illuc, etiam cum Capituli molestia, vagari cogeretur.

15. Quoniam vero palatia, quae possidebat, ob plures rerum circumstantias inalienabilia evaserant, ipsorum loco, petiit facultatem distrahendi, tum bina praedia, omni onere ac vinculo soluta, quae ad valorem Ducatorum 4000 pertingebant ac dabant quotannis reditum Ducatorum centum nonaginta, tum alia bona ad capitularem Massam pariter pertinentia, *come casamenti, vigne, ortali, affrancazioni di capitali, ed altri che meglio si troverebbero vendibili,* quae satis essent ad complendam summam ducatorum 8000, quot iuxta peritiam occurrebant, ad palatii extructionem. Spondebat autem Capitulum eadem diligentia ac religione, onera iisdem bonis adnexa, *mundo durante,* impleturum.

16. Preces hinc ablegatae fuerunt Episcopo, - ut, audito Capitulo per secreta suffragia ac transmisso statu activo et passivo Massae Capitularis, referret de annuo reditu et oneribus eiusdem, de vera necessitate novae domus pro Episcoporum habitatione, vel potius de alterutrius ex domibus existentibus restauratione, de summa necessaria pro reparationibus, sive nova constructione ex Peritis resultante, de bonis immobilibus alienandis, annua summa deponenda, pro redintegratione capitali, et absoluta impotentia aliter supplendi -. Quibus obsequens Episcopus, retulit, se audivisse per

(1) Speciem causae huius habes in Verb. *Administratio,* §. 1, n. 48 ad 61.

(2) Card. De Luc. de Servit. disc. 18, n. 8; Corrad. in prax. dispensat. lib. 9, cap. 4, n. 15; Monacell. n. 1, tit. 5, formul. 15, n. 20.

(3) Fagnan. in lib. 3 decret. Cap. *Nulli,* de reb. Eccles. alien. vel non, n. 8 et 27.

(4) Post Text. in Leg. *Tutor* 27, ff. de administr. tut.; Leg. *Qui fundum* 7, §. Si tutor ff. pro emptor. sustinet Gonzalez in lib. 3 decret. tit. 13, cap. 1, n. 7, de reb. Eccles. alienan. vel non.

(5) Sic porro legitur in praefata Bulla - ibi - Pro commoda quoque decentique primi futuri Ceriniolensis Episcopi eiusque in Episcopali Sede Successorum praedictorum habitatione, nos illis unum ex pluribus palatiis ad saepe dictum Collegium suppressae et extinctae Parochialis Ecclesiae actu spectantibus, ab eodem primo Episcopo ad hunc usum eligendum attribuimus et assignamus -.

secreta suffragia Capitulum, quod unanimi voto priorem supplicem libellum confirmavit, nimirum pro aedificatione novae domus consensum praebuit. Subtexuit acta capitularia, ex quibus constabat, annuum reditum bonorum capitularium ad Ducata 9791. 93 evehi, impensas vero ad Ducata 9335.70, et superextantia Ducata 456. 23 in distributiones quotidianas erogari. Ex Archivistae insuper testimonio patebat, Massam Capitularem gravari tribus Creditorum nominibus, quae aes alienum Ducatorum 1280 conflabant. Dedit pariter notulam fundorum, qui essent alienandi una cum Architecti relatione, qui impensam pro novo opere in Ducatis 8000 constituit, quin tamen verbum faceret de occurrenti impensa, pro alterutrius ex palatiis existentibus reparatione. Suum inde votum pandidit Episcopus super novi palatii extructione, quam omnino necessariam edixit. Assentiebatur insuper Capitulari resolutioni, quae in eo fuit, ut nullatenus esset locus annuo deposito conficiendo, pro redintegratione summae alienandae. Siquidem, remanentibus Capitulo domibus, ex quibus habitatio Episcopo praestanda fuisset, et ex quibus merces ex locatione retraheretur, fundorum non tam alienatio, quam permutatio foret censenda.

17. His tamen non obstantibus, proposito dubio: – An et quomodo annuendum sit precibus Capituli Ceriniolensis in casu etc. –, S. Congregatio responsum tulit: - Dilata, et scribatur Nuntio Apostolico; et ad mentem – *in Ceriniolen. Alienationis Bonorum die 22 Februarii 1851.*

18. Reproposito dein dubio, sub eadem formula: – An et quomodo annuendum sit precibus Capituli Ceriniolensis in casu etc. –, S. Congregatio responsum dedit: - Quoad bonorum distractionem et aedificationem novi palatii, Negative; Esse tamen locum ampliationi et restaurationi domus in via *del Carmine,* sumptibus Capituli - *in Ceriniolen. Alienationis Bonorum die 31 Ianuarii 1852.*

19. Etenim alienatio bonorum, quam fieri postulavit Capitulum Ceriniolense eique Episcopus adstipulatus est, nec necessaria nec utilis reperiebatur. Iamvero id unum ex Bullae tenore deprehendebatur, ut nimirum per Pontificem in actu erectionis Concathedralis unum ex pluribus palatiis, ad supradictum Collegium suppressae et extinctae Parochialis Ecclesiae actu spectantibus, primo futuro Episcopo eiusque Successoribus ad usum habitationis eligendum attribueret et assignaret. At vero per hanc assignationem ius Episcopis Ceriniolensibus quaesitum apparebat ad unum ex dictis palatiis habendum: itaut eo ipso avulsum illud a patrimonio Capitulari in dominium Episcopalis Mensae migrasse censendum, et, tum primo Episcopo, tum eius Successoribus, id iuris perseverare eligendi nimirum unum, ex pluribus palatiis ad proprium usum. Non erat igitur cur inde Capitulum novam habitationem Episcopo comparare curaret, cui iam per Pontificem consultum fuerat *in Ceriniolen. Alienationis Bonorum die 25 Ianuarii 1851* §. *Ponderandum.*

20. Rem autem non mutavit, quod nullum ex dictis palatiis repertum fuisset aptum ad Episcopos recipiendos. Siquidem, praeterquamquod haud praesumitur, quod ita inconsiderate assignatio facta fuerit in Bulla erectionis novae Concathedralis, quae ex experientia fieri summa maturitate solet, praeeuntibus nimirum tractatibus cunctisque rerum adiunctis rite perpensis; nec insuper praesumebatur, quod tam brevi temporis spatio, locorum conditio adeo immutata fuisset, ut, quod tunc aptum videbatur, inde evaserit ineptum; non ideo tamen argui potuisset obligationem Capitulo inesse novum extruendi palatium: redibat enim semper, quod per assignationem a Pontifice factam, alterutrum ex palatiis non amplius Capituli, sed Episcopi res facta erat, et solutione vel cessione eius, quod debetur, omnis extinguitur obligatio (1) *in Ceriniolen. Alienationis Bonorum die 25 Ianuarii 1851* §. *Nec.*

21. Idcirco non obstitit, quod Capitulum cum Episcopo in medium attulerunt; namque deducere curarunt, quod dum Bulla unum ex saepe dictis palatiis assignabat Episcopo, id non absolute, sed cum conditione, quae circa eadem palatia verificanda erat, factum fuisse videbatur; adeo ut Capitulum tunc tantum obligatione solutum renunciari valeret, cum constiterit, palatium ab ipso cessum eas praesetulisse qualitates, quas Pontifex in illo assignando constituit. Atqui in Bulla sic legebatur: - pro com-

(1) L. *Qui sic,* §. 2, ff. de solut.

moda quoque decentique primi futuri Cerniolensis Episcopi ac Successorum habitatione, ad hunc usum eligendum, attribuimus et assignamus –. At utramque qualitatem commoditatis et decentiae in extantibus palatiis desiderari compertum in facto erat (1). Unde novae domus extructio quam maxime necessaria edicebatur, ex eo etiam quod sperari haud poterat, ut quis reperiretur, qui aliquod ex iis palatiis acquireret, ex quo haberi posset pecunia necessaria ad extructionem novae domus; ac eapropter Capitulum cum Episcopo arguebant necessitatem, ut permittenda esset aliorum fundorum alienatio, secus ad opus perficiendum media deerant necessaria *in Cerinolen. Alienationis Bonorum die 25 Ianuarii 1851* §. *Attamen*.

22. Nullum autem impedimentum haec parare potuerunt; nam dato etiam, quod palatia Episcopi habitationi non censerentur idonea, et Capitulum ad illud praestandum agnosceretur devinctum, non aeque tamen expediens videbatur, ut sumptuoso operi manus apponeret. Fatebantur enim vel ipsi Canonici, ad id insumendam esse summam Ducatorum 8000, pro quibus totidem bona erant alienanda. Iamvero, dum ex una parte latebat quidnam valoris tribueretur palatiis extantibus, quidve ex iis locationis iure quotannis retraheretur, ex altera compertum erat, quotannis a Capitulo impendi pro conducenda Episcopi habitatione Ducata 170. Longe autem absumi debebat annuus reditus, ubi nova extruebatur domus, nimirum computanda erant 400 Ducata, quatenus peritia ad unguem servata extitisset, quae tamen, ut saepius contingere solet, opere expleto, fere duplo augeri debebat: quo eveniente casu, Capitulum in pessimam profecto incidebat conditionem *in Cerinolen. Alienationis Bonorum die 25 Ianuarii 1851* §. *Dato*.

23. Quin imo, in themate id etiam concurrebat, quod Capitulum cum Episcopo conditionem annui depositi ad redintegrandam bonorum alienationem respuebat (2); quum soleat Sacra Congregatio, quoties, necessitate urgente, alienationes bonorum permittit, depositum, veluti tutorio iure, continuo demandare proportionabiliter ad valorem bonorum, quae alienantur, et ad vires patrimonii, quod alienationem patitur, ut ita tandem Piae Causae conditioni atque integritati consultum maneat. Praeterea in casu ingens erat simbolum bonorum, quae alienanda erant, et, quod gravius videbatur, medietas eorum Missarum Legatis (quorum descriptio apud acta desiderabatur) devincta extabat: quae quamvis moderni Capitulares adimplere continuo religiose promittebant, utrum tamen Successores idipsum sensuri essent vel adimplere vellent, ignorabatur. Ceterum ex statu passivo, quem confecerunt Capitulares, apparebat, expensas totum absumere Massae reditum. At, si quid super uno alterove titulo per oeconomicam industriam resecare lubuisset, facile habebatur fundus pro annuo deposito. Sic exempli gratia ingens adnotabatur summa Ducatorum 800 sub titulo *spese impreviste colla manutenzione della*

(1) Sic enim rem exposuit Episcopus, ut in §. *Attamen* – ibi – Le abitazioni, che ora possiede il Capitolo nella maggior parte sono disadattate ed angustiosissime e site in luoghi ignobili, in punti malsani del paese, tanto che questi portano il nome di Terravecchia, non escluso un palazzo di poco pervenuto per espropria; ma siccome è sito nella suddetta Terravecchia, luogo malsano, non è affatto convenevole per un Vescovo –.

Addidit praeterea – ibi – La Città Vescovile di Cerignola è ora molto differente da quando era Arcipretura *Nullius*, in quale epoca, come mi si fa marcare, l'intero paese restringevasi in quella parte, che ora chiamasi Terravecchia; sito ora abbandonato da tutti gli agiati del paese per l'aria insalubre. Ora è una Città rispettabile di circa ventimila anime, sita sulla strada consolare, che mena alla Capitale di questo Regno, Città grande pel commercio, ricca per Industria, e quindi il Vescovo alto continuamente a ricevere persone in alto rango, costituite in dignità ecclesiastiche e civili, e non di rado di ricevere lo stesso Sovrano –.

(2) Inquit enim, ut in §. *Non est* – ibi – Non può essere obbligato *(Capitulum)* al deposito annuale, che si vorrebbe dalla S. Sede per rimpiazzo del capitale, a motivo che il Capitolo fa riflettere, che nella circostanza deve riguardarsi piuttosto una permuta, che una perfetta alienazione, attesochè il Capitolo in forza dell' erezione della Cattedrale si venne ad obbligare di dare al Vescovo un palazzo commodo e decente, ed in conseguenza non può essere astretto a verun rimpiazzo di capitali, poichè nella costituzione di detto nuovo palazzo viene col fatto a rimpiazzare i capitali, stante che di quei soltani, che non saranno bisognevoli al Vescovo, gli altri, che restano, vanno a beneficio del Capitolo, da cui ne viene a percepire una rendita a tuttociò si aggiunge il rinfranco di ducati 300, che in ogni anno paga per pigione del palazzo che tiene per uso del Vescovo (*in prospectus status passivi ab ipso Capitulo exhibito cohibetur ad ducat.* 170 l'affitto della casa di Monsignore) quale somma ridotta a capitale al cinque per cento, dà la cifra di ducati seimila –.

Chiesa ed arredi sagri. Sic etiam assignabantur Ducata 200 pro expensis iudicialibus, praeter honorarium Ducatorum 40 Advocato pensitandum *in Ceriniolen. Alienationis Bonorum die 25 Ianuarii 1851* §. *Quatenus.*

24. Quando vero de necessitate vel utilitate constiterit, Beneplacitum Apostolicum non denegari, exploratum est apud omnes Canonistas *in Anconitana Venditionis die 21 Aprilis 1792* §. *Neque.*

Item *in Lauretana Capellaniae die 11 Martii 1843* §. *Quia* (1).

25. Hinc passim veniam alienandi concedere solet Sacra Congregatio *in Lauretana Capellaniae die 11 Martii 1843* §. *Quia.*

26. Altera imo ex praedictis concurrente causa, saepe saepius alienandi facultates concessit *in Maceraten. Beneplaciti die 26 Augusti 1780* §. *Sacra.*

Item *in Lauretana Capellaniae die 11 Martii 1843* §. *Quia* (2).

27. Attenta hinc Ecclesiae Operis Pii vel Capellaniae utilitate permittitur alienatio bonorum, ut in aliis stabilibus vel censibus investiantur *in Civitatis Castelli die 17 Augusti 1793.*

28. Siquidem anno 1703 Canonicatum instituit Lancislaus Lignani in Cathedrali Ecclesia Civitatis Castelli, cum onere Chori et hebdomadalium Missarum trium quousque viveret Claudia eius mater, ac post illius obitum quinque Missarum in singulas hebdomadas in perpetuum. Ugolinus Gualterotti modernus Canonicus passus est in iudicio liberationis a molestiis executionem super meliori fundo Canonicalis praebendae pro summa scutorum biscentum quadraginta, pro quibus alia Antonio Casini evicta fuerant bona, a Fundatore Canonicatus provenientia. Ad perniciosam igitur vitandam illius fundi subhastationem, Eminentissimis Patribus supplicavit Canonicus, pro facultate vendendi domunculam terraemotu laesam cum adnexo hortulo, ad eamdem canonicalem praebendam spectantes, et praediola duo Capellaniae Canonicatui unitae, sub titulo S. Bernardi, quam Orator institutam asserebat ab ipso Fundatore Canonicatus, nec non pro reductione onerum Missarum tum Canonicatus cum Cappellaniae, pro rata decrescentium redituum.

29. Utrique instantiae favit Civitatis Castelli Episcopus. Subhastatione enim, in qua minoris vendi solent bona, utiliorem Pio Operi propositam dixit venditionem. Domus siquidem et praediola: - Quia iuxta Peritorum a me electorum iudicium, valorem scutorum biscentum quadraginta conscendunt, tenuemque vix annuum reddunt fructum scutorum sex, ducto etiam calculo a decennio, longe minus praebendae reditus minuunt, quam ex imminenti executatorum bonorum deliberatione vel etiam ex passivi census impositione decrescerent -. His perpensis, rescripserunt Eminentissimi Patres die 16 Iunii 1792: - Praevia affixione edictorum, favore maioris Oblatoris, pro facultate arbitrio et conscientia Episcopi iuxta petita, indicata in instrumento debiti provenientia et sententia, cum onere deponendi scuta duodecim quotannis, pro reintegratione, et ad effectum investiendi cum solitis clausulis. Quo vero ad suspensionem onerum, Episcopo pro meliori informatione, transmissa particula fundationis Capellaniae et copia Decreti unionis una cum statu activo et passivo Canonicatus et Capellaniae -.

30. In secunda igitur informatione retulit Episcopus, quod, affixis edictis, - tanta inter plures finitimos Possessores exarsit aemulatio, ut domus posita in Villa Lugnani, quam cum parvo adnexo horto valoris scutatorum octoginta Periti aestimarunt, ad scuta centum septuaginta fuerit evecta. Bona vero ad supradictam Capellaniam spectantia, et in scutis centum octoginta aestimata, conspicuae summae scutorum 203, 11 acquisierint incrementum -. Se a stipulandis tamen abstinuit venditionum instrumentis, ob diversum cognitum Capellaniae Fundatorem, Sanctem nempe Lignani, cuius bona affecta non erant debito Fundatoris Canonicatus.

31. Licet autem supervacaneum hac de re censuerit transmittere particulam fundationis eiusdem Capellaniae et Decretum unionis, censuit tamen - et domum et bona praedicta (*Ca-*

(1) Card. Petra in Commentar. ad Constit. 1 D. Leonis Magni, sect. 4, n. 2, tom. 1; Alique, quos ibidem refert praefatus Doctor.

(2) Sacra Congregatio in Reatina 28 Septembris 1726; in Neapolitana 13 Ianuarii 1731; in Bononien. Beneplaciti 28 Martii 1744; in Celsonen. seu Urgellen. Beneplacili 18 Novembris 1752.

pellaniae) pro conspicuis oblatis summis omnino alienare, ac tot ex praedictis Canonicatus finitimis Capellaniae bonis addere et restituere, quot iudicio Peritorum coaequent aestimationem scutorum centum octoginta, de eiusdem Capellaniae vendendis bonis factam - sub lege investiendi, favore Capellaniae in aliis stabilibus vel censibus oblatum incrementum usque ad summam scutorum 203. 14. Sic enim, ex pretio domus scutorum centum septuaginta atque ex distractione partis bonorum valoris scutorum centum octoginta, quae simul iuncta summam constituunt scutatorum trecentum quinquaginta, Casini creditum, ad huiusmodi summam, comprehensis fructibus pendente lite decursis ac expensis, pertingens, Canonicatus dimitteret. Sic etiam Capellania, omni expers praeiudicio, suam imo conditionem ex investimento superexcedentium scutorum 203 melioraret. Et sic tandem, quod maximum puto, detrimentum gravissimum ex subhastatione pro parte Casini, omnino persequenda, secus Canonicatui imminens, averteretur -.

32. Concurrente itaque evidenti utilitate pro huiusmodi bonorum alienatione, non vero iusta causa pro suspensione Missarum, propositis dubiis: - I. An et quomodo sit concedenda facultas alienandi bona, de quibus agitur in casu etc.

II. An et quomodo sit locus suspensioni Missarum in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative; iuxta votum Episcopi. Ad secundum, Negative - *in Civitatis Castelli die 17 Augusti 1793.*

33. Imo, attenta evidenti Canonicatus utilitate, Sacra Congregatio beneplacitum Apostolicum indulsit, pro alienatione ac respectivo investimento partis domus, quae privatim et absque Episcopi approbatione vel confirmatione divisa per duos Canonicos compossessores a Fundatore designatos extabat, etiamsi alter ex praefatis Canonicis obstitisset, ac huiusmodi divisio sic facta nullam inferre posse obligationem in Successores videretur *in Nullius Sublacen. Beneplaciti Apostolici die 13 Iunii 1782.*

34. Siquidem anno 1720 Ioseph Giordani condito Testamento iussit, quod ex omnibus eius bonis haereditariis gemini erigerentur Canonicatus in Collegiata Ecclesia S. Andreae Sublaci. Ius autem tam activum nominandi Canonicos, quam passivum assequendi Canonicatus, certis reliquit praescriptisque Familiis. Unum ex dictis Canonicatibus iam possidebat Sacerdos Bartholomaeus Funaroli ab ipsomet Fundatore in eius codicillaribus tabulis expresse nominatus, alterumque retinebat Sacerdos Paschalis Spila. Hos inter plura exarserunt iudicialia dissidia, quae geminae concordiae syngraphae dirimerunt. In prima namque conventum fuit de percipiendis dividendisque reditibus bonorum haereditariorum Fundatoris, quae pro indiviso a Canonicis possidebantur. In altera vero, vi Decreti definitivi Abbatialis Curiae Sublacensis, processum fuit ad aequalem eorumdem bonorum divisionem.

35. Inter bona haereditaria domus aderat Sublaci in via *Piedi la Paia* tribus contignationibus composita una cum inferioribus cubiculis, cellis vinariis, parvis hortis, aliisque adnexis. Haec pariter domus divisa fuit, et per divisionem prima illius diaeta cum aliquibus inferioribus cubiculis et cella vinaria, prorsus a reliqua parte domus seiuncta, obtigit Canonico Paschali Spila; alia vero illius pars assignata fuit Canonico Bartholomaeo Funaroli, lege adiecta, seu pacto inter ipsos convento, quod in casu investimenti ab eorum aliquo faciendi ex pecuniis provenientibus ab alienatione praesertim domorum in portionem sibi obventarum ab eo peragenda in augmentum redituum sui Canonicatus, alius Canonicus nullum ius nullamque prorsus actionem super praedicto investimento et augmento praesumere posset. Ac rursum expressius conventum est, quod, si Canonicus Funaroli investimentum aliquod facere deberet, nullatenus se in eo Canonicus Spila ingerere valeret.

36. A sua domus portione Canonicus Funaroli non aliam exigebat pensionem, quam in annuis scutis viginti tribus, quae dislocationibus restaurationibusque subiecta erat. Ut autem ipse eiusque in Canonicatu Successores ab his eximerentur expensis, utque augerentur Canonicatus reditus, e re sua putavit illam alienare, investiendo tamen pretium ex illius venditione retrahendum, ad quem effectum eam aestimare fecit a Perito Urbis, quae illam aestimavit in scutis mille viginti duobus. Hanc aestimationem uti excessivam pluribusque refertam erroribus improbarunt quatuor Periti Sublacenses, qui, iuxta morem Regionis

ac iuxta vetustam coementorum qualitatem, praedictam portionem domus aestimarunt in scutis octingentis quinquaginta.

37. Affixis Edictis, unus inventus fuit Oblator Laurentius Petrucci, qui pro emptione dictae domus portionis obtulit eamdem aestimatam summam scutorum octingentorum quinquaginta, solvendam tamen ratatim infra terminum trium annorum cum reservatione dominii favore Canonici, et interim, donec sequeretur pretii solutio ac donec fieret investimentum, cum onere solvendi usuras ad rationem quatuor, pro quolibet centenario et anno. Pro validitate stipulationis huius contractus emptionis et venditionis Canonicus Funaroli preces porrexit Sacrae Congregationi, pro Beneplacito Apostolico.

38. Vicarius Generalis Sublaci retulit, hunc alienationis et emptionis contractum pro oblata summa utilissimum esse Canonicatui, quia ex investimento haberentur fructus scutorum triginta quatuor, a reparationibus et dislocationibus prorsus immunes. Patroni alienationi dictae ratae domus consensum praestiterunt; at Canonicus Paschalis Spila contradixit. Canonicus Funaroli iniustam esse praefati Canonici Spila contradictionem ex eo sustinuit, quod contractus in evidentem Canonicatus utilitatem vergeret, ac hic nullum ius habebat super huiusmodi bonorum portione, quum pacto pollicitus erat, se non immiscere in alienatione domorum et in investimento pecuniarum, ab eodem Canonico Funaroli faciendo. Animadvertebatur tamen, divisionem bonorum Fundatoris per simplicem privatam syngraphan, praetermissis publicis instrumenti tabulis nec accedente Ordinarii approbatione et confirmatione, factam fuisse. Unde dubitabatur, an ex huiusmodi divisione ligarentur Successores in Canonicatu.

39. His interim perpensis, proposito dubio: - An sit concedendum Beneplacitum Apostolicum super venditione domus spectantis ad Canonicatum Giordani in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Iterum proponatur - *in Nullius Sublacen. Beneplaciti Apostolici die 7 Iulii 1781.*

40. At, reproposito dein dubio, S. Congregatio responsum dedit: - Affirmative - *in Nullius Sublacen. Beneplaciti Apostolici die 18 Augusti 1781.*

41. Rursum vero, reproposito dubio, sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Iterum proponatur - *in Nullius Sublacen. Beneplaciti Apostolici die 11 Maii 1782.*

42. Demum tamen praedicto dubio, S. Congregatio respondit: - In decisis, et amplius; cum obligatione conficiendi reinvestimentum pretii scutorum nempe octingentorum quinquaginta in bonis liberis tutis et fructiferis, ad rationem quatuor pro quolibet anno et centenario; vel quatenus pretium non solvatur, cum obligatione solvendi per Emptorem fructus recompensativos ad rationem scutorum quatuor pro quolibet centenario et anno, et cum reservatione dominii usque ad solutionem integri pretii, et cum solitis clausulis - *in Nullius Sublacen. Beneplaciti Apostolici die 13 Iulii 1782.*

43. Ac id praesertim edicitur, ubi cum utilitate Emptoris et Venditoris concurreret etiam commodum Patroni gravi admodum pressi inopia, nec non futurae lites extinguerentur *in Asculana die 10 Iulii 1790.*

44. Siquidem Antonius Ioseph Aliique de Forlinis vendiderunt anno 1747 Iosepho Capriotti praedium valoris scutorum bis centum quinquaginta, in vocabulo *Ciafone,* pro scutis dumtaxat septuaginta quinque, eademque die instituit Emptor ex illo Pium Legatum Missarum triginta, ac, veluti in compensationem maioris pretii, activum et passivum detulit iuspatronatus alteri ex Venditoribus Nicolao eiusque Descendentibus. His vero per biennium celebrationem negligentibus, Capellanum substituit ruralis Ecclesiae S. Venantii: eoque demum non acceptante, Familiam suam de Capriottis. Tamquam Domini igitur continuarunt Forlinii in possessione praedii, adeoque illius culturae incubuerunt, ut valorem subinde attingeret scutorum 510, 60.

45. Septuagenariam agens aetatem gravibusque pressus miseriis, facultatem imploravit Antonius Forlini alienandi praedium illud Capellano Curato ruralis Ecclesiae Sancti Bassi, ad praesentem aestimationem. Onus Successorum etiam nomine assumeret Curatus celebrandi quotannis Missas quadraginta, quo pacto consensum alienationi praestabant Heredes Iosephi Capriotti, ipsumque ad id obligaret praedium. Scuta ex pretio retineret 125 in compensationem oneris Missarum et vinculi,

ac reliqua solveret scuta 385 per alienationem praediorum sex Paraeciae valoris scutorum 285, 07. et, quatenus opus, septimi etiam inaestimati, quae inter se dissita erant, tenuemque reddebant fructum, si ita Eminentissimis Patribus placeret.

46. Nedum, ut notatum est, in huiusmodi alienationem consentiebant Heredes Capriotti, sed Rector etiam Ecclesiae S. Venantii, remque in omnibus quoad Venditorem et Emptorem Asculanus probabat Episcopus. Praedii melioramenta, gravem paupertatem, alienum aes, multamque Oratoris memoravit Familiam: atque ex eo potissimum aequam censuit gratiam, quod non derogaretur voluntati Fundatoris, quoad celebrationem Missarum; quin imo istae augerentur in numero decem, lites evitarentur, quae promoveri possent inter ceteros vocatos ad patronatum et Oratorem, qui laesivam contendit venditionem bonorum factam Fundatori pretio scutorum septuaginta quinque -. Quoad Curatum vero observavit, quod - rem utilem gereret bona praedicta emendo. Alienaret enim ipse sex praediola magis dissita, et bona acquireret in centro statutae residentiae, cum domo eidem necessaria, pro habitatione -. Detrahenda tamen censuit ex pretio scuta centum quinquaginta, pro Missarum onere et vinculo praedii: ac Eminentissimis Patribus decernendum reliquit, - an elargienda sit facultas Capellano Curato, S. Bassi acceptandi onus Missarum et alienandi bona, praevia Edictorum affixione; et in casu, quo pretium retrahendum non sufficeret, pro emptione bonorum Capellaniae, supplendi cum alienatione alterius terreni minoris reditus et dissiti -.

47. Quum itaque praedium *Ciafone* situm esset in centro Residentiae Curati S. Bassi cum domo eidem necessaria pro habitatione, maximum quippe moderno et futuris Curatis afferrebat commodum. Valor terrularum sex, quarum venditionem proponebat Curatus, satis quidem non erat ad reliquum Forlinio solvendum illius pretium, sed iuxta Episcopum suppleri poterat cum alienatione alterius terreni minoris reditus et dissiti. Quin obstaret, quod Rector S. Venantii consensum praestiterit absque praeiudicio Successorum, nam in themate remotum Successorum ius eiusque cauta reservatio impedire non valuit gratiam, quae Pium non laedebat Legatum, sed potius tamquam rationabilis suppleri debuit illorum consensus (1).

48. Proposito interim dubio: - An et quomodo sit locus emptioni venditioni praedii *Ciafone* Legati Pii Capriotti in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Iterum proponatur - *in Asculana die 3 Iunii 1790.*

49. Reproposito vero dubio, quum ob suffragiorum discrepantiam sub Iudice remanserit causa, Sacra Congregatio responsum dedit: - Affirmative, iuxta votum Episcopi - *in Asculana die 10 Iulii 1790.*

50. Hinc Sacra Congregatio, attentis utilitate Ecclesiae eiusdemque Capituli precibus nec non tranquillitate pluribus Familiis obventura ac favorabili Episcopi voto, concordiam etiam super fundo nulliter divendito probavit *in Ariminen. Beneplaciti Apostolici die 27 Martii 1827.*

51. Siquidem Hieronymus Leonardelli Cathedralis Ecclesiae Ariminensis Canonicus die 25 Maii 1636 Codicillos condens, Legatum reliquit, cuius usumfructum cum onere tamen trium Missarum tribuit Henrico Rigazzi vel eius filio Antonio (2): Primogenitum deinde masculum Ioannis Antonii ad usumfructum vocavit, ac post ipsum Primogenitos omnes masculos ab Henrico descendentes ordine successivo invitavit. Nonnullas quoque ad conservandum fundum pro legato adsignatum conditiones adiecit, sub poena caducitatis *ipso facto* incurrendae, a Vocatis omnibus implendas; iussitque, quod, extincta linea masculina praefati comitis Henrici, praedictus fundus in proprietatem et usumfructum Ecclesiae Cathedralis Ariminensis cederet, cum onere tamen sex

(1) Nimirum per Textum in Cap. *Ad audientiam* in fin. de Eccles. aedif.

(2) Hisce verbis id praefatus Testator statuit, ut in §. *Hieronymus* - ibi - Voglio, che la possessione del *Cerasolo* venga segregata e separata dal mio Asse, e a titolo di Legato ed in ogni miglior modo, lascio l'usofrutto della medesima al Signor Enrico Rigazzi mio Cognato, se sarà vivo, col peso ed obbligo di far celebrare in suffragio dell'anima mia, della defonta mia Consorte e mie figlie, all'altare privilegiato della Cattedrale di Rimini tre Messe la settimana, e dopo la di lui morte, o se Egli non sarà vivo in tal tempo, lascio, che ne sia usufruttuario il Signor Gio. Antonio suo Figlio -.

Missarum unaquaque hebdomada pro anima ipsius et parentum in Altari privilegiato celebrandarum (1).

52. Henrici lineam masculinam postremus clausit Comes Franciscus Rigazzi, qui, Gallis eas regiones occupantibus, fundum *Cerasolo* cum infixo onere trium Missarum qualibet hebdomada celebrandarum vendidit Comiti Ioanni Cisterni: hic autem fundum ab huiusmodi vinculo liberare cupiens scuta quadringenta quinquaginta Capitulo Ariminensi obtulit, ut Missas celebrandas susciperet, ac S. M. Pium VII supplex adiit, ut ineundum contractum Apostolico Beneplacito roboraret.

53. Precibus ad Sacram Congregationem ablegatis, Vicarius Apostolicus, de more requisitus, auditis interesse habentibus ac praesertim Capitulo et Promotore Fiscali, annuos fructos fundi ad scuta nonaginta pertinere iudicavit, contractumque in Ecclesiae Cathedralis et Capituli utilitatem redundare arbitratus est. Promotor Fiscalis propositam a Comite Cisterni transactionem adprobavit, dummodo Capitulum, extincta etiam linea Rigazzi, ius nanciscendi possessionem fundi dimitteret, ac pro sex Missarum celebratione tres tantum litarentur.

54. Capitulum vero conditiones, per Comitem Cisterni oblatas, ex eo reiecit, quod sibi utiles minime fuissent: quin obstaret, quod Comes Cisterni iam plenam liberamque fundi proprietatem obtinuerat; cum illum, vigentibus Gallicis legibus, quae fideicommissorum vincula deleverant (2), quaeque subinde publicae utilitatis ratione Summus Pontifex confirmaverat (3), emisset. Namque ostendit Capitulum, a Testatore Leonardelli conditum non fuisse Fideicommissum, sed duplex Legatum fuisse scriptum, alterum usufructus favore lineae masculinae Henrici Rigazzi cum onere trium Missarum, qualibet hebdomada celebrandarum; alterum vero proprietatis favore Cathedralis Ecclesiae cum graviori onere Missarum, quae tamen celebrandae tunc forent, quando usufructus cum eadem proprietate consolidaretur. Fideicommissi enim indoles postulat, ut quis ex Disponentis voluntate aliquid Successori fideicommissario restituat (4).

55. Testator quippe Legati vocabulum semper usurpavit: quod si usufructus a Gallica Lege fuit deletus, illius Legis dispositio, ad proprietatis Legatum omnino diversum, non est amplianda. Leges enim Gallicae id unum voluere, ut, soluto quovis restitutionis vinculo, de bonis libera esset in civili Societate contrahendi facultas: cui sane vinculum reale praedio inhaerens minime opponitur, ac solummodo ipsius praedii valorem imminuit. Hinc in Gallici Codicis articulis octingentesimo nonagesimo sexto, octingentesimo nonagesimo octavo et noningentesimo, dum fideicommissariae prohibentur dispositiones, plenum tribuitur arbitrium conditiones apponendi ac vulgares ordinandi substitutiones (5).

56. Proposito hinc dubio: - An et quomodo consulendum Sanctissimo pro concessione Beneplaciti in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Negative in omnibus, et Vicarius Apostolicus curet fieri inscriptionem hypothecariam super fundo *Cerasolo,* ad formam testamenti Canonici Leonardelli - *in Ariminen. Beneplaciti die 11 Februarii 1824.*

57. Hanc inscriptionem a Sacra Congregatione demandatam praetermittendam esse duxit Vicarius Apostolicus, cum eam a die 27 Decembris 1721 rite explevisset Cathedralis Ecclesiae Capitulum. Interim Stephanus Lucchi, qui anno 1818 a Comite Cisterni fundum *Cerasolo* veluti a quovis onere immunem emerat, ac post peractam transcriptionem vendiderat Clementi Bornaccini, supplicem Sacrae Congregationi porrexit libellum, quo summam

(1) Nimirum, ut *loc. cit.* - ibi - Finche vi sarà la linea mascolina di detto Signor Conte Enrico, sempre però col peso perpetuo di tre Messe la settimana come sopra -.

(2) Siquidem Lege 7, Fiorile anno VI, nempe diei 2 Aprilis 1798 cautum fuit: - Gli usufrutti progressivi o sia transitorii con ordine successivo in più generazioni o Famiglie cadono sotto le prescrizioni della Legge 6 Termidoro anno V -. Huius autem notissimae Legis articulo 3 statutum fuerat: - Le sostanze s'intendono fatte libere nella persona dell' attuale Possessore -.

(3) Uti perpendit Rota in Auximana Primogenituae 4 Iulii et 12 Decembris 1817 §. 4 et seqq. et 2 Martii 1818, §. 2, coram Zinanni.

(4) Ulpian. in Fragm. tit. 25; Instit. de Fideicomm. §. In primis 2; Rot. in Forolivien. Fideicommissi 14 Aprilis 1820 §. 3, coram Gamberini.

(5) Uti perpendit Rota in cit. Forolivien. Fideicommissi 14 Aprilis 1820 §. 4 et 7, coram Gamberini.

a Comite Cisterni oblatam se auctorum pollicebatur usque ad scuta sex centum, si Capitulum onus celebrationis Missarum sibi ferendum sumeret ac praedium a quovis vinculo et obligatione solutum declararetur. Verum eius preces die 16 Aprilis 1825 dimissae fuerunt Rescripto: - *In decretis sub die 21 Februarii 1824*-.

58. Capitulum vero existimans, transactionem a Stephano Lucchi propositam praeseferre Ecclesiae utilitatem, tranquillitatemque impertire tribus Familiis, ac timens, ne propter anteriorem transcriptionem a memorato Stephano expletam succumberet liti, quam sibi imminere sentiebat, enixe postulavit, ut Eminentissimi Patres precibus annuerent Stephani Lucchi, imposito Ecclesiae Cathedralis onere trium dumtaxat Missarum in singulas hebdomadas.

59. Episcopus pro informatione et voto rogatus, ut referret praesertim de evidenti Capituli utilitate, utilem huiusmodi transactionem, ad omnem e medio tollendam quaestionem ac litis expensas vitandas, putavit. Haec enim ratio fuit, quae Capitulum ipsum compulit ad novas porrigendas preces, ut Eminentissimi Patres sinerent transactionem scutorum sexcentum, quae statim investirentur per census creationem, propositam ab emptore Lucchi ad litem vitandam, Legatumque ob eam causam reducerent ad tres Missas tantum in perpetuum singulis hebdomadis celebrandas, iuxta mentem Testatoris annuo fructu eorumdem scutorum sexcentum. Hinc censuit Episcopus, attentis circumstantiis, quamvis praedium *Cerasolo* annuum fructum redderet scutorum nonaginta, posse tamen exaudiri Capitulum.

60. His itaque mature expensis, S. Congregatio reproposito dubio, sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.-, responsum dedit: - Praevio recessu a decisis, Affirmative pro approbatione concordiae, iuxta votum Episcopi, qui curet investimentum summae scutorum sexcentum cum solitis clausulis - *in Ariminen. Beneplaciti Apostolici die 17 Maii 1827.*

61. Praeterea ex causa necessaria permittitur alienatio *in Maceraten. Beneplaciti die 26 Augusti 1780* §. *Iura.*

Item *in Privernen. Emphytheusis die 16 Iunii 1787* §. *Annuendum; in Beneventana die 4 Aprilis 1789* §. *Propius; in Senogallien. Alienationis die 24 Augusti 1844* §. *Res* (1).

62. Iustam enim causam necessitatem constituere et omnes tenent Doctores et Iuris auctoritate probatur *in Comen. Reductionis Missarum die 22 Iunii 1822* §. *Ex adverso* (2).

63. Unde canonicis Sacra Congregatio sanctionibus insistens Beneplacitum pro alienatione concedi debere iudicavit, ubi iustae causae adessent *in Neapolitana Beneplaciti Apostolici die 21 Septembris 1822* §. *Iustae.*

64. Si iusta propterea ac rationabilis concurrat causa, permittitur alienatio *in Regien. Permutationis die 3 Iulii 1784* §. *Permittitur* (3).

65. Atque plures in iure recensentur causae, quibus id fieri possit, necessitas videlicet, utilitas, pietas, aequitas, damnum vitandum, aliaeque luculentius expositae in Can. 2, Caus. 10; Can. 52 70 e 71, Caus. 12, quaest. 2 *in Camerinen. Fabricae Ecclesiae die 20 Decembris 1834* §. *Non eo.*

66. His enim in casibus ipsi Sacri Canones hanc tribuere videntur facultatem, ut Can. 2, Caus. 10, quaest. 2, ubi post vetitam rerum Ecclesiarum alienationem, sic statuitur: - In ceteris eatenus excipitur, si debitum urgeat - *in Camerinen. Fabricae Ecclesiae die 20 Decembris 1834* §. *Non eo.*

67. Id ipsum eleganter more suo declarat S. Ambrosius in Can. 70, Caus. 12, quaest. 2 *in Camerinen. Fabricae Ecclesiae die 20 Decembris 1834* §. *Non eo.*

68. Hinc, si urgeat aes alienum, vel alia necessitatis causa, conceditur facultas alienandi *in Maceraten. Beneplaciti die 26 Augusti 1780* §. *Iura.*

Item *in Camerinen. Fabricae Ecclesiae die 20 Decembris 1834* §. *Non eo; in Senogallien. Alienationis die 24 Augusti 1844* §. *Res* (4).

(1) Cap. *Dudum* 1, de reb. Eccl. non alienan. in 6; Fagnan. in Cap. *Nulli*, n. 8 et 27 de reb. Eccl. alienan. vel non.

(2) Clement. 1, de reb. Eccles. non alienan.

(3) Clementin. unic. de reb. Eccles. non alienan.; Amostaz. de Caus. Piis lib. 1, cap. 14, n. 12 et 18; Piton. de controv. patron. allegat. 30, n. 5.

(4) Arg. ex Can. *Ea enim*, vers. hoc ius, caus. 10, quaest. 2; Cap. *Ad nostram*, de reb. Eccles. alienan. vel non.

69. Idcirco iusta causa, ex necessitate promanans, habetur, cum Ecclesia aere alieno gravata ex fructibus suorum bonorum illud solvere nequit, et cogitur ad illius solutionem bona sua alienare *in Neapolitana Beneplaciti Apostolici die 21 Septembris 1822* §. *Iusta.*

70. Id sane eas inter causas numeratur, quibus et ad bona fideicommissi vinculo obnoxia, imo et ad ea, quae Ecclesiae sunt, vendenda, facultas fieri consuevit *in Lauretana Capellaniae die 13 Februarii 1841* §. *At vero* (1).

71. Siquidem Sacra Congregatio, ad hereditarium debitum dissolvendum, quorumdam bonorum venditionem decrevit, quamquam antea supplici expenso libello, qui in eam rem datus erat, id denegaverat *in Bononien. Facultatis Alienandi die 13 Iunii 1711.*

72. Praesertim, quum, hoc capto consilio alienandi bona, nominis dimissio breviori tempore conficiatur, ac citius Sacrorum litatio initium sumeret, quod certe in maximam Defunctorum utilitatem cederet *in Lauretana Capellaniae die 13 Februarii 1841* §. *Insuper* (2).

73. Dum e contra Suffragiorum solatium ipsis diutius ac par esset protraheretur, si Testatoris voluntas servaretur, ut nempe hereditaria bona administrationi subsint, donec ex annuo hereditatis proventu satis Creditori factum fuerit: si ingens quippe summa debita sit ac longe redituum viribus superior *in Lauretana Capellaniae die 13 Februarii 1841* §. *Insuper.*

74. Difficultatem fortasse inferre posset Testatoris mandatum, qui in debiti solutione exequenda certam methodum praefinivit, ne quid detrimenti patrimonium pateretur, illiusque integrum et incolume perstaret *in Lauretana Capellaniae die 13 Februarii 1841* §. *Difficultatem.*

75. Quae sane praescriptio sancte religioseque servanda esset *in Forolivien. die 26 Iunii 1830* §. *Hisce.*

Item *in Lauretana Capellaniae die 13 Februarii 1841* §. *Difficultatem.*

76. Hoc tamen non obstante Testatoris mandato, Sacra Congregatio, ne in infinitum protraheretur universi aeris alieni dimissio, simulque Pii legati satisfactionis initium, facultatem alienandi fundos cum solitis clausulis indulgere censuit *in Lauretana Capellaniae die 13 Februarii 1841.*

77. Pretium autem ex venditione fundorum in solutionem debiti erogandum esse censuit *in Lauretana Capellaniae die 13 Februarii 1841.*

78. Hinc etiam in casu dimittendi aes alienum necessum est, Edictorum affixionem demandare, ad tramites Constitutionis Benedicti XIV, editae die 22 Novembris 1742, nec non Decreti Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium lati die 3 Martii 1835 *in Senogallien. Alienationis die 24 Augusti 1844* §. *Opportunitas et ad dubium II.*

79. Nec non alienatio expleri debet, favore maioris et melioris Oblatoris *in Senogallien. Alienationis die 24 Augusti 1844.*

80. Immo id praescripsit faciendum cum iure vigesimae et sextae *in Faventina Alienationis bonorum die 18 Augusti 1792.*

81. In quacumque enim venditione id semper praescribere curavit Sacra Congregatio *in Camerinen. die 24 Novembris 1787.*

Item *in Viterbien. Reductionis et Suspensionis Onerum die 14 Martii 1789.*

82. Insuper Sacra Congregatio in huiusmodi concessionibus onus imponere solet, investiendi quidquid supererit, post aeris alieni dimissionem *in Senogallien. Alienationis die 24 Augusti 1844.*

83. Nam, stante necessitate dimittendi aes alienum, permittitur alienatio fundorum ad Capellaniam pertinentium, cum opportuniora remedia praesto esse non videantur, praevia tamen Edictorum affixione, et favore maioris Oblatoris *in Senogallien. Alienationis die 24 Augusti 1844.*

84. Siquidem Capellaniam cum onere unius Missae Hebdomadalis ex asse hereditatis instituerat Catharina Comitissa Bonafede Firmana, extremo quo decessit elogio, renuntians heredem simul et Capellanum in continenti superstitem Virum suum Philippum Scacchi Senogalliensem, eoque vita functo, unum post alterum ex propinquioribus ipsius Testatricis necessariis usque ad infinitum, facta continuo Antecessori potestate sibi eligendi inter eos Successorem: quem secus publicis Municipii Senogalliensis Comitiis nominandum relinquebat.

85. Quum inde in eo esset Capellania, ut

(1) Gloss. in Leg. Filiusfamiliae, §. Diu, ff. de leg. 1; Card. De Luc. de fideicomm. disc. 161, n. 5 et 8.

(2) Pasqualig. de Sacrif. nov. leg. quaest. 291, n. 1, tom. 1.

aere alieno summopere graveretur, modernus Possessor Felix ex Comitibus Bonafede a Sacra Congregatione postulavit veniam alienandi bina rustica praedia, ad eamdem Capellaniam spectantia, quorum alterum positum erat in regione *Rosello o Casebianche*, valoris peritalis scutorum 739. 54, alterum in regione *S. Rocco*, valoris scutorum 769. 41. 5, ut ita scilicet ex prioris fundi pretio potioribus saltem Capellaniae Creditoribus satisfaceret; erogato quod superesset in sui utilitatem, altero vero in solutum cesso Sacerdoti Pacifico Lauri, qui nomen habebat exequutivum contra Capellaniam, quippe solemni reiudicata firmatum, et cum quo iam inita erat conventio, cuius inde petebatur approbatio.

86. Rogatus Eminentissimus Episcopus, ut, auditis interesse habentibus, scitu opportuna referret, exposuit, Municipium iurepatronatus activo pollens, nec non Eminentissimum Provinciae Legatum atque ipsum Capellaniae Defensorem consensum pro alienatione praestitisse, cum reservatione tamen actionum contra hereditatem Philippi Scacchi Capellani, ob damna et expensas, quas is propter litem indebite actam fecit, quin vero aliquid ex praefata hereditate haberi posset, cum decoctus diem obiisset supremum.

87. Hinc necessitatem alienationis Orator evincere curavit; nam ex una parte aes alienum dissolvendum erat, ex altera fructus Capellaniae si in id erogarentur, praeter iacturam Capellani, qui gravi lucro per longum tempus privatus extitisset, nonnisi longaevam tardamque nimis aeris alieni solutionem adpromitterent, haud proficuam in casu, ubi, instantibus Creditoribus, extemplo satisfaciendum erat; nec ceteroquin alia opportuniora remedia praesto esse videbantur. Accedebat consensus omnium interesse habentium. Unde, his expensis, erat etiam decernere, an erogatio residuae summae ab altero fundo retrahendae pro substentatione Oratoris digna esset, quae approbaretur, attenta Oratoris inopia, non obstante praeiudicio et dissensu eorum, quorum intererat; an satius esset, ut ea quamtumvis exigua summa investimento collocata, in augmentum capitum vergeret, unde et fructuum auctarium pro Oratore ipso moderno Capellaniae Possessore sperandum erat.

88. Propositis itaque dubiis: - I. An et quomodo sit permittenda alienatio fundi vulgo *Rosello o Casebianche* in casu.

II. An et quomodo sit permittenda cessio fundi vulgo *S. Rocco* in casu -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum et secundum, Affirmative; praevia affixione Edictorum, favore maioris Oblatoris, adstante Defensore Capellaniae, et cum onere investiendi quidquid supererit, post aeris alieni dimissionem, iuxta votum Eminentissimi Episcopi - *in Senogallien. Alienationis die 24 Augusti 1844.*

89. Idcirco, etsi urgeant aes alienum ac etiam necessariae domus reparationes, quaeque si fierent per creationem novi aeris alieni, oblatus valor ab aere alieno absorptus maneret, nequaquam permittitur alienatio, nisi formiter constet de necessitate ac evidenti Ecclesiae seu Legati Pii utilitate *in Romana Alienationis Domus die 4 Aprilis 1778.*

90. Quandoquidem anno 1679 Agatha Sansonetti, condito testamento, heredem suum universalem instituit Carolum Fabium Sansonetti eius ex Fratre Nepotem. Voluit tamen, quod, eo sine Filiis decedente, domus, quam Testatrix in Urbe possidebat in via, quae vocatur *del Pellegrino*, deferretur ad Conventum et Patres S. Caroli ad quatuor Fontes Urbis, adiecta lege, ut ex illius pensionibus tot Sacra in perpetuum celebrarentur. Anno vero 1698 decessit sine Filiis Carolus heres, propterea que Patres S. Caroli possessionem dictae domus adepti fuerunt, eamque restaurarunt, erogata de propriis pecuniis impensa scutorum 287. 54, quam ex pensionibus repetendi facultatem ab Sacra Congregatione obtinuit. Bis inde lis super praedicta domo exorta est, quam concordiae per Sacram Congregationem adprobatae diremerunt.

91. Quum autem Patres S. Caroli super praefata domo, quae olim locabatur pro annua pensione scutorum sexaginta, inde vero pro annuis scutis quinquaginta duo tantum, Creditores essent scutorum 113. 58 pro totidem de proprio ultra perceptas pensiones solutis in causam fructuum propriorum Creditorum et eiusdem domus reparationis, ac ulterius Creditores essent pro sorte scutorum 787. 54, ab Sacra Congregatione admissa et approbata, nimirum pro scutis 287. 54 erogatis in causam restaurationis domus, et pro scutis 500 virtute concordiae solutis Philippo Brembi: cum-

que demum iidem Patres invenissent Emptorem domus pro oblato pretio scutorum 1100, quamvis illa aestimata fuisset in scutis 1244. 44. ½, hinc supplicarunt Sacram Congregationem pro facultate eam alienandi pro dicto pretio scutorum 1100, ad effectum illud deponendi et investiendi cum declaratione, quod fructus relative ad sortem scutorum 901, de qua Patres Creditores erant, ipsorum esse deberent, reliqui vero fructus erogarentur in Missarum celebrationem ad rationem eleemosynae iuliorum duorum pro qualibet in expiationem animae Agathae Sansonetti Testatricis.

92. Eminentissimus Cardinalis Urbis Vicarius, qui fuit requisitus pro informatione et voto, praevia Edictorum affixione, retulit, maius pretium illo scutorum 1100 post affixa Edicta inventum non fuisse. Subdidit, imminere Patribus impensam scutorum 218, erogandam in necessarias dictae domus reparationes, quae si fieret per creationem novi aeris alieni, oblatus illius valor ab aere alieno remaneret absorptus, nihilque ex capitali superesset, ex cuius fructibus, essent Missae celebrandae. Quocirca censuit, ut ad ulteriores vitandas evictiones eousque super domo passas, locus esse posset illius venditioni, et ex pretio praeservata Testatrici portione scutorum ducentorum, reliquum traderetur Patribus pro eorum indemnitate et reintegratione.

93. His tamen non obstantibus, ponderandum erat, utrum expediret demandare alienationem domus, quam fieri postulabant Patres Sancti Caroli, et utrum ea utilis et necessaria esset, pro suffragio animae Testatricis. Videbatur enim, ea deteriorem efficere conditionem Agathae Sansonetti, quippe quia domus, quae aestimata fuerat in scutis 1244. 44 ½, alienaretur pro scutis dumtaxat 1100. Rursus alienatio necessaria quodammodo videbatur, ducto calculo, super capitali domus, secus vero si calculus duceretur super pensionibus; quoniam, quum eae retraherentur in annuis scutis 52, ex his demptis pro Patribus annuis scutis 8 62 ½ pro fructibus scutorum 287. 54 erogatorum ab initio pro domus reparatione, aliisque scutis 15 pro fructibus scutorum 500, ab eisdem Patribus per concordiam traditorum Philippo Brembi, quae summae in unam collectae ascendebant ad annua scuta 23. 62 ½, supererant adhuc pensiones in annuis scutis 28. 36 ½, cum quibus impleri commode poterant urgentes reparationes, quae tantum in genere probabantur, et suffragia pro Testatrice maiora ceteroquin illis, quae haberi poterant, ex fructibus scutorum ducentorum. Maxime, quia ex peragendis restaurationibus pretiosior reddebatur domus, et ex ea pensiones sperari poterant uberiores in Suffragiorum augmentum, prout etiam considerabat Eminentissimus Card. Vicarius in sua relatione.

94. Quapropter proposito dubio: - An et quomodo Oratorum precibus sit annuendum in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Dilata, et ad mentem; et mens est, quod ab Oratoribus reddatur ratio in forma iuris valida de pensionibus domus hucusque perceptis, nec non conficiatur peritia super quantitate qualitate et pretio reaptationis domus in specie - *in Romana Alienationis Domus die 4 Aprilis 1778.*

95. Nisi quippe manifesta sit necessitas, aut evidens Ecclesiae utilitas, nunquam alienatio permittitur, etiamsi aes alienum urgere videatur, itaut ea quandoque iuxta modum vix indulgeatur *in Bononien. Facultatis alienandi die 9 Aprilis 1712.*

96. Iamvero, rogantibus Capitulo et Canonicis Ecclesiae Collegiatae S. Mariae Maioris Civitatis Bononiae heredibus Canonici Sfortiae de Boninsignis, pro facultate alienandi nonnulla credita hereditaria in summa scutorum bismille, ad effectum scuta mille Monialibus Sanctae Margaritae in satisfactionem Legati Clementis Boninsignis, nec non solvendi alia scuta quadringenta pro totidem mutuo acceptis, et reliqua scuta sexcentum in restaurationem domus ruentis eroganda, Sacra Congregatio bis negativum dedit responsum *in Bononien. Facultatis Alienandi die 29 Martii et die 15 Iunii 1710.*

97. Inde, causa rursum ad examen revocata, Sacra Congregatio recessit quidem a decisis, sed iuxta modum *in Bononien. Facultatis Alienandi die 13 Iunii 1711.*

98. Ac denique perstitit in decisis, iuxta modum *in Bononien. Facultatis Alienandi die 9 Aprilis 1712.*

99. Hinc urgente aeris alieni dimissione, quandoque etiam Monasterio Regularium S. Congregatio alienationem fundorum Capellaniarum permisit, facta tamen subrogatione Apotheca-

*

rum, donec completa fuerit reintegratio pretii fundorum, medio annuo deposito scutorum quinquaginta, statim incipiendo *in Maceraten. Beneplaciti die 26 Augusti 1780.*

109. Ac eo vel magis permittitur alienatio bonorum, cum nedum urgeat aes alienum vel alia necessitas, sed etiam Ecclesiae utilitas concurrat, ac bona nonnisi magnis cum expensis fructus reddant, facto interim annuo deposito, pro reintegratione pretii fundorum *in Maceraten. Beneplaciti die 26 Augusti 1780.*

101. Siquidem Prior et Patres excalceati S. Augustini Civitatis Maceratae inter cetera duas possidebant in eadem Civitate domos, quarum altera affecta erat Capellaniae, fundatae usque ab anno 1677 a Francisco Compagnoni cum onere tot celebrandi Sacra ad rationem eleemosynae perpetuae, quot essent reditus suorum omnium bonorum, quorum dictos Patres excalceatos heredes instituerat; et altera vi permutationis factae cum Comite Turri assignata erat una cum aliis bonis, pro dote alterius Capellaniae, quam anno 1714 fundaverat Canonicus Augustinus Norsini, onere adiecto Missarum, certis praescriptisque diebus celebrandarum.

102. Quum autem reditus utriusque domus, demptis expensis pro necessariis reparationibus, manutentione viae publicae, et pro oneribus Cameralibus, factoque computo per decennium, non excederent annua scuta 29. 31. 2; et e contra Patres excalceati plurimo gravati essent aere alieno per ipsos contracto, pro reaedificatione Conventus cum quinque Apothecis, ex quibus anno quolibet retrahebantur annua scuta 37. 50, ideo supplicarunt Sacram Congregationem, pro facultate alienandi utrumque domum, eiusque respectivum pretium erogandi in dimissionem dicti aeris alieni, nec non pro Capellaniarum iure et interesse subrogandi dictas Apothecas; supplicarunt itidem, ut praefineretur Missarum numerus relative ad domum Capellaniae Compagnoni, pro qua Sacra, iuxta bonorum reditus, celebranda erant, sese obstringentes iidem Patres, post lapsum decennium subinde decurrendum, quotannis deponendi scuta quindecim seu viginti, pro reintegrandis Capellaniis de pretio ex alienatione domorum retrahendo, quoniam superextantes reditus, eo decurrente decennio, in absolvendo opere Conventus erant erogandi.

103. Episcopus Maceratensis de more interrogatus retulit, quae supra narrata habentur, censuitque, Oratores esse audiendos, quoad petitam alienationem domorum cum Apothecarum subrogatione, adiecta tamen eisdem Oratoribus lege, annuatim deponendi in eorum aerario scuta quinquaginta usque ad reintegrationem valoris dictarum domorum, se tamen abstinuit a praefinienda Missarum quantitate, pro Capellania Compagnoni.

104. Contenderunt itaque Oratores, concedendam esse facultatem alienandi praedictas domos; namque Conventus gravabatur aere alieno in sorte scutorum 1960, in cuius partialem redemptionem erogandum erat pretium domorum, quae aestimatae fuerant valoris scutorum 1467, 90. Itemque pro usuris aeris alieni persolvebant Oratores annua scuta 58. 50, et ex domibus percipiebant annua tantum scuta 29. 31. 2, itaut, extincto aere alieno, lucrifacerent annua scuta viginti, ut supra deponenda, cum quibus tractu temporis essent Capellaniae reintegratae, pro valore domorum, Conventus vero solutus esset ab aere alieno, pro illius reaedificatione contracto. Ac demum cum utraque domus iam vetusta esset, indigeretque plurimis reparationibus, maiores erant in posterum reparationum et manutentionis expensae, pensiones minuentes, in diminutionem Missarum et animarum Fundatorum damnum, quin ulla, per hanc domorum alienationem, iniuria voluntati Fundatorum inferretur.

105. Propterea, proposito dubio: - An et quomodo Oratorum precibus sit annuendum in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Pro gratia concessionis Beneplaciti super venditione bonorum, de quibus agitur, facta subrogatione Apothecarum, donec completa fuerit reintegratio pretii dictarum domorum medio annuo deposito scutorum quinquaginta, statim incipiendo; et ad mentem: et mens est, quod Episcopus liquidet reditus, subrogandos oneri Missarum Legati Compagnoni - *in Maceraten. Beneplaciti die 26 Augusti 1780.*

106. Emptoribus autem deficientibus, censuum impositionem indulgere censuit Sacra Congregatio, ut aes alienum dimitteretur *in Lauretana Capellaniae die 6 Maii 1843 ad I dubium.*

107. Minori tamen quo fieri potuerit interusurio, facto deposito, per Episcopum praefi-

niendo *in Lauretana Capellaniae die 6 Maii 1843 Ad I dubium.*

108. S. Congregatio hinc censuum impositionem super Pareciae fundis, si pro celeriori Fabricae executione expediat, indulgere solet, deposita tamen quotannis congrua summa, in extinctionem eorumdem *in Ferentina Reaedificationis Ecclesiae die 19 Aprilis 1834 ad II et III dubium* (1).

109. Nam, ubi ceterae supplendi rationes deficerent, census impositionem super bonis Ecclesiae probavit Sacra Congregatio *in Forolivien. die 13 Iunii 1789.*

Item *in Senogallien. Fabricae Ecclesiae die 20 Februarii 1796; in Camerinen. Fabricae die 20 Decembris 1834* §. *Quin imo.*

110. Proposito quippe dubio: - I. An et quomodo sit providendum reparationi Collegiatae Ecclesiae Belviderii in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative; iuxta votum Eminentissimi Archipresbiteri - *in Senogallien. Fabricae Ecclesiae die 20 Februari 1796.*

111. Idcirco stetit pro impositione census scutorum 2500 super bonis Ecclesiae Collegiatae S. Mariae de Misericordia Oppidi Belviderii, ut illa repararetur Ecclesia; et ad alterum dubium etiam respondit: - Affirmative, pro suspensione tertii Canonicatus (alii enim duo fuerant suspensi eadem ex causa) ut, ex illius reditibus, census extingueretur - *in Camerinen. Fabricae Ecclesiae die 20 Decembris 1834* §. *Quin imo.*

112. Qua de re dubitandum quidem non est, quod grave derivetur damnum ex censuum creatione *in Lauretana Capellaniae die 11 Martii 1843* §. *Census* (2).

113. In censuum enim creatione, pro iure vendito percipiendi fructus, constituitur in bonis hypotheca *in Lauretana Capellaniae die 11 Martii 1343* §. *Census* (3).

114. At quidquid de huiusmodi damno dicatur, certum tamen est, maximum quandoque bonum ex huiusce facultatis concessione profuturum *in Lauretana Capellaniae die 11 Martii 1843* §. *Ex petitae.*

115. Si scilicet ex pecunia, hac ratione comparanda, fundorum melioramento prospiciatur *in Lauretana Capellaniae die 11 Martii 1843* §. *Ex petitae.*

116. Emendo praesertim Animalia pascualia, ubi constet, magnam fructuum partem e pascuis redire, quibus abundant Capellaniae possessiones, quae ex adverso omni prorsus pecore interim destituantur *in Lauretana Capellaniae die 11 Martii 1843* §. *Ex petitae.*

117. Nec interim suppetant aliunde Oratori media, quibus huiusmodi necessitati valeat occurrere *in Lauretana Capellaniae die 11 Martii 1843* §. *Ex petitae.*

118. Hoc vero habito melioramento, nedum fundorum deterioratio exularet, imo vel maxime augerentur reditus; ex quo fieret, ut celerius aes alienum dimitteretur, maiorem in id summam singulis annis erogando *in Lauretana Capellaniae die 11 Martii 1843* §. *Ex petitae.*

119. Praesertim, si aequum non sit, administrationem in longius tempus protrahere, propter inopiam Beneficiati, quae commiseratione digna est *in Cornetana Suspensionis Oneris Missarum die 20 Septembris 1788* §. *Haec.*

120. Hinc, pro dimissione Creditorum Beneficii, pluries consulendum esse censuit Sacra Congregatio per creationem Census, in casu praesertim, ubi praeter inopiam Beneficiati Creditores operam impenderunt in restauratione domus *in Cornetana Suspensionis Oneris Missarum die 20 Septembris 1788.*

121. Qui operam enim in reparanda domo praestiterunt, eius conditionis non sunt, ut manuum suarum fructum diu expectare queant; aceapropter celerior potius mercedis solutio spectari debet, quam maior Beneficii utilitas, si aes alienum ex pensionibus domus, post sexennium decurrendis, dimitteretur *in Cornetana Suspensionis Oneris Missarum die 20 Septembris 1788* §. *Utilior.*

122. Idcirco nova quoque Missarum suspensio conceditur, etiamsi lata ipsius Beneficiati culpa in deterius abierunt Beneficii domus,

(1) Speciem ac resolutionem causae huius habes in Verb. Alienatio §. III, n. 267 ad 279.

(2) Gabr. comment. concl. 9, n. 8 et 12 cum seqq.; Card. De Luc. de tut. disc. 19, n. 5 et seqq.; Rot. in decis. 292 et 308, utrobique n. 2 et 3, coram Penia.

(3) Cencius de Censibus quaest. 1, n. 23; Hieronymus Rocca in Cap. 53, de solut. n. 9 et seqq.; Rot. in decis. 161, n. 27, coram Bichio post Merlin. de legit. decis. 1, n. 10.

nihilque aliud ei post generalem administrationem ex primaevo reditu supererit, quam annua summa scutorum duodecim, quantum reparata domus reddebat *in Cornetana Suspensionis Oneris Missarum die 20 Septembris 1788* §. *Sive.*

123. Imo et alterius domunculae alienatio permittitur, cum ad eam restaurandam deficiant nummi, nec pares impensae habere possent fructus *in Cornetana Suspensionis Oneris die 20 Septembris 1788* §. *Ex relatione.*

124. Siquidem, ad reparandas domos Beneficii Vitelleschi, cuius titulo sacros suscepit ordines Sacerdos Ioannes Donati, Eminentissimos Patres exoravit illius Oeconomus pro absolutione a Missis non celebratis eorumque suspensione, quousque perficeretur opus; prodiitque die 8 Maii 1784 Rescriptum: – Quoad praeteritum, ad D. Secretarium cum Sanctissimo; quo vero ad futurum scribatur Episcopo iuxta mentem: et mens est, quod celebretur Missa una quolibet mense ad sexennium; et Episcopus, computata eleemosyna Missae manualis, assignet Beneficiato ex fructibus praebendae quantum deerit ad complementum taxae Patrimonii Sacri, iuxta morem Diaecesis. Quod autem superfuerit, impendat in restaurationem domorum Beneficii. At si Beneficiatus neglexerit vel residentiam, vel alia munera Beneficio adnexa, tunc detrahantur punctaturae ex fructibus dicti assignamenti, et idem Episcopus curet, ut ad meliorem frugem reducatur Beneficiatus, iuris remediis – *in Cornetana Suspensionis Oneris Missarum die 20 Septembris 1788* §. *Ad.*

125. Iam altera ex domibus refecta fuit, auctaeque fuerunt pensiones ab annuis scutis duodecim ad triginta. Operis sumptus summam attingebat scutorum quingentorum, quorum centum octoginta soluta fuere, ex redundantibus Beneficii fructibus. Remanebant solvenda scuta tercentum viginti, vixque ad finem sexennii superesse poterant scuta centum viginti. Postulavit igitur Oeconomus, ut pro reliqua summa scutorum biscentum imponere liceret censum, ex pensionibus restauratae domus dimittendum. Oravit rursus pro ulteriori Missarum suspensione, ad extinctionem census. Ac pro facultate tandem vendendi inutilem alteram Beneficii domunculam, pro qua oblatio erat scutorum decem supra faciendam aestimationem, cum promissione solvendi annuos fructus scutorum 3.50 in singula centum, usque ad solutionem pretii.

126. Eminentissimus Episcopus creationem census (1) suspensionem Missarum (2) et alienationem domunculae (3) adprobavit.

Propositis hinc dubiis: – I. An et quomodo sit providendum pro dimissione Creditorum Beneficii in casu etc.

II. An et quomodo sit locus ulteriori Missarum suspensioni in casu etc.

III. An et quomodo sit locus venditioni domus in casu etc. –, Sacra Congregatio respon-

(1) Haec sane is deducere censuit, ut in §. *Haec* – ibi – Ex reditibus Beneficii solo biennio, quod superest ad explendam administrationem, non potest tantum colligi, quantum pro nova domus aedificatione impendere necessarium sit. Confugiendum est igitur ad aes alienum per impositionem census in summa scutorum biscentum, quod dimittetur pensionibus, e domo locata percipiendis. Quamvis autem aes alienum in praesentiarum conflandum sit ad Artificum operas ex parte satisfaciendas, tamen depositum pensionis fieri nequit sequentibus duobus annis, quippe eae cum reditibus ad Artifices ipsos integre solidandos addictae sunt. Nec aequum est, administrationem in longius tempus protrahere propter inopiam Beneficiati, quae commiseratione digna est –.

(2) Siquidem Eminentissimus Episcopus inquit, ut in §. *De ulteriori* – ibi – Ne Beneficiatus privetur potiori parte reditus scutorum triginta, quae percipiuntur ex praedictae domus locatione, aequum videtur, ut iterum suspendantur onera Missarum, quousque debitum fuerit extinctum; maxime quia suo incommodo aucti sunt fructus Beneficii. Id vero, ut accurate perficiatur, committi non debet arbitrio ipsius Beneficiati, sed idem Oeconomus seu alius deputandus, etiam post expletum sexennium, qui curam gerat de pensionibus huius domus, de fructibus census solvendis, de residuo in Aede sacra deponendo, deque extinctione debiti opportune praestanda –.

(3) Nec dubitavit de alienatione domunculae praelaudatus Episcopus, ut in §. *Dubitandum* – ibi – Ea enim in statu, quo describitur, prorsus inutilis est, nec restaurari potest, sine magno sumptu, ad quem sustinendum impar est Beneficium; nec, si vires suppeterent, obtineri posset proventus, pro ratione pecuniae impendendae –. Additque de interesse habentibus, quod Marchio Angelus Vitelleschi patronus – ibi – libere suum praebuit assensum cum primum haec causa anno 1784 proposita fuit in Sacra Congregatione, ut quae, ad meliorem Beneficii statum conducerent, pro Vestra Sapientia, decernerentur. Beneficiatus vero cum in causa fuerit, ut, neglectis opportuno tempore restaurationibus, domus iam antiquitate tritae ac male sartae, deteriori conditione fierent, non modo conqueri non debet, sed praeclare secum ipse actum existimabit, si via ac ratio, ab Oeconomo exposita Eminentiis Vestris, probabitur; quae et sibi utilitatem affert et Beneficio incrementum –.

dit: - Ad primum, Affirmative pro creatione census; iuxta votum Eminentissimi Episcopi, Ad secundum, Affirmative; iuxta votum Eminentissimi Episcopi, ad triennium. Ad tertium, Affirmative; iuxta votum Eminentissimi Episcopi - *in Cornetana Suspensionis Oneris Missarium die 20 Septembris 1788.*

127. Et eo vel magis id edicendum, si de Capellania mere laicali res esset *in Lauretana Capellaniae die 11 Martii 1843* §. *Ex petitae.*

128. Itaque, nedum alienationem, urgente aeris alieni dimissione, sed etiam creationem debiti, ea ob Emptorum deficientiam non absoluta, Sacra Congregatio indulsit, ut, peracta fundorum melioratione, celerius aes alienum dimitteretur *in Lauretana Capellaniae die 6 Maii 1843.*

129. Iamvero, ex Ioannis Giordani Lauretani obitu, graves illico hoc ineunte seculo controversiae actae sunt inter Elisabetham et Rosam sorores Bartoli, ac Ioannem Andream Fracassetti Lauretanae Basilicae Canonicum. Illae enim postulabant, se in possessionem immitti bonorum, quae Giordanium in Capellaniae merae laicalis censum, ad quotidianum Sacrum in Basilica peragendum, testamento adsignasse asserebant. Canonicus vero cuncta sibi hereditaria eiusdem bona vindicabant, quae ex universali donatione, deleto testamento, sibi ab eodem attributa contendebat. Re ad Antistitem in forensem actionem delata, decrevit ipse, uti Index a Pontifice speciatim delegatus: - Sorores Bartoli Elisabetham et Rosam immittendas fore et esse in realem, corporalem, et actualem possessionem unius domus, positae in Civitate Laureti regione *Monterealvecchio,* nec non iuris emphytheutici unius terreni cum domo rurali, positi in territorio dismembrato Laureti in regione *gli Archi,* nec non terreni positi in territorio Castri Fidardi in contrada *le Fornaci*, consistentis in duobus separatis terrenis cum domo rurali -. Deinde declaravit: - esse locum in suffragium animae dicti quondam Ioannis Giordani suorumque etc. fundationi Capellaniae merae laicalis cum onere celebrationis dietim, et in perpetuum unius Missae in Sacra Basilica Lauretana, possidendae a praedictis DD. Rosa et Elisabetha Bartoli earumque successive Heredibus -. Tandem pro eiusdem Capellaniae dote assignavit nedum, quae extabant, bona, sed pecuniam insuper, sive in hereditate repertam, sive ex rerum venditione obventuram, quam per Sorores Bartoli rite collocandam mandavit, vel in fundis, vel in censibus, facto de substantia universa inventario. Sententia isthaec Lauretani Antistitis a Iudicibus etiam militari regimine grassante anno 1810 Anconae designatis digna adinventa est, quae, appellantibus frustra in eam Adversariis, plane confirmaretur.

130. Ast assequutae hoc pacto ea bona Sorores Bartoli, et praestitutum inventarium et Capellaniae constitutionem omiserunt, nonnullis dumtaxat Sacris per id temporis curatis, donec et ex asperitate temporum et litium sumptibus et ex aliis infortuniis in summam egestatem devenerunt. Decessit subinde altera ex ipsis Elisabetha, quae moriens sororem Rosam Iacobo Scagliolio Canonico Basilicae sibique necessario commendavit, ut eidem in familiaris rei procuratione praesto esset, quod pro spectata sua probitate impense exequi adnisus est: is porro Sacra litanda curavit pro superextantium redituum exiguitate, sumptibus detractis ad aes alienum et ad feminae victum cultumque necessarium. Obiit deinceps Rosa anno 1837, eaque suo testamento usumfructum fundi, siti in territorio Castri Fidardi regione *le Fornaci*, praedicto Iacobo Scagliolio ad vitam legavit, cum onere tamen celebrandi centum quinquaginta Missas in singulos annos, vix ex omnibus bonis hereditariis extinctum maneret debitum, quod ipsa cum Confraternitate Sanctissimi Sacramenti contraxit.

131. Hanc porro voluntatem exequutioni dandam commisit Scagliolio, cui integri sui patrimonii administrationem tradidit ad aes alienum dissolvendum, ut deinceps domus fundique *gli Archi* dominium heres assequeretur, quam dixit Mathildem Campanelliam sibi ex Sorore neptem, cui post Scagliolii obitum alterum praedium legavit, ita tamen, ut sartum tectum onus praestaret Sacrorum centum quinquaginta. Memorata autem Heres renunciasse hereditati visa est, cum tempus sibi ex Iudicum auctoritate, Sodalitio Sanctissimi Sacramenti instante, praefinitum labi passa sit, quin illam adiverit. Hereditarium autem Giordanii debitum, quod Rosa dimittendum testamento iusserat, scutatis circa octingentis constabat, quorum quadrigenta sexaginta unum

pars erant residua pretii domus, quam a dicto Sodalitio Giordanius emerat, cetera vero, tum ex fructibus non solutis, qui ad quatuor in singula centum scutata conventi sunt, tum ex litium impensis, in domus licitatione iudicioque peractis. Verum cum animadvertisset Scagliolius Canonicus ob redituum, scutata sexaginta vix septem pertingentium, tenuitatem, nonnisi post plurium annorum spatium solvi aes omne alienum posse, utilius sibi consilium capiendum censuit, latisque ad Sacram Congregationem precibus, efflagitavit, ut potius alienationem parvae domus valoris scutorum tercentum, ad debitum fructiferum cum praedicta Confraternitate contractum saltem in parte satisfaciendum, residuum vero, non fructiferum ex annuis fundorum fructibus dimittendum, decerneretur.

132. Lauretanorum Episcopus ea de re sententiam rogatus, auditis Sodalibus iisque quorum intererat, retulit, quod Sodalitas consensum ad id quidem praestaret, sed - nimis dura videtur conditio a praefata Sodalitate imposita: scilicet, ut pecunia ex antedicta venditione retrahenda prius impendatur in dimissionem debiti fructibus minime obnoxii, salva interim ac permanente capitali summa fructifera scutorum 461. Si enim terenda sit haec via, futurum erit, ut nonnisi post longam annorum seriem finem accipiat aeris alieni dimissio, fraudatis interim Testatoribus piis Sacrificiorum suffragiis. Namque praesenti debito, quo erga praefatam Sodalitatem tenetur Hereditas, aliud accedit scutatorum centum, quibusdam aliis Creditoribus solvendum; annuos vero reditus ex bonis hereditariis venientes sexaginta sex argenteis constare deprehendo, ex adiuncto specimine, quod Administrator exhibuit. Verum tamen est, Rosam Bartoli postremo loco defunctam in novissimi eius tabulis decrevisse, ut nonnisi post omnimodam aeris alieni dimissionem, cum reditibus universorum bonorum perficiendam, initium sumat implementum oneris a se impositi peculiari cuidam hereditatis praedio Missarum centum quinquaginta, quotannis celebrandarum, quibus aliquo modo fiat satis pristinae Testatorum voluntati. Ast gravior evaderet huius legati conditio, si standum foret praememoratae Sodalidatis voto; nam solutio fructuum gradatim facienda pro debito fructus ferente, quoadusque de medio tollatur illud, quod fructus non parit, in infinitum protraheret universi aeris alieni dimissionem, simulque Pii Legati satisfactionis initium. Aequior proinde videtur propositio ab Oratore in calce supplici libello exposita, utpote magis consona iuri, quo cautum est, ut solutiones cedant in causam duriorem, nec a tali consilio recedendum putarem -.

133. His itaque expensis, suam proferens sententiam, inquit: - Assero, non utilem tantum, sed necessariam esse designatae domus venditionem, cum praesertim non alia suppetat ratio imminuendi aliquantulum, si non penitus dissolvendi debitum, quod iudicio instructo reposcit Pia Sodalitas. Non me praeterit, hereditaria bona hoc pacto attenuari. At, ubi graviora imminent damna, quae a Creditoribus minitantur, satius puto aliquid de fundo resecare, quam pati omnia iudicio excuti et sub hasta poni. Quidquid vero de universa hereditate supererit, dimissis Creditoribus, in Pii Legati adimplementum rite impendetur, ut, meliori quo fieri poterit modo, prospiciatur religiosae Testatorum voluntati -.

134. Obstiterunt tamen Sodales adversamque plane sententiam edidere, sibique maxime obesse contenderunt Scagnolii vota. Etenim cedit quidem solutio facta a Debitore in causam duriorem, eaque, simpliciter et absque expressione causae peracta, referenda de iure est ad debitum gravius et durius. At iuris haec dispositio, qua de solutione iam peracta cavetur, perperam ad solutionem traheretur, quam, invito ac pugnaciter obsistente Creditore, peragere adnitur Debitor: praesumptio enim illa iuris procedit, ubi Debitor ex duplici causa absque ulla declaratione ex pacto solvit, ita ut sit omnino dubium, in quam causam solverit; secus vero est, quando pactum resistit, vel declaratio ipsa Partium, vel constat de illarum voluntate contraria (1). Ceterum et illud explorati iuris est, Debitorem ad tempus posse terminum praevenire et ante tempus solvere nec huiusmodi solutionem oblatam posse a Creditore recusari, integrum tamen pretium debiti offerendum esse, tradunt Iuris Interpretes (2). His demum accedit, si ii, qui

(1) Rot. in Romana Pecuniariae die 14 Martii 1701, coram Tremoville.

(2) Salgad. part. 2, cap. 24, n. 5; et part. 1, cap. 27, §. 8.

et sortem et fructus debent, aliquam summam exhibent, eam pro usuris, non item pro sorte accipi debere (1).

135. Propositis hinc dubiis: - I. An et quomodo annuendum sit propositae venditioni fundi in casu etc. -.

II. An et quomodo illius pretium in solutionem debiti erogandum sit in casu etc.

III. An et quomodo et quo Sacrorum onere imposito procedendum ad erectionem Capellaniae praescriptae a Giordanio, et ex Curiae Episcopalis sententia confirmatae in casu etc.

IV. An et quomodo consulendum Sanctissimo pro absolutione de omissis Sacris in casu etc., - Sacra Congregatio respondit: Ad primum, Affirmative cum solitis clausulis. Ad secundum, Affirmative ; et Episcopus curet conciliationem de bono et aequo inter utramque Causam Piam, ac de resultantibus certioret. Ad tertium, Affirmative ; et esse erigendam Capellaniam cum celebratione Missarum pro intranti quantitate ad manualem post dimissionem aeris alieni ex superextantibus fructibus hereditatis Giordani, et Episcopus curet inscriptionem fundorum pro securitate eiusdem Capellaniae. Ad quartum, Affirmative celebratis tribus Missis - *in Lauretana Capellaniae die 18 Februarii 1841.*

136. Manus apposita statim est exequutioni Resolutionis a Sacra Congregatione latae, ast e vestigio difficultas in eo reperta est, quod absolvi non potuerit alienatio domus, scilicet Emptoribus deficientibus, licet pluries proposita fuerint de more venditionis Edicta. Idcirco supplex EE. PP. Scagnolius idem administrator extitit, ut facultatem creandi debitum ad meliorationem fundorum tunc in pessimum statum existentium, ob quam facilius debitum cum Confraternitate contractum solvere sibi promittebat, obtineret. Constabat enim, magnam fructuum partem e pascuis redire, quibus abundabant Cappellaniae possessiones, quae ex adverso omni prorsus pecore tunc destituebantur: nec suppetebant aliunde Oratori media, quibus huiusmodi necessitati valeret occurrere; hoc vero habito melioramento, nedum fundorum deterioratio exulavisset, imo vel maxime aucti essent reditus, ex quo fieret, ut celerius aes alienum dimitteretur, maiorem in id summam singulis annis erogando, quae inter Partes conveniretur. Exposuit insuper Orator, quod Mathildes Campanelli heres scripta ad bona Capellaniae perfruenda ab eius amita Rosa Bartoli, ob magnitudinem aeris alieni hereditaria bona praegravantis, illam recusavit adire: in cuius interim defectum supplices extiterunt Curiae Lauretanae septem ab intestato venientes Heredes, et decretum de immittendo, salvis Legatarii et administrationis iuribus, obtinuerunt, inque legitimam possessionem immissi sunt. Quum igitur tot essent Heredes, indole, moribus, ac sententiis inter se varii, quin iis rationes de administratione reddere teneretur Orator, enixe efflagitavit, ut eas Episcopo reddere posset; unde ab eodem rationes ipsi, quatenus vellent, inspicere poterant.

137. Quamobrem, propositis dubiis - I. An et quomodo annuendum sit precibus Oratoris super creatione debiti in casu.

II. An et quomodo annuendum sit precibus Oratoris super redditione rationum in casu, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative; minori quo fieri poterit interusurio, facto deposito per Episcopum praefiniendo. Ad secundum, Affirmative; reddita quotannis ratione penes Episcopum, vocatis interesse habentibus - *in Lauretana Capellaniae die 6 Maii 1843.*

138. Imo aliquando, alia omnino deficiente ratione, etiam alienationem censuum, ad Ecclesiam pertinentium cum suspensione Officiorum et Legatorum, Sacra Congregatio permisit, ut aes alienum pro Ecclesiae fabricae contractum dimitteretur, facto tamen quotannis deposito, usque ad reintegrationem *in Camerinen. Fabricae Ecclesiae die 3 Ianuarii 1835.*

139. Iamvero, quum Parochialis Ecclesia S. Nicolai in Oppido Bononiolae Camerinensis Diaecesis ex Decreto S. Visitationis ab Archiepiscopo gestae instauranda esset, informe enim instructum ac fatiscens erat aedificium, Sacerdos Angelus Primavera Parochus in eo curas omnes intendit, ut pecunias ad id necessarias compararet. Ac revera eius studium prorsus effectu vacuum non fuit, octingenta enim fere scutata collegit, iisque acceptis, illico manum operi admovit. Verum, ut fere

(1) Leuren. lib. 3, tit. 23, quaest. 529 ; Reiffenst. Iur. Eccles. lib. 3 Decret. tit. 23, n. 44.

semper accidere solet, impensa longe maior ferenda fuit, quam quae ab Architecto fuerat praenunciata. Ad aedificium enim absolvendum insumpta fuerunt scuta 1312, 90. Parochus autem vix habere potuerat scuta 874, 82; deerant ergo scuta 438, 08, quam pecuniam Parochus foenore debuit sumere, nomine proprio. Ut ab hoc aere alieno dissolveretur, petiit a Summo Pontifice veniam alienandi aliquot census, ad Parochialem Ecclesiam pertinentes, asserens ex eorum fructu imminuto leve admodum detrimentum Parocho obventurum; ex statu enim activo et passivo, quem exhibebat, colligebatur, argenteos nummos centum circiter Parocho superesse; addiditque aliam omnino rationem reperiri non posse, qua huic incommodo occurreretur.

140. Preces ablegatae fuerunt Sacrae Congregationi, quae Archiepiscopi sententiam, ut moris est, rogavit. Hic porro omnia ab Oratore exposita vera esse professus est, eiusque diligentiam commendavit, ac rem omnem accurate perpendens, retulit: - Nemo citra Parochum, qui plene assentitur, habet super expositis interesse. Eruitur e statu exhibito, annuos reditus Paracciae summam scutorum 156, 86 conflare; exitum vero ad scuta 53, 35 adscendere, quo reditus idem nitidus cohibetur ad scuta 103, 51. Onera paraecialia constant Missis 84 pro Populo, Missis 156 pro nonnullis Legatis, nonnullis Canonibus, et Dativis -. Hinc Parochus Primavera, ut liberare se posset aere alieno, quod contrahere debuit pro perficienda Fabricae Ecclesiae, nedum petiit facultatem alienandi partem bonorum ad Paraeciam pertinentium, sed petiit etiam suspendi precationes (vulgo *Offizii*) a Constantino Fortunati institutas, et ad medietatem reduci Pia Legata.

141. Propositis itaque dubiis: - I. An et quomodo annuendum sit precibus Parochi Primavera, pro alienatione censuum in scutis 438, 08 in casu etc. *Et quatenus negative.*

II. An et quomodo redintegranda sit Ecclesia pro hac censuum alienatione in casu etc.

III. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro suspensione Officiorum et imminutione Legatorum in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative; ad effectum deponendi et erogandi in dimissionem contracti debiti. Ad secundum, Affirmative; iuxta modum, nempe ex reditibus medietatis Legatorum et Officiorum, quota scutatorum decem quotannis a Parocho persolvenda, scutato uno ex reditibus Sacrarii, et scutatis quinque ex oblationibus etc. eleemosynis praesertim ante aram B. Virginis, usque ad totalem redintegrationem. Ad tertium, Affirmative; ut in praecedenti - *in Camerinen. Fabricae Ecclesiae die 3 Ianuarii 1835.*

142. Hinc, ne dubium quidem, quod Sacra Congregatio, deficientibus aliis de iure mediis ad perficiendam Ecclesiae Parochialis constructionem, nedum censuum impositionem, sed et Locorum Montium venditionem indulgere sueverit, cum onere tamen reintegrandi praefata Loca Montium et extinguendi Census iuxta modum pro temporum rerumque circumstantiis praefiniendum *in Amerina die 28 Septembris 1771.*

143. Iamvero, ad novam construendam in Oppido Iovii Parochialem Ecclesiam, duo indulsit anno 1738 S. M. Clemens XII; alterum, - ut pro constructione novae Ecclesiae erogari valeat summa, quae debetur Monti seu Montibus frumentariis eiusdem Terrae Iovii, pro eo tamen solummodo, quod superest, extra sortem erectionis -; alterum, - ut erogari valeant scuta centum viginti assignata, pro duabus Puellis de Terra Iovii, quae nubere velint in Domino, non concurrentibus de illa Terra Iovii Puellis de anno in annum, quae velint profiteri in Religione. Si autem una saltem Puella concurrat ex praedictis, unum subsidium dotale tantum scutorum sexaginta de anno in annum erogari valeat, pro constructione dictae Ecclesiae ad decennium - *in Amerina die 28 Septembris 1771* §. *Ad novam.*

144. Cepta hinc anno 1743 aedificatio est; sed, urgente necessitate maioris subsidii, Dux Matthaeius venditionem petiit Locorum Montium viginti, quae fundum constituebant unius ex dictis duobus subsidiis dotalibus. Idcirco, proposito dubio: - An et quomodo et quibus conditionibus sit concedenda facultas alienandi viginti Loca Montium hereditaria Barbarae Matthaei Bevilaqua in casu etc. -, S. Congregatio responsum tulit: - Affirmative cum onere reintegrandi Loca viginti Montium, ex multiplico faciendo cum fructibus aliorum viginti superextantium, non concurrente tamen quolibet anno Puella Terrae Iovii, quae velit in Domino nubere, et cum scutis quadraginta an-

nuis detrahendis ex salario Ludimagistri, post obitum praesentis, usque ad reintegrationem praedictam; in reliquis Episcopus procedat, prout de iure - *in Amerina die 15 Decembris 1764.*

145. Verum, quum ultra pretium dictorum viginti Locorum, in fabricam erogatum, deesset adhuc ad eius perfectionem summa scutorum 1506, idem Dux Matthaeius facultatem petiit alienandi Loca Montium iam ex multiplico comparata, nec non imponendi censum scutorum mille super Locis Montium viginti superextantibus, ut tandem aliquando perfici valeret Ecclesia. Proposito vero dubio: - An sit concedenda facultas alienandi Loca Montium confecta ex multiplico, itemque facultas imponendi censum scutorum mille super fructibus Locorum viginti superextantium, iuxta votum Episcopi, in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Dilata; et scribatur Episcopo, iuxta instructionem - *in Amerina die 16 Septembris 1769.*

146. Itaque Eminentissimi Patres novas Literas Episcopo Amerino dandas censuerunt, ut secerneret extantia capitalia Montis frumentarii et ulterius *dello Spiano* a quantitate eorumdem erectionis, nec non referret, quae frumenti quantitas Populi necessitati inserviret, quaeve superexcederet. Inquireret etiam de Communitatis viribus et de Populi facultatibus, an aliquam saltem sumptuum partem conferre posset, et demum, an alia adessent media, quibus necessitati Ecclesiae consuli posset.

147. Hisce omnibus quum modernus Episcopus plene satisfecerit, Dux proinde Matthaeius easdem repetiit preces. Inquit, dubium amplius non esse de totali defectu alterius cuiuscumque subsidii, deque Communitatis Populique impotentia. Tanta ideo urgente necessitate, rogavit, ut ad perficiendum Ecclesiae Parochialis aedificium, quod iamdiu iacebat imperfectum, tandem aliquando indulgeretur petita applicatio, cum reaedificatio Ecclesiae Parochialis, ut bonum publicum respiciens, melius utiliusque Opus Pium ceteris Operibus Piis semper sit anteponendum.

148. Episcopus ad novas Sacrae Congregationis Literas respondit, necessarias expensas pro Fabricae opere complendo exposcere summam scutorum 1600, nullumque in id subsidium sperari posse ex Montibus frumentariis, in Terra Iovii existentibus, utpote facultatibus lapsis et Accolarum indigentiae penitus imparibus; nec expedire eosdem imminui aut aboleri, ne alias Populus culturam agrosque inseminatos deserere et alio demigrare compelleretur.

149. Testatus est quoque, Communitatis proventus non modo exhauriri, sed etiam impares esse oneribus publicis subeundis, imo insigni debito scutorum octingentorum Communitatem gravatam esse; Parochiae vero reditus adeo tenues esse, ut ne decentem quidem congruam exhiberent. Parochianorum conditionem adeo miseram esse, ut, praeter operas manuales eousque etiam gratis praestitas, nequirent alterius contributionis gravamen subire. Sodalitia tandem nihil possidere, nullumque auxilium ferre posse. Conclusit proinde, unicum pro absolutione Ecclesiae Parochialis subsidium petendum esse ex Legato Locisque Montium Barbarae Matthaei. Hoc tam sancto, utili, ac necessario Opere piam Testatricis voluntatem pinguius impleri, simulque tum spirituali, tum temporali Ioviensium bono consuli. In id demum consensum praebere omnes interesse habentes nec non communitatem et incolae eiusdem Terrae.

150. Reproposito hinc dubio: - An et quomodo sit concedenda facultas alienandi Loca Montium confecta ex multiplico, itemque facultas imponendi censum scutorum mille super fructibus Locorum viginti superextantium in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative, iuxta modum; scilicet cum onere redintegrandi Loca Montium et extinguendi censum, iuxta modum et tempus ab Episcopo praefiniendum, cuius curae erit invigilare, ne quid superfluum in causam Fabricae impendatur, et pecuniae, quae necessariae fuerint in eam causam fideliter erogentur, reddita singulis annis coram Episcopo ratione, eique scribatur iuxta instructionem, facto verbo cum Sanctissimo - *in Amerina die 28 Septembris 1771.*

151. Praeterea, si bona fructus non reddant, nisi magnis cum expensis, legitima censetur causa alienandi *in Maceraten. Beneplaciti die 26 Augusti 1780* §. *Iura.*

152. Hinc, si Beneficium praediola huc illuc possidet, nec facile locari, nec eum reddere valent fructum, qui ex unico vel pluribus unitis praediis consequi poterit, in his terminis per-

mittitur alienatio *in Camerinen. die 15 Septembris* §. *Duo, et die 24 Novembris 1787 ad I Dubium.*

Item *in Asculana die 5 Iunii* §. *Terrulae et die 10 Iulii 1790* (1).

153. Proposito enim dubio: - An et quomodo sit locus emptioni venditioni praedii *Ciafone* in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Iterum proponatur - *in Asculana die 5 Iunii 1790.*

154. Reproposito dein dubio, S. Congregatio responsum dedit: - Affirmative, iuxta votum Episcopi - *in Asculana die 10 Iulii 1790.*

155. Namque utilius est, pretio praediorum, quae tenues reditus ferunt, bona emere, quae tot reditus praestent, quibus eleemosyna manualis Sacrorum, quae agi voluit Testator, solvi possit: unde bona potius distrahenda sunt, quam numerus Sacrorum minuendus *in Spoletana Capellaniarum die 14 Martii 1744* §. *Primo* (2).

156. Non conceditur vero facultas alienandi huiusmodi praediola huc illuc dissita, nisi praeter affixionem Edictorum, ut maiori Oblatori vendantur, investimentum expleatur in bonis stabilibus; namque, in casu tantum urgentis necessitatis ac ob defectum stabilium, quandoque permittitur investimentum etiam in censibus *in Camerinen. die 24 Novembris 1787.*

157. Enimvero Beneficio simplici, in suburbana S. Felicis martyris Camerini Ecclesia erecto, alia diversis temporibus unita fuerunt simplicia pariter tenuissimi reditus Beneficia octo. Onus ei erat annui Sacri ac manutentionis sacrarum Supellectilium. Haec vero unitis Beneficiis incumbebant: annuum quoque Sacrum Beneficio Sancti Blasii; menstruum Beneficio S. Apolloniae; tot Sacra, quot reditus, quinque aliis Beneficiis S. Mariae Magdalenae, S. Martini, S. Catharinae, SS. Ioannis, Hieronymi, et Ansovini, et Sanctissimi Crucifixi; idque ex Decreto edito a Camerinensi Episcopo, vigore facultatum Sacrae Congregationis anno 1707. Nullum octavo SS. Simonis et Iudae Beneficio onus prae maxima reditus tenuitate. Reductionem Missarum praefatis Beneficiis inhaerentium antecessores Rectores obtinuerunt: ac inde Sacerdos Perfectus Perfetti Congregationis Oratorii S. Philippi Nerei, modernus Beneficiorum possessor, duo a Sacra Congregatione postulavit anno 1781, facultatem scilicet alienandi inter se dissita illorum praediola, ad effectum investiendi pretium in uno vel pluribus unitis praediis, ac reductionem Missarum omnium ad centum annuum numerum, ne gravi cum incommodo investigare cogeretur pretia frugum, quae ex praediis colligebantur, ut pro intranti quantitate celebraret Sacra; prodiitque Rescriptum: - Episcopo pro informatione et voto, praevia Edictorum affixione, et referat, num adsit occasio investiendi pretium in bonis stabilibus, cum evidenti utilitate Beneficii. Quo vero ad reductionem, interim servetur illa, quae Canonico Pizzicanti fuit concessa -.

158. Utrique instantiae favebat in prima informatione Episcopus. Sed iterum a S. Congregatione requisitus, ut transmitteret unionis ac reductionum Decreta et oblationes, atque referret de annuo reditu et oneribus cuiusque Beneficii, omnia in secunda informatione adimplevit, resque ex posteriori Rescripto agenda erat in Folio. Variavit tamen Perfectus primam instantiam, ac facultatem petiit investiendi praediolorum pretium in tot censibus aut cambiis cum Locis Piis vel Communitatibus Status Ecclesiastici, eiusque novae petitioni pro censibus annuendum censuit in tertia informatione Episcopus, eo quod - investimentum in censibus cum Locis Piis vel Communitatibus Status Ecclesiastici aeque tutum videtur atque fructiferum, ac si in aliis terrenis investiretur -; addiditque parendo mandatis, - quod cum Beneficia praedicta non sint de iurepatronatus alicuius Personae, sed liberae collationis, nullus est, qui interesse habeat aut habere possit in re; unde et neminem audire potui -.

159. Tota igitur difficultas versabatur circa investimentum pretii. Namque permitti non debent cambia, quum species sint mercaturae, quae Clericis et Ecclesiae interdicta est (3).

(1) Innocentius III in Cap. *Cum Apostolica* 7, de his quae fiunt a Praelat. sine consens. Capit.; Cap. Super eo, §. fin. de reb. Eccles. alienan. vel non; probant Pignatell. consult. 95, n. 35, tom. 6; Schmier Iurispr. Canon. civil. lib. 3, tract. 1, part. 2, cap. 4, sect. 3, §. 1; Schmalzgrueb. cons. 91, §. 14; Layman. lib. 3, tract. 4, cap. 10, n. 3.

(2) Redoan. de reb. Eccles. alienan. vel non, pag. 124, n. 22 et seqq. pag. 252; Card. de Luc. de alienat. disc. 1, n. 47.

(3) Ut in Cap. fin. de vit. et honest. Clericorum, quod exornant De Grass. de effect. Clericat. effect. 6; Card. De Luc. de Camb. disc. 18, n. 4.

Census vero, licet aequiparentur stabilibus, eorumque nomine veniant (1), idoneum tamen pro Beneficio non videntur investimentum, quod iuxta Decreta de celebratione Missarum auctoritate Urbani VIII impressa anno 1625 fieri debet – in stabilia fructifera vera, non autem ficta: ut sunt Census –, ceu per haec verba monet Cardinalis De Luca (2). Maxime, quia faciendum erat pro celebratione Missarum, quibus singula fere Beneficia gravabantur. Saepe enim vetuit Sacra Congregatio huiusmodi investimenta in Censibus, qui pluribus de causis deficere possunt. Siquidem per modum legis statuit: - Census non reputari bona stabilia, ad effectum investiendi, pro celebratione Missarum - *in Fundana die 28 Ianuarii 1654 lib. 19 Decretorum pag. 319 a tergo.*

Item *in Firmana Oneris Missarum die 23 Iunii 1764.*

160. In casu praesertim, ubi nec urgebat, quod plures fundi Beneficiorum consisterent in Censibus. Aliud enim est iam existentes pro fundis Beneficiorum servare Census, aliud de novo creare; nec necessitas urgebat, ut statim venderentur praediola, quae idonei Beneficiorum fundi ab immemorabili tempore fuerunt; nec etiam constabat, de praesenti stabilium defectu: nam Sacra Congregatio annuit quidem quandoque pro investimento in Censibus, sed hoc fecit, ob defectum alterius investimenti, ut *in Neapolitana die 3 Augusti 1658 lib. 21 Decretorum pag. 337 a tergo:* ac idonea etiam praescripta fideiussione, ut *in Tarentina die 3 Augusti 1671 lib. 27 Decretorum pag. 174.*

161. Proposito hinc dubio: - I. An concedenda sit facultas alienandi praediola, de quibus agitur, et quomodo investiendum sit eorum pretium in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit; - Ad primum, Affirmative; praevia affixione Edictorum favore maioris Oblatoris in bonis stabilibus, et in eorum defectum etiam in Censibus cum Locis Piis et Communitatibus - *in Camerinen. die 24 Novembris 1787.*

162. Secus enim alienatio non permittitur, etiamsi fundus existat incultus, et Beneficiatus meliorem reddere nequeat, sed imo etsi ipse atque Episcopus utilem censeat venditionem hanc una simul cum emphytheusi trium vineolarum, ad Beneficium pertinentium *in Novarien. Beneplaciti Apostolici die 24 Martii 1821.*

163. Siquidem Presbiter Horatius Zannellotti postulavit a Sanctissimo facultatem ineundi contractum emphytheusis perpetuae cum Thoma Buslaghi de bonis, idest tribus vineolis Beneficii, quod ipse possidebat, erectum sub invocatione S. Catharinae in Collegiata S. Gaudentii Civitatis Novariensis, hisce sub conditionibus. Primo scilicet, ut Emphytheuta solveret Rectori Beneficii pro tempore annuum canonem scutorum quadraginta et obulorum quinquaginta; secundo, ut in se susciperet satisfactionem onerum, tum praesentium, tum quae postea imponerentur; tertio, ut excoleret unam ex praedictis vineolis, quae adhuc inculta manebat. Re ad Sacram Congregationem delata, datis ad Eminentissimum Episcopum Literis, eidem commisit, ut, audito Rectore Beneficii et praevia confectione Capitulorum et affixione Edictorum pro emphytheusi, ad tertiam vel quartam generationem masculinam tantum ineunda, referret de valore terrenorum per Peritum ex officio, et annuo reditu per novissimum decennium, ad monetam Romanam.

164. Propositis Edictis, nemo ad offerendum accessit, excepto Thoma Buslaghi, qui cum comperisset emphytheusim non futuram amplius perpetuam, sed ad tertiam vel quartam generationem masculinam tantum, renuit contractum hunc inire, nisi accederet etiam venditio cuiusdam tractus nondum exculti *Prazzone,* cuius pretium erat scutorum centum Romanorum, et reditus annuus scutorum sex, quodque Buslaghi rependeret post sex elapsos annos, solutis interim fructibus in singulos annos, ad rationem scutorum quinque. Eminentissimus Episcopus utilem censuit emphytheusim cum venditione praenominati *Prazzone* tractus nondum exculti, etsi conditio haec per Oblatorem apposita aliquam ingereret difficultatem (3).

165. At interim pro hac venditione non

(1) Cenc. de Censib. quaest. 30, n. 6; Barbos. de Episcop. Allegat. 95, n. 45; Card. De Luc. de Censib. disc. 17; n. 2.

(2) In disc. 21, n. 9 ad Concil. Trident.

(3) Episcopus de facto haec retulit, ut in §. *Eminentissimus* – ibi – Subsequuta est peritia ex officio per designatum a nobis hominem et probatum, qui omnibus rite perpensis retulit, contractum si statis conditionibus postea di-

fuerant publicata Edicta ad inveniendos Oblatores, quae quidem solemnitas nunquam praetermittitur, etiam si concurrat Ecclesiae utilitas, quae praesertim in venditionibus augeri potest, ex Oblatorum frequentia. Quum insuper ageretur de fundo inculto, et quem Beneficiatus meliorem reddere nequiret ex deficentia aquarum (quarum praedicto Thomae Buslaghi erat copia, quaeque deficiebat omnino Beneficiato) et quem Peritus valoris scutorum centum tantum aestimavit, perpendendum erat, num huic venditioni aptari posset notissimus Canon *Terrulas*.

166. Etenim in praefato Canone *Terrulas* sic statuitur: - Terrulas aut vineolas exiguas et Ecclesiae minus utiles aut longe positas parvas, Episcopus sine consilio Fratrum, si necessitas fuerit distrahendi, habeat potestatem -. Fagnanus quoque enumerans causas, unde licet Ecclesiae bona alienare, ad rem ait: - Alia est incommoditatis seu minoris utilitatis, ut quia res alienata est magis damnosa Ecclesiae, quam utilis, veluti cum alienantur terrulae vel vineolae incultae aut longe positae -.

167. His tamen non obstantibus, in themate propositis dubiis: - An et quomodo sit deliberanda emphytheusis in casu etc.

II. An et quomodo sit probanda venditio fundi *Prazzone* in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Ad primum et secundum, Dilata; et scribatur Eminentissimo Episcopo, pro nova affixione Edictorum pro unica Emphytheusi ad tertiam vel quartam generationem, tam vinearum, quam fundi Prazzone - *in Novarien. Beneplaciti Apostolici die 24 Martii 1821.*

168. Ceterum, cum utilitas manifesta sit, permitti alienatio debet, etiamsi Patroni repugnent, cum hac alienatione novaque emptione nullum detrimentum inferatur iuripatronatus *in Spoletana Capellaniarum die 14 Martii 1744* §. *Primo.*

169. Eoque amplius, quod, quum distractio bonorum ea fiat ratione, ut emptione aliorum bonorum parentur reditus, qui respondere possint numero Sacrorum quotannis agendorum, non dicitur isthaec vera alienatio, sed naturam induit permutationis et subrogationis bonorum, quae licet eo etiam casu, quo Testator alienationem prohibuisset, nam eam ipse voluisset Testator, si putasset bona, quae reliquerat, eo perventura, ut reditum praestare non possent, qui satis esset numero Sacrorum agendo, quem ipse iusserat operari *in Spoletana Capellaniarum die 14 Martii 1744* §. *Eoque* (1).

170. Ac praesertim, si de prorsus inutili domo agatur, deficerentque nummi ad eam restaurandam, nec pares impensae habere possent fructus; tunc enim facultas alienandi indulgetur *in Cornetana Suspensionis Oneris Missarum die 20 Septembris 1788* §. *Ex relatione et ad III Dubium.*

Item *in Faventina Alienationis die 18 Augusti 1792* §. *Tenuem et ad unicum Dubium* (2).

cendis iniretur, luculenter in non exiguam, cum Beneficii, tum Beneficiati, utilitatem cessurum. Quidni Patres Eminentissimi? Quippe Peritus deputatusque ad id muneris homo, cum sic docuerit bona in emphytheusim tradenda ex se et intrinsece constare Romanis scutatis circiter 720, ut eorum reditus annuus sit Romanorum scutorum circiter 38, patet profecto summam Romanorum scutorum quadraginta cum dimidio circiter, quam in annos singulos solvendam sponsione pollicetur Beneficiario quidam Thomas Buslaghi, qui et pluris obtulit, et quod magis est proprio aere, foenora et vectigalia pendere obligatur, et quidquid pro actis, peritia, rescriptis etc. Instrumento eiusque exemplaribus conficiendis par erit impendi, patet inquam in apertum Beneficii commodum vertere.

At non ita tamen res confecta absolutaque est, ut incundae supradictae emphytheusis contractui nulla adhuc difficultas suboriatur: nempe dictus Buslaghi ea tantum conditione contractum inire contendit ad quartam usque generationem, ut simul cum emphytheutico et alter venditionis contractus fiat. Opere pretium est noscere Beneficii agrum constare etiam tractu satis lato inculto sentibusque consito, quem Peritus aestimavit Romanis scutis circiter centum, eiusque reditum esse scutorum circiter sex. Hunc sane tractum si obtineret Buslaghi, non longe deductis aquis, quarum ipsi est copia, quod nullo modo fieri per Beneficium posset, mire ingeniosum ad segetes redderet. Id ut impetret per Eminentias Vestras Thomas Buslaghi enixe efflagitat Beneficiarius Zannellotti, quo impetrato, Beneficii utilitati suique commodo consultum esset -.

(1) Arg. ex Text. in Cap. *Nos quidem* 3, de testament.; disserunt Palma in Alleg. 327, n. 57 et seqq.; Peregrin. de fideicomm. art. 40, n. 41; Card. De Luc. de fideicomm. disc. 273, n. 18; Menoch. de praesumpt. lib. 6, praesumpt. 137, n. 39 et seqq.

(2) Innocentius III in Cap. *Cum Apostolica* 7, de his quae fiunt a praelat. sine consens. Cap., quem sequuntur Pignatell. consult. canon. 95, n. 35, tom. 6; Schmier iurispr. canon. lib. 3, tract. 1, part. 2, cap. 4, sect. 3, §. 1; Schmalzgrueb. cons. 91, §. 14.

171. Hinc cum res sit de fragili commutanda domo, in tutiora capitalia, maiores fructus reddentia, alienatio indulgeri assolet *in Maceraten. die 14 Martii* §. *Agitur, et die 4 Aprilis 1789 ad I dubium.*

172. At ita quandoque facultates alienandi indulsit, ut etiam unico contextu fieret investimentum *in Bononien. Beneplaciti die 28 Martii 1744.*

173. Solet propterea Sacra Congregatio, quoties, necessitate urgente, alienationes bonorum permittit, depositum veluti tutorio iure continuo demandare, proportionabiliter ad valorem bonorum, quae alienantur, et ad vires Patrimonii, quod alienationem patitur, ut ita tandem Piae Causae conditioni atque integritati consultum maneat *in Ceriniolen. Alienationis Bonorum die 25 Ianuarii 1851* §. *Quatenus.*

174. Nam Sacra Congregatio in ea fuit sententia, ut investimentum pretii, ex venditione retracti, fieri deberet in bonis stabilibus *in Camerinen. die 24 Novembris 1787 ad I dubium.*

Item *in Maceraten. die 4 Aprilis 1789 ad II dubium.*

175. Idcirco investimentum permitti non debet in cambio *in Camerinen. die 15 Septembris 1787* §. *Tota.*

176. Nam, quum cambia species sint mercaturae, Clericis et Ecclesiae interdicta est *in Camerinen. die 15 Septembris 1787* §. *Tota* (1).

177. Census vero licet aequiparentur stabilibus, eorumque nomine veniant *in Camerinen. die 15 Septembris 1787* §. *Tota.*

Item *in Asculana die 7 Iunii 1788* §. *Quatenus* (2).

178. Idoneum tamen pro Beneficio non videntur investimentum *in Camerinen. die 15 Septembris 1787* §. *Tota.*

Item *in Asculana die 7 Iunii 1788* §. *Quatenus.*

179. Praesertim, si Testatoris accedat voluntas, qua in casu alienationis bonorum, nova in fructiferis praediis mandavit investimenta, quae sane absque iusta et necessaria causa commutari non debet *in Asculana die 7 Iunii 1788* §. *Quatenus.*

180. Unde Sacra Congregatio alienationem, concurrente utilitate Capellaniae, permittit quidem, sed investimentum in stabilibus demandare solet, quum praeter voluntatem Testatoris etiam Patroni obsistant *in Asculana die 21 Iunii 1788.*

181. Siquidem Capellaniam moriens instituit Caesar Tibaldeschi annui reditus scutorum circiter quinquaginta cum hebdomadali onere Missarum sex ad Altare SS. Crucifixi Ecclesiae Parochialis S. Victoris Asculi, reservavitque ius nominandi Capellanum certo Parochianorum Ordini. Quamlibet fieri vetuit Missarum reductionem diminutionem translationem, et in casu alienationis bonorum nova in fructiferis praediis mandavit investimenta. Hereditaria Asculi erat domus, in qua Maria Raimondi, usufructuaria Tibaldeschi heres, phtysi decessit. Eam hac de causa nemo conducebat, gravique opus erat sumptu, ut sine periculo habitari posset. Eminentissimos Patres igitur rogavit Vincentius Ventura Capellaniae possessor, ut illam vendere, pretiumque in aliis bonis stabilibus, vel consignativum censum investire liceret, prodiitque die 16 Iunii 1787 Rescriptum: - Episcopo, pro informatione et voto, praevia Edictorum affixione favore maioris Oblatoris, cum onere solvendi fructus compensativos, donec inveniatur investimentum -.

182. Exposita confirmavit Asculanus Antistes, retulitque, quod, - demandata Edictorum affixione, unicus Oblator comparuit, qui scuta sexcentum quinquaginta obtulit, cum obligatione solvendi fructus compensativos ad rationem scutorum quatuor pro quolibet centenario et anno, donec in bonis stabilibus pecuniae investimentum reperiatur -. Addidit rursus, quod - iuxta Peritorum iudicium, domus valor est scutatorum 648 et obulorum 7 *(seu iuxta exhibitam peritiam scutorum 643. 07)* et pro eadem in partibus necessariis resarcienda et reparanda, ut deinde locari possit, summa scutorum 48 et obulorum 90 requiritur: qua facta restauratione, retulerunt iidem Periti, pensionem annuam domus ascendere posse ad scuta 18-. Et in haec demum verba conclusit: - Hisce in circumstantiis, quum ex venditione domus cum

(1) Cap. fin. de vit. et honest. Clericor. quod exornant De Grass. de effect. Clericat. effect. 6, n. 1; Card. De Luc. de camb. disc. 18, n. 4.

(2) Cencius de Censib. quaest. 30, n. 6; Barbos. de Episcop. allegat. 95, n. 45; Card. De Luc. de Censib. disc. 17, n. 2.

onere solvendi fructus compensativos, isti in summa oblata 650 annuatim summam constituant 26, et e contra ex annua locatione domus scuta 18 retrahi tantum possint ex Peritorum relatione, dubitari nequit de utilitate alienationis in casu, quo annui reditus investimenti in posterum faciendi correspondeant fructibus compensativis. Eoque magis, quum circa infectionem dictae Rosae vera sint exposita, qua de causa nullus usque adhuc repertus est, qui illam conducere valeat -.

183. Instantiam deinde variavit Orator, petiitque facultatem investiendi pretium domus in consignativo censu, tum quia Peritorum testimonio aucta nimis erant in viciniis Asculanae Civitatis rusticorum praediorum pretia, tum quia uberiores ex censu habebantur fructus. Res ad folium remissa fuit cum clausula citata Parte, attento *Nihil transeat,* per Exequutores testamentarios apposito. Hoc vero ob finitum eorum munus per Decretum lacerato, Oratori per supplicem libellum restiterunt Parochiani, seu Capellaniae Patroni.

184. Perniciosam Capellaniae asseruerunt Parochiani venditionem domus oblato pretio (quod per errorem supponebant scutorum 850) eo quia illius valor ad maiorem ascendebat summam scutorum 885; ideoque permittendam non esse, ex censura Textus in Extrav. *Ambitiosae* de rebus Ecclesiae non alienandis. In hypothesi vero, quod utilis esset, nec permitti debere contenderunt censuale investimentum pretii, spernique praeceptum Testatoris de investienda pecunia in stabilibus, contra monitum Sacri Concilii Tridentini Cap. 6 sess. 22 de Reformatione.

185. Propositis hinc dubiis: - I. An sit locus venditioni domus in casu etc. *Et quatenus affirmative.*

II. An investiendum sit pretium in stabilibus, seu potius in censibus, itaut sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative; iuxta votum Episcopi. Ad secundum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam - *in Asculana die 21 Iunii 1788.*

186. Etenim ad id Iuris etiam obstat dispositio *in Asculana die 7 Iunii 1788* §. *Quatenus.*

187. Iuxta quippe Decreta de celebratione Missarum, auctoritate Urbani VIII impressa anno 1625, fieri debet in bona stabilia fructifera vera, non autem ficta, ut sunt census *in Firmana Onerum Missarum die 2 Iunii 1764* §. *Rursus.*

Item *in Camerinen. die 15 Septembris 1787* §. *Tota* (1).

188. Praesertim, si faciendum sit pro celebratione Missarum, quibus singula fere Beneficia gravantur *in Camerinen. die 15 Septembris 1787* §. *Maxime.*

189. Saepe enim vetuit Sacra Congregatio huiusmodi investimenta in censibus, qui pluribus de causis deficere possunt *in Camerinen. die 15 Septembris 1787* §. *Maxime.*

Item *in Asculana die 7 Iunii 1788* §. *Quatenus; in Maceraten. die 14 Martii 1789* §. *Quatenus.*

190. Siquidem per modum Legis Sacra Congregatio statuit: - Census non reputari bona stabilia ad effectum investiendi pro celebratione Missarum - *in Fundana die 28 Februarii 1654 lib. 19 Decretorum pag. 319 a tergo.*

Item *in Policastren. die 17 Augusti 1726* §. *Contendunt; in Camerinen. die 15 Septembris 1787* §. *Maxime.*

191. Immo in Firmana oneris Missarum die 23 Iunii 1764, licet Testator iussisset, - che i suoi nepoti debbano mettere a censo scudi 500 presso idonea persona ad effetto che colli frutti di quelli si mantenga un Capellano, che celebri ogni giorno -, proposito tamen dubio: - an et quomodo fundus Capellaniae quotidianae sit constituendus in bonis stabilibus valoris scutorum 500, sive in censibus in casu etc.-, S. Congregatio respondit: - Affirmative, et constituendum esse fundum in bonis stabilibus - *in Camerinen. die 15 Septembris 1787* §. *Maxime.*

192. Quin inde urgere valeat, quod fundi Beneficiorum in parte consistant in censibus *in Camerinen. die 15 Septembris 1787* §. *Maxime.*

193. Aliud enim est iam existentes pro fundis Beneficiorum servare Census, aliud de novo creare *in Camerinen. die 15 Septembris 1787* §. *Maxime.*

194. Amplia, in casu etiam, quo, si originarii spectentur Capellaniarum fundi, quandoque incongruum non esse videtur Censibus addere

(1) Card. De Luc. ad Concil. Tridentin. disc. 21, n. 9.

Census, qui stabilibus aequiparantur *in Maceraten. die 14 Martii 1789* §. *Quatenus.*

195. Nihilominus permissi quidem quandoque fuerunt, sed in defectum investimenti, in stabilibus *in Neapolitana die 3 Augusti 1658 lib. 21 Decretorum pag. 337 a tergo.*

Item *in Camerinen. die 15 Septembris 1787* §. *Annuit, die 24 Novembris eiusdem anni 1787; in Asculana die 7 Iunii 1788* §. *Quatenus; in Maceraten. die 14 Martii 1789* §. *Quatenus.*

196. Ac idonea etiam praescripta fideiussione *in Tarentina die 8 Augusti 1671 lib. 27 Decretorum pag. 174.*

Item *in Camerinen. die 15 Septembris 1787* §. *Annuit.*

197. Praescriptum insuper fuit, ut investimentum fieret in Censibus cum Locis Piis et Communitatibus *in Camerinen. die 24 Novembris 1787 ad I Dubium.*

198. Immo quandoque in Censibus cum Locis Piis et Communitatibus Status Ecclesiastici, arbitrio Episcopi investimentum praescripsit *in Maceraten. die 4 Aprilis 1789.*

199. Iamvero duplicem anno 1758 in Ecclesia Patrum Praedicatorum Maceratae ad Altaria B. M. Virginis Rosarii et S. Dominici laicalem instituit Capellaniam Sebastianus Mancini e Saxoferrato. Nonnullos Priori assignavit census in sorte scutorum 900, cum onere hebdomadalium Missarum quatuor diebus dominicis et sabbati ac feria tertia et quinta. Alios census in sorte scutorum 800 posteriori, cum onere hebdomadalium pariter Missarum trium feria secunda, quarta et sexta. Activum utriusque patronatum reliquit eius heredi, seu, ut asserebatur, Antonio eius fratri et Iosepho nepoti (1), suamque domum cum adnexis domunculis et viridario in Maceratensi destinavit Civitate, pro habitatione unius et alterius Capellani (2).

200. Ex asserta nominatione Antonii Mancini utramque Capellaniam possidebat Dominicus eius filius. Apud Patrem tamen in Oppido Saxoferrato, quadragesimo a Macerata lapide degens, viridarium et domum locavit. Pensio erat scutorum triginta; sed ordinariis detractis collectis, annua supererant scuta 25. 50, vel quid minus, ob assuetas instaurationes et dislocationes. Sacram idcirco adiit Congregationem, pro facultate vendendi domum et viridarium, et investiendi pretium in consignativis censibus: confectaque peritia et affixis ex praescripto Edictis, aestimatus fuit fundus in scutis 1313. 71, ac unus pro eo Franciscus Brunelli scuta obtulit 1350, cum promissione solvendi compensativos fructus scutorum quatuor in singula centum, quousque novum fieret investimentum. Venditioni assentiebantur Capellaniarum Oeconomus, a Rev. S. Petri Fabrica deputatus, et Exequutor testamentarius, dummodo pretium in stabilibus investiretur. Eam tamen per assuetum *Nihil transeat* visa est impugnare velle Olimpia Mancini Galeotti, licet iterum atque iterum interpellata, in contumacia persisteret. Episcopus autem, collata aestimatione fundi eiusque fructu cum maiori oblato pretio ampliorique reditu, venditionem ut supra petitam expedire censebat. Decennem non exhibebat illius statum, quia domus praedicta per aliquot annos haud fuit subiecta locationi. Et despiciendam autumabat contradictionem Olimpiae, tum ob evidentem alienationis utilitatem, tum quia - res est non de iure ad Capellanias, sed de venditione domus eisdem assignatae.

201. Propositis hinc dubiis: - I. An sit locus venditioni domorum cum hortulo in casu etc. *Et quatenus affirmative.*

II. An et quomodo fieri debeat investimentum in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Affirmative in bonis stabilibus; sin minus in censibus cum Locis Piis et Communitatibus Status Ecclesiastici, arbitrio Episcopi - *in Maceraten. die 4 Aprilis 1789.*

202. Nec non quandoque praescripsit Sacra Congregatio, ut Census reditum redderent scutorum 4. 50, pro quolibet centenario *in Faventina die 18 Augusti 1792.*

203. Proposito enim dubio: - An et cuius favore sit stipulandum instrumentum in ca-

(1) Sub hac tamen lege, ut in §. *Duplicem* - ibi - di dover sempre preferire i Figli ed altri Successori della Famiglia e Casa, con potersene questi servire anche per Patrimonio Sagro -.

(2) Scilicet, ut in §. *Duplicem* - ibi - Con facoltà di poter annolare le dette Case qualora non volessero abitare essi Cappellani, intendendo di aggiungere io queste Case ed annessi per capitale dell' una e l'altra Cappellania, di modo che ne abbia appartenere il ius ed il frutto ad uno egualmente che all' altro -.

su etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Affirmative, favore Silvestri Lega ad formam eius oblationis, et assignatis pro summa scutorum 8000 tot censibus cum Locis Piis seu Communitatibus Status Ecclesiastici annui reditus scutorum 4.50 pro quolibet centenario et anno, salvo iure vigesimae et sextae - *in Faventina Alienationis Bonorum die 18 Augusti 1792.*

204. Praeterea, ex sacrorum Canonum censura, satis causae etiam est, cur alienatio bonorum Ecclesiae fieri possit, ut scilicet inopiae Pauperum succurratur *in Senogallien. Reintegrationis die 15 Ianuarii 1803* §. *Prae munere.*

Item *in Urbinaten. Nullitatis Contractuum die 18 Augusti 1804* §. *Contra* (1).

205. Praesertim, si constet, publicum Aerarium fuisse exhaustum et difficilem vectigalium exactionem, et pecuniam dare mutuam voluisse neminem *in Urbinaten. Nullitatis Contractuum 18 die Augusti 1804* §. *Contra.*

206. Quare, si fames imminebat, si ex hac multitudinis concitatio pertimeri poterat, si non alio modo quam fundorum alienatione pecunia ad emendum frumentum conquaeri poterat, iusta censetur causa alienandi *in Urbinaten. Nullitatis Contractuum die 18 Augusti 1804* §. *Contra.*

207. Siquidem urbs Senogalliae in proximo tunc bellorum tumultu saepe transitum exterorum Militum, saepe stationem ferre coacta est, itaut extrema annonae caritate laboraverit. Cum iam ad comparandum frumentum multa pecunia singulis Civibus esset imperata, nec tamen publica fames posset depelli, commotus est Eminentissimus Episcopus, et a Summo Pontifice veniam impetravit, ut bona ecclesiastica in hanc causam alienarentur ad scuta viginti millia, ea tamen lege, ut a Communitate Senogalliae rependerentur scuta quatuor in singula centum illis Ecclesiis Locisque Piis, quae suorum bonorum alienationem ferrent. Hinc Magistratus Civitatis anno 1801 sciente et probante Episcopo pro ratione bonorum, quae Loca Pia possidebant, hanc summam scutorum viginti millium statis quotis partiti sunt. Quo vero facilius bona venderentur et praesens pecunia haberi posset, venum exposuerunt nonnullarum Sodalitatum fundos, ita tamen, ut - per il di più della propria rata saranno queste reintegrate dagli altri Luoghi Pii, che non hanno soddisfatto al loro dovere -, ut ex Edicto, sive *Notificazione,* quae tunc vulgata erat *in Senogallien. Reintegrationis die 15 Ianuarii 1803.*

208. Quin imo Sacra Congregatio, durioribus in terminis, ob huiusmodi causam, alienationem bonorum Ecclesiae probavit *in Urbinaten. Nullitatis Contractuum die 18 Augusti 1804.*

209. Enimvero, Civitas Urbini vix mense Iunii anni 1799 e publica perturbatione rerum evaserat, in summam annonae caritatem incidit. Qui huic rei praeerant *Provisorii Deputati* quantitatem rubrorum bismillium tritici ab Hungaria exportandam mandarunt, pro qua requirebatur impensa scutorum quatuordecim millium. Rati vero, quod hanc pecuniae vim nec domi congerere possent ex imperato singulis contributo nec foris ex foenore conducere, deprecati sunt ab Episcopo Isauriensi Delegato Apostolico, ut pro summa scutorum duodecim millium sibi liceret bona vendere, quae spectabant ad Canonicos Regulares S. Augustini et Patres Carmelitas Excalceatos, in proximo illo tumultu a Civitate et Monasteriis eiectos. Id nisi impetrassent, profitebantur, publicam tranquillitatem temeritate concitatae multitudinis periclitari, cum ipsi nec publicae annonae alio modo consulere possent, nec pretium solvere quantitatis frumenti, quam propediem ab Hungaricis oris adventantem praestolabantur.

210. Quamquam Delegato Apostolico gravissima haec postulatio videretur, attamen cum ipse nec temporis satis haberet, ut exposita comperta habere posset, censuit in re trepida, *e valutando sopra tutto il pericolo di sollevazione popolare,* negocium omne Archiepiscopo committere, cui opportunum pro petita alienatione dedit facultatem, certis circumscriptam conditionibus (2). Nihilominus quod Archiepiscopus Urbinatensis iam antea semel ite-

(1) Can. *Aurum* 70, dist. 12, quaest. 2; Turricell. de reb. Eccles. alien. vel non, cap. 16, n. 20; Piton. discept. eccles. 96, n. 24; Zanch. de Laesion. cap. 7, n. 105.

(2) Quae conditiones legebantur in eius Epistola diei 22 Februarii 1800, ut in §. *Quamquam* - ibi - Scilicet, primum *verifichi la sussistenza di quanto viene esposto, senza di che io non saprei indurmi giammai alla richiesta grazia,* eidemque in mandatis dedit, et nosceret, num alio modo huic necessitati occurri posset. Deinde *deve esa-*

rum iterumque, tum a S. Poenitentiaria, tum ab ipso Delegato Apostolico generales facultates exorasset, pro approbanda alienatione bonorum Ecclesiae; attamen ad venditionem fundorum, qui ad Canonicos Regulares et Carmelitas spectabant, processit ex peculiaribus facultatibus ad hanc rem eidem tributis.

211. Ex triplici capite deduxerunt Canonici Regulares et Patres Carmelitae nullitatem Contractuum. Primum, quia probata non fuit causa, ob quam concessae fuerunt facultates, pro his bonis alienandis. Nam contenderunt, quod nulla fuerit annonae angustia et periculum, ne Populus concitaretur, quorum intuitu Delegatus facultatem concessit, *valutando sopra tutto il supposto pericolo di sollevazione.* Ex nonnullorum siquidem testimonio probare studuerunt, quod in publicis horreis erant segetes et in aerario pecuniae. Quare, cum falsum detegatur id, quod fuerat in precibus expositum, nullitate inficiuntur alienationes. Secundum nullitate arguerunt alienationes, quippe neglectae fuerunt *le solite forme,* quas Delegatus servandas voluit. Nam arctati erant termini vigesimae et sextae, quos Benedictina Constitutio praescribit. Rursus, quia nec pactum redimendi appositum, nec breve tempus assignatum, ad Religiosos redintegrandos. Tertium, quia bona vendita non fuerunt *per il giusto valore,* ut Delegatus iusserat. Nam praediorum valor ex fructibus a Peritis aestimatus fuit, et fructuum pretium taxatum ad *tariffam,* quae vigebat abillinc viginti octo annis. Quare iusto inferior fuit Peritorum aestimatio. Deinde, licet pretium a Peritis taxatum fuerit in pecunia argentea, attamen solutio facta fuerat ita, ut unum scutum argenteum tresdecim Iuliis responderet. Unde, inito calculo, demonstrarunt laesionem, quae ad irritandas alienationes bonorum Ecclesiae, satis esse dixerunt in sexta parte, cum Ecclesia beneficio Minoribus concesso utatur (1).

212. His tamen non obstantibus, propositis dubiis: - An constet de nullitate contractuum quoad Canonicos Regulares S. Augustini in casu etc.

II. An constet de nullitate Contractuum quoad Patres Carmelitas in casu etc. *Et quatenus negative ad secundum.*

III. An et quomodo sit servanda oblatio sextae in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum et secundum, Negative. Ad tertium, Affirmative - *in Urbinaten. Nullitatis Contractuum die 18 Augusti 1804.*

213. Hinc, et ut Fratrum indigentiis succurratur, iusta causa censetur, ut ordo S. Francisci alienare possit bona mobilia et immobilia Fratribus, sub modo licito relicta *in Ordinis S. Francisci die 18 Martii 1719* §. *At.*

214. Immo res sacrae mobiles, titulo pietatis, alienare licet, absque Beneplacito Apostolico *in Pisana die 30 Augusti 1851* §. *Cum super.*

215. Res autem sacrae immobiles nunquam vendi emique possunt, neque oppignorari, absque Beneplacito Apostolico *in Pisana die 30 Augusti 1851* §. *Cum super* (2).

216. Itque, concurrentibus necessitate ac utilitate erigendi Hospitale ibique infirma Christi membra excipiendi curandique, S. Congregatio indulsit Beneplacitum Apostolicum ad effectum, ut Ordinarius huiusmodi in finem cedere posset etiam Ecclesiam Parochialem cum adnexa domo, atque ipsam Ecclesiam Parochialem, ad id commode ac utilius etiam in bonum Parochianorum obtinendum, dimembraret *in Pisana die 30 Augusti 1851.*

217. Enimvero iamdiu optaverant Municipes Petrae Sanctae in Archidiaecesi Pisana Hospitale erigere, ubi exciperentur et curarentur aegroti, qui, ob maximam a Nosocomiis vicinioribus distantiam et viarum difficultatem, absque Medicis, et quandoque etiam spiritualibus subsidiis, decedebant. Opportunis-

minare, se per l'accennato bisogno occorra in realtà la somma di scudi dodici mila. Tertio, *prima di venire alla progettata alienazione dovrà tentarsi, se possa bastare invece la semplice ipoteca degli enunciati beni.* Tum, si omnino necessaria esset alienatio, *dovranno precedere alla vendita le notificazioni per invitare alle offerte, sicchè non si alienino i beni all'uso militare, ma secondo le solite regole, e per il giusto valore. Fra le quali condizioni di simil vendita si procurerà, che abbia luogo di poter redimere dentro un certo tempo li beni, che verranno distratti.* Tandem praescribitur *l'obbligo di reintegrare al più presto, che sarà possibile le due Case Religiose,* quae obligatio a publico Consilio legitimis omnibus impletis esset suscipienda -.

(1) Uti firmant Doctores, quos colligit Zanch. de Laesion. part. 1, cap. 7, n. 164.

(2) Hanc distinctionem ponit Card. Petra in Commentar. adductis Auctoritatibus in §. 24 et 25.

*

simam ad hoc sibi dein oblatam occasionem putarunt, ob mortem interim obventam Parochi SS. Salvatoris, cum haec Ecclesia, prope moenia Civitatis sita cum adnexa domo Parochiali et altera colonica et circumiacentis terrae frustulis, plenam exhiberet commoditatem erigendi Hospitalis, cum omnibus ad id necessariis aedificiis. Ab auctoritate itaque Pisani Archiepiscopi, titulo venditionis, et iusto exhibito pretio, quaesiverunt haec omnia ipsis cedi. Sed Archiepiscopus, re intimius perpensa, cum sibi ad hoc deesse facultates consideraret, Municipum preces ad Sanctam Sedem transmisit, suoque voto roboravit.

218. Aiebant in precibus Municipes, necessariam esse erectionem Hospitalis, et nullum alium locum opportunum in Civitate et Viciniis adesse, praeter hanc Ecclesiam SS. Salvatoris, cum aedificiis adnexis. Addebant, nullum ex cessione damnum obventurum Causae Piae et animarum curae; imo maxima commoda, ex illa atque ex consequenti suppressione illius Paraeciae, derivatura prospiciebant in Cives, nec non in industres illos et benemoratos Agricolas, non modo ob curam Aegrotorum in erigendo Hospitale, sed ob facilem institutionem duplicis Paraeciae, loco unius SS. Salvatoris hinc supprimendae, quae propter nimiam amplitudinem et soli inaequalitatem, cum pars iaceret in planitie et pars maior in monte, nequibat ab uno Rectore commode procurari; proponebant igitur, ut cura animarum divideretur inter proximam Ecclesiam S. Francisci, a Fratribus Minoribus veteris observantiae pie et diligenter administratam, et alteram, quae ampliato Oratorio S. Caroli in loco *Capriglia* super colle in novam Paraeciam erigi apte posset, demandata eidem cura superioris et montanae regionis, quae longius distabat ab actuali Paraecia, et ab altera Franciscanorum, quae prope illi erat, et cui reliqua, quae in inferiori parte regionis degebat, Populi cura posset committi, divisa inter Coenobium et novum S. Caroli Parochum dote satis ampla existentis iam Ecclesiae SS. Salvatoris.

219. Instabant igitur Municipes Petrae Sanctae, ut facultates darentur Archiepiscopo, ut ipsis cederet Ecclesiam SS. Salvatoris cum adnexis Parochialibus aedibus et domo colonica cum fundi rustici parte aliqua necessaria, pro meliori novi Hospitalis erectione, et cederet quoque Oratorium S. Caroli cum parva, quae iam a Capellano habitabatur, domo, ut nova ibi a Communitate erigeretur et commodior Parochialis domus prope Oratorium, quod ita ampliari ab ipsa et ornari deberet, ut Populo excipiendo et curae exercendae aptissimum fieret iuxta peritias, cura et expensis Communitatis confectas, tam pro constituendo pretio cedendorum aedificiorum et terrae adiacentis, quam pro iusta aestimatione novorum operum in loco *Capriglia* conficiendorum. Non exhibebantur aestimationes: sed Archiepiscopus quasi indicem earum porrigebat in folio suo primo epistolio incluso. Differre rem putavit S. Congregatio, exquisito ab Archiepiscopo accuratiori voto, post confectas novas fundorum aestimationes, per Peritos ex officio deputandos, et voto exquisito Advocati Fiscalis illius Curiae, auditisque quoque Patribus de Observantia Conventus S. Francisci nec non Capellano S. Caroli. Paruit mandatis S. Congregationis Archiepiscopus, et relationem porrexit diligentissimam Advocati Fiscalis, qui, rem totam bene perpendens, et necessitatem erigendi Nosocomii, et utilitatem dividendae Paraeciae, et opportunitatem denique demonstravit earum rerum omnium, quae Communitas Petrae Sanctae per praecedentes preces ab Sancta Sede imploraverat. Addidit aestimationem a Peritis Viris confectam, et votum adiunxit Guardiani Conventus S. Francisci, qui oneri Paraeciae (reportata etiam Provincialis annuentia) lubens annuit, aliquid tantum mussitans de exiguitate oblatae sibi annuae praestationis scutorum sexaginta.

220. His itaque perpensis, etsi in themate deficeret consensus Capituli et Capellani S. Caroli ad nutum amovibilis, propositis dubiis: – I. An quomodo et sub quibus conditionibus annuendum sit cessioni Ecclesiae SS. Salvatoris et Oratorii S. Caroli cum adnexis respective domibus ac terrulis favore Municipii ad effectum erigendi Hospitale in casu. *Et quatenus affirmative.*

II. An et quomodo sit locus suppressioni Paraeciae SS. Salvatoris novaeque Paraeciarum erectioni earumque respectivae divisioni in casu.

III. An et quomodo dividenda et applicanda sint bona favore novarum Paraeciarum in casu –, Sacra Congregatio respondit: – Ad pri-

mum, Affirmative; et emissa per Communitatem obligationem aedificandi domum Parochialem in loco *Capriglia* et amplificandi et ornandi pro usu Paraeciae Ecclesiam S. Caroli infra tempus ab Archiepiscopo definiendum, dandam esse Archiepiscopo facultatem, tum cedendi libere Communitati Ecclesiam Sanctissimi Salvatoris cum domo Parochiali pro usu Hospitalis, tum constituendi super pretio fundorum rusticorum et domus colonicae censum favore Causae Piae ad rationem scutorum quatuor cum dimidio in singula centum. Ad secundum, Affirmative; iuxta votum Eminentissimi Relatoris et Archiepiscopi. Ad tertium, Affirmative; iuxta votum Eminentissimi Relatoris, et iuxta modum: nempe, assignatis scutis centum Paraeciae Regularium, reliqua bona tribuantur, pro dote Paraeciae Sancti Caroli in *Capriglia,* facto super omnibus verbo cum Sanctissimo - *in Pisana die 30 Augusti 1851.*

221. Non facile tamen facultas alienandi Patrono tribuitur ex paupertate, cui enim succurri solet, ex fructibus *in Asculana die 5 Iunii 1790* §. *Alienare* (1).

222. Altera inde causa, qua bonorum Ecclesiae alienatio permittitur, est evidens eiusdem Ecclesiae seu Loci Pii utilitas *in Maceraten. Beneplaciti die 26 Augusti 1780* §. *Iura.*

Item *in Beneventana die 4 Aprilis 1789* §. *Permittitur; in Bononien. die 11 Maii 1793* §. *Tunc; in Usellen. die 20 Iulii 1793* §. *Subrogatio* (2).

223. Revocata idcirco concessione per Ordinarium illegitime facta, Sacra Congregatio, ob evidentem Loci Pii seu Seminarii utilitatem, alienationem rei infructiferae permisit *in Theatina Alienationis die 5 Martii 1735.*

224. Enimvero, quum olim Seminarius Theatinae Diaecesis Ecclesiam quamdam haberet sub titulo S. Angeli, in Oppido Fossacecae iamdudum erectam, quae pluribus abillinc annis penitus diruta atque collapsa reperiebatur, solum, in quo eadem Ecclesia constructa fuerat, una cum eius ruderibus et muribus aliqua adhuc ex parte superextantibus, primum ab Archiepiscopo Capesio sub annum 1721, ut asserebatur, concessum fuit Petro de Cruce, deinde vero sub obtentu, quod idem solum ad Seminarium pleno adhuc iure spectaret, a moderno Archiepiscopo, nullo persoluto pretio, cessum est anno 1727 Iosepho Andreae Sisto Archipresbitero dictae Terrae Fossacecae, tributa illi facultate, memoratam Ecclesiam reaedificandi cum reservatione iurispatronatus laicalis favore eiusdem Archipresbiteri, sui Nepotis ac istius Descendentium in infinitum.

225. At ii, quibus recta Seminarii administratio incumbebat, inde autumantes, praedictas concessiones utpote Beneplacito Apostolico ceterisque Solemnitatibus, ad validam bonorum Ecclesiae distractionem a iure praescriptis, destitutas, quin etiam cum manifesto eiusdem Seminarii detrimento peractas, sustineri non posse, petierunt ab Sacra Congregatione, sibi fieri potestatem, ut solum praedictum, ex quo nullus percipiebatur fructus una cum annexis parietibus, vel libere venderentur, vel annua perpetui Canonis solutione in emphytheusim concedi liceret. Sacra autem Congregatio volens prius de hac re edoceri, iussit Archiepiscopo, ut quidquid significandum occurreret, praevia Edictorum affixione, referret.

226. Edictis itaque iuxta praeceptum affixis, unicus intra illorum terminum comparuit Oblator Matthaeus Pulzonus, qui pro habendis in emphytheusim dictis solis et muris in eo, quo reperiebantur statu, obtulit annuum perpetuum Canonem duarum librarum cerae albae, pro illorum vero emptione, quatenus ea sibi vendi vellent, centum ducatos Regni.

227. Ut haec oblatio acceptaretur, institerunt Administratores Seminarii asserentes, eam in evidentem illius utilitatem cedere, quum duo Periti, iussu Vicarii Generalis praecedenter examinati, interposita iurisiurandi religione testati fuerint, praedictum solum et antiquas Ecclesiae parietes non excedere valorem ducatorum 62 cum duobus carolenis, quemdam vero murum, a praefato Archipresbitero Andrea Sisto propriis sumptibus ibidem post praedictum Sacrae Congregationis Rescriptum et adversus iteratum Archiepiscopi praeceptum novissime constructum, nonnisi ad alios viginti octo ducatos ascendere. Sed quia oppositorem se praebebat Archipresbiter, qui, iactans, se

(1) Concil. Toletan. IV, Can. 38, relat. in Can. *Quicumque,* C. 16, quaest. 7, quem Clemens III renovavit in cap. *Nobis,* de iurepatronat.

(2) Arg. ex Can. *Sine exceptione,* Caus. 12. quaest. 2; Cap. *Ut super* 8, de reb. Eccles. alienan. vel non.

legitimo reportatae cessionis nomine usque ab anno 1727 reperiri in possessione situs controversi, nullam de oblatione a Pulzone facta rationem habendam esse contendit. Archiepiscopus, qui praemissam facti seriem retulit, totus in eo fuit, ut concessionem a se factam Archipresbitero validam esse tueretur; addens praeterea, ab isto bona fide fuisse reaedificatam Ecclesiam, erectum Beneficium, et dotem in annuis ducatis sex cum dimidio usque ab initio oblatam reipsa constitutam.

228. Propositis vero dubiis: – I. An concessiones, de quibus agitur, sustineantur in casu etc. *Et quatenus negative.*

II. An sit locus alienationi situs, de quo agitur, in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, Affirmative; ad effectum vendendi pro pretio centum ducatorum Regni, qui investiantur in stabilibus favore Seminarii, et amplius – *in Theatina Alienationis die 5 Martii 1735.*

229. Repropositis dein dubiis, sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, reservato iure Archipresbitero super praelatione; et amplius – *in Theatina Alienationis die 10 Septembris 1735.*

230. Scitissimum quippe est, bona Ecclesiae vel Piae Causae subiecta haud esse alienanda, nisi concurrente evidenti utilitate *in Albanen. seu Romana Contractus die 16 Septembris 1854* §. *Primo.*

231. Quae sane utilitas in alienatione rerum Ecclesiae evidens esse debet et certa *in Terracinen. et Setina die 23 Ianuarii 1790* §. *Potissimum* (1).

232. Quam enim evidentem utilitatem Sacri Canones requirunt in alienationibus et quasi alienationibus bonorum Ecclesiae, iuxta notissimam Extravagantem *Ambitiosae* de rebus Ecclesiae non alienandis *in Nucerina Emphytheusis die 8 Augusti 1818* §. *At vero.*

233. At, ea concurrente, non obstat Extravagans *Ambitiosae* inter communes de rebus Ecclesiae non alienandis; nam ab ea passim receditur, quando alienatio in evidentem vergit Ecclesiae utilitatem *in Veliterna Permutationis die 3 Augusti 1771* §. *Hanc* (2).

234. Maxime, si res sit de permutatione, quae improprie tantum alienationis nomine intelligatur, nec ulla fiat iniuria aut Apostolicis Constitutionibus, aut Testatoris voluntati, cum nihil intersit, num ab uno potius, quam ab altero fundo idem emolumentum Ecclesia percipiat *in Veliterna Permutationis die 3 Augusti 1771* §. *Hanc.*

235. Ac eo vel magis, si utilitas habeatur, tum ex reditus augmento, tum ex qualitate bonorum, quae in permutatione exhibentur, cum magis tuti esse videntur Census et Loca Montium, quam quidquid retrahi potest aut ex pretio aut ex pensionibus domus, quae vel decremento, vel amissionis periculo sunt obnoxiae *in Veliterna Permutationis die 3 Augusti 1771* §. *Hanc.*

236. Hinc facultas ineundi contractus permutationis facile concedi posse videtur, si domus saepe dislocationibus obnoxia sit, si difficile admodum sit a Pauperibus illius conductoribus pensiones exigere, si etiam plurimum pro sarcitionibus impendi debeat *in Veliterna Permutationis die 3 Augusti 1771* §. *Administratores.*

237. Idcirco, evidenti Ecclesiae utilitate concurrente, emphytheuticus permittitur contractus, vel quaelibet alia bonorum Ecclesiae alienatio *in Senogallien. Emphytheusis die 18 Septembris 1790* §. *In genere* (3).

238. Immo, si prohibita est emphytheusis perpetua, non tamen desunt exempla, in quibus iusta concurrente causa, et constito de evidenti Ecclesiae utilitate, Sacra Congregatio a perpetua emphytheusi non abhorruit *in Collen. Emphytheusis die 11 Aprilis 1818* §. *Quod* (4).

239. Et evidens Ecclesiae utilitas adesse censetur, si canon annuam superet Conductoris pensionem *in Nucerina Emphytheusis die 18 Septembris 1790* §. *In genere.*

(1) Arg. ex Text. in can. *Sine exceptione,* caus. 2, quaest. 2; Extrav. *Ambitiosae,* de reb. eccles. non alienan.; Card. Petra in Comment. ad Constit. Paulinam incipien. *Ambitiosae,* sect. 5, n. 16, tom. 5.

(2) Cap. 1 de reb. Eccles. alienan. vel non; Dec. consil. 142, n. 1, vol. 2.

(3) Clement. I, de reb. Eccles. non alienan.; cap. *Ad aures,* de reb. Eccles. alien. vel non.

(4) Ceu quippe ostendit exemplum in Privernen. Emphytheusis 16 Iunii 1787.

Cetera Vid. in Verb. *Emphytheusis.*

Item *in Anconitana Emphytheusis die 14 Augusti 1824* §. *Nihil.*

240. Procul enim dubio meliorem evadere Beneficii conditionem, ex annui Canonis augmento, *in Anconitana Emphytheusis die 14 Augusti 1824* §. *Nihil.*

241. Ad maiorem autem dimetiendam utilitatem, non maior dumtaxat canonis quantitas, sed aliquae etiam spectandae sunt conditiones, quae meliorem coniunctim reddant oblationem *in Senogallien. Emphytheusis die 18 Septembris 1790* §. *In genere* (1).

242. Hinc, in concedenda emphytheusi, prae ceteris spectanda est Oblatorum qualitas, isque praeferri debet, qui opibus ac bona praestat fide *in Senogallien. Emphytheusis die 18 Septembris 1790* §. *Magis* (2).

243. Pluries Sacra Congregatio constituit, utilem esse illius emphytheusis contractus canonem, qui respondet fructibus *in Nucerina Emphytheusis die 8 Augusti 1818* §. *Sed* (3).

244. Nec utilitas deficere videtur, si sexta fructuum pars Emphytheutae commodo relinquatur *in Nucerina Emphytheusis die 8 Augusti 1818* §. *Sed imo* (4).

245. Immo quandoque etiam affrancatio, sive per Summaria precum, sive ex audientia Sanctissimi concessa fuit *in Feretrana die 18 Iulii 1789* §. *Directi.*

Item *in Feretrana die 25 Iunii 1791* §. *Res.*

246. Similem affrancandi veniam passim indulsit Sacra Congregatio *in Fulginaten. 5 Iulii 1738.*

Item *in Feretrana die 2 Aprilis et 30 Iulii 1757 et 6 Martii 1779.*

247. Necessaria tamen censetur evidens Ecclesiae utilitas, ut permittatur *in Feretrana die 18 Iulii 1789* §. *Directi.*

Item *in Feretrana die 25 Iunii 1791* §. *Res* (5).

248. Nam directi dominii abdicatio est vera alienatio *in Feretrana die 18 Iulii 1789* §. *Directi.*

Item *in Feretrana die 25 Iunii 1791* §. *Res* (6).

249. Deliberandum tamen est de affrancationis pretio *in Feretrana die 18 Iulii 1789* §. *Directi.*

250. Utile dominium, ac per consequens etiam directum, in dimidia parte valoris fundi, aliqui Doctores constituunt *in Feretrana die 18 Iulii 1789* §. *Directi.*

Item *in Fulginaten. die 29 Augusti 1789* §. *In expendenda* (7).

251. Sacra Congregatio quandoque affrancandi veniam indulsit, ad taxam scutorum decem, in singula centum, valoris bonorum *in Feretrana die 25 Iunii 1791* §. *Res.*

252. Proposito enim dubio: - An et quomodo sit locus affrancationi bonorum in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Affirmative, iuxta votum Episcopi - *in Feretrana die 18 Iulii 1789.*

253. Episcopus quippe eo in casu censuit, scuta ad summum decem in singula centum pro reliquis praediis exigi posse *in Feretrana 18 Iulii 1789* §. *Directi.*

254. Quandoque hanc veniam absolute denegavit *in Fulginaten. die 29 Augusti 1789.*

255. Praesertim, cum ageretur de concedenda indefinita facultate affrancandi alia emphytheutica praedia, quorum qualitates ignorabantur *in Fulginaten. die 29 Augusti 1789.*

256. Siquidem, proposito dubio: - An quomodo et pro quibus praediis sit concedenda facultas affrancandi in casu etc. -, S. Congregatio responsum dedit: - Negative in omnibus - *in Fulginaten. die 29 Augusti 1789.*

257. Hinc, si ex Transactione redituum augmentum obveniret, facile eam etiam ineundi facultas conceditur *in Balneoregien. Benepla-*

(1) Arg. ex Text. in Leg. 5, §. Melior autem, ff. de in diem addict.; Card. De Luc. de iudic. disc. 40, n. 69; Campell. ad Constit. ducat. Urbin. decret. 33, n. 91 et seqq.

(2) Arg. ex Text. in Leg. *Si quis stipulatus* 112, §. fin. ibique Gloss. verb. *quoque*, ff. de verbor. obligat.; Campell. ad Constit. ducat. Urbin. decret. 33, n. 94 et seqq.; Rot. in Romana affictus 2 Iunii 1761, §. 16, coram Herreras.

(3) Ut edixit in Firmana Emphytheusis 15 Ianuarii 1791; in Ripana 23 Novembris 1793.

(4) Ceu videre est in Pistorien. seu Praten. Emphytheusis die 21 Novembris 1761; in Privernen. Emphytheusis die 16 Iunii 1787; in Toletana Reductionis 7 Septembris 1805.

(5) Clement. I, de reb. Eccles. non alien.; Fagnan. in cap. *Nulli*, de reb Eccles. alien. vel non, n. 8 et 27.

(6) Pinell. in Leg. 1, part. 3, n. 45, Cod. de bon. matern.; Grat ian. discept. foren. cap. 476, n. 16; et cap. 846, n. 8 et seqq.

(7) Rosent. de feud. cap. 11, concl. 12, n. 3; Peregr. de iur. Fisc. lib. 5, tit. 1, de publication. bonor. n. 71.

citi Apostolici die 27 Maii 1826 §. Utilitatem.

258. Ubi enim contractum in evidentem Ecclesiae utilitatem vergere constat, S. Congregatio illum Beneplacito Apostolico roborare solet *in Bononien. Alienationis die 11 Maii 1793 §. Tunc.*

Item *in Beneventana Beneplaciti Apostolici die 24 Ianuarii die 1829 §. Decernere.*

259. Utilis vero censenda est Transactio, si per illam Transigentes finem imponunt litibus, tam ortis, quam orituris, quae mutuae vexationis mutuique dispendii causa fuerunt, ac per tempus fortasse diuturnum erunt futurae *in Perusina Transactionis die 20 Decembris 1823 §. Iustam* (1).

260. Praesertim, si agatur de Transactione, quae lites praecidit inter Ecclesiasticas personas, nam huiusmodi Transactiones saepe probavit Sacra Congregatio *in Senogallien. Permutationis die 20 Februarii 1802 §. Quoad.*

261. Hinc et timor litis iusta censetur causa, qua facultas permutandi seu alienandi indulgetur *in Ravennaten. Legati die 25 Aprilis 1789 §. Advertere.*

Item *in Asculana die 5 Iunii 1790 §. Alienare* (2).

262. Immo, quum de Ecclesiae utilitate constet, tunc conceditur sanatio, et suppleri potest defectui Apostolici Beneplaciti *in Collen. Emphytheusis die 11 Aprilis 1818 §. At vero.*

Item *in Vercellen. Emphytheusis et Absolutionis die 13 Februarii 1819 §. Ex quibus; in Perusina Transactionis die 20 Decembris 1823 §. Transactionis* (3).

263. Unde alienationes, quae necessitatem vel evidentem utilitatem praeseferunt, non rescinduntur, immo ratae habentur *in Fanen. Absolutionis et Sanationis Contractus die 22 Martii 1823 §. Nec bona* (4).

264. Utilis etiam ex causa censetur ea alienatio, quae fit ab Ecclesia, ob iustam gratitudinem et meriti remunerationem, erga ipsam praestiti *in Strigonien. die 17 Decembris 1718 §. Additur.*

265. Id praesertim dicendum, cum alienationem seu donationem, ex bonis suae Mensae Episcopalis, favore sui Capituli Ordinarius facere studeat *in Strigonien. die 17 Decembris 1718.*

266. Siquidem Emus et Rmus Dominus Cardinalis Archiepiscopus Strigoniensis S. Caesareae Maiestati supplicavit, pro obtinendo Diplomate, quo perpetuis futuris temporibus Archiepiscopi Strigonienses titulo et dignitate Principum Sacri Romani Imperii potirentur, eodemque obtento, erogata summa viginti millium florenorum, aliquid peragere statuit, nedum in tanti beneficii memoriam, sed in suffragium animae suae, et pro incolumitate Augustissimae Domus Austriacae.

267. Ex reditibus itaque Mensae Episcopalis ascendentibus ad annuos sexaginta mille circiter florenos rhenenses decrevit, ut perpetuis futuris temporibus mille floreni quotannis solverentur ab Archiepiscopis Strigoniensibus Capitulo Ecclesiae Metropolitanae, ea imposita lege, ut, Canonici celebrare deberent singulis mensibus duas Missas solemnes, alteram nempe pro incolumitate Domus Austriacae, alteram pro refrigerio et suffragio animae suae; ita tamen, ut ex Missis pro incolumitate Domus Austriacae celebrandis, duae essent votivae de Venerabili Eucharistiae Sacramento, cum eiusdem expositione; et, ut eo tutius haec pia voluntas exequutioni mandaretur, addidit, quod hypothesi, in qua sui in Archiepiscopatu Successores praedictos mille florenos solvere recusarent, liberum esset Capitulo sine iuris strepitu eorum satisfactionem consequi ex nonnullis decimis, ad Mensam Archiepiscopalem spectantibus, nullo alio adhibito iudicio, quam duorum Nobilium Comitatus Nitriensis, ut latius ex instrumento desumebatur.

268. Fuit haec pia voluntas notificata Sacrae Cesareae Maiestati, quae eam libentissi-

(1) L. 1 Cod. de pact.; L. Si ea, Cod. de usur.; Abb. in cap. 1, n. 2, de Transact.; S. Congreg. in Firmana Concordiae 21 Novembris 1807; in Montis Alti Transactionis 20 Februarii 1808.

(2) S. Congreg. in Fanen. Permutationis 16 Iunii 1787; in Ravennaten. Legati 25 Aprilis 1789 ad 1 dubium.

(3) Thesaur. quaestion. foren. 37, n. 2, lib. 3; Card. De Luc. de alienat. disc. 1; Rot. in decis. 350, n. 18, part. 5 Recent.; S. Congreg. in Collen. Emphytheusis 2 Maii 1818; in Beneventana Beneplaciti Apostolici die 24 Ianuarii 1829 atque passim.

(4) Arg. ex Can. *Si qua de rebus*, Caus. 12, q. 2; Abb. in cap. *Diversis fallaciis*, n. 6, de Cleric. Coniug.; Engel. de reb. Eccles. non alienan.

me acceptavit. Fuit eadem notificata Capitulo, quod pariter libentissime acceptavit. Quumque Eminentissimus et Reverendissimus Dominus Cardinalis Archiepiscopus Strigoniensis Summo Pontifici supplicaverit, pro Apostolica confirmatione a se in fundatione expresse reservata, fuerunt a Sanctitate Sua preces remissae ad Sacram Congregationem, quae rescripsit: – Eminentissimo et Reverendissimo Cardinali Tanario, qui dignetur rem perpendere et votum suum Sacrae Congregationi Concilii aperire –.

269. Eminentissimus et Reverendissimus Dominus Cardinalis Tanarius munus sibi commissum strenue de more adimplevit, et fuit in sensu pro confirmatione fundationis; licet enim res esset de alienatione, agebatur nihilominus de Episcopi alienatione seu donatione ex bonis suae Mensae Episcopalis, favore sui Capituli, in quo rerum statu, vel solemnitas non est necessaria (1), vel alienatio seu donatio talis naturae et indolis reputatur, ut confirmationem Apostolicam mereatur, quemadmodum in terminis perpetuae applicationis annuorum scutorum 876 ab Episcopo Liperitano subtractorum ex reditibus suae Mensae Episcopalis, pro constituendis quotidianis distributionibus, dividendis inter Canonicos et Dignitates suae Ecclesiae, respondit Sacra Congregatio die 18 Septembris 1683, non obstante, quod ad effectum praedictum constituendarum distributionum alius modus fuerit a Sacro Concilio Tridentino insinuatus in Sess. 21 Cap. 3, et Sess. 22 Cap. 3 de Reformatione.

270. Addebatur, non deesse sufficientem pro dicta alienatione causam; quum enim notorium esset, magnam dignitatis accessionem in Archiepiscopos Strigonienses derivare a titulo Principis Sacri Romani Imperii, quo decorabantur, et hanc novam dignitatem non parum prodesse, ut ipsius Ecclesiae Strigoniensis negotia in Aula Caesarea felicius expedirentur, hinc erat, satis constare de merito Augustissimi Imperatoris, qui Archiepiscopos dicto insigni decoraverat honore, nec non de merito Eminentissimi et Reverendissimi Archiepiscopi, qui gratiam praedictam a Caesarea Maiestate impetraverat, non ut sibi consuleret, cum Principis Sacri Romani Imperii titulum pro suo sanguine obtinuerit, sed ut Ecclesiam suam suosque in Archiepiscopatu Successores novis cumularet honoribus, itaut de causa in re et ad affectum, de quo agebatur, sufficienti non videretur a primo ad ultimum esse dubitandum, cum utilis, ex causa censeatur, ea alienatio, quae fit ab Ecclesia, ob iustam gratitudinem et meriti remunerationem, erga ipsam praestiti.

271. Proposito hinc dubio: – An sit locus confirmationi Apostolicae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative, iuxta modum – *in Strigonien. die 17 Decembris 1718.*

272. Regula Iuris Canonici vero est, ut, ad dignoscendum, utrum contractus sit nec ne Ecclesiae utilis, inquiri debeat tempus conciliati contractus *in Nucerina Emphytheusis die 8 Augusti 1818* §. *Quae.*

Item *in voto Eminentissimi Ercolani in causa Pisauren. Emphytheusis die 18 Martii 1820* §. *Atque* (2).

273. Nonnulli hinc putant, utilem adeo esse debere Ecclesiae contractum, ut lucrare debeat tertiam partem supra certum annuum fructum, vel saltem aliquid minus arbitrio Iudicis *in Portuen. Nullitatis Contractus die 27 Aprilis 1816* §. *Praeterea* (3).

274. Idcirco ex eventu de contractuum utilitate iudicandum non est, sed ex circumstantiis, quae erant tempore, quo initi fuerunt *in Mathelicen. Sanationis die 1 Martii 1817* §. *Observandum* (4).

275. Hinc ad metiendam laesionem probari debet annuus fructus bonorum de tempore initi contractus *in Portuen. Nullitatis Contractus die 27 Aprilis 1816* §. *Ad laesionem* (5).

276. Unde ope restitutionis in integrum rescindendus est contractus, cum Ecclesia, quae Minorum et Pupillorum privilegiis utitur, laesa

(1) Uti probat Textus in cap. *Ut super*, de reb. Eccl. alienan. vel non; et late prosequuntur Oldrad. cons. 182; Turricell. de reb. Eccles. non alien. cap. 15, n. 77 et seqq.; Boscul. in Controv. feudal. cap. 4, n. 49, post Card. De Luc. de Feudis; Rot. in decis. 756, n. 3 et 4, part. 1 divers.

(2) Ita saepius respondit Rot. praesertim in decis. 365, n. 10, coram Duran.; in decis. 252, n. 14, coram Herzon.

(3) Corrad. in prax. dispens. apostol. lib. 9, cap. 4, n. 52; Zanch. de Laesion. part. 1, cap. 7, n. 97.

(4) Rot. in decis. 283 coram Dunozet.; in decis. 48, n. 7 coram Herrera.

(5) Pacion. de Locat. et Conduct. cap. 19, n. 46; Rot. in Romana Laesionis 27 Iunii 1672, §. Nam, coram Troia.

sit in sexta parte *in Portuen. Nullitatis Contractus die 27 Aprilis 1816* §. *Praeterea* (1).

277. Et multo magis, si laesa fuisset ultra medietatem *in Portuen. Nullitatis Contractus die 27 Aprilis 1816* §. *Praeterea.*

278. Ceterum de utilitate constare videtur, habita ratione ad tenuitatem responsionis, quae ex locatione fundorum Piae Causae usque adhuc obvenit, qui ubi divenditi fuerint ex oblato pretio utili investimento collocando, maior pecuniae reditus sperari potest *in Albanen. seu Romana Contractus die 16 Septembris 1854* §. *Primo.*

279. Ideoque Beneplacitum Apostolicum denegandum non esset *in Albanen. seu Romana Contractus die 16 Septembris 1854* §. *Primo* (2).

280. Hinc utilius est pretio bonorum, quae tenues reditus ferunt, bona emere, quae tot reditus praestent, quibus voluntas Testatoris magis apte impleri potest *in Spoletana Capellaniarum die 14 Martii 1744* §. *Primo.*

281. Bona propterea sunt potius distrahenda, quam numerus Sacrorum per Testatorem praefinitum minuendus *in Spoletana Capellaniarum die 14 Martii 1744* §. *Primo* (3).

282. Quapropter in oblationum concursu ea utilior censenda est et admittenda, quae respondet causae rationi et fini, ob quas fit alienatio *in Spoletana Capellaniarum die 14 Martii 1744* §. *Altero* (4).

283. Quin obstare possit Patronorum oppositio; nam, cum utilitas manifesta sit, permitti alienatio debet, etiamsi Patroni repugnent *in Spoletana Capellaniarum die 14 Martii 1744* §. *Primo.*

284. Praesertim, cum hac alienatione et emptione nullum detrimentum inferatur iuripatronatus *in Spoletana Capellaniarum die 14 Martii 1744* §. *Primo* (5).

285. Immo, cum utilitas manifesta sit, tum ex maiori pretio venditione reducendo, tum ex maiori reditu bonorum emendorum, omnis ratio postulat, ut non spectato Substituti dissensu, gratiae alienationis sit indulgendum *in Bononien. Beneplaciti die 14 Martii 1744* §. *Compendium* (6).

286. Idcirco nec praeceptum Testatoris de non alienando etiam cum breve Apostolico obstare videtur, cum huiusmodi prohibitio tanti ponderis non est, ut Pontificis animum a concessione facultatis alienandi retrahere valeat, si contractus noscatur Ecclesiae profuturus *in Veliterna Permutationis die 3 Augusti 1771* §. *Neque.*

287. Nam, quando magna Ecclesiae utilitas habeatur, immutari debere videtur *in Veliterna Permutationis die 3 Augusti 1771* §. *Bonorum.*

Item *in Regien. Permutationis die 3 Iulii 1784* §. *Permittitur.*

288. Praesertim, si Testatoris prohibitio expressa ac directa non sit, sed sub generali omnium bonorum comprehendatur, ita ut in consilium resolvi videatur *in Veliterna Permutationis die 3 Augusti 1771* §. *Neque.*

289. Verum pluries Sacra Congregatio facultatem etiam permutandi denegavit, sive quia prohibitio Testatoris obstabat, sive quia magna Ecclesiae utilitas deficiebat *in Veliterna Permutationis die 31 Augusti 1771.*

Item *in Regien. Permutationis die 24 Iulii 1784.*

290. Atque deesse videtur utilitas in alienatione, si pretium sit aestimatione minus, eiusque solutio in annos dilata *in Ariminen. Venditionis die 15 Septembris 1792* §. *Urget* (7).

291. Quin imo alienationem quandoque Sacra Congregatio denegavit, etsi magna utilitas

(1) Nicol. prax. Can. de locat. n. 10; Zanch. de Laesion. part. 1, cap. 7, n. 144.

(2) Can. *Exceptione*, caus. 12, quaest. 2; cap. *Ut supra*, §. fin. de reb. Eccles. alienan. vel non; S. Congreg. in Maceraten. Beneplaciti 26 Augusti 1780; in Ravennaten. Legati 25 Aprilis 1789 ad 1 dubium.

(3) Redoan. de reb. Eccles. non alienan. pag. 124, n. 22 et seqq. pag. 253, n. 5; Card. De Luc. de Alienation. disc. 1, num. 47.

(4) Arg. ex Leg. *Eum, qui emit*, §. fin. ff. de in diem adiect.; monent Amat. decis. March. 67; et alii apud Mangill. de subhast. quaest. 133, n. 2 et seqq.

(5) Felin. in cap. *Cum accessisset* col. 7, de Constit.; Anchoran. cons. 220; Redoan. de reb. Eccles. non alienan. pag. 180, n. 1 et seqq.; Garz. de benef. part. 7, cap. 1.

(6) Arg. ex Text. in Can. *Sine exceptione* 52, caus. 12, quaest. 2; in cap. *Ut super*, §. Possessiones, de reb. Eccles. alienan. vel non; tradunt Redoan. de reb. Eccles. non alien. quaest. 20, n. 54; Barbos. de iur. Eccles. lib. 3, cap. 30, n. 13; Card. Petra ad Constit. 1 Divi Leonis Magni, sect. 4, n. 183; Sperell. decis. 154, n. 15, 16 et 85.

(7) L. 1, §. Diem, ff. de eden.; Rub. in adnot. ad dec. 636, n. 48 et seqq. part. 4, tom. 3 Recent.

in promptu demonstraretur, atque maior Capituli pars interesse habentis enixe eam expostularet *in Colonien. die 24 Augusti 1744.*

292. Iamvero combusta, incertum fortuito incendio, an illato, Villa Zur Furth, quae iuris erat Capituli Collegiatae Ecclesiae S. Cuniberti Coloniae, censuere Canonici non expedire, ut iterum aedificaretur (quod tamen prius placuerat, et ob id tigna materiemque omnem paraverant), sed eius agros Colonis partiariis esse locandos. At, omni licet adhibita cura, nullus sese obtulit Conductor: empturum se quidem illam spopondit Buschmannus, Metropolitanae Coloniensis Ecclesiae Canonicus. Indicto igitur speciali Capitulo die 7 Aprilis 1741 unanimes convenerunt, ut eidem venderetur, auditaque inde sententia Advocati, quem vocabant Syndicum Capituli, placuit iterum omnibus, ut venderetur, et de pretio cum Emptore transigeretur.

293. Tres huic venditioni sese inde constituerunt contradictores Canonici Oell, Sandt, et Schelebusch; duo primi Capitulis omnibus affuerant, non vero tertius. Quum igitur obtulisset Emptor *Imperiales* 4358, die 22 Iunii eiusdem anni, rogati Canonici, quid ea de re fieri placeret, censuerunt omnes, ipsis laudantibus Oell et Sandt, iustum esse oblatum pretium, et Villam Buschmanno vendendam esse, atque hoc negocii Decano Capituli dederunt, ut utilitatem Ecclesiae monstraret Officiali Coloniae, curaretque, ne quid a tribus Canonicis, qui litem inferre minabantur, apud eum fieret, quominus venditio perfici posset. Implevit Decanus mandata, et post libellum, quo rationes utilitatis huius venditionis complexus, mensurationem edidit agrorum Villae, quam fecerat publicus Geometra, et pretium iis datum a Scabinis loci, quibus monstrabat, iustum esse pretium a Buschmanno oblatum Imperialium 4358.

294. Quum tamen Officialis, qui, tribus Canonicis postulantibus, Capitulo venditionem vetuerat, huiusce rei cognitionem suscepisset, metuens Capitulum, ne, lite longius protracta, nullum interim Villa, non locatis agris, redderet fructum, censuit die 2 Septembris 1741 omnium Canonicorum consensu, ipsoque probante Oell, ut donec quaestio de venditione detineretur, agri Villae Colonis partiariis locarentur; quae res ita Officialem commovit, ut decreverit, agros non esse locandos, donec singuli Capitulares a Tabellione rogati declararent, an locationi consensum praestiterint. Sed Capitulum huic Decreto parendum non putavit, et duxit, esse appellandum. Iudex vero, spreta appellatione, sententiam tulit, qua damnavit Capitulum, ut aedificium Villae combustae iterum extrueret, eamque uni tantum Conductori locaret. Appellavit igitur Capitulum ad A. C.; sed, cum inde Canonicus Buschmannus ad augendam Ecclesiae utilitatem summam oblatam auxisset obtulissetque, se Villam empturum Imperialibus quinque millibus, atque hoc amplius se soluturum annuos Imperiales tres in singula Imperialium centena, donec pretium Villae in alia bona posset a Capitulo novari, et, ut aiunt, investiri, optimum visum erat, preces offerre Sacrae Congregationi, pro Beneplacito Apostolico: auditoque, ut moris est, Vicario Generali, postulavit Capitulum contra duos Canonicos Schelebusch et Sandt, nam Oell post secundam auctae summae oblationem liti cesserat, venditionem S. Congregationis auctoritate probari.

295. Utilitas enim et necessitas Ecclesiae, quae duae faciunt, ut bona ecclesiastica distrahi possint, alienationem hanc permittendam, suadebant: necessitas quidem, quod Villa incursionibus et intributionibus Militum frequentia bellorum vastabatur, quod bis iam incendio fuerat absumpta; utilitas vero, quod Villa locata eatenus fuerat ad duodecim annos pensione annua viginti Malderorum Silignis, et spatio septuaginta annorum ab anno scilicet 1667 ad annum 1737, vel ob intributiones militares, vel ob aquarum inundationem, vel ob sterilitatem, remissiones plures Colonis factae fuerant, ut cum a Capitulo percipi debuissent Maldera 1400, non perceperit, nisi Maldera 890, ut constabat e libris Capituli; atque ita, facta distributione Malderorum, singulis annis dignoscebatur, accepisse Capitulum paulo amplius, quam duodecim Maldera, quum viginti ex locationum contractu accipere debuisset. Et si adhuc integra viginti Maldera singulis annis accepisset, reditus tamen non excessisset annuas Imperiales sexaginta, ut, re comperta, ipse tradebat Vicarius Generalis in epistola sua.

296. Contra vero, quam Buschmannus offerebat, summa quinque millium Imperialium, etsi usuras tantum redderet annuas trium Imperialium in singula centena, haberet tamen Capitulum annuum reditum centum quin-

quaginta Imperialium, ut utilitas Ecclesiae pene in demonstrationem abiret, et si adiungeretur, Capitulum liberari ab incursionibus et intributionibus militaribus, liberari ab onere, sarcta tecta servandi aedificia Villae, liberari ab onere et impensis litium, quae frequenter agi debebant contra Dominos vicinorum praediorum, liberari a debito tercentum Imperialium, quod contrahendum erat, ut reparari et restitui posset aedificium igne absumptum, et demum posse lucrifacere tigna aedificiorum, quorum pretium erogandum esset in solutione debiti duo centum Imperialium, quod contraxit in emptione materiae et lignorum, quae ad aedificiorum restaurationem paraverat, amplius profecto de apertissima Ecclesiae utilitate ab aequo quolibet iustoque rerum Aestimatore dubitari non poterat. Id agnoscebat universum Capitulum, id agnovit Canonicus Oell, qui liti cesserat, agnoverunt tandem et ipsi Schelebusch et Sandt, qui fassi sunt, venditionem in palpabile Ecclesiae emolumentum redundare, licet litem deserere noluerint.

297. His tamen non obstantibus, proposito dubio: - An Beneplacitum Apostolicum sit concedendum in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Negative, et amplius - *in Colonien. Beneplaciti die 29 Augusti 1744.*

§. V.

ALIENATIO BONORUM ECCLESIAE QUOAD SOLEMNITATES ET QUANDO ILLAE NON REQUIRANTUR VEL SANENTUR.

1. Semper Ecclesia ecclesiasticorum bonorum venditionem improbavit; et, nonnisi solemnitatibus legibusque statutis, vendendi fecit potestatem *in Comen. Reductionis Missarum die 22 Iunii 1822* §. *Semper.*

2. Hinc, ne bona Ecclesiae temere dissipentur, Solemnitates requirunt Sacri Canones in illorum alienatione, quae si omissae fuerint, suo omnino robore carent Contractus *in Fanen. Absolutionis et Sanationis Contractus die 22 Martii 1823* §. *Ne* (1).

3. Constitutionem autem omnium celeberrimam edidit Paulus II, aliorumque etiam Pontificum auctoritate roboratam, cuius initium *Ambitiosae* de rebus Ecclesiae non alienandis, qua Praedecessorum prohibitiones atque decreta confirmavit, nec non Contractus ipsos, Solemnitatibus destitutos, nullius valoris vel momenti declaravit *in Comen. Reductionis Missarum die 22 Iunii 1822* §. *Edidit.*

4. Immo quilibet Contractus, qui speciem alienationis rerum, aut iurium praeseferat, quique fiat in rebus ecclesiasticis erogandis, nisi volitae a canonicis sanctionibus intercedant Solemnitates, quarum altera in Beneplacito Apostolico, altera in evidenti necessitate, vel ipsius causae utilitate versatur, plane interdicitur, irritusque declaratur *in Novarien. Transactionis die 20 Ianuarii 1821* §. *Porro* (2).

5. Etenim hae Solemnitates iure praescribuntur, ne bonis Ecclesiarum detrimentum irrogetur, neque alicui subsint potestati, praeterquam ipse Deus constituit *in Novarien. Transactionis die 20 Ianuarii 1821* §. *Porro.*

6. Nefas propterea est, ex Extravaganti *Ambitiosae* de rebus Ecclesiae non alienandis, bona Ecclesiae vendere, nisi concurrente legitima causa, evidenti Ecclesiae utilitate, et Apostolico Beneplacito, quae nisi coniunctim concurrant, irrita prorsus est bonorum Ecclesiae alienatio *in Camerinen. Alienationis die 17 Decembris 1814* §. *Quaeritur* (3).

7. Hinc omnino irritus censendus est Contractus, si initus fuerit, vel absque Beneplacito Apostolico, vel cum damno Ecclesiae *in Urbevetana Emphytheusis die 13 Septembris 1806* §. *Postulat.*

8. Quae enim duo, sive coniunctim, sive divisim concurrant, irritant prorsus bonorum Ecclesiae Contractus *in Urbevetana Emphytheusis die 13 Septembris 1806* §. *Postulat* (4).

9. Hinc omnia Solemnia, in bonis Ecclesiae

(1) Reiffenst. in ius canon. lib. 3, tit. 13, §. 3, n. 52 et 66.

(2) Urceol. quaest. 25; Rot. in decis. 459, n. 2, coram Durand.; et passim S. Congregatio.

(3) Card. Petra in comment. ad Constit. apostol. Pauli II, tom. 5, pag. 398, n. 1.

(4) Redoan. de alien. rer. Eccles. quaest. 51; Card. Petra in Comment. ad Constit. Apostol. tom. 1, constit. 1, sect. 3, n. 66; Rot. in Firmana Nullitatis Emphytheusis 29 Martii 1805 §. 3, coram Gardoqui.

alienandis praescripta, in iis etiam alienationibus locum sibi vindicent necesse est, quae ex iusta et necessaria causa fieri solent; quum, licet ex iusta causa factae, alienationes irritae ab Doctoribus generatim definiuntur, ex uno Solemnitatum defectu *in Assisien. Census die 3 Aprilis 1841* §. *Adnotat* (1).

10. Et absque declaratione, ipso iure incidunt in censuras Alienantes res Ecclesiae, neglectis Solemnitatibus *in Veliterna Fructuum die 19 Iunii 1802* §. *Quoad* (2).

11. Si quis propterea, temerario ausu, sine iuris Solemnitatibus, res ecclesiasticas distraheret, ultra nullitatem actus, sententiam excommunicationis incurreret, et Beneficiati Dignitates Canonici alienantes eo ipso suspensi, Beneficiis ipso facto privati existant *in Capuana die 15 Iulii 1848* §. *E contra* (3).

12. Harum autem Solemnitatum Apostolicae Sedis Placitum praecipuam haberi nemo dubitat *in Assisien. Census die 3 Aprilis 1841* §. *Adnotat.*

13. Verum Solemnitas Beneplaciti Apostolici ad contractus validitatem necessaria, est quid diversum ab ipso contractu, et seorsim adhiberi potest *in Perusina Transactionis die 20 Decembris 1823* §. *Transactionis.*

14. Ideoque a Doctoribus dicitur Solemnitas non *formalis* contractus, sed *effectualis,* quae scilicet robur actui iam celebrato tribuit *in Perusina Transactionis die 20 Decembris 1823* §. *Transactionis.*

15. Quando igitur de iusta causa, necessitate nempe vel utilitate constat transactionis, concedi Sanationem et defectui Apostolici Beneplaciti suppleri tradunt (4) *in Perusina Transactionis die 20 Decembris 1823* §. *Transactionis.*

16. Amplia, etiamsi Transactionis tabulae, Apostolica venia minime praeeunte, fuerint obsignatae; imo in ipsis nulla de obtinendo Apostolico Beneplacito habita sit mentio *in Perusina Transactionis die 20 Decembris 1823* §. *Transactionis.*

17. Siquidem Ioseph Rossetti Perusinus anno 1707 de omnibus bonis suis ad Pias Causas disposuit, eorumque reditus in celebrandis sex Missis qualibet hebdomada, et in dotandis Puellis Terrae Papiani erogari iussit. Heredem vero fiduciarium et exequutorem testamentarium scripsit Praepositum pro tempore Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii Perusiae, eique praemium administrationis in annuis scutis quinquaginta reliquit.

18. Valerianus Rossetti, Testatoris agnatus, anno 1776 a S. M. Pio VI impetravit, ut universae hereditatis administratio ad ipsum eiusque Descendentes masculos, linea masculina durante, spectaret. Scipio autem, Valeriani filius, anno 1814 duo Pontificia Rescripta obtinuit, quorum altero numerus dotium quotannis tradendarum ad duas tantum fuit coercitus; altero vero, ipsi eiusque Descendentibus per lineam masculinam liberatio, ab onere solvendi annua scuta quinquaginta memorato Praeposito, fuit indulta. Verum inter Praepositum et Scipionem gravis exarsit contentio de praedictorum Rescriptorum *reportatione,* quae ad Rotam cum clausula de aperitione oris fuit ablegata, et in qua victus Scipio paulo post decessit, suaeque Familiae Rossetti masculinam lineam clausit.

19. Itaque Praeposito restituenda erat hereditas, eaque de causa ipse iudicio egit adversus Rosam Zurli Brutti, quam Scipio heredem ex asse instituerat. Geminas autem sententias diei 19 Iulii 1819 edidit Vicarius Generalis Perusinus, quarum altera Rosam damnavit ad reddendas rationes scutorum centum, quae Valerianus, Scipionis Pater, fassus erat, se retinere in Puellarum dotes eroganda; tum universae administrationis a Valeriano et Scipione gestae, atque ad restituenda mobilia semoventia ac semina, et, quoad duas domos venditas in Oppido Papiani, iura Praeposito reservavit, ad eas recuperandas, vel illarum pretium obtinendum: altera vero Peritos designavit, qui, finibus appositis, bona immobilia Iosephi a bonis Scipionis separarent, de damnis Iosephi bonis illatis referrent; et quoniam omnia simul indicata bona locata fuerant, quantitatem annuae responsionis Iosephi bonis adscribendam

(1) Smalzgrueb. lib. 3, tit. 13, n. 129.

(2) Quaranta in Summ. Bullar. Verb. *Alienatio,* n. 49; Thesaur. de poen. cap. 2, S. Congreg. in Romana Cisterciensium 1 Septembris 1614 lib. 21 Decret. pag. 54.

(3) Card. Petra ad Constit. Pauli II in proem. n. 2.

(4) Thesaur. quaest. forens. 37, n. 2, lib. 3; Menoch. consil. 134, n. 34 et 35; Rot in decis. 16, n. 5, part. 7 Recent.

referrent. Possessionem bonorum immobilium, Rosa minime repugnante, iniit Praepositus Congregationis Oratorii: Periti vero terminos apposuerunt, et annuam pensionem eisdem bonis respondentem indicarunt. Verum et imperata rationum redditio et petita a Praeposito damnorum emendatio amplam litibus viam straverant; quamobrem satius visum est, iam obortas et facile orituras controversias amico transactionis foedere sopire (1).

20. Rebus ita compositis, Praepositus Congregationis Oratorii, postquam Heredem Scipionis ad ea observanda, quae in instrumento transactionis die 20 Iulii 1822 continebantur, nec ullatenus reservato Apostolico Beneplacito obstrinxisset, concordiae approbationem ab Sacra Congregatione suppliciter imploravit. Preces, uti moris est, remissae fuerunt Episcopo Perusino pro informatione et voto, audita praesertim Rosa Zurli et transmissa copia concordiae, referret de legitima causa transigendi, et de evidenti utilitate. Ipse vero, impletis omnibus, quae ei demandata fuerunt, in suis literis haec habuit: - Iudicialibus perlectis Peritis, instrumento transactionis considerato, cuius copiam reverenter unitam Eminentiis Vestris subiicio, Partibus auditis, aliisque notoribus acquisitis, video scutata biscentum sexaginta relaxata in diminutionem crediti Operae Piae et Adversariae condonata. Commentum forte quis haberet, si Orator Superior aliquid sui interesse etiam remisisset, ut saltem pari gradu currens negotium hereditatis cum proprio appareret; nec non maior cura de dotibus adhuc insolutis a Rosa Zurli in numero non parvo, cum praeiudicio pauperum Puellarum, ac de ceteris adimplendis de praeterito Legatis, in eadem stipulatione administrari potius posset,

(1) Haec est summa Transactionis, ut in §. *Possessionem* - ibi - Il mobilio, che consegnato venne al fu Valeriano Rossetti fino dal 1776, fu stimato scudi 436, de' quali ne è stata in consegna al P. Superiore una quantità per scudi 115, essendo tutto il rimanente consumato e distrutto; e perciò per stralcio invece di rappresentare la Sig. Rosa tanti mobili, si è convenuto che debba dare oltre li detti scudi 115 in natura, in effettivo contante scudi 180. Per danni cagionati ne' beni stralciati in scudi 200. Restituzione di tanti depositati in mani del fu Valeriano per la soddisfazione delle doti scudi 100. Residuo di Legati dovuti al P. Superiore a tutto li 31 Marzo 1818 scudi 137, 50. Spese rifattibili e di documenti prodotti in Rota, e spese fatte nei due Giudizii in Perugia, ed altre posteriori stralciate d'accordo scudi 153, 50. Per corrisposte pagate dall' Affittuario dal primo Aprile a tutto Decembre 1818, basate su di un esatto ripartimento fatto amichevolmente, scudi 246, 84. In tutto scudi 1017, 84.

Resteranno a profitto dell' eredità del fu Giuseppe Rossetti gli scudi 570 prezzo della Casa posta a Papiano venduta con Rescritto Pontificio al Sig. Angelo Fracassi, per essere un capitale della stessa eredità, come pure tutti i frutti decorsi, e che risulteranno non pagati dal Fracassi. Similmente ritorneranno a detta eredità tutti i LL. di MM. lasciati dal Testatore, come pure tutti i frutti di essi comunque decorsi o decorrenti, e che non risulteranno pagati. Dovranno saldarsi le corrisposte di affitto dall' Affittuario, e ciò dal 1 Gennaio 1819 a tutto il 30 Aprile 1821, in cui è cessato l' affitto, e che ascendono a scudi 767. 95. 3, a norma del riparto e perizia formata dal Perito Alessandro Rambaldi. Dovrà fare l'Amministratore quietanza del Bestiame dell' eredità per la somma di scudi 250, che tanta ne ricevette in consegna il fu Valeriano, e che già si è da detto P. Superiore ricevuto in tanto Bestiame, come pure dovrà fare quietanza di staia 68 grano, seme morto, esistente, e lasciato in detti beni, ed infine dovrà fare quietanza del mobilio ricevuto in scudi 115. In quanto poi alle Doti, conferite prima della morte del Sig. Scipione Rossetti, resterà a carico della Sig. Rosa Brutti la loro soddisfazione, non che di tutti gli altri Legati lasciati dal Testatore, e dovrà detta Signora Rosa ad ogni richiesta del P. Superiore rendere esatto conto, uniformandosi a quanto su ciò viene prescritto dal Testatore.

Per appianare i detti scudi 1017. 84, di cui l'eredità va creditrice, la Sig. Rosa Brutti cederà un censo in sorte di scudi 120, con i frutti al quattro per cento. Un' altro censo in sorte scudi 248. 12 fruttifero al tre per cento. Cederà sei botti di tenuta barili 240 circa pel valore concordemente stabilito di scudi 98. Cederà un quantitativo di Bestiami per la somma di scudi 414. E finalmente per la somma di scudi 137, 72. Tornano scudi 1017, 84: si computeranno altrettanti dalla medesima Sig. Rosa Brutti pagati, e per dazii di detti beni, e per elemosina solita a darsi nel dì primo Novembre 1818, e per altri pagati al detto P. Superiore.

Poteva la Signora Rosa Brutti, anzichè prestarsi ad un' amichevole definitiva liquidazione del suo dare all' eredità Rossetti, eccezionare tanto riguardo all' eccessività delle suddette spese, quanto riguardo alla liquidazione dei danni: eccezioni, che non potevano darsi se non con lo strepito di nuovo Giudizio, ed in conseguenza con nuovo dispendio ed incertezza, quindi se n' è abbandonato il pensiero, e sul riflesso sovraindicato, e per la condiscendenza del P. Superiore nel prendere in parzial pagamento de' suoi crediti i due sopramemorati censi, uno de' quali è fruttifero al tre e l'altro al quattro per cento; ed esso P. Superiore si è indotto a prenderli *pro solvendo* e non *pro soluto*, non ostante, che rendino un simile frutto, per liberare da nuove cause dispendii e detrimenti l'eredità Rossetti, e per non avere ulteriori inquietezze -.

quam simplex ac sterilis conditio, nimirum: Rosa Brutti dotes, quae collatae fuerunt ante obitum Scipionis, nec non cuncta alia Legata satisfacere, atque ad libitum praedicti P. Superioris rationes reddere debet -.

21. Utilis autem in themate censenda erat concordia, quia per illam Transigentes finem imponebant litibus, tam ortis, quam orituris, quae mutuae vexationis mutuique dispendii causa fuerunt, ac per tempus fortasse diuturnum erant futurae. Accedebat, quod Administrator illico redintegrationem crediti Causae Piae consequebatur, pro mobilibus pecunias obtinebat; quodque creditum, iuxta initam supputationem in scutis 1017. 84, fuit constitutum procul a quaestionibus et contentionibus, quae multiplices peperissent molestias, ac diuturnam Missarum et Dotium suspensionem.

22. Animadvertebatur tamen, Praepositum Congregationis Oratorii transigendo scuta biscentum sexaginta remisisse, quae Rosa Scipionis heres debebat; perpendebatur idcirco, an transactionis utilitas tanta esset, quae certum hoc detrimentum compensare valeret. Aequum praeterea videbatur, ceu monebat Peritus Episcopum, ut idem Praepositus aliquantulum de suo iure decederet favore Causae Piae, nempe aliquid detraheret de Legatis sibi debitis, quae pro anteactis annis in stipulatione concordiae in scuta 137 supputata fuisse constabat. Simplicem vero ac sterilem conditionem, quoad Dotes iam collatas et Legata non adimpleta, stipulationi adiectam fuisse querebatur Episcopus, dum onus adimplementi omnino fuit Rosae impositum; perpendi tamen poterat, Praepositum adiici curasse, quod praefata Rosa ad libitum P. Superioris rationes reddere deberet, prout omnino Testator praescripsit. Satis hinc praedictarum Dotium praestationi et Legatorum implemento consultum videbatur, si congruus praefiniretur terminus, quo elapso, rationes omnino essent reddendae.

23. Proposito itaque dubio: - An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro Sanatione transactionis in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Affirmative, praefixo Rosae Zurli Bruti termino duorum annorum ad conficiendum depositum Dotium promissarum et nondum solutarum, ut solvantur Puellis post nuptias, vel post mortem Innuptarum cedant in augmentum Causae Piae, cuius favore etiam Praepositus teneatur cedere tertiam partem scutorum 137. 50, et Episcopus curet exequutionem et inscriptionem bonorum Operis Pii, et in posterum quotannis exigat redditionem rationum a Praeposito - *in Perusina Transactionis die 31 Ianuarii 1824.*

24. Si vero reservatus fuerit consensus Apostolicus, tunc locum non habet Sanatio, sed validus erit alienationis contractus, non obstante Extravaganti *Ambitiosae*, si nimirum Summo Pontifici placuerit *in Pisauren. Emphytheusis die 18 Martii 1820* §. *E contra* (1).

25. Beneplacitum propterea Apostolicum reservatum poterit subinde obtineri, et retrotrahitur ad initium contractus, qui habet interim implicitum statum validitatis *in Pisauren. Emphytheusis die 18 Martii 1820* §. *E contra* (2).

26. Animadvertendum tamen, quod, nisi fuerit obtentum et exequutum, non acquiritur dominium a Contrahente cum Ecclesia, nec ab ista illud abdicatur *in Pisauren. Emphytheusis die 18 Martii 1820* §. *E contra.*

27. Immo priusquam superveniat, locus est favore Ecclesiae aut Pii Loci, post rem etiam traditam, poenitentiae *in Terracinen. et Setinae die 23 Ianuarii 1790* §. *Defectus* (3).

28. Hinc, si tradita possessio fuerit, contractus nullus remanet, et a Summo Pontifice nedum Sanatio contractus fructuumque indebite perceptorum obtinenda est, sed et absolutio a Censuris *in Pisauren. Emphytheusis die 18 Martii 1820* §. *E contra* (4).

29. Hanc tamen conclusionem limitat Fulgineus (5), scilicet, si Rector bona fide daret licentiam ingrediendi in possessionem; et, non obtento Beneplacito Apostolico, Emphytheuta, seu Emptor, ingrederetur *in Pisauren. Emphytheusis die 18 Martii 1820* §. *E contra.*

30. Constitutio enim *Ambitiosae* continet verbum *praesumpserit,* quo casu non compre-

(1) Fulgin. de iur. Emphyth. tit. de contract. Emphyth. quaest. 16, n. 1 et 2.
(2) Card. Petra ad Constit. Pauli II, sect. 5, n. 22, tom. 5.
(3) Card. De Luc. de alienat. disc. 1, n. 56 et seqq.; Card. Petra ad Const. Pauli II, sect. 4, n. 4; et sect. 5, n. 37, t. 5.
(4) Card. Petra ad Constit. Pauli II, sect. 5, n. 26 et seqq.
(5) In quaest. 16, n. 16, tit. de contract. Emphyth. etc.

hendit eos; qui, sine dolo vel contemptu, bona fide vel simplicitate faciunt *in Pisauren. Emphytheusis die 18 Martii 1820* §. *E contra.*

31. In alienatione autem bonorum Ecclesiae, quae fit auctoritate et scientia Pontificis, non alia requiruntur Solemnia, nec opus est distincto alio Apostolico Beneplacito *in Imolen. Validitatis Census die 23 Novembris 1743* §. *Non obesse* (1).

32. Eoque amplius id edicendum est, quum Pontifex modum quoque constituerit, quo aes alienum posset dispungi *in Imolen. Validitatis Census die 23 Novembris 1743* §. *Obesse* (2).

33. His vero exulantibus, inter Solemnitates requiritur etiam Consensus Rectoris Ecclesiae, ut rite alienatio peragi possit *in Sutrina Emphytheusis die 29 Maii 1824* §. *Quae* (3).

34. Hinc ad legitime permutandum, quemadmodum ad valide alienandum, omnes requiruntur Solemnitates a iure praescriptae, scilicet discussio causae, consensus maioris partis, et S. Sedis approbatio *in Meliten. Permutationis die 9 Iulii 1774* §. *Itaque* (4).

35. Praeterea, cum de alienationis evidenti utilitate debeat constare, subhastatio potissimum praestat modum utilitatis dignoscendae et obtinendae *in Lauretana Emphytheusis die 21 Ianuarii 1786* §. *Ad secundum.*

36. Caute namque procedatur oportet, omnique possibili via succurrendum Ecclesiae *in Lauretana Emphytheusis die 21 Ianuarii 1786* §. *Ad secundum.*

37. Unde, etiamsi ex testimonio ipsius Episcopi de evidenti alienationis et permutationis utilitate constaret, ac is etiam, consensum alterius Patroni ob divisionem bonorum inter ipsos legitime initam necessarium non esse, censeret, Sacra Congregatio affixionem Edictorum ac etiam huiusmodi Patroni consensum exquiri debere mandavit *in Montis Alti Permutationis die 12 Iunii 1819.*

38. Iamvero Sacerdos Gradassus Rinalducci anno 1670 testamentum condidit, in quo Nepotes ex geminis Sororibus heredes instituit; quaedam vero hereditaria bona perpetua Pio Legato trium Missarum in qualibet hebdomada subiecit, ad cuius passivum iuspatronatus Proximiores inter Propinquos in infinitum vocavit, activum vero Heredibus contulit, imposita lege, ut, quousque eorum agnatio perduraret, inter Agnatos ius nominandi progrederetur, extincta vero agnatione transiret ad Cognatos. Exhausto Agnationis genere, lis efferbuit de iuris prioritate inter Tommasios et Siliquinios, ex geminis Feminis pio Fundatori coniunctis descendentes. Vario marte dimicatum est primum coram Vicario Episcopali Montis Alti, dein coram A. C. Locumtenente, ac demum delata quaestione ad S. Rotae iudicium, ac proposito dubio: - An et cui danda sit manutentio -, responsum datum est sub die 5 Martii anni 1804: - Affirmative, et manutentionem dandam esse pro aequali, iuxta modum in decisione exprimendum -.

39. Edito hoc S. Rotae Rescripto, ad rem omnem componendam, solemnis inter Litigantes inita est transactio, in qua conventum fuit, ut Tommasii praedium *la Parignana* Capellaniae addictum sibi caperent, Siquilinii vero habituri essent omnia bona ad Pium Legatum pertinentia ac iniuria alienata, quae proinde vindicari debebant, adiecta conditione, ut quidquid in memorato praedio pluris aestimaretur, Tommasii Siquiliniis solverent, ad effectum investiendi favore Capellaniae; Piae Institutionis onera aequis partibus divisa sunt, ac omnia initae transactionis capita Sacra Congregatio, Compatronis postulantibus, confirmavit die 20 Februarii 1808. Nam, exquisito prius voto Eminentissimi ac Reverendissimi Cardinalis Pacca, ac relata Causa in folio ad dictam diem, sub dubio: - An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro Transactionis approbatione et confirmatione in casu etc. -, prodiit Rescriptum: - Affirmative, iuxta votum Eminentissimi Relatoris -, quam Resolutionem probavit confirmavitque Summus Pontifex die 4 martii eiusdem anni.

40. Tunc concordi Partium placito facta est bonorum divisio inter Tommasios et Sili-

(1) Abbas in consil. 41, n. 3, lib. 1; Geminian. cons. 48, n. 9; Decius consil. 341, n. 12, vers. *et quando concessio*; Pignatell. consult. 95, n. 50, vol. 6; Card. Petra ad Constit. Pauli II, sect. 3, n. 2, tom. 5.

(2) Cetera Vid. in Verb. *Census*.

(3) Cap. *Nulli* de reb. Eccles. alienan. vel non; ibique Fagnan. n. 11.

(4) Cap. *Tua*, de his, quae fiunt a Praelat.; cap. *Ut super*, de reb. Eccles. alienan. vel non; Can. *Sine exceptione* 52, caus. 12, quaest. 2.

quinios, iuxta pacta conventa in transactione. Aloisius vero Thommasi, cui obtigerat praedium *la Parignana* longe a loco sui domicilii positum, postulavit anno 1808 facultatem illud vendendi, ac reinvestiendi pretium in aliis fundis rusticis. Voti compos factus est, obtento a Sacra Congregatione Indulto sub die 27 Martii 1809, ac per Decretum exequutoriale Curiae Episcopalis diei 12 Septembris 1813 consummata est venditio pro pretio scutorum 1205, et facta est subrogatio alterius fundi, ad ipsum Aloisium spectantis, et in Ripano territorio positi, imposito onere medietatis Missarum, iuxta Pium Legatum celebrandarum.

41. Illius exemplum sequutus Sacerdos Petrus Siliquini, eiusdem Capellaniae ex parte Siliquinorum Rector et Administrator, anno 1817 postulavit, ut sibi liceret vendere bonorum partem, quae assequutus est in transactione ac divisione, quaeque consistebant in sex praediolis inter se longe dissitis, quorum valor a Perito constituebatur in scutis 793. 85. 2, et ut posset illorum pretium investire in aliis bonis suae proprietatis, constitutis in unico fundo cum domo colonica et columbario, ob ipsius Capellaniae utilitatem. Horum valor a Perito constituebatur in summa scutorum 985. 41, quae nimirum excedebat valorem praediorum, ad Beneficium spectantium, in scutis 191. 55.

42. Vacante tunc Ecclesia Montis Alti, preces remissae fuerunt Vicario Capitulari, ut, auditis interesse habentibus et praevia Edictorum affixione, referret per Peritum ex officio de terrenorum valore et annuo reditu, ac evidenti utilitate: confirmavit Vicarius, tum valorem bonorum hinc inde permutandorum, tum utilitatem, ex permutatione obventuram, favore Beneficii; at ex eius informatione nec constabat, auditum fuisse compatronum Tommasi, nec publicata fuisse Edicta, nec Peritum revera esse ex officio deputatum. Hinc novae datae sunt Literae, ut Ordinarius audiret Compatronum, et referret per Peritum ex officio, de valore et reditu bonorum. Quum vero ex prima informatione innotuisset, aliquid pecuniae numeratae, ad effectum reducendi divisionem ad aequalitatem, Oratorem ab altero Patrono percepisse cum lege investiendi favore Capellaniae, quaesitum est de summa percepta, an et in quibus bonis fuerit investita, sin minus de causa neglecti investimenti, et cur suppleri nequeat, per subrogationem favore Capellaniae, fundi idonei, ex propriis Oratoris bonis, quin terrena Capellaniae permutarentur.

43. Tunc temporis Ecclesia Montis Alti novo donata est Pastore, qui de evidenti permutationis utilitate testatus est, quin ad eam perficiendam consensus Familiae Tommasi exquiri deberet (1). Porro in themate compatronus Tommasi rogatus non fuit; post sequutam vero bonorum divisionem ac memoratam transactionem vix quidem dici poterat in eo aliquid interesse habere, ac praeterea eius consensus poterat praesumi; ipse enim Tommasi iam prius suam bonorum partem, accedente Siliquinorum consensu, ac Sacra Congregationis auctoritate, permutavit. Ceterum, etsi de evidenti permutationis utilitate testaretur etiam Episcopus in duplici informatione, dubium adhuc erat, an impune praetermitti poterant, tum interpellatio alterius Patroni, tum affixio Edictorum in praesenti casu, licet utrumque ex primo S. Congregationis Rescripto fieri debuisset.

44. Propositis hinc dubiis: – I. An et quo-

(1) Haec sane Episcopus deducere censuit, ut in §. *Tunc* – ibi – Partes, acceptando decisionem S. Rotae, bona omnia ad Capellaniam spectantia, pro aequali parte, sibi diviserunt, et tunc temporis una et altera suam libere noscunt ac distinctam pacifice possident portionem. Hisce praemissis, cum nihil amplius interesse habeat Familia Tommasi cum bonis a Petro Siliquini modo possessis, absque ullo ipsius consensu permutationem quorumdam petiorum terrae dictae Capellaniae cum aliis propriis stabilibus suppliciter expostulavit, atque nunc modo expostulat Orator. Evidens permutationis utilitas prostat multiplici ex capite: sex sunt petiola terrae huc illuc existentia, quae permutari desiderantur. Illa sunt valoris scutorum 793. 85. 2, haec vero scutorum 985, 41. Prima prout dissita inter se quaerunt et non inveniunt Agricolam, et secunda, quum domus inest ruralis, uberioribus redundant fructibus. Propter unionem cum propriis bonis Capellanus pro tempore in pretio habebit ac sedulo navabit operam; crescit utilitas ex eo, quod pretium bonorum, quae retroceduntur, excedens in scutata 191. 55. 2, ceditur in reale investimentum ipsius Capellaniae, vigore obligationis assumptae in actu divisionis bonorum cum altero compatrono Tommasi, qui cum percepisset portionem maioris pretii in dicta summa scutorum 191. 55. 2, aequivalentem summam in manibus Oratoris exbursavit, onere solvendi quotannis Capellano pro tempore fructus compensativos, sed cum Oratori inerat actio et passio, neglexit usque adhuc investimentum, quod utile ac necessarium video, prout et ipse Peritus Pro-Synodalis ex officio deputatus luculenter adtestatur –.

modo sit concedenda venia pro venditione bonorum in casu etc.

II. An et quomodo sit approbandum investimentum et commutatio cum bonis stabilibus Oratoris in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata ad utrumque, et affigantur Edicta ad inveniendos Oblatores, et interim exquiratur consensus Familiae Tommasi, et Episcopus certioret de resultantibus – *in Montis Alti Permutationis die 12 Iunii 1819.*

45. Nam S. Congregatio, ante Beneplaciti concessionem, passim id etiam mandat, ut Edicta publicentur, eique ab Ordinario remittantur oblationes *in Lauretana Emphytheusis die 21 Ianuarii 1786* §. *Ad secundum* (1).

46. Amplia, etiamsi primus extet Emptor, qui enixe instat, ut ipse praeferri debeat, quum ante omnes emptionem legitime inierit ac Beneplacitum Apostolicum obtinuerit, quin tamen exequutum videretur *in Neapolitana Domus die 13 Ianuarii 1731.*

47. Siquidem Patres Pii Operarii S. Georgii Neapolis, possidentes domunculam in regione vulgo *dell'Imbrecciata,* illam vendere deliberarunt, ad effectum pretium erogandi in reparationem eorum Ecclesiae: cumque dicta domus contigua esset alteri Canonici Ioannis Baptistae Hodiernae, convenerunt, quod ipse emeret domum pro pretio ducatorum 800, quot aestimata fuerat a perito Architecto, reservato tamen Beneplacito Apostolico, cui Partes in omnibus se confirmari voluerunt, prout resultabat ex apocha seu Albarano rescripto a tribus Religiosis, scilicet Rectore et Consultoribus ac etiam ab ipso Canonico Hodierna. Supplicarunt deinde iidem Patres Sacrae Congregationi pro Beneplacito, illudque sub die 19 Novembris dicti anni obtinuerunt.

48. Affixis Edictis de ordine Curiae Archiepiscopalis, ad ulteriora prosequi non potuit, quia fratres de Majo, possidentes amplum et nobile palatium, non quidem conterminum cum dictis domunculis, sed, intersecante via satis lata triginta et ultra palmorum, per organum Secretariae Memorialium sub die 9 Decembris dicti anni obtinuerunt – praeferri ceteris pro iusto pretio, et ad Eminentissimum Archiepiscopum –, in cuius Rescripti sequelam, nemine citato et absque ullo Iudicis decreto, deventum fuit ad venditionem, et respectivae domus traditionem illorum favore. Hinc reclamans Canonicus Hodierna ad S. M. Benedictum XIII remissionem obtinuit ad tunc Eminentissimum Pro-Auditorem, coram quo sub die 21 Ianuarii 1730 reformationem supradicti Rescripti, ac circumscriptionem instrumenti venditionis omniumque inde gestorum petierat; attamen nullum habuit effectum haec instantia, ob superventum novum Rescriptum, cum quo approbata fuit emptio facta favore fratrum de Majo, quibuscumque non obstantibus.

49. Sequuto obitu eiusdem Summi Pontificis, statim recursum habuit idem Canonicus Hodierna, et a Congregatione particulari trium Praelatorum obtinuit, quod Curia Archiepiscopalis Neapolitana in ulteriori exequutione Rescriptorum supersederet, ac insuper curaret, ne aliqua innovatio super bonis controversis interim eveniret. Post electionem Summi Pontificis plures promotae fuerunt instantiae coram R. P. D. Auditore Sanctissimi, super exequutione Rescriptorum seu Beneplaciti Apostolici, et respective super approbatione contractus ac consignatione ducatorum 800; super quibus idem Auditor causam remisit ad Curiam Archiepiscopalem, disputata prius praetensa praelatione, prout de iure, in Sacra Congregatione.

50. Institit itaque Canonicus Hodierna, eam sibi deberi tamquam primo emptori, ac etiam uti vicino et contermino, et propterea ei assistebant disposita in Regia Pragmatica in capite *Sancimus,* quae licet emanata esset ad favorem Laicorum, poterat Clericus ea uti per modum privilegii adversus fratres de Majo Laicos contendentes de praelatione. Rescripta vero, post concordatam venditionem ac obtentum Beneplacitum ab Sacra Congregatione, nullatenus erant admittenda, praecipue non citato dicto Emptore, nec audita relatione Eminentissimi Archiepiscopi.

51. Proposito hinc dubio: – An et cui sit danda praelatio in emptione domus, de qua agitur in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad Eminentissimum Archiepiscopum, qui procedat ad affixionem Edictorum, et sequutis oblationibus, certioret – *in Neapolitana Domus die 13 Ianuarii 1731.*

52. Siquidem Sacra Congregatio eam videtur

(1) Card. Petra ad Constit. 1 Divi Leonis Magni, sect. 3, n. 29, tom. 2.

sequi sententiam, quod contractus alienationis bonorum Ecclesiae pro perfecto non habeatur, donec Apostolicum Beneplacitum non fuerit obtentum: quamdiu vero ille imperfectus est, nova maior oblatio admitti debeat, ita ut favore illius, qui intra terminum in Edictis praefinitum maiorem summam obtulerit, Beneplacitum sit concedendum *in Florentina Emphytheusis die 5 Martii 1735* §. *Sacra.*

53. Amplia, etiamsi Beneplacitum fuerit obtentum, sed non exequutum *in Neapolitana Domus die 13 Ianuarii 1731* §. *Diversimode.*

54. Etenim quaestio, an in alienationibus rerum Ecclesiae sit locus adiectioni in diem, scilicet novae oblationi post candelam extinctam, et ultimo Oblatori rem adiudicatam, pertractatur a Doctoribus, et sententia favens Ecclesiae videtur communior, dummodo actus non sit perfectus, et actus non dicitur perfectus, si Beneplacitum fuerit reservatum et adhuc non fuerit obtentum, vel si fuerit obtentum, non fuerit exequutioni mandatum *in Reatina die 28 Septembris 1726* §. *Quaestio* (1).

55. Unde nil obstat species illa oppositionis, quae intercedere videtur inter ipsas resolutiones Sacrae Congregationis; namque conciliantur istae Resolutiones cum distinctione adducta per Eminentissimum Card. Petra (2): aut enim contractus non est perfectus, quia Beneplacitum adhuc non fuerit exequutum, et tunc est locus novae oblationi, nam ante sententiam Exequutoris semper dicitur res integra (3), conceditur tamen praelatio primo Emptori pro eodem pretio *in Neapolitana Domus die 13 Ianuarii 1731* §. *Conciliantur.*

56. Quatenus vero contractus est perfectus ac exequutum fuerit Beneplacitum Apostolicum, et consensus praestitus est venditioni per publicum instrumentum, et tunc non debet recipi nova oblatio, etiam utilior Ecclesiae, advertit Monacelli (4) *in Neapolitana Domus die 13 Ianuarii 1731* §. *Quatenus.*

57. Iamvero ad tramites huius distinctionis in Causa Neapolitana Beneplaciti, Patres Conventus S. Antonii in Plaga Pausilipi Tertii Ordinis S. Francisci, mediante publico instrumento, sub reservatione Beneplaciti Apostolici, vendiderunt Francisco Recupito praedium cum domo pro ducatis 1500, sed antequam exequeretur Beneplacitum desuper obtentum, admissa fuit nova oblatio in ducatis 1602. Unde disputato in Sacra Congregatione dubio: – An et ad cuius favorem Beneplacitum Apostolicum sit exequendum in casu etc. –, die 17 Augusti 1697 responsum fuit: – Ad mentem Eminentissimi Praefecti –, scilicet: – Pro concessione praelationis maiori Oblatori, habita tamen ratione ad Recupitum primum emptorem, quatenus voluerit augere oblationem ad dictos ducatos 1602 – *in Reatina die 28 Septembris 1726* §. *De hac re.*

Item *in Neapolitana Domus die 13 Ianuarii 1731* §. *Alias.*

58. Idemque confirmatum fuit die 28 Septembris eiusdem anni 1697 *in Neapolitana Domus die 13 Ianuarii 1731* §. *Alias.*

59. Ea quippe resolutio utrique Parti displicuit: Recupitus enim excepit, suam venditionem uti iam perfectam, retractari non posse, et Tartaglionus subdidit, sibi tamquam maiori Oblatori praelationem competere, nullo habito respecto ad Recupitum, vel in omnem casum esse deveniendum ad novam candelae accensionem; repropositaque idcirco causa in Congregatione habita die 28 Septembris eiusdem anni 1697 sub hisce duobus dubiis: – I. An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. *Et quatenus affirmative quoad primam partem, et negative quoad secundam.*

II. An sit danda praelatio favore Recupiti et pro qua summa, vel potius sit deveniendum ad accensionem novae candelae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, In decisis. Ad secundum, Esse locum praelationi favore Recupiti, pro summa oblata per Tartaglionum (5) – *in Reatina die 28 Septembris 1726* §. *Resolutio.*

Item *in Neapolitana Domus die 13 Ianuarii 1731* §. *Alias.*

(1) Late id penes Card. Petra ad Constit. 1 Divi Leonis Magni, tom. 1, pag. 83, n. 34 et seqq.

(2) In Constit. Apostol. ad Constit. 1 Divi Leonis Magni, sect. 3, n. 58 et seqq.

(3) Card. De Luc. de alienat. disc. 52, n. 3; ac etiam in tit. de Regal. disc. 81, n. 24; et de locat. disc. 46, n. 7.

(4) In form. legal. pract. tit. 5, form. 15, n. 9, tit. 1.

(5) Ceu prostat in lib. 47 Decretorum pag. 377 et 456. Habentur etiam huiusmodi Resolutiones penes Bertachinum vot. 152, n. 6.

60. Similiter, quum Capitulum Cathedralis Ecclesiae Reatinae procedere deberet ad venditionem domus, sibi una cum aliis bonis, relictae a Canonico de Giongirlamis defuncto, ut eius debitis satisfaceret, et reliquum investiret pro iniuncto onere Missarum, eam aestimare fecit a Peritis, qui retulerunt, ipsius valorem esse in scutis bis mille. Quumque subinde devenisset ad affixionem Edictorum, et ultra domum venditioni exposuisset quaedam mobilia inferioris conditionis, reservata sibi expressa facultate eligendi inter Oblatores eum, qui sibi magis proficuus visus fuisset, duo Oblatores comparuerunt, Tiburtius videlicet Mongallus, qui per interpositam personam obtulit scuta bis mille tercentum, et Antonius Gaspar Augustinus, qui per medium alterius personae obtulit scuta bis mille tercentum sexaginta; sed, cum tunc nihil actum fuisset, licet utriusque Licitatoris oblationes devenissent ad summam scutorum bis mille quingentorum, operae pretium fuit devenire ad affixionem secundi Edicti, in cuius sequelam, quum Antonius Gaspar de Augustinis obtulisset summam scutorum bis mille quingentorum et viginti, et eamdem summam illico etiam Mongallus obtulisset, praevio Episcopali Decreto et in sequelam reservatae facultatis praeferendi Oblatorem sibi magis benevisum, maior pars suffragiorum praeelegit Mongallum, cum quo etiam subinde publicum venditionis confecit instrumentum, reservato Apostolico Beneplacito, ante cuius tamen impetrationem, quin imo ante pretii solutionem et ante captam possessionem, accessit Sebastianus Bacconus, qui maiorem fecit oblationem, in scutis videlicet bis mille sexcentum et quinquaginta: exorta hinc lite, eadem ab Auditore Sanctissimi ad Sacram Congregationem remissa fuit.

61. Sebastianus Bacconus praetendit, Apostolicum Beneplacitum esse in sui favorem expediendum, quum sua oblatio ceteras superesset oblationes, et in tempora advenerit, ante videlicet pretium persolutum, ante traditam possessionem, et ante Beneplaciti expeditionem. Mongallus e contra excepit, quod oblatio Bacconi non ante, sed post stipulatum instrumentum supervenit, et quod ab Offerente fuit retractata, itaut perinde se haberet ac si facta non fuisset. Et in eo, quod attinebat ad aliam oblationem Antonii Gasparis de Augustinis, subdidit Mongallus, Capitulum Reatinum bene potuisse suam praeeligere, quum facultatem praeeligendi sibi expresse reservasset, et quum praeelectio fundamentum haberet in eo, quod Mongallus, acquisita domo, suum domicilium erat translaturus ad ipsam Civitatem Reatinam, non attento, quod licet pares essent Antonii Gasparis de Augustinis et ipsius Mongalli oblationes, illa tamen huic praeferenda videbatur, utpote prior in tempore; tum quia in eodem actu, sive in ipso cursu actus, utraque expleta fuit, itaut nec prius nec posterius valeret inter eos considerari; tum quia semper ius praeeligendi penes Capitulum remanebat, quo, teste etiam Episcopo in relatione, rationabiliter usus est favore Mongalli.

62. Adversus haec excepit Antonius Gaspar de Augustinis, et inquit primo, quod in primo Edicto nulla fuit reservata facultas praeeligendi, sed dictum fuit, domum maiori Oblatori esse deliberandam; quumque ipse prior fuerit in tempore in offerenda summa bis mille quingentorum et viginti, hinc arguit, tunc venditionem debuisse pro se expediri, quum de iure non admittatur oblatio pro eadem summa, quam alius obtulerat. Inquit secundo, quod licet in secundo Edicto Capitulum sibi reservasset facultatem praeeligendi, id tamen sibi praeiudicium afferre non poterat; tum propter ius sibi in primo actu quaesitum; tum quia non videbatur, quod Capitulum uti voluerit iure reservato praeeligendi, cum perlegendo actum Capitularem nulla in ipso facta fuerit mentio posterioris Edicti.

63. Proposito interim dubio: - An et cuius favore Beneplacitum Apostolicum sit concedendum in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Beneplacitum Apostolicum esse concedendum, favore Tiburtii Mongalli - *in Reatina die 13 Aprilis 1726.*

64. Iuxta iam dicta haec contigerunt die 13 Aprilis 1726: quumque die 25 eiusdem mensis, et ante traditam possessionem domus, nec non ante mobilium consignationem et pretii solutionem, novus comparuerit Oblator, Ioannes videlicet Palmeggianus, qui pro eadem domo et mobilibus fecit pro persona nominanda oblationem scutorum bis mille noningentorum quadraginta quinque; et Capitulum, annuente Episcopo, hanc novam acceptaverit oblationem, Procuratore Mongalli solemniter protestante,

ei locum esse non posse, rursum quaestio inter eosdem acriter fuit agitata.

65. Proposito vero dubio: - An et cuius favore sit concedendum Beneplacitum Apostolicum in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Beneplacitum esse concedendum favore Ioannis Palmeggiani, sine praeiudicio Tiburtii Mongalli, quatenus praeferri velit, pro eadem summa; et amplius – *in Reatina die 28 Septembris 1726.*

66. Quin imo; si iura pro subsistentia actorum inter Ecclesiam seu Locum Pium et primum Oblatorem canonice non sint, et secundus Oblator maiorem summam spondeat, nova Edictorum affixio demandatur, etiamsi interesse habentes maiorem oblationem reiecissent *in Lauden. die 2 Iunii 1731.*

67. Enimvero Moniales S. Ioannis Baptistae Civitatis Laudensis, possidentes quaedam praedia in territorio Offagii annui reditus librarum 200 circiter monetae Mediolanensis, Sacrae Congregationi supplicarunt pro facultate eadem praedia concedendi ad tertiam generationem pro annuis libris 300, et sub conditione ea liberandi seu francandi mediante solutione librarum decem mille eiusdem monetae. Requisita fuit informatio ab Episcopo Laudensi, praevia tamen Edictorum affixione. In sequelam dicti Rescripti publicata fuerunt Edicta, in quibus expressum fuit, bona danda esse ad responsionem seu livellum pro annis novem. Sub motivo, quod hora intimata comparuerit tantum Angelus Bernardus Rinaldi, die 27 Augusti 1728 eidem deliberata fuerunt dicta praedia cum supradicta responsione, ac etiam cum eodem pacto francandi. Attamen eadem die 27 Augusti Marcus Antonius Baggius Mutianus Vicario Generali dictae Civitatis exposuit, plures nullitates adesse in eadem deliberatione, ipsumque offerre annuum canonem librarum 320, quam oblationem sub die 1 Septembris dicti anni auxit usque ad libras 330, et capitale librarum 11000, pro liberandis dictis praediis a supradicta responsione.

68. Huic novae oblationi adhaeserunt Moniales praedictae. Hinc Marcus Antonius Mutianus petiit ab Sacra Congregatione suam oblationem admitti, aut saltem accendi candelam super eadem. Denuo requisitus Episcopus Laudensis ita suum sensum aperuit: - Quo autem ad animi mei sententiam, cum iura pro subsistentia actorum inter Monasterium et dictum Rinaldum ex una parte canonica non sint, et ut talia clare non appareant; ex alia parte, si exponantur legitimae cedulae, hoc vergat in utilitatem Monasterii, dum in oblatione facta a D. Baggio idem Monasterium acquirit sponsionem maiorem, censerem ordinandum, affigenda esse Edicta in forma legitima –.

69. Propositis hinc dubiis: – I. An contractus emphytheusis, de quo agitur, substineatur in casu etc.

II. An sit admittenda nova oblatio in casu etc.–, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Negative; et affigantur nova Edicta. Ad secundum, Provisum in primo; et amplius - *in Lauden. die 2 Iunii 1731.*

70. E contra vero, si Beneplacitum Apostolicum fuerit rite exequutum; vel, contractu adhuc non perfecto, nova oblatio contineat modicam utilitatem (1); vel secunda oblatio fiat ad aemulationem, tunc enim eam debet reiicere Ecclesia, quae est cultrix iustitiae, neque debet locupletari cum aliena iactura *in Neapolitana Domus die 13 Ianuarii 1731* §. *Idem* (2).

71. Ad aemulationem vero quod spectat, ea debet concludenter iustificari *in Neapolitana Domus die 13 Ianuarii 1731* §. *Idem* (3).

72. Hinc Sacra Congregatio in causa Florentina Emphytheusis, proposita die 21 Iunii 1698, ad dubium: – An sit procedendum ad ulteriora coram Ordinario in exequutione concessionis favore fratrum de Georgeis, vel potius danda sit praelatio fratribus Capponis cum oblato augmento annui canonis scutorum quinque –, responsum tulit: – Affirmative, quoad primam partem (4) – *in Neaoplitana Domus die 13 Ianuarii 1731* §. *Diversimode.*

73. Ac similiter, nova reiecta maiori oblatione, primum contractum substineri respondit Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium in Civitatis Castellanae die 27 Fe-

(1) Uti monet Card. Petra ad Constit. 1 Divi Leonis Magni, sect. 3, n. 39.

(2) Ronder. cons. 44, n. 8 et 28; Rosa de exequut. Litt. Apost. part. 1, cap. 5, n. 327; Conrad. in prax. dispens. lib. 9, cap. 5, n. 40.

(3) Card. Petra loc. cit. n. 47.

(4) Ut prostat in lib. 48 Decretorum pag. 300.

bruarii 1693, teste Monacelli (1) *in Neapolitana Domus die 13 Ianuarii 1731* §. *Diversimode* (2).

74. His vero exceptis, utilitas ita debet esse manifesta, ut conditio Ecclesiae patenter melior fiat et locupletior *in Faventina Alienationis die 14 Maii 1825* §. *Inter* (3).

75. Ipsomet idcirco alienationis tempore Ecclesia locupletari debet, iuxta constantem praxim, quam servat Sacra Congregatio *in Faventina Alienationis die 14 Maii 1825* §. *Inter.*

76. S. Congregatio enim in id semper pro viribus insistit, ut in quavis alienationum specie evidens omnino utilitas concurrat *in Faventina Alienationis die 26 Iunii 1830.*

77. Iamvero Angelus Emiliani, Rector Parochialis Ecclesiae S. Mariae in Merlaschio Diaecesis Faventinae, anno 1824 Sacrae Congregationi exposuerat, sex terrulas ad suam Ecclesiam pertinentes, quarum pretium in scutis 1800, 80 Periti statuerunt, inter se dissitas esse ac fructus admodum tenues ferre. Addiderat, Antonium Zambrini et Marcum Magnani, qui fundos Ecclesiae terrulis adiacentes possidebant, pro illis obtulisse scuta 2115. 04, et veniam easdem alienandi imploraverat. Quia tamen Antonius oblationi conditionem adiecerat numerandi suam pretii partem in quinque distinctis ratis, ac interea solvendi fructus compensativos scutorum quinque in singula centum, rescriptum fuit: – Quoad oblationem Antonii Zambrini non constare de evidenti utilitate, ob modum solvendi pretium; propterea que scribatur Episcopo, qui curet, vel reformari modum solutionis pretii, vel affigi nova edicta ad inveniendos meliores Oblatores, et de resultantibus certioret; et tunc ratio habeatur super oblatione Marci Magnani –.

78. Preces instauravit Parochus Emiliani, exponens, – iniri posse contractum, cui nec ulla subesset, quoad solutionem, suspicio; utilitati vero Ecclesiae consuleretur –. Summam Contractus ita retulit, suamque sententiam aperuit Faventinus Episcopus: – Venditionem nactus est Orator Emilianus fundi cuiusdam, cuius reditus, iuxta Peritorum aestimationem et iudicium, longe excedit reditum, hactenus perceptum et percipiendum in posterum abs fundo Ecclesiae, de cuius venditione actum in precibus; ea autem adiecta emptioni propositae conditione, ut pro fundo hoc ipso pretium persolvatur illud ipsum, quod pro fundo Ecclesiae sese persoluturos receperunt Zambrinius et Magnanius pro sua quisque parte: atque adeo fundi ab Ecclesia divenditi possessio dictis Emptoribus libere cedat, pretium autem, de quo iam conventum est, libere item cedat fundi illius, quem Rector Ecclesiae emit, Venditori; idque eo etiam commodius, quod de huiusmodi conditione utrinque convenit, annuentibus ultro et Venditore fundi, quem acquirebat Ecclesia, et Emptoribus fundorum, quos Zambrinius et Magnanius ab Ecclesia acquirebant, pacta, quam innuimus, solutionis conditione. Ita porro neque ullus, quoad solutionem, suspicioni locus, et explorata prorsus utilitas Ecclesiae obventura, quae cum plane constet, spes est, contractum suprema Auctoritate sanciendum, quod enixis precibus oro obtestorque –.

79. Itaque praedium, quod pro sua Ecclesia Parochus Emiliani emere curavit, Peritorum aestimatione et iudicio, longe excedebat reditum, eousque perceptum et in posterum percipiendum a sex terrulis, ad Ecclesia pertinentibus. Aderat igitur manifesta utilitas, et Ecclesia tempore alienationis maximum lucrum capiebat. Ratio autem ob quam primae Oratoris preces reiici meruerunt, ea fuit, quod non constaret de evidenti Ecclesiae utilitate, ob modum solutionis ab Antonio Zambrini propositum. Parochus enim utilem fundum pro Ecclesia emere vix unquam potuisset, nisi integram pecuniae summam in promptu habuisset. Evanescebat autem huiusmodi difficultas, quum Orator fundi Venditores esset nactus, qui pecuniae summam, idest scuta 2115. 40, ab Antonio Zambrini et Marco Magnani acciperent, et conditionem ratatim solvendi a Zambrinio propositam admitterent. Suadebant haec, probandum esse contractum pro Ecclesia ineundum; verum ex Peritorum relationibus apparebat de fundo agi, quem publica via intersecabat, et duo terrarum frustula a reliquo agro separabat, et in quo domus colonica aderat, quam tamen se aedificaturos et scuta centum quinquaginta erogaturos sponde-

(1) In form. legal. pract. tit. 5, ad form. 15, n. 8, tit. 1.

(2) Cetera Vid. in Verb. *Emphytheusis.*

(3) Barbos. Iur. Eccles. lib. 3, cap. 30, n. 15; Rot. diversor. part. 5, decis. 65, n. 48; et decis. 367, n. 5 et 7.

bant Venditores Petrus et Sacerdos Nicolaus fratres Rossini. Videndum hinc erat, an ante expletam domus constructionem dicendum esset, de Ecclesiae utilitate constare; vel certe, an providendum esset, ne constructio retardaretur, et ne fratres Rossini ante absolutam aedificationem exigere integrum pretium possent. Perpendendum quoque, fundum domo auctum, ad artis regulas constructa, aestimatum a Peritis fuisse scutis 2400; quamobrem pretio terrularum in scutis 2115. 04 addenda erant a Parocho Emiliani alia scuta 284. 96, quae tamen in tot censibus ad Ecclesiam spectantibus accipere fratres Rossini non detrectabant. Igitur, si contractum approbare placeret, venia quoque transferendi census ad pretium aequandum erat indulgenda.

80. Proposito tamen dubio:-An et quomodo consulendum Sauctissimo pro approbatione contractus in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit:-Dilata, et scribatur Episcopo pro deputatione Peritorum ex officio, qui distincte referant de valore et annuo reditu sex terrularum praebendae Parochialis et fundi fratrum Rossini, nec non de expensa necessaria pro constructione domus colonicae-*in Faventina Alienationis die 11 Iunii 1825.*

81. Episcopus mandatis Sacrae Congregationis obtemperans, Peritum ex officio elegit, qui valorem fundi fratrum Rossini ad scuta 2400, eiusque annuos reditus ad scuta centum viginti evexit, et pro domus colonicae aedificatione scuta 353 impendenda esse affirmavit; pretium vero terrularum, ad Parochialem Ecclesiam spectantium, ad scuta 1800, ac illarum annuos fructus ad scuta 90 cohibuit. Periti relationem transmittens haec addidit idem Episcopus: - Ad valorem quod attinet terrularum Praebendae Parochialis, uti et fundi Rossiniorum ad permutationem oblati, id utrumque videtur utique constare satis, inspectis, quae confidentissime exhibentur Peritorum iudiciis, quibus quidem, habita ratione accurationis omnimodae, nihil obstat, quominus fides habeatur. Quod vero attinet ad summam domus extruendae parem, illud video animadvertendum, erroris aliquid irrepsisse in iis, ad quos primum appellabatur, calculis; scutatis quippe centum quinquaginta aestimatam extructionis impensam, tametsi re diligentius inquisita animadversum, summam istam ad scutata ducentum quinquaginta pertingere *(Periti relatio impensas, ut supra, ad scuta 353 evehebat).* Atqui excessus hic ipse scutatorum centum trium *(verus autem excessus erat scutorum biscentum trium)* nihil omnino officit conditionibus, de quibus in contractu conventum est: hunc quippe excessum scutorum centum trium sese ipse recipit Parochus Emiliani suo ipsius aere insumpturum. Neque negligenda animadversio, quod fundus Rossinianus praebendae Merlaschii addicendus, utpote domo colonica in posterum instructus, uberiorem affert reditus, atque adeo Causae Piae multo utilior evadet-.

82. Permutationis contractum, de quo erat quaestio, si Eminentissimi Patres probandum censebant, decernere quoque oportebat, quomodo providendum esset pro scutis centum, quae deficiebant et necessaria erant ad domum colonicam in fundo fratrum Rossini aedificandam, et de quibus nihil habebat Episcopi relatio.

83. Reproposito interim dubio:-An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro approbatione Contractus in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit:-Affirmative, iuxta modum; nempe Episcopus praefigat terminum fratribus Rossini pro constructione domus proprio aere peragenda, acceptis scutis centum tribus a Parocho Emiliani oblatis, ipsique Rossini nomina Zambrini et Magnani in solutum recipiant, quacumque evictione favore Paraeciae remissa; quo vero ad consignationem censuum suspendatur, usque ad absolutam constructionem domus - *in Faventina Alienationis die 3 Septembris 1825.*

84. Dum Partes in eo erant, ut emptionis ac permutationis tabulas conficerent, innotuit Zambrinio, praedium a fratribus Rossiniis Ecclesiae tradendum hypothecariis inscriptionibus usque ad summam scutorum 1200 favore Ecclesiae S. Proculi dudum esse affectum, ob neglectam ab ipsis Rossiniis fundi transcriptionem. Quare inter Parochum Merlaschi et Zambrinium diu certatum est coram Episcopali Curia, quod ille contenderet, venditionis tabulas fore omnino exarandas ad tramites resolutionis Sacrae Congregationis; hic autem, ne evictionis periculo subesset, instrumentum obsignare penitus decrectaret. Tandem Partes eam sibi rationem ineundam arbitrati sunt, ut con-

troversiam omnem amica transactione componerent. Quare die 16 Augusti 1827, auctorante Vicario Generali, tam Parochus, quam Zambrinius, assentientibus Rossiniis, a subscribendo venditionis contractu resilierunt, atque Zambrinius ad rependenda damna Ecclesiae Parochialis et ad sumptus sarciendos summam scutorum centum viginti quinque favore Paraeciae Merlaschii investimento collocandam Rectori eiusdem Parochialis Ecclesiae numeravit.

85. Inde Parochus Emiliani enixis precibus Eminentissimos Patres obtestatus est, ut memoratam transactionem Apostolico Beneplacito roborare dignarentur atque insuper veniam impertirentur, ut ipse sextam terrulam vendere posset heredibus Marci Magnani, qui summam obtulerat scutorum 200, 47. Rogatus Episcopus, ut, auditis iis quorum intererat, votum suum aperiret, ac referret de parata occasione utilis investimenti, ea quae supra narrata habentur plane confirmavit; ac deinde subiunxit, memoratam transactionem cum Zambrinio initam in evidentem redundare Paraeciae utilitatem; ideoque Apostolicae Sedis approbatione dignam existimabat. Quo vero pertinebat ad fundum Magnanio vendendum, scripsit: - eumdem in terrula arata, arboribus expoliata, nuncupata *le Larghe* in hoc territorio sita tornaturarum 2, perticarum 6, pedum 7, unciarum 3 consistere, cuius integer valor, uti ex aestimatione Philippi Parani Episcopalis periti, ad scutatorum 133. 65 summam ascendit, quaeque terrula die 12 Iulii anni 1824 pro scutorum 2000 obulorum 47 summa Marco Magnani adiudicata fuit. Etsi Merlaschii Parochus fundum in promptu habeat, quem pro sua Ecclesia statim acquirere posset, dicta scuta 200 nec non alia scuta 125 a D. Zambrini, iuxta transactionem, cuius adprobatio expostulatur, accepta persolvendo; attamen, nisi prius Apostolicum Beneplacitum pro duobus enunciatis contractibus obtinuerit, dictam emptionem perficere non posse manifestum est -.

86. In themate de re sane dubia agebatur, utrum nempe teneretur Zambrinius, pactam salvere pecuniam pro praediis ab Ecclesia emendis, seu potius ob detectam hypothecariam inscriptionem, cui suberat praedium fratrum Rossini, a subscribendo contractu iure valeret resilire. Aliquid item vicissim remittebatur: Ecclesia enim abdicabat ius instrumenti conficiendi, et Zambrinius ad Ecclesiae damna aliquo pacto sarcienda solvebat scutata centum viginti quinque. At si venditionis permutationisque contractus perficiebatur, Ecclesia gaudebat praedio Rossini litibus obnoxio; Zambrinius autem ad sarta tectaque servanda iura Ecclesiae, periculo evictionis subesse debebat. Quocirca memoratam transactionem Parochiali Ecclesiae utilem ac probatione dignam existimabat Episcopus, inquiens: - Clare patet, Ecclesiam Parochialem non parum utilitatis ex hoc ultimo centum viginti quinque scutatorum lucro percipere; ideoque adprobatione, ut postulatur, digna videtur conventio -.

87. Similiter concedenda videbatur petita venia alienandi praediolum *le Larghe*. Etenim evidens in themate erat Ecclesiae utilitas; nam terrula, ab aliis Paraeciae fundis penitus seiuncta, et a Perito, ab Episcopali Curia electo, aestimata scutis 133. 65, vendebatur scutis 200, 47. Insuper evidentius apparebat utilitas, si ratio habebatur scutorum centum viginti quinque, quae seorsim parum proderant, unita vero scutata 200. 47, modum suppeditabant ampliorem et Paraeciae magis utilem comparandi fundum. Tandem Sacra Congregatio plurimi facere semper suevit Episcopi votum, qui haec habebat: - Etiam atque etiam adprecor, ut praefato Parocho facultas concedatur vendendi D. Magnani fundum, de quo agitur, ab aliis seiunctum, cum huiusmodi contractus Ecclesiae suae sit valde utilis, cumque pertimescendi locus adsit ne, si dictus contractus variis abhinc annis pendens ulterius differatur, defuncti Magnani Heredes conventionibus ab eorum Auctore statutis stare velint -.

88. His ideo perpensis, propositis dubiis: - I. An sit supplicandum Sanctissimo pro approbatione transactionis in casu etc.

II. An sit concedendum Apostolicum Beneplacitum pro alienatione fundi *le Larghe* in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum et secundum, Affirmative; iuxta votum Episcopi - *in Faventina Alienationis die 26 Iunii 1830.*

89. Hinc, etsi res minus pretiosae et exigui valoris absque Solemnitatibus alienari valeant, intercedere tamen debet evidens Ecclesiae seu Loci Pii utilitas, consensus interesse habentium, et auctoritas legitimi Superioris,

idest Episcopi *in Capuana die 15 Iulii 1848* §. *Huic* (1).

90. Similiter, quum agitur de Episcopi alienatione seu donatione ex bonis suae Mensae episcopalis favore sui Capituli, Solemnitas non est necessaria *in Strigonien. die 17 Decembris 1718* §. *Eminentissimus* (2).

91. Vel saltem alienatio seu donatio talis naturae et indolis reputantur, ut confirmationem Apostolicam mereantur, quemadmodum in terminis perpetuae applicationis annuorum scutorum 876 ab Episcopo Liparitano subtractorum ex reditibus suae Mensae Episcopalis pro constituendis quotidianis distributionibus dividendis inter Canonicos, et Dignitates suae Ecclesiae respondit Sacra Congregatio die 18 Septembris 1683 *in Strigonien. die 17 Decembris 1718* §. *Eminentissimus.*

92. Amplia, non obstante, quod, ad effectum praedictum constituendarum distributionum, alius modus fuerit a Sacro Concilio Tridentino insinuatus in Sess. 21 cap. 3 et in Sess. 22 Cap. 3 de reformatione *in Strigonien. die 17 Decembris 1718* §. *Eminentissimus* (3).

93. Ubi vero periculum est in mora, tum possunt despici Solemnitates, cum alienatio fiat necessaria *in Urbinaten. Nullitatis Contractuum die 18 Augusti 1804* §. *Contra* (4):

94. Nam et in bonis Ecclesiae alienandis, si quidem etiam fiat ex iuris necessitate, placitum Romani Pontificis non desiderari suadet auctoritas plurimorum Doctorum (5) *in Assisien. Census die 3 Aprilis 1841* §. *Enimvero.*

95. Et expresse circa Census redemptionem hac sane de causa tradunt Monacelli (6) et et S. Rota (7) *in Assisien. Census die 3 Aprilis 1841* §. *Enimvero* (8).

96. Unde et in distractione rerum, quae servando servari nequeunt, quaeque nullam aliam Domino afferunt utilitatem, nisi pretium ex venditione proveniens, non exigi Solemnia iuris, quisque sibi facile suadebit, qui noverit doctrinam in Extravaganti *Ambitiosae* contentam, atque a Sacrorum Canonum Expositoribus traditam (9) *in Capuana die 15 Iulii 1848* §. *Neque minus.*

97. Itaque, cum quis non alienaverit res immobiles, vel mobiles pretiosas, sed chirographum *Rescriptionis*, inquirendum est, num ipse in hac alienatione committenda peccaverit in Extravaganti Ambitiosae - *in Mathelicen. Sanationis die 1 Martii 1817* §. *Alienantes.*

98. Hinc statuendum est, in qua rerum speciem chirographa huiusmodi accensenda fore, ut cognoscatur, num ex illis sint, quas Sacri Canones, absque Solemnitate, alienare vetant *in Mathelicen. Sanationis die 1 Martii 1817* §. *Hoc.*

99. Sane ad res mobiles, vel immobiles referri non posse videntur *in Mathelicen. Sanationis die 1 Martii 1817* §. *Hoc.*

100. Praeseferunt potius speciem pecuniae, cum in pretium acquisitionis bonorum fiscalium erogari possent *in Mathelicen. Sanationis die 1 Martii 1817* §. *Hoc.*

101. Utrum vero pecuniae cadant sub censura Extravagantis *Ambitiosae*, controversia est inter Canonistas *in Mathelicen. Sanationis die 1 Martii 1817* §. *Hoc.*

102. Alii negant: quia inventa est pecunia ad commutationem faciendam emendumque, et non datur aut accipitur, ut conservetur; sed ut in alios usus convertatur *in Mathelicen. Sanationis die 1 Martii 1817* §. *Hoc.*

103. Nec servata ullum fructum parit, sed otiosa remanet; adeoque res est, quae ex sua natura et fine servando servari nequit: tales autem res alienari absque Solemnitate possunt

(1) Nicol. in prax. can. tom. 2, n. 17 et seqq.; Fagnan. in cap. *Nulli*, de reb. Eccles. alien. vel non.

(2) Cap. *Ut super*, de reb. Eccles. alienan. vel non; et late Oldrad. consil. 182; Turricell. de reb. Eccles. non alienan. cap. 15, n. 77 et seqq.; Boscul. in controv. feudal. cap. 4, n. 49, post Card. De Luc. de feud.; Rot. in decis. 756, n. 3 et 4, part. 1 divers.

(3) Species causae huius ac dubii resolutio prostat in Verb. *Alienatio*, §. IV, n. 268 ad 271.

(4) Card. Petra ad Constit. Apost. tom. 1, sect. 4, n. 102; Zanch. de Laesion. part. 1, cap. 7, n. 34.

(5) Quos inter Reiffenst. in lib. 3 Decret. tit. 13, n. 50; Schmalzg. eod. loc. n. 62; Card. Petra ad Constit. Apostol. tom. 1, pag. 101, n. 36.

(6) In form. legal. tit. 5, form. 15, n. 24.

(7) In decis. 194, n. 14, part. 13; et decis. 19, n. 15, part. 13 Recent.

(8) Reliqua Vid. in Verb. Census.

(9) Praesertim Schmier. de iur. canon. lib. 3, tract. 1, part. 2, cap. 4, sect. 11, §. 2; Card. De Luc. de alienat. lib. 7, part. 3, disc. 1, n. 26; Rot. in decis. 63, §. 1, part. 2 Recent.

in Mathelicen. Sanationis die 1 Martii 1817 §. *Hoc* (1).

104. Alii vero distinguunt inter pecunias, quae ex fructibus bonorum congeruntur, et pecunias redactas ex venditione bonorum et destinatas ad acquirendas res immobiles, vel mobiles pretiosas *in Mathelicen. Sanationis die 1 Martii 1817* §. *Hoc.*

105. Has enim erogandas esse in destinatos usus, adhibitis Solemnitatibus, tenent *in Mathelicen. Sanationis die 1 Martii 1817* §. *Hoc* (2).

106. Verum Sacra Congregatio, ex eo quod Sanationem huiusmodi venditionis chirographi *Rescriptionis* concesserit, videtur sub censuram Extravagantis *Ambitiosae* cadere censuisse *in Mathelicen. Sanationis die 1 Martii 1817.*

107. Amplia, id edixit, etiamsi huiusmodi alienatio peracta non fuerit inconsulto Episcopo, et causa adesset alienandi, ne scilicet *Rescriptiones* perirent, nec Ecclesia pro conditione temporum in damno versaretur *in Mathelicen. Sanationis die 1 Martii 1817*

108. Hisce siquidem concurrentibus, Sanatio concedi solet *in Mathelicen. die 1 Martii 1817* §. *Nihilominus* (3).

109. Proposito enim dubio: - An sit consulendum Sanctissimo pro sanatione et dispensatione ab irregularitate in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative quoad sanationem; et quoad dispensationem, in casu de quo agitur, non indigere - *in Mathelicen. Sanationis die 1 Martii 1817* (4).

110. Hinc, si alienatio profutura cognoscatur Legato Pio, concedi solet Sanatio *in Montis Alti Sanationis et Subrogationis die 29 Martii 1817* §. *Nullo.*

111. Nec ullum impedimentum parare possunt Patroni et interesse habentes, quominus alienatio seu permutatio fiat; id enim permitti solet cum nedum ex alienatione seu permutatione nullum damnum Ecclesia vel Locum Pium capit, sed imo in evidentem eius utilitatem cedit; quo quidem in casu, spreta etiam Compatronorum et interresse Habentium dissensu, utpote iniusto et irrationabili, alienationis et permutationis gratia indulgeri solet *in Montis Alti Permutationis die 8 Maii 1819* §. *Eas* (5)

112. Praesertim, si alienatio bona fide peracta sit, tunc enim arbitrio Iudicis sustineri debet *in Caietana Redintegrationis die 5 Iulii 1856* §. *In absurdissima* (6).

113. Maxime, quum bona fides etiam Heredibus suffragetur, in reperta bonorum libertate *in Caietana Redintegrationis die 5 Iulii 1856* §. *In absurdissima.*

114. Quando propterea concurrat iusta alienationis causa et evidens Ecclesiae utilitas, Sacra Congregatio concedere potest et solet Sanationem *in Camerinen. Alienationis die 17 Decembris 1814* §. *Haec.*

115. Siquidem Carolus Ribecchi e Villa Valliculi die 8 Ianuarii 1793 heredem universalem ac proprietariam omnium suorum bonorum dixit Ecclesiam Parochialem Sanctissimi Rosarii Valliculi cum onere Parocho pro tempore celebrandi tot Missas ad rationem duorum iuliorum, quot fructus ferrent bona, relinquens interim usufructuarias suas sorores Luciam et Felicem, donec vitam agerent. Dum vixit praefatus Carolus Ribecchi imposuit super praedio *la Valle* censum annuum scutorum septem, illumque publico stipulato instrumento diei 1 Octobris 1772 vendidit pretio scutorum biscentum Francisco Antonio Tomassini, cuius iura alio rogato instrumento die 12 Decembris 1809 acquisivit Venantius Biocca, Parochus Ecclesiae Sanctissimi Rosarii Villae Valliculi, quae, ut antea dictum est, heres proprietaria a Carolo Ribecchi huius census debitore instituta fuerat.

116. Viventibus adhuc Lucia et Felice heredibus usufructuariis, terrae motu concussa fuit Ecclesia Parochialis S. Luciae, cui subiicieba-

(1) Schmalzgrueb. ius Eccles. tom. 3, part. 1, tit. 13, n. 149.

(2) Vasquez de redit. cap. 2, §. 2, n. 44; Donat. prax. Regul. tom. 1, part. 2, tract. 14, quaest. 52, n. 2; Pirrhing in ius canon. lib. 3 Decret. part. 2, de reb. Eccles. non alien. cap. 4, n. 41.

(3) Thesaur. quaest. foren. 37, n. 2, lib. 3; Card. De Luc. de alienation. disc. 1; Card. Petra ad Constit. Apost. tom. 1, pag. 91, n. 84; Rot. in decis. 350, n. 18, coram Puteo, part. 3 Recent.

(4) Causae huius species prostat in Verb. *Alienatio*, §. III, n. 83 ad 88.

(5) Uti tradunt post Textum in can. *Sine exceptione* 32, caus 12, quaest. 2; et in cap. *Ut super*, §. Possessiones, de reb. Eccles. alien. vel non, Redoan. de reb. Eccles. non alienan. quaest. 20, n. 54; Barbos. de iur. Eccles. lib. 3, cap. 30, n. 13; Card. Petra ad Constit. 1 Divi Leonis Magni, sect. 4, n. 183; Sperell. decis. 154, n. 15, 16 et 83.

(6) Rot. in decis. 544, n. 13, coram Caprara.

tur Ecclesia Sanctissimi Rosarii, heres proprietaria Caroli Ribecchi. Sacerdos Venantius Biocca preces admovit Sacrae Cangregationi, ut ei liceret Parochialem Ecclesiae S. Luciae fere omnino collapsam transferre ad Ecclesiam Sanctissimi Rosarii. Ut vero consuleret expensis, quae pro amplianda hac Ecclesia, et a fundamentis extruendis aedibus Parochialibus iudicio Peritorum scuta tercentum quinquaginta requirebantur, facultatem imploravit vendendi coementa quassatae Ecclesiae S. Luciae, unde scuta centum quinquaginta haberi poterant, et pro reliquis scutis bis centum sex imponendi censum, super fundo hereditatis Ribecchi. Ipse autem Parochus sese promptum paratumque exhibuit, ad solvendos fructus, – donec vixerint Sorores Ribecchi usufructuariae; hisce vero defunctis sese obligavit, ad celebrationem Missarum, pro simplici Iulii eleemosyna, si ad huiusmodi celebrationem Successores cogantur, donec census fuerit extinctus –. Archiepiscopus huic instantiae suffragatus est, ea tamen lege, – ut Orator idoneum offerat Fideiussorem, qui in solidum obligationem emittat, tum persolvendi fructus census scutorum bis centum usque ad obitum dictarum Sororum, tum praesertim perficiendi onus aedificiorum, de quibus in precibus –. Quae preces relatae per Summaria Precum in Congregatione diei 20 Ianuarii 1798, rescriptum fuit: – Archiepiscopo, qui pro suo arbitrio et conscientia Oratori gratis indulgeat, iuxta petita et superius descriptum eius votum –.

117. Quum postea varii supervenissent casus et discrimina rerum, Parochus Venantius Biocca nonnisi anno 1803 usus est facultate a Sacra Congregatione sexennio fere ante tributa, quo anno die 8 Novembris publico stipulato instrumento censum in annuis scutis decem imposuit super praedio *Camponovo,* ad hereditatem Caroli Ribecchi spectante, illumque pretio scutorum bis centum vendidit Comiti Aloisio Foschi, Patritio Camertino.

118. Defunctis exeunte anno 1808 Sororibus Lucia et Felice Ribecchi, venit dies, quo purificata est substitutio Ecclesiae Sanctissimi Rosarii. Sed, quum eam regionem teneret extera dominatio, non potuit Parochus Venantius Biocca possessionem capere bonorum hereditariorum Ribecchi, nam in ea invasit sacrilegum Demanium, quod inventarium confecit, mobilia vendidit, stabilia publicae licitationi exposuit, ut, ex pretio retrahendo, aere alieno Caroli Ribecchi dimisso, quod superesset, deglutiret. Quare Parochus Venantius Biocca, quominus detrimentum Ecclesiae caperet, censuit inire foedus cum Patre suo Philippo Biocca et Comite Aloisio Foschi, ut ipsi ad haec bona licerentur, ita ut in partem pretii compensarent credita, quae contra hereditatem Ribecchi habebant, partem praeterea pretii in dimittendum hereditarium aes alienum erogarent, residuum vero pretium post annos duo de viginti rependerent, solutis interea fructibus compensativis. Quum tamen ea essent temporum iniquitas, ut aditus ad Sanctam Sedem esset interclusus, nec venia Apostolica ad stipulandum contractum huiusmodi impetrari posset, Parochus Biocca nomine etiam Patris et Comitis Foschi Spoletum venit consultum excellentissimum Cardinalem Antonelli Magnum Poenitentiarium, qui eo loco detinebatur, num tuta conscientia bona hereditatis Ribecchi acquirere posset. Cui consulenti respondit excellentissimus Antonelli, licere; dummodo acquirerent animo restituendi bona, et parendi ad omne mandatum Ecclesiae.

119. Itaque die 6 Aprilis 1810 rogato instrumento a Demanio, venditi fuerunt fundi hereditarii Caroli Ribecchi a Philippo Biocca pretio librarum 5138. 96, seu scutis 960. 55. Ex quibus Philippus solvere promisit Libras 2216. 34, seu scuta 414. 36 in extinctionem debitorum hereditariorum, residuas vero Libras 2922. 11, seu scuta 516. 18 ½ infra terminum annorum duodeviginti repraesentare, solutis interea fructibus scutorum quinque in singula centum. Inde, postquam supervenit felix rerum mutatio, tam Comes Antonius filius interea defuncti Aloisii Foschi, quam Parochus Venantius Biocca, eiusque Pater Philippus, preces obtulere, quibus convalidationem venditionis et emptionis bonorum Ecclesiae postulantes, declararunt, se promptos paratosque esse bona empta restituere, ea tamen conditione, ut reintegrationem consequerentur de expensis ab ipsis factis in manutenendis fundis, atque etiam eorum creditis atque pecuniis solutis in dimittendo aere alieno hereditatis Ribecchi. Venditionem huiusmodi utilem Ecclesiae fuisse affirmarunt; idcirco Sanationem contractus atque opportunam absolutionem a

*

censuris, si in eas inciderint, obtinere confiderunt.

120. Archiepiscopus in sua informatione, expositis quae hucusque dicta sunt, affirmavit, - bona vendita fuisse iustissimo pretio, nimirum pretio ultra triplum maiori pretio ultra triplum maiori pretio censuali, ac huiusmodi emptionis et venditionis contractum, omnibus attentis verissimis circumstantiis, tam Parochialis Ecclesiae, quam Rectoris pro tempore cessisse in evidentem utilitatem -. Addidit praeterea, vires deficere Ecclesiae Parochiali, si rescisso contractu huiusmodi restituere deberet summas Emptoribus debitas, ita ut vel cogeretur aes alienum contrahere gravioribus conditionibus, quam par esset, vel bona recuperanda iterum venditioni exponere, et difficilius ex pretio retrahendo tanta superesset summa, quae cederet in utilitatem eiusdem Ecclesiae. Ex his conclusit: - rescissionem contractus emptionis venditionis bonorum, ad hereditatem Caroli Ribecchi spectantium, non expedire; expedientissimum vero esse, ut, praevia absolutione dumtaxat ad cautelam a quacumque censura ac respectiva etiam dispensatione super irregularitate ab Oratoribus incursa, et ab altero ex eis quomodolibet contracta misericorditer indulgenda, initi contractus emptionis et venditionis, ex integro approbetur, non secus ac si ab initio Apostolica delegata Auctoritate initi fuissent -.

121. Causa et quidem legitima subesse videbatur, cur bona licitationi exponerentur, ut scilicet dimitteretur aes alienum hereditatis Biocca, quod ab Ecclesia Sanctissimi Rosarii herede instituta dissolvendum erat, nec modum habebat unde pecunias ad hoc haberet; proptereaque bona hereditaria erant necessaria distrahenda. Ad utilitatem quod spectabat compertum erat, bona huiusmodi vendita fuisse multo maiori, quam in catastro aestimata fuerant. Accedebat, illam conditionem appositam, ut pretium residuum solveretur post annos duo deviginti, repraesentantibus interea fructibus recompensativis scutorum quinque in singula centum, fuisse Ecclesiae utilem, cum ita factum fuerit, ne Demanium hoc residuum pretium obliguriret. Id unum fortasse Ecclesiae minus utile videri poterat, quod in partem pretii Emptores compensarunt sortes binorum censuum, de quibus Creditores erant. Sortes autem huiusmodi erant irrepetibiles ex natura contractus, nisi eas Ecclesia Sanctissimi Rosarii debitrix voluisset redimere.

122. Ceterum, dum ex his Archiepiscopus putavit expedire Ecclesiae, ut Sanatio concederetur, proposuit modum, quo contractus huiusmodi sanandi sint; scilicet, ut fructus, qui solvendi erant, pro residuo fundorum alienatorum pretio, infra annos duodeviginti repraesentando, et iam debiti a die 6 Aprilis 1810, quo die initus fuit contractus, et deinceps decurrendi, deponerentur penes idoneam personam ab Archiepiscopo approbandam, quae hoc depositarii munus gratis assumeret; ut summa deposita pro medietate erogaretur in Missas a Parocho pro tempore Sanctissimi Rosarii ad taxam obulorum viginti celebrandas, iuxta Testatoris Ribecchi voluntatem; ut altera medietas, detractis expensis, tum factis pro impetranda Sanatione contractuum, tum faciendis pro annua administratione, servaretur apud Depositarium, donec pervenerit ad scuta quinquaginta, et tum in tutum investimentum collocaretur; ut annui fructus ex faciendis investimentis pari modo erogarentur pro medietate in celebrationem Missarum, pro altera medietate in investimentum; ut tamdiu perduraret investimentum huiusmodi, quamdiu coacervaretur summa scutorum 766. 70, quae unita summae residui pretii bonorum in scutis 533. 30 pertingerent ad summam scutorum 1300, quanti erat hereditas Ribecchi; ut tribueret Ordinario facultas cogendi Parochum Venantium Biocca ad reddendam rationem, tum de gesta administratione hereditatis Ribecchi, tum de pecuniis ab ipso erogatis in fabricam Ecclesiae aediumque Parochialium.

123. Ad censuras vero quod pertinebat, stante bona fide, rectissima intentione et temporum conditione, dubium esse videbatur, num in censuras et irregularitatem incidissent, ut eisdem, quemadmodum Archiepiscopus putabat, ad cautelam tantum absolutio et dispensatio concederetur. Propositis hinc dubiis: - I. An contractus, de quibus agitur, sint irritandi, seu potius sanandi in casu etc.

II. An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione a censuris et respective dispensatione ab irregularitate in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Ad primum, Ad mentem: Mens est, quod D. Secretarius curet cum Sanctissimo

Sanationem contractuum, iuxta votum Archiepiscopi, firma remanente hypotheca super fundis, usque dum solutum fuerit integrum pretium et reddita per Parochum Biocca ratione coram Archiepiscopo, qui provideat pro investimento superextantium redituum, et pro adimplemento Missarum ad eleemosynam unius Iulii, donec habeatur integer cumulus scutorum 1300. Ad secundum, Affirmative ad cautelam – *in Camerinen. Alienationis die 17 Decembris 1814.*

124. Quando vero subrogetur aliud terrenum in locum alienati fundi, facilius conceditur Sanatio *in Montis Alti Sanationis et Subrogationis die 29 Martii 1817* §. *Nulla.*

125. Antequam vero Sanatio et Subrogatio concedatur, nedum constare debet de Beneficii seu Legati Pii utilitate, sed consensus interesse habentium exquiritur, cum potissimum fundus, extra locum erectionis Beneficii seu Legati Pii positi, subrogari velit *in Montis Alti Sanationis et Subrogationis die 29 Martii 1817.*

126. Enimvero de iure nominandi ad laicalem Capellaniam institutam a Petro Andrea Marinucci disputatum fuit apud S. Congregationem inter Elisabetham Marinucci et Valentinum Marinucci in Montis Alti Capellaniae 22 Augusti 1795, et proposito tertio dubio: – An et cui competat ius nominandi Capellanum in casu etc. –, rescriptum fuit: – Competere Elisabethae Marinucci pro duabus ex tribus vocibus, excluso Valentino pro tertia voce, et amplius –. Haec porro tertia vox ad Lucam Carlini et Mariam Paris pertinebat. Ad hanc Capellaniam nominatus fuit Clericus Franciscus Moroni dictae Elisabethae filius, qui, licet ad coniugalia vota transiisset, attamen, ex indulto Apostolico a S. Poenitentiaria dato die 2 Decembris 1815, Capellaniam ipsam in statu Coniugali retinebat, impletis vero oneribus, prout Fundator praescripsit. Pro omissionibus praeteritis compositionem a Rev. Fabrica obtinuit, simulque reductionem quoad futurum ad unam ex duabus Missis hebdomadalibus, iuxta fundationem celebrandis.

127. Quum ipse Franciscus Romae lares fixisset et fundi Capellaniae essent in agro Oppidi Castineani descripti in Catasti tabulis pro valore scutorum 612. 44, melius sibi consultum fore putavit, si eos alienaret, cum in proxima rerum perturbatione annuus fructus pene consumptus esset ex impositionibus, quas probabat per triginta duas vices ab ipso fuisse solutas. Alienavit tamen, non impetrata venia Apostolica; sed, abutens iis legibus, quibus tunc per eas regiones bona Ecclesiastica et Piorum Legatorum diripiebantur, et censum activum pro securitate implendorum onerum subiecit. Pretium retractum scutorum sexcentum in emptionem erogavit fundi apud Urbem, extra Portam Angelicam positum.

128. Restituta tranquillitate Franciscus Moroni a S. Poenitentiaria imploravit absolutionem pro commissa alienatione; sed, impetrata absolutione, eidem iniunctum fuit, vel ut constitueret fundum in locum, quo erectum erat Beneficium, vel pro ulteriori provisione ad Sacram Congregationem Concilii recurreret. Itaque preces convertit ad Sacram Congregationem, ut Sanationem impetraret, facta subrogatione terreni, quod extra Portam Angelicam possidebat, in locum alienati fundi. Episcopus in sua informatione narrata confirmavit, et transmisit Indultum ab Oratore impetratum, ad effectum retinendi Capellaniam in statu Coniugali; Indulta vero compositionis et reductionis Missarum se vidisse inquit, sed tunc minime reperiebantur.

129. Orator quidem Sanationem postulavit, subrogato altero fundo, scilicet terrenum sativum petiarum quatuordecim, aestimatum a Perito ab ipso Oratore electo in scutis 1040, quod ipse extra Portam Angelicam acquisivit, ex pretio scutorum 600, retracto ex alienatione originarii fundi Legati Pii, quod immune erat ab omni hypothecae nexu, ut constabat ex attestatione officii Inscriptionum: at perpendi debebat, num de utilitate constaret, quum, licet valor subrogandi fundi maior esset, attamen praedium Capellaniae fuit alienatum pro valore Catasti, qui semper inferior est iusto. Atque maior dubitatio oriebatur, num subrogatio fundi in Urbe positi permittenda esset, seu potius in Oppido Castineani, in quo facta fundatio erat. Repugnabat Aloisius Marinucci, qui se patronum huius Legati pro tertia parte asseverabat, ex quadam transactione a suis Maioribus inita. Renuebat etiam Episcopus; tum quia subrogatio facienda est in loco, quo existit Capellania, ut bona accuratius custodiri possint, nec ullum praeiudicium ius habentibus inferretur;

tum ut implerentur onera Capellaniae, et Episcopus Negligentes compescere posset.

130. Ad haec tamen respondit Franciscus Moroni Orator; nullum ius competere Aloisio Marinucci, quippe qui filius Valentini iamdiu a Sacra Congregatione a patronatu exclusi, sed tertiam partem spectare Lucae Carlini et Mariae Paris, quas aetate graves et improles esse deponebat Parochus: non agi vero de Beneficio in aliqua Ecclesia instituto, sed de Capellania, ut Fundator appellavit, aut Legatum simplex, aut Iuspatronatus laicale, cui subiecit bona tam in agro Oppidi Castineani existentia, quam extra in aliis locis, in quibus heredes instituit, cum oblatione onerum Missarum. Hinc deduxit, necesse non esse, ut bona manerent in agro Castineani, et pro implemento onerum reliquisse annuum censum, ut Episcopus modum haberet, quo Missas implere faceret.

131. Proposito interim dubio: - An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro sanatione in casu etc. -, S. Congregatio responsum dedit: - Dilata, et ad mentem; Mens est: scribatur Vicario Capitulari, qui audiat omnes interesse habentes, praesertim Patronos, et transmittat Instrumentum alienationis fundi Capellaniae, ac referat de eiusdem valore et annuo reditu per Peritum ex officio, et ad D. Secretarium pro deputatione Periti, ad effectum statuendi valorem et fructum fundi extra Portam Angelicam, requisito Instrumento acquisitionis - *in Montis Alti Sanationis et Subrogationis die 29 Martii 1817.*

132. Quin imo, stante Causae Piae utilitate ac praesertim deficiente modo, quo bona alienata reintegrari valeant, pro temporum rerum morumque circumstantiis conceditur Sanatio transactionis nulliter initae nec non absolutio a censuris, imposita aliqua salutari poenitentia, atque sanatio et absolutio a Missis inadimplet is, iniuncto aliquo onere Missarum pro unica vice, arbitrio Episcopi celebrandarum *in Novarien. Transactionis die 24 Novembris 1821.*

133. Iamvero Ioannes Piazza Oppidi *Massiola* Novariensis Diaecesis in supremo suae voluntatis elogio anno 1700 conscripto heredem dixit Catharinam eius filiam, eique mandavit geminas Capellanias instituere, alteram in Oratorio S. Laurentii Martyris loci *Ramate*, alteram in Parochiali Ecclesia *Massiola* ad aram B. M. V. sub titulo de Rosario dicatam. Vita functo Testatore, eius Agnati contendentes, bona Capellaniis assignata vinculo fideicommissi obnoxia esse, erectioni obstiterunt. Post diurnas contentiones, prima tantum fuit erecta. Anno autem 1765 quidam Sacerdos Ioseph Antonius Beltrami, a fundatore Piazza feminina linea descendens, cupiens fortasse materni Avi hac saltem in parte voluntatem impleri, proprio aere secundam Capellaniam erigi curavit, eamque dotavit scutorum quadraginta duo et obulorum quinquaginta tres, quae, ipso Sacerdote defuncto, Ioseph eius frater in bonis stabilibus assignavit.

134. Attamen Successores hereditatis, non reditus solum, sed etiam maiorem capitalium partem Capellaniae assignatam, consumpserunt. Quo factum est, ut illius nepos clericus Iosephus Beltrami, ne pia voluntas Testatoris evanesceret, in ius vocaverit Claram Beltrami Sacerdotis heredem, pro reintegratione Beneficii, coram *Cultus,* ut aiunt, Ministro, qui decrevit, causam esse ferendam ad localem *cultus* Delegatum, ponendaque esse sub sequestri lege superextantia bona: apud hunc lis instaurata est (1); sed placuit postea utrique Parti, deserta lite, amice rem componere. Inita hinc fuit transactio, cuius haec erat summa: primo, quod nunquam haberet locum erectio Beneficii in Oppido *Massiola* sub titulo et in altare Sanctissimi Rosarii, quia ibidem alterum Beneficium fuerat ab eadem familia Piazza fundatum. Deinde, quum reditus alterius Beneficii, erecti in loco *Ramate,* valde essent imminuti, ac per consequens ad normam reditus numerus Missarum redactus, convenerunt Partes de illo reintegrando, prout in instrumento pristinae fundationis cautum fuerat. Oneri tandem huiusmodi Capellaniam manutenendi sese subiecit praedicta Clara Beltrami; quae bona nonnulla in illius dotem publicis tabulis inscripsit, et in instrumento transactionis diei 3 Aprilis 1809

(1) Mulier vero praevidens infaustum exitum ex aequitate petiit, ut in §. *Attamen* - ibi - Sebbene sia inconcusso il dovere del nominato di lei Suocero all' erezione anzidetta per avere accettata l'eredità del Sig. Sacerdote di lui germano, essendo però la stessa esuberantemente aggravata de' debiti, come così fu aggravata l'eredità, che dal Suocero ha detta Chiara conseguita, intese la medesima sul di lei stato di numerosa figliuolanza più sostenuta dalle di lei industrie, che dal reddito dello scorso patrimonio, di poter implorare in ogni caso tutti i soccorsi -.

nuncupavit, dum scilicet ea subrogavit pro summa libellarum Mediolanensium mille quatuor centum, distractis capitibus a Iosepho.

135. Observabatur interim, anteactis rerum publicis calamitatibus reditus Capellaniae Sancti Laurentii loci *Ramate* non parum imminutos esse, ita ut scuta duodecim circiter tunc retraherentur. Altera vero sub invocatione Sanctissimi Rosarii habebat reditus scutorum quadraginta duo et obulorum quinquaginta tres. Vi autem compositionis haberet reditus scutorum quadraginta et obulorum sexaginta quatuor; quibus, si adderentur alia scuta duodecim, quae ex Capellania sub titulo S. Laurentii unienda promanabant, integra summa erat scutorum quinquaginta tres circiter. Hac hinc posita unione, Capellano seu Beneficiato imponetur onus celebrandi Missas in testamento statutas, videlicet bis centum quinquaginta, et idem Capellanus sacris functionibus interesse deberet in Ecclesia Parochiali, tum Missis, cum divinis Officiis Parochialibus, iuxta fundationem Ioannis Piazza. Huiusmodi transactionis ab Apostolica Sede approbationem, quam tunc ob praeteritorum temporum acerbitatem postulare nequiverant, inde postularunt Carolus Ioannes et Clara Beltrami, quorum precibus obsecundabatur in requisita informatione Episcopus per haec verba: – Reliquum est, ut EE.VV. significem in probatam compertamque Vicario nostro Foraneo compositionis utilitatem fuisse, qui de ea mihi accurate et sedulo rescripsit, dignosque renuntio Oratores, qui voti compotes fiant per Eminentias Vestras –.

136. Utilitas haec ex eo praesertim desumebatur, quod transactio inita fuisset super re incerta, et laicum Tribunal, quum leges tunc vigentes omnia contendebant solvere vincula, quibus subiecta erant Ecclesiae bona, infensum iudicium exercere potuisset. Nihil enim boni sperandum infaustis illis temporibus erat favore Capellaniae, in quibus ita sacra prophanis miscebantur, ut omnia indistincte humanis politicorum placitis subiicerentur. Ceterum fructus et capitale Capellaniae S. Laurentii Martyris valde iam erant imminuta, ita ut onus illi impositum a pio Testatore reintegrare haud potuisset, nisi alia substituerentur bona, unde iam redactae ad ratam reditus fuerant Missae. Igitur factum videbatur sine dolo vel fraude, ut qui supererant Capellaniae SS. Rosarii reditus alteri Capellaniae unirentur ad unius reintegrationem. Hisce omnibus addebantur expensae pro Legatis factae, quae legitimam dabant causam transigendi, ne ultra multiplicarentur.

137. Secus tamen se res habebat, quoad utilitatem transactionis inter Partes peractae. Non parum enim iura Causae Piae, quae sarta tectaque servanda erant, imminuta noscebantur. Ex duobus Capellaniis una tunc constituebatur. Bona pro singulis assignata partim dilapsa in actu ipso transactionis fuerunt remissa. Non ergo pacti sunt Contrahentes pro Legati Pii utilitate, cui potius compertum erat, non levem iacturam attulisse. Hinc, si secundum Canonum dispositiones esset agendum, nedum nulla videbatur pacta conventio, sed nec digna Pontificia sanctione. Siquidem in censuras etiam incidisse patebat Transigentes, ob initam concordiam, in qua probaverant fundorum Capellaniae alienationem, ac pacti erant aliorum subrogationem, cuius reditus minores erant iis a Fundatore relictis, et sic Beneficium deterioris reddiderant conditionis: quae quidem omnia peracta erant, ne reservato quidem Apostolico Beneplacito. Verum absolutioni viam sternere videbantur calamitates, in quibus difficillimus erat ad S. Sedem accessus, et Oratorum bona fides, quae commendabatur ab Eminentissimo illius Urbis Episcopo. Ac insuper animadvertebatur, quod licet Clericus Beltrami male se gesserit, dum Laicae Potestatis imploravit praesidium, attamen id fecerat, ne perirent Capellaniae seu Beneficii iura, rectamque fuisse eius intentionem. Demum ad sanationem et absolutionem Missarum Capellaniae quod spectaret, ea erigi debebat, iuxta voluntatem Ioannis Piazza ad Altare SS. Rosarii in loco *Massiola,* quare adimplementum per seculi fere spatium omissum erat, ac tunc ignorabatur, utrum celebrarentur.

138. Rebus sic stantibus, propositis dubiis: – I. An sit locus sanationi transactionis et concessioni Beneplaciti Apostolici in casu etc.

II. An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione a censuris in casu etc.

III. An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione et sanatione Missarum non celebratarum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum secundum et tertium, Eminentissimo Episcopo pro nova informatione, et

transmittat statum activum et passivum Capellaniarum, tum de tempore factae fundationis, tum de praesenti, et referat de annuo reditu a Fundatoribus assignato utrique Capellaniae ad monetam Romanam, et de numero Missarum quolibet anno celebrandarum, nec non de alienationibus commissis, et a quibus commissae sint, an sint qui teneantur ad redintegrationem, ac de Missis hactenus inadimpletis – *in Novarien. Transactionis die 20 Ianuarii 1821.*

139. Rescripto Sacrae Congregationis obsecundans Eminentissimus Episcopus in haec verba respondit: – Reditus Capellaniae erectae in loco *Ramate* in prima sua institutione fuisse libellarum 301 Mediolanensium scutorum Romanorum quadraginta tres circiter cum onere Missarum bis centum quinquaginta a Capellano celebrandarum, qui item tenebatur adesse Paroco sacra Parochialia agenti: alterius vero Capellaniae reditus erant ab initio suae erectionis libellarum 318 Mediolanensium scutorum Romanorum quadraginta sex circiter cum onere eodem, quo in priori supradicta Capellania –. Descriptis inde bonis, quae alienata erant (1), proferebantur bona, quae in transactione assignata extabant (2); quin interim praelaudatus Episcopus alium sciret suppeditare modum, quo integra restauraretur dos Capellaniarum, nisi confirmaretur et rata haberetur transactio gesta. Constabat vero, nunquam Missas fuisse celebratas, cum adhuc erectio Capellaniae desideraretur. At dubium esse videbatur, an Clericus Beltrami peccaverit, eo quod transactionem cum Clara Beltrami inierit, cum ageretur de iure dubio. Id tamen dubium non erat ex se, quum ipsa Clara confessa fuerat ius certum. Dubium hinc evaserat ex temporum circumstantiis, quum iura Ecclesiae, quantumvis certa, pro lubitu a Laica Potestate infringerentur, eo magis, quod mulier haec ad huius Potestatis patrocinium confugerit contra Clericum Beltrami, ne cogeretur ad sarta tecta servanda Capellaniae iura. Quae ideo cum ita essent, licet religione solutus censeri vellet Clericus Beltrami, eo quod transactio versaretur super iure dubio, non tamen piaculi expers videbatur Clara Beltrami, quae, ius certum confessa, tamen illud dubium effecit per imploratum Laicae Potestatis auxilium; ipsa propterea praesertim et censuras incurrisse et damnorum Ecclesiae illatorum refectionem teneri videbatur.

140. Itaque repropositis eisdem dubiis, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative in omnibus, et Eminentissimus Episcopus curet, ut a Clara Camona consignentur tot bona stabilia vel census, quot aequent summas ab eadem Clara debitas, nec non curet inscriptionem bonorum in publicis tabulis nomine Capellaniae. Ad secundum, Affirmative; imposita aliqua salutari poenitentia. Ad tertium, affirmative; iniuncto aliquo onere Missarum, pro unica vice arbitrio Eminentissimi Episcopi – *in Novarien. Transactionis die 24 Novembris 1821.*

141. E contra initus contractus Sanatione minime firmatur, ubi evidens non appareat utilitas, vel necessitas Ecclesiae *in Pisauren. Alienationis die 18 Augusti 1827* §. *Si Eminentissimi* (3).

(1) Bona primitus assignata haec erant, ut in §. *Ne erant* – ibi– Un' annua rendita perpetua sul Monte S. Ambrogio di Milano, trasportata sul Monte Napoleone di L. 111 (scut. 14 et ob. 53) e ridotta a L. 24 Italiane annue e poscia sequestrata sotto il cessato Governo; II. Una bottega in Milano posta sulla piazza Mercanti sotto il portico detto dello studio dell' annua rendita o fitto di Milano L 150 scudi 20; III. Un capitale di L. 300 di Milano contro di Luigi, Vito, o Biagio Beltrami di Cireggio, prescritto L. 15, scudi 2; IV. Interessi di altro capitale verso il Signor Ambrogio Zambone di Forno dell' annua rendita di Milano L. 42, scudi 6, reso inesigibile, attesa l'insolvibilità del Debitore –.

(2) Haec erant huiusmodi bona, ut in §. *Bona* – ibi – I. Un annuo censo dovuto da Gio. Battista Concola per istromento delli 14 Aprile 1766 rogato de Augustinis di Milano L. 5, scudi 0, bai. 66; II. Un capitale di L. 300 di Milano dovuto da Francesco de Ambrosi di Tanchello, e per esso da Clara Camona vedova Beltrami dell' annua rendita di L. 13 e soldi 10, scudo 1, bai. 86; III. Altro capitale di L. 350 di Milano dovuto da Mauro de Ambrosi e per esso da detta Clara Camona di rendita L. 15, soldi 15, scudi 2, bai. 26; IV. Altro capitale censo di L. 3920 Imperiali dovuto dagli Eredi Ceroni portato da istromento 3 Luglio 1770 rogato Zanoia dell' annua rendita di Milano L. 136, scudi 19, bai. 40; V. Per altro capitale dovuto dagli Eredi Minetti, e per essi dalla suddetta Clara Camona vedova Beltrami L 8, soldi 10, scudo 1 bai. 20; VI. Altro capitale di L. 150 Imperiali dovuto da Giuseppe Nello di Prancore della rendita di L. 6, scudi 0, bai. 80; VII. Il capitale di L. 1400 di Milano dovuto da Clara Camona vedova Beltrami in forza della transazione L. 70, scudi 10; VIII. Altro capitale sul Monte di Milano, ed ora trasferito sul banco di Torino della rendita di franchi 24, di Milano L. 31, soldi 5, scudi 4, bai. 46.

(3) Reiffenst. in ius canon. lib. 3, tit. 13, §. 1.

142. Praesertim, si contractus initus fuerit cum Ecclesiae detrimento *in Piscien. Emphytheusis die 2 Iunii 1736* §. *Veruntamen.*

Certum enim est, qualescumque huius generis contractus seu ecclesiasticorum bonorum alienationes, quae ex defectu Apostolici Beneplaciti, vel alterius Solemnitatis, irritae existunt, revalidari consuevisse dumtaxat in casu, quo non solum ab initio, verum etiam tempore, quo dictorum contractuum, seu alienationum revalidatio postulatur, Beneficii vel Ecclesiae utilitas concurrat, non autem quando petita revalidatio non sit Ecclesiae profutura, iuxta laudabilem Sacrae Congregationis praxim *in Piscien. Emphytheusis die 2 Iunii 1736* §. *Verumtamen* (1).

§. I.

ALIMENTA IN GENERE.

1. Alimentorum nomine, medelae, aliaque ad vitam necessaria, veniunt *in Senogallien. die 8 Iunii 1765* §. *Ad II ipsius.*

Item *in Pisauren. Alimentorum die 25 Septembris 1858* §. *Sub* (2).

2. Hinc alimentorum causa continetur etiam habitatio *in Alatrina Domus Parochialis die 20 Septembris 1845* §. *Post haec* (3).

3. Imo alimentorum nomine, veniunt non modo cibus, potus, medicamenta, verum etiam famulatus, et habitatio, secundum personae statum, et qualitatem *in Cathacen. Legati Pii eiusque applicationis die 21 Septembris 1822* §. *Agitur.*

Item *in Pisauren. Alimentorum die 25 Septembris 1858* §. *Sub* (4).

4. Propterea, quum agitur de persona alicuius dignitatis, veniunt etiam Servi, eorumque salaria, ac cetera huiusmodi *in Pisauren. Alimentorum die 25 Septembris 1858* §. *Sub* (5).

5. Amplia, tametsi reditus omnes impendere oporteret pro necessitatibus eius, cui alimenta debentur *in Cathacen. Legati Pii eiusque applicationis die 21 Septembris 1822* §. *Agitur* (6).

6. Quin imo, nisi lex Defuncti vetet, quis ubique alimoniam petere potest, et quidem semper statui et conditioni parem; quia alimentorum quantitas, pro rerum status atque expensarum varietate, augeri debet *in Cathacen. Legati Pii eiusque applicationis die 21 Septembris 1822* §. *Nec putat* (7).

7. In materia quippe alimentorum, quae est privilegiatissima et favorabilis, etiam in odiosis et exorbitantibus ampliatio et superfluitas est admittenda, quamvis contra ius faciendo esset interpretatio *in Alatrina Domus Parochialis die 20 Septembris 1845* §. *Post haec.*

Item *in Pisauren. Alimentorum die 25 Septembris 1858* §. *Sub* (8).

8. Verum, etsi quis, ubi ei magis arrideat, sedem constituere non prohibeatur, inde tamen iure nequit augmentum pensionis petere, si eo profectus sit, ubi graviores necessarii sunt sumptus ad vitam traducendam *in Cathacen. Legati Pii eiusque applicationis die 21 Septembris 1822* §. *Verum.*

9. In ultimis enim voluntatibus, semper quid voluerit Testator, inspicitur *in Cathacen. Legati Pii eiusque applicationis die 21 Septembris 1822* §. *Verum.*

10. Hinc, si quis alimenta alicui relinquat, quin declaret pecuniae vim in ea impendendam, censetur legasse alimenta, gradui et conditioni eius, cui praestanda sunt, convenientia; sed se-

(1) Card. Petra ad Constit. 1 Divi Leonis Magni, sect. 3, n. 84 et seqq.; et sect. 4, n. 128 et 134, tom 1; et constat ex Rescripto edito in Albanen. Beneplaciti 2 Iunii 1698.

(2) L. *Victus* 43, ff. de verbor. signif.

(3) L. *Legatis*, de alim. et cib.; Surd. de alim. tit. 4, quaest. 1 et seqq.; Barbos. de appell. verb. signif. appell. 15; Tusch. Litt. A, concl. 282; Rota in decis. 341, n. 34, part. 9 Recent.

(4) L. *Si cui*, ff. de ann. leg.; L. penul. ff. de alim. et cib. leg.

(5) Ferrar. in Biblioth. Can. Verb. *Alimenta*, a n. 1 ad 13.

(6) Card. De Luc. disc. 67, de leg. n. 2.

(7) L. *Ius alimentorum* 3, ff. ubi pupill. educ.; L. *Quod plerumque*, Cod. de alim. praest.

(8) Arg. ex Text. in Leg. 1, Cod. de legat.; Gratian. discept. 104, n. 60; Surd. Consil. 67, n. 21; Rot. in decis. 194, n. 28 et 29, part. 7 Recent.

cundum consuetudinem regionis, in qua domicilium habebat Defunctus *in Cathacen. Legati Pii eiusque applicationis die 21 Septembris 1822* §. *Verum* (1).

11. Nam in ambigua Testatoris voluntate interpretanda, spectandus est mos regionis, in qua ipse versabatur *in Cathacen. Legati Pii eiusque applicationis die 21 Septembris 1822* §. *Verum* (2).

12. Quapropter, cum Testator non praefiniverit, quaenam alimenta Mulieri exhibenda, sed solum decora dixerit, recte ea creditur reliquisse, quae ad vitam convenienter mori regionis, in qua versabatur, agendam sufficiunt *in Cathacen. Legati Pii eiusque applicationis die 21 Septembris 1822* §. *Testator.*

13. Et eo vel magis, si ipse putaverit, Uxorem ad obitum usque in eodem loco mansuram *in Cathacen. Legati Pii eiusque applicationis die 21 Septembris 1822* §. *Testator.*

14. Si scilicet non habitationem propriae domus illi reliquerit; tunc enim, etiamsi abesset, domo uti frui potest, locando, alteri concedendo *in Cathacen. Legati Pii eiusque applicationis die 21 Septembris 1822* §. *Testator* (3).

15. Sed habitationem in propria domo, itaut, nisi Vidua eam incolet, nullum ex ea commodum capere valeat *in Cathacen. Legati Pii eiusque applicationis die 21 Septembris 1822* §. *Testator* (4).

16. Ceterum Sacra Congregatio in casu, quo Vir alimenta decora Uxori ea cum lege reliquit, ut, quod superesset, distribueretur in Pauperes, iuxta ordinem charitatis, ei maiorem annuam pensionem ex loci mutatione petenti, ius ad formam testamenti et pro sua conscientia reservavit, nec non eidem edixit, ut consuleret Confessario pro servando ordine charitatis, cum eius Neptis dotem ad religiosam emittendam professionem expostularet *in Cathacen. Legati Pii eiusque applicationis die 21 Septembris 1822.*

17. Iamvero in supremis, quas Tavernae Cathacensis Diaeceseos sibi scripsit, tabulis, Rinaldus Verardi heredem, pluribus adiectis conditionibus, instituit pronepotem Franciscum Gaetanum Verardi (5). Rinaldo e vivis erepto, deprehensum fuit, bonorum immobilium reditum annuam constituere summam ducatorum 696; pecuniam vero ex nominum exactione et frugum venditione, coalescentem summam ducatorum 8080, quae, deductis oneribus, annuum fructum afferebant ducatorum 282. Quamobrem reditus totius assis hereditarii, ab omnibus oneribus immunis, constituebat annuam quantitatem ducatorum 978.

18. Hinc Viduae Schipani, pro eius spectata conditione longa aetate ac infirma valetudine, praeter domum ei ad habitandum a Viro relictam, de Theologorum consilio, assignata fuere

(1) Surd. de alim. tit. 4, quaest. 19, n. 12.

(2) L. *Si servus*, §. Ult. ff. de leg 1; Mantic. de Coniect. ult. volunt. lib. 16, tit. 6, n. 13.

(3) L. *Cum antiquit.*, Cod. de usufr. §. 5; Instit. de usu et habit.

(4) Card. De Luc. de Servit. disc. 63, n. 7 et 8.

(5) En verba praedicti Testatoris, ut in §. *In* – ibi – Nomino e istituisco erede universale e particolare sopra tutti li miei beni, mobili ed immobili, raccoglienze, nomi dei Debitori, crediti, oro, ed argento monetato e non monetato, ragioni ed azioni di ogni sorta, la persona di D. Francesco Gaetano Verardi mio pronipote nell' infrascritto modo e con li infrascritti pesi, dichiarazioni e legati. Dono e lascio a mia moglie Giovanna Schipani vita sua durante, e guardando il letto vedovile, l'usufrutto di tutti i miei beni compresi nella mia eredità con esigersi detta mia moglie tutte le rendite, gaggi, ed emolumenti, che saranno per raccogliersi da tutti li miei beni così stabili che semoventi, con avere anche l'uso de' miei mobili, mobiglia, ori, argenti, e l'abitazione nella propria mia casa. Resta però obbligata di disporre con donazione irrevocabile tra vivi a favore di esso mio Erede istituito della parte disponibile del suo proprio Asse, con essere inoltre tenuta di detto usufrutto de' miei beni ereditarii pagarne i pesi intrinseci, e quindi tutto il di più delle espressate rendite impiegarlo a suo proprio e decoroso mantenimento, e laddove gli sopravanzerà qualche somma, debba somministrarla in suffragio della mia e sua anima, con osservare in tale distribuzione, l'ordine di carità, rimettendomi per questa parte alla sua religiosità. E voglio che la stessa mia moglie, seguita la mia morte, dovesse procedere ad un fedele ed esatto Inventario di tutti i miei beni, mobili ed immobili, nomi de' Debitori, crediti, generi, ori, argenti monetati e non monetati. Passerà all' esazione di tutti i miei crediti, ed alla vendita di tutti li generi, ed il prezzo dei medesimi, e di quelle somme, che sarà per riportarne unitamente al contante se ne troverà esistente nella mia eredità, dovrà tutto impiegare in compra di corpi stabili o capitali, e delli stessi goderne l'usufrutto anche vita sua durante, e quindi dietro la sua morte questi beni acquistati con tali somme restino tutti in benefizio del detto mio Erede istituito, a favor di cui si dovrà incorporare l'usufrutto di tutti gli altri miei beni, delli quali ne ho ordinato come sopra il godimento a favore di essa mia moglie, sua vita durante –.

annua ducata 800; quibus honestam posset atque decoram agere vitam, residuos vero fructus quolibet anno Pauperibus ex Testatoris praescripto distribueret.

19. Sed huic annuae praestationi non acquievit Mulier, contenditque, in largitione Pauperibus facienda solius usufructus bonorum immobilium habendam esse rationem; quoniam eam largitionem Defunctus tantummodo praescripsit, dum suam declaravit mentem, quomodo impendendi forent bonorum immobilium reditus, silentio autem illam praeterivit, ubi de aliis bonis legem edixit. Ex quibus arguit, nihil, quod Pauperibus tribuere oporteret, superesse, quum usufructus immobilium ne ad eius quidem alimoniam sufficeret. Addidit praeterea, ducata 800 minime sibi satis esse; nam, ut heredem proprietatis Franciscum Caietanum Verardi, qui et Viduae erat a negotiorum gestione, sequeretur, relicto Oppido Taverna, Cathacium principem illius Provinciae Civitatem profecta est; adeoque maiori indigebat pensione, quam ducatis 800, praecipue ad domum, ut eius decebat statum, conducendam.

20. Tandem cum Viduae ex fratre Neptis esset inops, Parentibusque orbata, si quid, inquit, reliquum esset, totum conferre oporteret in dotem ducatorum 400, supellectilemque Adolescentulae comparandam, ut ipsa, quae tunc Cathacii intra claustra sumptibus Amitae vitam ducebat, sacrum indueret habitum; idque ex Testatoris mente, qui voluit, ut in largitionibus ordo servaretur charitatis. Episcopus cupiens rem amice componere interea decrevit, ut anno 1820 ducata sexaginta, et anno 1821 ducata centum in Pauperum levamen erogarentur. Sed, ut certum statueretur, quid futuris temporibus ad Viduam, quid ad Pauperes pertineret, res ad Sacram Congregationem, annuente ipsa Usufructuaria, definienda commissa fuit.

21. Videbatur quidem, Testator duo peculiaria atque distincta Legata Uxori suae constituisse, nimirum usumfructum bonorum immobilium, et usumfructum bonorum, quae ex nominibus, frugibus, et pecunia numerata acquirenda erant. Unde, si pro certo haberetur, duo peculiaria atque distincta Legata fuisse instituta, non levis favore Mulieris intercedebat utilitas. Nam onus piae largitionis cohibuit Defunctus ad primum Legatum, secundum vero ab omni onere immune esse voluit, cum Uxori usumfructum relinquere simpliciter dixerit. Huc enim spectat regula illa, si Testator, ubi voluit, dixit; ergo ubi non dixit, noluit (1). Ex quibus sequebatur, quod si ex decenti Mulieris exhibitione non superessent reliquiae ex usufructu bonorum stabilium, quae in hereditate reperta fuere, nullo modo Pauperibus Pium Legatum deberetur. At propositae a Vidua interpretationi adversabatur Testatoris voluntas. Quisquis enim, vel raptim supremas eius percurrerit tabulas, deprehendet, non duo peculiaria fuisse constituta Legata, sed unum tantum, quo usufructus omnium et singulorum bonorum Uxori fuit legatus. Defunctus quippe ei reliquerat usumfructum omnium bonorum, quae in hereditate comprehendebantur.

22. Proposito idcirco dubio: – I. An usufructus omnium bonorum, vel tantum usufructus bonorum immobilium, obitu Testatoris existentium, gravatus sit Pio in Pauperes Legato in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam – *in Cathacen. Legati Pii eiusque applicationis die 21 Septembris 1822.*

23. Hinc Mulier post haec in eo institit, ut annua pensio augeretur. In primis enim fatendum erat, Testatorem singulari prosequutum fuisse dilectione Uxorem suam, eique nihil, quod deceret statum, deficere voluisse, et ubi solum aliquid foret residui ex usufructu, post eius decoram exhibitionem, inter Pauperes esset dividendum. At annua pensio ducatorum 800, a Theologis Viduae constituta, quamvis sufficiens, dum vitam Tavernae degebat, inde cum venerit Cathacium, satis eius necessitati non erat; quoniam in ea Civitate, quae prima est in Provincia, maioribus indigebat expensis, ne eius status vilesceret. Nec putavit Vidua sibi obesse, quod sponte ac libere sedem mutaverit. Nam onus morandi Tavernae ei non imposuit Defunctus; ac proinde poterat ubique alimoniam petere, et quidem semper statui et conditioni parem. Verum, etsi Mulier, ubi ei magis arridebat, sedem constituere non prohiberetur, inde tamen iure nequibat augmentum pensionis petere, si eo profecta sit, ubi graviores necessarii erant sumptus, ad vitam traducendam. In

(1) Arg. ex L. unic. §. Sin autem, Cod. de caduc. toll.; Card. De Luc. disc. 34, n. 4, de Leg.

ultimis enim voluntatibus, semper quid voluerit Testator, inspicitur. Testator autem cum non praefiniverit quaenam alimenta Mulieri exhibenda, sed solum decora dixerit, recte ea creditur reliquisse, quae ad vitam convenienter Tavernae agendam sufficiebant; eo vel magis, quod ipse putaverit, Uxorem ad obitum usque in eodem loco mansuram: siquidem non habitationem propriae domus illi reliquit, tunc enim, etiamsi abesset, domo uti frui poterat, locando, alteri concedendo, sed habitationem in propria domo, itaut, nisi Vidua eam habitaret, nullum ex ea commodum capere valeret.

24. His itaque hinc inde perpensis, proposito dubio: – II. An et quomodo sit augenda pensio pro decora Viduae alimonia in casu etc.–, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, Utatur iure suo ad formam Testamenti, et pro sua conscientia – *in Cathacen. Legati Pii eiusque applicationis die 21 Septembris 1822.*

25. Quod vero attinebat ad supellectilem et dotis constitutionem pro Viduae Nepte, ut religiosam Cathacii emitteret professionem, votis concedendum videbatur. Namque pauperi Adolescentulae praesto erat pia dispositio, licet Testator generatim praescripserat, fructus residuos erogandi in Pauperes. Quia inter aequaliter egenos Extraneis praeferendi sunt Coniuncti atque Consanguinei Testatoris. Sed ei insuper expresse favebat voluntas Defuncti, qui voluit, ut charitatis servaretur ordo, qui prae ceteris respicit Consanguineos. Accedebat, quod Feminae pauperes prae Masculis iuvandae sunt, quia istis periculosior est paupertas, quam Masculis (1). Ex eo praesertim, quod se Deo perpetuo vovere optabat; quin Pauperes extranei conqueri possent, nam utpote incerti nullum ius habebant, quum extarent cum Testatore Coniuncti eo indigentes subsidio. Ceterum id obstare videbatur, quod voluntas Defunctorum religiose servanda sit, et durum videbatur, ut uni soli impertirentur, quae Pauperibus relicta erant, quia in plurali Testatorem loquentem merito praesumebatur voluisse in plures distribui (2); ideoque detrimentum revera inferebatur Pauperibus loci, ubi domicilium posuerat Testator, quibus dividendum erat Pium Legatum (3).

26. Hinc hisce in medium deductis, proposito dubio – III. An et in qua summa Legatum Pauperibus relictum sit applicandum Nepti Viduae in casu etc.–, Sacra Congregatio respondit: – Ad tertium, Usufructuaria consulat Confessarium, pro servando ordine charitatis, iuxta mentem Testatoris – *in Cathacen. Legati Pii eiusque applicationis die 21 Septembris 1822.*

27. Itaque alimenta et livellum ambulare quidem pari passu videntur *in Comen. die 22 Novembris 1721* §. *Ioannes* (4).

28. At in propatulo est, aliud esse pensionem ecclesiasticam, aliud livellum *in Comen. die 22 Novembris 1721* §. *Proposita.*

29. Unde S. Congregatio pensionem quippe ex gratia super Beneficio reservavit Patrono, iam professionem religiosam emissuro, non vero livellum constituere voluit *in Comen. die 22 Novembris 1721.*

30. Enimvero Ioannes Baptista Chicherius, dum erat emissurus professionem religiosam inter Clericos Regulares Congregationis Somaschae in Collegio S. Mariae Secretae Civitatis Mediolani, supplicavit pro facultate sibi reservandi pensionem super quodam Beneficio Ecclesiae, ad quod habebat ius praesentandi, et die 4 Februarii 1719 fuit eius instantia reiecta; sanctae enim memoriae Clemens XI in consimili casu noluit annuere petitioni, licet ab Sacra Congregatione admissae, ut secularia Secularibus, regularia Regularibus conferrentur.

31. Ioannes Baptista, habita hac responsione, mutavit instantiam, et ab Sacra Congregatione postulavit, ut sicuti, si esset in seculo, non possent sibi tamquam Patrono alimenta denegari ex fructibus Beneficii, ita, in subsidium aliquod vitalitium vulgo livellum sibi emissuro professionem religiosam, ex dictis fructibus assignaretur, cum alimenta et livellum ambulent pari passu. Proposita fuit instantia in Congregatione habita die 6 Maii 1719, et rescriptum fuit: – Dilata, et ad mentem; et mens fuit, ut exquireretur a D. Secretario memorato Clemente XI, an in hypothesi, in qua Sacra

(1) Menoch. lib. 4, praesumpt. 125; Baldus in L. *Mullis*, ff. de stat. hom.

(2) Barbos. de offic. et potest. Episcop. part. 3, Alleg. 83, § 9; Felin. in can. *Omnes*, dist. 1.

(3) L. *Si quis* 47, §. Ubi autem, Cod. de Episcop. et Cler.; Piton. discept. eccles. 147, n. 86; Tiraquell. descript. caus. piae, priv. 56.

(4) Rot. in decis. 671, coram Merlino.

Congregatio esset in sensu assignationis alicuius summae ex fructibus Beneficii, titulo livelli, ipse esset nec ne resolutionem confirmaturus-; et Sanctitas Sua respondit, aliud esse pensionem ecclesiasticam, aliud livellum; et quod in puncto livelli S. Congregatio procederet prout de iure.

32. Ad trutinam itaque rediit subinde instantia Ioannis Baptistae, qui innixus relationi Ordinarii, omnia exponenda confirmantis, inquit primo, Beneficium, de quo agebatur, esse praebendam canonicalem in Collegiata Ecclesia Sancti Petri et Stephani Bellinzonae, eamque fundatam fuisse a Francisco Cusa, qui ad iuspatronatus vocavit Andream Cusam, et Pompeium Chicherium eorumque Heredes et Successores masculos in infinitum, ex quibus, cum solus ipse superesset, unicus per consequens remanebat Beneficii Patronus.

33. Secundo, se esse pauperem; cum enim bona possideret in Regno Peloponnesiaco, illudque fuerit a Turcis occupatum, nullum sibi supererat humanum auxilium, quo suis indigentiis valeret subvenire. Tertio, se nihil aliud petere, titulo livelli, quam annuam summam scutorum viginti, et annuos reditus praebendae esse in scutis 109 cum dimidio monetae Mediolanensis, et Praebendatum praeter assistentiam Choro, teneri ad celebrationem Missae quotidianae, summo mane explendam, ad aliquod Altare privilegiatum.

34. Proposito hinc dubio: - An et in qua summa Oratoris precibus sit annuendum in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Negative; et ad D. Secretarium iuxta mentem: scilicet, quod reservetur pensio scutorum duodecim romanorum - *in Comen. die 22 Novembris 1721.*

35. Alimenta praeterea non praescribuntur *in Anagnina Vicarii Curati die 7 Iunii 1734* §. *Haec* (1).

36. Atque, detecta laesione, succurritur Laeso, et Contractus ad aequitatem reducitur *in Anagnina Vicarii Curati die 7 Iunii 1834* §. *Haec.*

37. Alimenta idcirco praeterita et non percepta repeti possunt, quando debentur iure actionis *in Lauretana Matrimonii super Alimentis die 2 Maii 1835* §. *Post.*

38. Quum hinc alimenta non accessorie, sed principaliter in obligatione sunt, etiam sine mora debentur *in Romana Iuris Nominandi et Acceptandi Puellas die 4 Decembris 1762* §. *Et arbitrantur.*

39. Siquidem alimenta, quae Servo legata sunt cum libertate, cum stent principaliter in obligatione, debentur a die obitus Testatoris, etiamsi Heres sine mora idest sine iudiciali interpellatione tardius praestet libertatem *in Romana Iuris Nominandi et Acceptandi Puellas die 4 Decembris 1762* §. *Sane* (2).

40. Etenim Papinianus rescripsit: - Verbis fideicommissi pure Manumisso praeteriti quoque temporis alimenta reddenda sunt, quamvis tardius libertatem recuperaverit, nec Heres moram libertati fecit; tunc enim explorari moram oportet, cum de usuris fideicommissi quaeritur, non de ipso fideicommisso - (3) *in Romana Iuris Nominandi et Acceptandi Puellas die 4 Decembris 1762* §. *Sane.*

41. Idcirco, quum Moniales Sanctissimae Annuntiatae in Ecclesia S. Basilii iniuste recusaverint recipere et acceptare Puellam legitime ac de iure ab Archiconfraternitate Sanctissimae Annuntiatae nominatam, Sacra Congregatio nedum ius praedictae Puellae ad alimenta nanciscenda in casu huiusmodi iniustae recusationis declaravit, sed inde etiam edixit, ut eidem praestarentur alimenta a die primi Rescripti, quo iam ius hoc sancitum extabat *in Romana Iuris Nominandi et Acceptandi Puellas die 18 Decembris 1762.*

42. Iamvero, propositis dubiis: - I. An Puellae electae ab Archiconfraternitate Sanctissimae Annuntiatae, ad formam Instrumenti anni 1558 et Constitutionis Gregorii XIII, debeant acceptari a Monialibus Sanctissimae Annuntiatae in Ecclesia S. Basilii, absque ulteriori scrutinio capitulariter ab ipsis expleri solito in admittendis ceteris Puellis ad habitum religiosum? *Et quatenus affirmative.*

II. An Monasterium et Moniales Sanctissimae Annuntiatae in Ecclesia S. Basilii teneantur acceptare Puellam Margaritam Gubbiesi nominatam ab Archiconfraternitate SS. Annuntiatae? *Et quatenus negative.*

III. An sit locus devolutioni domus con-

(1) Rot. in Aurien. Congruae 14 Martii 1618, coram Ottemberg. relat. in decis. 81, n. 43 et 44, part. 18 Recent.
(2) Papinianus in leg. *Cum unus* 10, §. Verbis, ff. de alim. et cibar. legat.
(3) Nimirum in Leg. *Cum unus* 10, §. Verbis, ff. de alim. et cibar. legat.

cessae in dicto Instrumento anni 1558 sive capitalis in eius loco subrogati, una cum fructibus a die factae exclusionis seu recusationis dictae Gubbiesi a nominatis Monialibus, seu potius sit providendum et quomodo in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative, quoad receptionem ad habitum tantum. Ad secundum, Affirmative; et ad Eminentissimum Praefectum, iuxta mentem. Ad tertium, Provisum in secundo - *in Romana Iuris Nominandi et Acceptandi Puellas die 29 Augusti 1761.*

43. Mentem hinc Sacrae Congregationis declarando Eminentissimus Praefectus, cum Moniales recipere noluerint ad habitum Margaritam Gubbiesi, mandavit per easdem - subministrari alimenta Margaritae Gubbiesi correspondentia statui eiusdem Margaritae, et Monasterio citato ad hoc, ut ingredi possit in aliud Monasterium; et interim inhibuit Archiconfraternitati instanti, ne deveniat ad nominationem tertiae Puellae, loco Margaritae Gubbiesi ad eius vitam - *in Romana Iuris Nominandi et Acceptandi Puellas die 30 Ianuarii 1762* §. *Quibus.*

44. Ast Moniales, impetrata nova audientia, disputarunt, recedendum esse a decisis, plurimis in medium allatis rationibus. Sacra Congregatio vero, repropositis dubiis, sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. -, responsum dedit: - In decisis, et amplius - *in Romana Iuris Nominandi et Acceptandi Puellas die 30 Ianuarii 1762.*

45. Vigore dictarum Resolutionum Margarita Gubbiesi ingressa est Monasterium S. Clarae Urbis, annuente Eminentissimo Praefecto, qui praeterea statuit quantitatem alimentorum illi praestandam a Monasterio Sanctissimae Annuntiatae in scutis quinque quolibet mense. Cumque peterentur alimenta etiam praeterita a die nominationis dictae Margaritae, seu illius recusationis factae a Monialibus Sanctissimae Annuntiatae, Eminentissimus Praefectus decrevit, persolvenda esse a dictis Monialibus alimenta a die emanati primi Rescripti, et in reliquis habuit terminum pro servato, ut exquireretur Oraculum Sacrae Congregationis.

46. Postularunt itaque Confraternitas et Margarita Gabbiesi, ut Eminentissimi Patres declarare dignarentur alimenta a Monasterio Sanctissimae Annuntiatae pendenda esse a die nominationis seu recusationis dictae Puellae; quum a die nominationis seu praesentationis, quo etiam sequuta est recusatio, eidem quaesitum esset ius consequendi alimenta a Monasterio, quod vigore Instrumenti anni 1558 tenebatur Puellas nominatas recipere et acceptare, absque ulla exceptione, inde inferentes, quod iniusta recusatio Monialium non deberet officere Puellae, quominus ab ea die assequeretur alimenta, quae consequuta fuisset ingrediendo Monasterium; exemplo Canonici, qui, iniuste impeditus a Capitulo servire Ecclesiae, consequitur nihilominus distributiones et fructus suae praebendae (1).

47. Et arbitrati sunt, procedendum non esse cum regulis, quae receptae sunt circa restitutionem fructuum faciendam a Possessore bonae fidei, qui non restituuntur, sine mora inducenda per contestationem litis, vel etiam per sententiam Iudicis. Nam ideo fructus sine mora non restituuntur a Possessore bonae fidei, quia veniunt accessorie ad rem possessam, quae sola stat in obligatione restituendi: at, cum Moniales in Instrumento anni 1558 promiserint, Puellas nominatas acceptare et in Monasterio ponere, sive quod idem est, alimenta illis praestare; ideo Oratores contenderunt, alimenta non accessorie, sed principaliter esse in obligatione, ac propterea etiam sine mora deberi.

48. Proposito hinc dubio: - An et a quo tempore debeantur alimenta in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Deberi a die primi Rescripti, ad formam Decreti Eminentissimi Praefecti - *in Romana Iuris Nominandi et Acceptandi Puellas die 18 Decembris 1762.*

49. Immo vetitum est, ullo modo contrahere super alimentis, quae testamento vel codicillis fuerint relicta, nisi accedat auctoritas Iudicis ad praecavendas fraudes, sive improvidas distractiones, ex quibus remaneat Alimentarius necessario alimentorum subsidio destitutus *in Romana seu Ianuen. Assignamenti die 5 Maii 1742* §. *Contra* (2).

50. Adeoque ius alimentorum, veluti sistens in solo usu, ita inhaeret ossibus Alimentarii, eumque tantum respicit, ut minime possit in alium transferri *in Romana seu Ia-*

(1) Rot. in decis. 22, n. 3, de Usuris, coram Falconerio.

(2) Arg. ex Leg. *Cum hi* 8, ff. de transact.; et Leg. *De alimentis,* Cod. eod.

nuen. Assignamenti die 5 Maii 1742 §. *Contra* (1).

51. Amplia, eo praesertim in casu, ubi alimenta relicta fuerint, ad Familiae ipsius Testatoris decus ac splendorem servandum *in Ianuen. seu Romana Assignamenti die 5 Maii 1742.*

52. Siquidem, inter ceteros ex Iustiniana Familia Chiensi Descendentes, qui pro suis alimentis annua quaedam subsidia ex Legato Marchionis Vincentii de Iustinianis consequuti fuere, adnumerabatur Paulus Iustinianus, cui Auditorium Rotae sub annum 1715 pronunciavit, menstrua scuta decem ex eodem Legato fore suppeditanda. In hunc itaque finem adsignata fuere Paulo Iustiniano tot Loca Montium ad praedictum Legatum spectantia, quorum fructus menstruae illi praestationi responderent; et ipse vero vendidit primum diversis Personis ipsorum fructuum commoditatem, accepto pretio scutorum decem et octo pro quolibet centenario, reservato sibi iure eamdem commoditatem redimendi, deindeque eam cessit Archiepiscopo Battelli, qui, restituto primis Emptoribus pretio ab iis tradito, summam praeterea scutorum octoginta pro ipso redimendi iure praefato Paulo Iustiniano persolvit.

53. Tam Archiepiscopus Battelli, quam Franciscus et Hieronymus De Dominicis, eiusdem Archiepiscopi heredes, dictorum Locorum Montium fructus ad plures annos exegere, donec Congregatio Particularis a S. M. Clemente XII super administratione Legati Marchionis Vincentii de Iustinianis deputata sub annum 1754, inter cetera, quae edidit Decreta, statuit quoque: - delendas omnes attergationes Locorum Montium factas, favore illorum de Iustinianis Chiensium, etiamsi fuerint, quoad fructuum commodum, in alias Personas translatae, reservato tamen pro nunc, et donec aliter fuerit a Sacra Congregatione provisum, eisdem aliis Personis iure exigendi a Legato portiones seu ratas aequivalentes fructibus Locorum, quae cuiuslibet, et illarum favore fuerunt translatae, et ad Eminentissimum Pico, pro executione -; quemadmodum Decretum istud, iubente eodem Card. Pico, fuit postea executioni mandatum.

54. Actum deinde est in eadem Congregatione Particulari, de quantitate alimentorum unicuique ex Iustinianis Chiensibus praefinienda, ac fere omnibus ad Legati emolumentum admissis, menstrua scuta quinque fuerunt pro eodem tempore constituta. Ii vero Iustiniani Chienses, qui subsidia olim ex dicto Legato obtenta in alias Personas distraxerant, pariterque Emptores eiusmodi subsidiorum, quos inter praefati Heredes Archiepiscopi Battelli, ab omni Legati commodo, sive ab exigendis dictorum Locorum Montium fructibus, fuerunt ad id usque temporis exclusi.

55. Iamvero Heredes praedicti, ius suum metientes ex persona memorati Pauli Iustiniani, postularunt ab Sacra Congregatione, cui controversiae omnes, ad Legatum Marchionis Vincentii de Iustinianis spectantes, a Summo Pontifice remissae fuerunt, ut menstruum assignamentum factum eidem Paulo Iustiniano, sibi traderetur, contendentes, id sibi omni iure debitum, quippe qui causam habebant a saepe dicto Paulo, cui menstrua scuta decem fuerunt ab Auditorio Rotae per sententiam in iudicatum transactam adsignata, quique propterea nequaquam vetabatur ius istud suum, donec ipse viveret duraturum, in alios transferre.

56. Contra vero Iustiniana familia Ianuensis, cui tradita erat antedicti Legati administratio, sese opponens huic petitioni, propugnabat, cessionem illam fructuum Locorum Montium, quam Archiepiscopus Battelli a Paulo Iustiniano retulit, nulla firmitate subsistere, quia nimirum super alimentis, quae testamento vel codicillo fuerint relicta, vetitum sit ullo modo contrahere, nisi accedat auctoritas Iudicis, quin ius hoc in alium transferri possit. Id autem eo magis obtinere autumavit in hypothesi, qua Marchio Vincentius de Iustinianis Pium hoc Legatum reliquit ea expressa causa, ut illustris Familiae suae decus et splendor servaretur, quemadmodum ex verbis Testamenti, cuius particulam exhibebat, videbatur colligi: decori autem familiae prospectum non esse arbitrabatur, si iis, quibus ex eo Legato conferebantur subsidia, liberum foret, haec eadem aliis improvide cedere.

57. Proposito hinc dubio: - An assignamentum factum Paulo Iustiniano sit consignandum in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Negative, et amplius - *in Romana seu Ianuen. Assignamenti die 5 Maii 1742.*

(1) Cuiac. in Leg. *Cum hi* 8, de transact.; Venturin. Cons. 18, n. 73; Galerat. de renunciat. centur. 1, renunc. 50, n. 10; Menoch. de arbitr. cas. 170, n. 1 et 3; Coler. de alim. lib. 2, cap. 8, n. 63 et 71.

§. II.

ALIMENTA QUOAD IUS ET A QUIBUS PRAESTANDA.

1. Alimenta negare, idem est ac necare *in Sedunen. Separationis Thori die 14 Decembris 1850* §. *Varia* (1).

2. Nepos hinc pauper agere valet pro alimentis adversus Patruum *in Romana seu Nullius Sublacen. Legati die 19 Ianuarii 1793* §. *Haec vero.*

3. Nam Ulpianus (2) Parentes omnes obligat virilis sexus, ad praestanda alimenta, et sic etiam Patruum *in Romana seu Nullius Sublacen. Legati die 19 Ianuarii 1793* §. *Haec vero* (3).

4. Qui tamen non sunt Agnati, ad id cogi forsan non possunt, iure actionis *in Romana seu Nullius Sublacen. Legati die 19 Ianuarii 1793* §. *Haec vero* (4).

5. Quod itaque Patruus Nepotem, et e converso Nepos Patruum egentem, alere teneatur, vera est et in praxi opinio recepta, iuxta celebrem decisionem Sacrae Rotae (5) *in Mutinen. die 13 Iunii 1722* §. *Quod.*

6. Sola propterea est inter Doctores disputatio, an onus hoc sit personale, vel reale *in Mutinen. die 13 Iunii 1722* §. *Quod.*

7. Nonnulli quippe contendunt, esse personale, nec transire ad Heredes *in Mutinen. die 13 Iunii 1722* §. *Quod* (6).

8. Alii existimant, onus esse reale, et sic transire ad Heredes, et bona afficere *in Mutinen. die 13 Iunii 1722* §. *Quod* (7).

9. Ast inter has contrarias opiniones media quaedam traditur a nonnullis sententia, quod onus videlicet rigorose loquendo sit personale, sed quod ex aequitate supremi Magistratus reale fieri possit *in Mutinen. die 13 Iunii 1722* §. *Quod* (8).

10. Ceterum in casu alimentorum post obitum Patrui ex eius bonis Nepoti subministrandorum in tantum receditur a rigore iuris et onus ex personali fit reale, in quantum iniquum esse videtur Extraneos bonis Defuncti frui, et personam Defuncto sanguinis vinculo coniunctam summa egestate laborare (9), quae res nihil habet commune cum casu, in quo substantia Defuncti est eroganda in tot Missas, pro eius anima celebrandas *in Mutinen. die 13 Iunii 1722* §. *Adversus.*

11. Amplia, etiamsi quis instet, ut alimenta praestentur, post obitum Uxoris Defuncti, quam hic usufructuariam reliquit *in Mutinen. die 13 Iunii 1722.*

12. Siquidem anno 1706 mortuus est nobilis Vir Alexander Zoccoli e Civitate Mutinae. Scripsit hic heredem usufructuariam Ioannam de Bono suam Uxorem, et post eius obitum Exequutores rogavit, ut procederent ad venditionem omnium suorum bonorum, tam mobilium, quam immobilium, et ex pretio celebrari facerent tot Missas in privilegiatis Altaribus pro anima sua et iuxta suam intentionem; quumque nihil disposuerit, favore Iosephi Zoccoli sui pronepotis, filii videlicet ex Fratre Nepotis, fuerunt ab eo supplices preces exhibitae S. M. Clementi Papae XI, pro aliqua assignatione sibi ex bonis hereditariis Alexandri facienda post obitum Ioannae de Bono heredis usufructuariae, et a Sanctitate Sua fuerunt preces remissae ad Sacram Congregationem.

13. Pluries actum fuit de illis inter Summaria Precum, postquam iuxta morem auditus fuit Ordinarius, et tandem ab Eminentissimo Corradino tunc Praefecto demandatum fuit, quod causa proponeretur in folio. Porro in eo,

(1) Paul. in Leg. 4, de agnoscen. et alen. liber.; Cyriac. controv. 173, n. 26; Rot. in decis. 706, n. 2, part. 1 Recent.

(2) In Leg. *Si quis*, ff. de Liber. agnoscen.

(3) Trentacinq. Cons. 72; vol. 2; Surd. de alim. lib. 1, quaest. 28, n. 5; Rot. in decis. 499, n. 14 et seqq. coram Dunoz.

(4) Arg. ex Leg. *Si quis*, ff. de liber. agnoscen.

(5) Nimirum decis. 194, part. 7 Recent.

(6) Boss. de alimentis, cap. 8, §. 24, n. 580; et habetur in decis. 5 et 7 post Gob. tract. var. et in Romana alimentorum et dotium 30 Martii 1705, coram Muto.

(7) Surd. de alim. tit. 1, quaest. 28; Castill. controv. iur. tom. 8, cap. 66, n. 59.

(8) Meren. contr. iur. lib. 12, cap. 3: et hanc sententiam in facti contingentia sequuta est Congregatio loco Signaturae gratiae die 17 Maii 1718.

(9) Meren. contr. iur. lib. 12, cap. 3.

quod attinebat ad Ordinarii informationem, in ea continebatur primo, numerum Missarum eousque celebratarum, pro anima Alexandri ex pecunia et nonnullis mobilibus hereditariis venditis, ascendere ad numerum 6005. Secundo, assem hereditarium eiusdem Testatoris, finito Uxoris usufructu, esse valoris scutorum 7121, totumque hunc valorem esse in alias Missas, post obitum Usufructuariae, erogandum. Tertio, Iosephum esse nobilem, sed in egestate constitutum, cum tres Filios haberet, unum masculum, duas feminas, Uxorem praegnantem, et teneretur ulterius alere Annibalem Genitorem, Matrem, et Aviam maternam, et non haberet in reditu, nisi annua scuta 110 monetae Romanae, a qua summa detrahi debebant scuta annua viginti novem, pro fructibus nonnullorum debitorum. Quarto, Iosephum esse commiseratione dignum, et sic, finito Ioannae usufructu, posse eius favore aliquam fieri assignationem ex bonis Alexandri.

14. Quo vero ad punctum petitae assignationis, censuit Eminentissimus Corradinus, tunc Praefectus Sacrae Congregationis, quod de eo esset in folio agendum, non quia esse posset locus commutationi voluntatis, sed quia Ioseph, utpote in egestate constitutus, sibi visus est, quod alimenta de iure petere valeret ab hereditate Alexandri Patrui, et sic per consequens, quod a fortiori sibi posset vindicare locum charitativa quaedam assignatio, ex bonis eiusdem Alexandri, et multo magis post obitum Ioannae heredis usufructuariae.

15. Proposito vero dubio: - An quomodo et in qua summa petitis sit annuendum -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Negative - *in Mutinen. die 13 Iunii 1722.*

16. Subsidiariam autem Nurus actionem habet ad alimenta assequenda contra hereditaria bona Soceri *in Caesaraugustana Matrimonii die 23 Februarii 1771 §. Inquit.*

17. Is enim in subsidium ad ferenda onera, Filio inhaerentia, tenetur *in Caesaraugustana Matrimonii die 23 Februarii 1771 §. Inquit* (1).

18. Et Privignus praesertim, si pingue possideat patrimonium, cogitur in subsidium alimenta praebere Novercae in paupertatem delapsae *in Caesaraugustana Matrimonii die 23 Februarii 1771 §. Imo* (2).

19. Multo magis, si in bonis universis, liberis, fideicommissariis, feudalibus successerit *in Caesaraugustana Matrimonii die 23 Februarii 1771 §. Neque excipi.*

20. Tum enim tenetur, vel ex naturali aequitate, vel ex subsidiaria actione, ad alimenta praestanda nobili Novercae, quae viduitatis statum servavit *in Caesaraugustana Matrimonii die 23 Ianuarii 1771 §. Neque excipi* (3).

21. Immo Privignus in subsidium ad alimenta tenetur, quando non probetur, beneficio abstentionis usum fuisse *in Caesaraugustana Matrimonii die 23 Februarii 1771 §. In praesenti.*

22. Praesertim, cum quaestio sit de alimentis debitis, dum adhuc in humanis erant Avus ac Pater, in quorum hereditatem Privignus successit *in Caesaraugustana Matrimonii die 23 Februarii 1771 §. In praesenti.*

23. Siquidem, ut Antonius Patino ex Marchionibus de Castellar declinaret impedimenta, quae iniicienda timebat a Patre, qui munere Pro-Regis Aragonum fungebatur, Matrimonium absque denunciationibus et Ordinarii licentia clam contraxit anno 1763 cum Pella Nicolasia Blaso parochiana Ecclesiae S. Laurentii Civitatis Caesaraugustanae coram duobus Testibus et Sacerdote Matthia Guillen, qui post Parochi obitum veluti Regens et Vice-Parochus dictae Ecclesiae S. Laurentii habebatur. Vulgata huiusmodi Matrimonii fama, Vir iussu Patris in Arcem, Mulier vero in Monasterium detrusa fuit; completisque deinde actis, anno 1764 ab Officiali Curiae Metropolitanae sententia lata fuit, irritum declarans Matrimonium, tamquam initum coram non vero proprioque Parocho.

24. Interposita autem a Nicolasia appellatione ad Sacram Congregationem, diu, tum coram Nuntio Apostolico, tum in Regia Camera, disceptare oportuit, ut appellatio effectum assequeretur. Sublatis tandem impedimentis, per mortem interea sequutam, tum Antonii Viri,

(1) Cost. de remed. subsid. 106, n. 8; Surd. de aliment. tit. 1, quaest. 38, n. 1; Rot. in decis. 422, n. 8, coram Roxas; in decis. 124, n. 1, part. 8, Recent. Et vide resolutionem captam *in Lauretana Matrimonii super Alimentis die 21 Februarii et 26 Iunii 1824*, quae prostat in Verb. *Alimenta*, §. IV.

(2) Ias. in Authen. [illegible], Cod. unde vir et uxor n. 2; Surd. de aliment. tit. 1, quaest. 40, n. 6.

(3) Surd. de alim. tit. 8, privil. 19, n. 5.

tum etiam Marchionis Patris, Nicolasia pro suo suaeque familiae decore, praevia interpellatione Raymundi de Patino Privigni, duo in Congregatione diei 10 Martii 1770 proponi curavit dubia: I. An constet de validitate Matrimonii in casu etc. II. An debeantur alimenta et sumptus litis in casu etc. -, et prodiit responsum: - Ad utrumque, Affirmative -. Edita hinc definitione, quod alimenta deberentur sumptusque litis, postulavit subinde Nicolasia contra dictum Raymundum de Patino Privignum, ut alimenta decernerentur a die petitionis, nempe a mense Ianuarii anni 1764 in annuis petiis 2000, sumptus autem litis in summa scutorum mille.

25. Quidquid sane esset de hereditariis Antonii Viri bonis, claram tamen esse substinuit subsidiariam Nurus actionem ad alimenta assequenda contra hereditaria bona Marchionis Soceri, cum is in subsidium ad ferenda onera, Filio inhaerentia, teneretur. Imo contendit, hereditaria bona dicti Marchionis Soceri principaliter obligata esse. Advertit enim Socerum ab initio coram Ordinario iudicialiter comparuisse et Matrimonii validitatem impugnasse: defuncto autem Antonio Viro, Socerum proprio nomine obstitisse appellationi interpositae, et causam ad obitum usque fuisse prosequutum. Hinc conclusit, dictum Raymundum, utpote Marchionis Soceri successorem, ad ea praestanda alimenta teneri, quorum debitum hereditati eiusdem Marchionis inhaerebat. Multoque magis, quia idem Raymundus Privignus, pingue possidens patrimonium, cogebatur et ipse in subsidium alimenta praebere Novercae, in paupertatem delapsae.

26. Neque excipi posse arbitratus est, Raymundum successisse tantum in bonis fideicommissariis et feudalibus, nullaque bona libera sive Patris sui sive Avi possidere. Hoc enim asserebat esse prorsus inverosimile, cum Antonius Nicolasiae Vir et Raymundi respective Pater manus gesserit Tenentis Generalis Copiarum duasque possederit pingues Commendas; Marchio vero illius Genitor nobile et aeque lucrosum officium Pro-Regis Regni Aragonum exercuerit, et ditissimum Marchionatum de Castellar possederit annui reditus petiarum 5000 una cum geminis Commendis annuarum petiarum 9000, praetereaque successerit in pinguem hereditatem maternam, quae ei reddebat annua petia 9000. Cumque Raymundus in bonis universis, tum liberis, tum fideicommissariis, tum etiam feudalibus successerit, addere non praetermisit Oratrix, eum teneri vel ex naturali aequitate, vel ex subsidiaria actione, ad alimenta praestanda nobili Novercae, quae Viduitatis statum servavit.

27. Itaque in themate, quaestio erat de alimentis debitis, dum adhuc in humanis existebat Marchio Socer et Antonius Vir: ponderandum idcirco erat, an ad eadem adigi valeret Raymundus Privignus. Sane non constabat, hunc hereditatem Avitam ac Paternam repudiasse, unde licet hodie datum sit Filiis abstentionis beneficium, cum tamen non probaretur, eo usum fuisse Raymundum, perpendendum erat, an hic tamquam heres Avi et Patris habendus esset, itaut ad omnia hereditaria onera teneretur.

28. His interim expensis, proposito dubio: - An et a quibus et in qua summa debeantur alimenta et sumptus litis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Alimenta et sumptus litis deberi a Raymundo in summa praefinienda ab Eminentissimo Praefecto - *in Caesaraugustana Matrimonii die 16 Martii 1771.*

29. Immo et cognationis vinculum, quo quis coniungitur Testatori, actionem quodammodo ipsi tribuit, ad alimenta contra Legatum a suo Consanguineo relictum Ecclesiae, sive in Causam Piam *in Panormitana die 26 Martii 1763* §. *Nunc.*

30. Ecclesia enim, aequitatis cultrix, beneficium rependere tenetur, et illis non solum, quorum opibus ditata est, sed Uxoribus quoque et Filiis indigentibus subvenire *in Panormitana die 26 Martii 1763* §. *Nunc* (1).

31. Hinc, in hereditate ad pios usus relicta, potior est causa pauperum Consanguineorum, quae subsidium quaerunt propriae indigentiae, quam Extraneorum, pro quibus exempli gratia erigendum etiam esset Seminarium *in Ragusina die 11 Septembris 1762* §. *Quae vero* (2).

32. Praesertim, cum voluntas Testatoris nec etiam firmiter directa sit ad fundationem Seminarii *in Ragusina die 11 Septembris 1762* §. *Quae vero.*

(1) Can. *Quicumque* 30, caus. 16, quaest. 7; cap. *Nobis*, in fin. de iurepatronat.

(2) S. Gregorius Nazianzenus in Orat. 16 de amor. paup.; Natal. Alex. theol. dogmat. lib. 3, part. 18.

33. Quapropter alimenta decreta fuerunt pauperibus Consanguineis, ex hereditate relicta ad pios usus *in Ragusina die 25 Septembris 1762 et die 27 Augusti 1763.*

34. Unde, ex Legato in subventione Pauperum relicto, Consanguineorum prius, quam aliorum indigentiis subveniendum est, ratione ordinatae charitatis, etiamsi nulla illis competeret actio, summo iure *in Romana die 12 Iunii 1752* §. *Nullaque.*

Item *in Panormitana die 26 Martii 1763* §. *Nunc* (1).

35. Ac eo vel magis, cum id etiam voluntas Testatoris innuere videatur, quin obstet, quod in adversum urgeat Causa publicae utilitatis *in Ragusina die 27 Augusti 1763.*

36. Iamvero Sacerdos Matthaeus Stephanus Clasci Ragusinus in Testamento, quod condidit anno 1760, plura stabilia legavit suis Consanguineis Filiis Masculis Marini Matthaei de Bona; Feminis autem eiusdem Marini Filiabus reliquit singulis annuos ducatos viginti, percipiendos, usquequo viverent innuptae, vel usque ad obitum cuiuslibet, si vitam Regularem ducerent in aliquo Monasterio Ragusino. Et in reliquis suis bonis, postquam completum fuisset multiplicum annui reditus ducatorum 1200, heredem instituit Seminarium Ragusii, erigendum pro educandis octo Iuvenibus, qui sub poena restituendi percepta alimenta, Parochorum munere fungi et animarum curae supplere in ea Diaecesi pollicerentur; deditque huius Seminarii curam Rectori et Religiosis Collegii Societatis Iesu eiusdem Civitatis, amplissima simul eis collata facultate, quae ad id necessaria censeretur (2).

37. Post Testatoris obitum, preces oblatae fuerunt Summo Pontifici, quibus petebatur augmentum subsidii favore dictarum Filiarum Marini de Bona, tum ratione praesumptae mentis Ioannis Clasci, cuius heres fuerat Matthaeus Testator, tum ratione ordinatae charitatis, ob nimiam rei familiaris augustiam, qua Oratores premebantur. Et, remissis precibus ad Sacram Congregationem, auditus fuit Archiepiscopus Ragusinus, qui, narratorum veritatem confirmans, votum suum non aperuit. Postulaverunt hinc Sorores de Bona, ut quadrans hereditatis Matthaei Testatoris, sive medietas hereditatis Ioannis, cui Matthaeus successit, ipsis tribueretur in usumfructum, quousque manserint innuptae: in proprietate autem, si nuberent, pro modo congruae dotis cuilibet earum assignandae: utque eis relaxerentur fructus huius quotae hereditariae, decursi a die obitus Matthaei Testatoris.

38. Huic petitioni favere arbitrabantur praesumptam mentem Ioannis Clasci, cuius heres fuerat Matthaeus Testator: quia Ioannes, instituto herede Matthaeo fratre, tacite illius fidei commisit, ut post mortem suam hereditatem restitueret Operibus Piis et ipsis Oratricibus, quemadmodum testatum reliquit ipse Matthaeus in Chirographo manu sua scripto die 29 Martii 1754 (3). Unde, licet non proferretur Testamentum Ioannis, neque constaret, illud solemniter conditum fuisse; attamen defenderunt Sorores de Bona, fideicommissum nihilominus deberi, tum quia etiam ab herede ab intestato relinqui potest (4), tum quia tacitum fideicommissum relictum supponebat (5); quin ad illud probandum opus esset, Testamentum aut Codicillos vel Testes exhibere. Cum itaque certum esset et validum fideicommissum Ioannis edicentis, quod sua bona post obitum Heredis distribuerentur in Operas Pias et Parentes, nimirum Filias quondam Marini Bona, autumarunt Oratrices, legem supplere, quod minus aperte ab illo fuerat dispositum, ut scilicet aequaliter divideretur hereditas, et Operibus Piis dimidia, altera dimidia pars ipsis tribueretur, quia si non fuerit portio adiecta,

(1) Rot. in decis. 98, coram Duran.; in Perusina subsidiorum dotalium 2 Maii 1704, coram Scotto.

(2) Nimirum cum facultate, quod, ut in §. *Sacerdos* – ibi – possino variare, *pro quacumque differentia temporis*, qualunque cosa, anche quelle da me espresse in questo Testamento, circa l'istituzione e regolamento di questo Seminario, fabbrica della sua Casa, numero de' Giovani da tenersi in esso, e qualsiasi altra cosa, niuna eccettuata –.

(3) Siquidem haec is edixit praefata die et anno, ut in §. *Huic* – ibi – Serva di memoria, che in tempo che stava ammalato il mio Fratello, giacendo in letto avanti due giorni della sua morte, egli mi disse, che il suo Testamento lo troverei nella Cartella da lui additatami *(ubi revera illud reperisse testatus est)*; e poi mi soggiunse, esser sua volontà etc., e che parimenti era la sua intenzione, che io alla morte disponessi della sua porzione alle Opere Pie ed ai Parenti, cioè alle Figlie di quondam Marino Bona –.

(4) Ut in §. *Praeterea*, Instit. de fideicomm. heredit.

(5) Ceu Textus in Leg. *In tacitis fideicommissis* 106, ff. de Legat. 1.

*

dimidia pars debetur (1). Et cum certà esset voluntas Fideicommittentis per legem determinata in parte dimidia, contenderunt Oratrices, nequivisse Heredem onus, quod identificum passus fuerat, ad certam quantitatem determinare dimidia minorem (2).

39. Quae vero a Ioanne Clasci disposita, ea dixerunt Oratrices allegasse, non ut via iuris executioni mandarentur, sed ut, praecognita Ioannis voluntate, ea impellente facilius indulgeretur subsidium, quod postulabant ex gratia; ratione ordinatae charitatis, cum ipsae, quae secundo gradu erant coniunctae pio Testatori Matthaeo Clasci, tanta premerentur rei familiaris angustia, ut, aetate iam adultae supra vel prope trigesimum annum, Virum paris conditionis invenire non potuerint, ob deficientiam dotis, licet eas Patre Matreque orbatas indecorum esset diutius innuptas manere. Familia porro Oratricum, licet nobilis Ragusina, tenuissimas habebat opes, quae, comprehenso annuo Legato scutorum quindecim monetae Romanae singulis relicto ab earum Patruo Hieronymo de Bona olim Archiepiscopo Carthaginensi et Vicario Patriarchali Constantinopolitano, vix reddebant quolibet anno scuta centum sexaginta monetae similis: et modico hoc censu alendi erant, praeter quatuor Oratrices, alii quatuor earum Fratres, qui, cum essent asperae indolis, vereri poterat, ne a Sororibus dividerentur, quo casu nec congrua alimenta illis superessent, ut testabatur Archiepiscopus et referebant Testes. Quocirca disputarunt Oratrices, in hereditate ad pios usus relicta potiorem esse causam pauperum Consanguinearum, quae subsidium quaerebant propriae indigentiae, quam Extraneorum, pro quibus erigendum esset Seminarium; praesertim, cum voluntas Matthaei Testatoris nec etiam firmiter directa esset ad fundationem Seminarii, quia data erat facultas Religiosis Societatis Iesu, quod possent variare; et ideo aequius putarunt, pii Consanguinei facultates erogare in ipsarum subventionem, quam in usus dictis Religiosis benevisos.

40. Verum a Defensoribus Seminarii erigendi excipiebatur, nullam rationem habendam esse de voluntate Ioannis Clasci; quia, vel non agebatur in praesens de restitutione asserti fideicommissi, cuius quaestio remittenda erat ad suos competentes Iudices, vel satis videbatur Matthaeus obtemperasse voluntati Fratris, relinquendo Oratricibus annuum Legatum ducatorum viginti, cum revera in Chirographo Matthaei non legebatur sibi a Ioanne adiectum onus restituendi, sed data facultas disponendi, *Che io alla morte disponessi della sua porzione alle Opere Pie ed ai Parenti;* quae verba excludebant determinationem certae quantitatis, et arbitrium conferebant in Heredem illam determinandi (3).

41. Cumque ex Chirographo non appareret certa quantitas, et Matthaeus, cuius fides electa erat, quantitatem in suo Testamento determinaverit in annuis ducatis viginti, pro qualibet; ideo, subiungebatur, non aliter Oratrices petere posse maiorem quantitatem a fiduciario Herede ratione taciti fideicommissi, quam si manifestissimis probationibus ostenderint, Ioannis voluntatem ad maiorem quantitatem ferri, atque ex iusta et perurgenti causa eamdem maiorem quantitatem non fuisse expressam; quum regulariter ad probandam fiduciam, quae Heredem scriptum obligaret ad restitutionem favore praetensi Fideicommissarii, requirantur verba Testamenti illam praeseferentia, et causa urgentissima occultandi relictum, alioquin Heres scriptus nihil restituere per fideicommissum cogendus est, praeter id, quod sponte fatetur a se praestandum (4).

42. Nihil quoque prodesse Oratricibus, defendebatur, rationem ordinatae charitatis; tum quia potior erat favor causae publicae, quam respiciebat novi Seminarii erectionem, pro edu-

(1) Ut inquit Textus in Leg. *Nomen* 184, ff. de Verb. signif.; et tradunt Gloss. in Leg. *Titius Stichi* 85, Verb. *Consequens*, ff de Legat. 1; Cuiac. tom 6, pag 198, litt. C; Tiraquell. in L. *Si unquam*, Verb. *Omnia vel partem aliquam*, Cod. de Reb. donat. pag 90, n 8 et seqq.

(2) L. *Huiusmodi* 86, §. Stichum, ff de Leg. 1.

(3) Ad tradita per Rot. in Civitatis Plebis Immissionis 26 Ianuarii 1750, §. 10; et 8 Maii eiusdem anni, §. 7, coram Card. Bussio; et 2 Decembris eiusdem anni, §. 16, coram Card. Caprara; et in Ariminen. Fideicommissi de Gridulphis 13 Iunii 1755, §. 10 et seqq. coram Vicecomite.

(4) Iuxta firmata per Rotam in Astoricen. Hereditatis 10 Iunii 1748, § 6, coram Cortada; et 10 Decembris 1749, §. 3, coram Card. Bussio; et in Romana Locorum Montium et Cedularum 4. Iulii 1753, §. 14, coram eodem.

candis Iuvenibus, qui Parochorum munere fungi possent in Diaecesi Ragusina, ubi Presbiteri reformidabant hoc onus assumere, ceu testabatur Archiepiscopus; tum quia in praesens non agebatur de consilio dando Testatori, sed de exequenda illius voluntate, cuius commutationi locus non est, sine iusta causa publicae utilitatis, vel necessitatis, quae potius concurrere videbatur, pro erectione Seminarii, tantopere commendata a Sacro Concilio Tridentino (1).

43. Proposito vero dubio: – An et quomodo sit annuendum precibus Puellarum de Bona super petito augmento Legati in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Esse assignandum Oratricibus usumfructum dimidiae hereditatis Ioannis, cum reversione cuiuslibet portionis post mortem favore Seminarii, computato Legato Matthaei, et dummodo acquiescant – *in Ragusina die 25 Septembris 1762.*

44. Impetrata subinde nova audientia, Exequutores testamentarii quondam Matthaei Stephani Clasci exhibuerunt folium, quod vocabant Testamentum Ioannis Clasci, ut ostenderent, nihil in eo fuisse relictum Sororibus de Bona; et, quoad illius voluntatem oretenus commissam fidei Matthaei Stephani heredis, iuxta Chirographum eiusdem Matthaei enunciatum in antecedenti folio, contenderunt, illam esse intelligendam de sola quantitate in ipsius Matthaei Testamento relicta dictis Sororibus, nisi contrarium concludenter probaretur (2); nec autumarunt indulgendum esse ex gratia, quod de iure non debebatur, cum potior debeat esse causa publicae utilitatis Seminarii erigendi, quo maxime indigebat Diaecesis Ragusina, carens idoneis Presbiteris pro cura animarum necessariis, quam privatum commodum Sororum de Bona, quae aliis subsidiis omnino destitutae non erant. Et quatenus Eminentissimis Patribus placeret magis haerere indultae gratiae, supplicarunt, eam circumscribi ad usumfructum a die lati Rescripti consequendum tantum ex dimidia hereditate a Ioanne tempore eius obitu relicta, demptis prius oneribus ab eodem demandatis, iuxta sensum editae Resolutionis.

45. Reproposito hinc dubio: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – In decisis, iuxta modum; nempe a die lati Rescripti, et collatis oneribus; et amplius – *in Ragusina die 27 Augusti 1763.*

46. Quapropter, quando agitur de exequendis piis dispositionibus, et de subministrandis alimentis Heredi paupertate laboranti, huic danda praelatio est *in Spoletana Reductionis die 8 Iunii 1771* §. *Qua quidem* (3).

47. Praesertim, ob praesumptam Testatoris voluntatem, qui fideicommissum instituendo propagationem omnem sobolis et agnationis conservationem primario optavit; ex quo fit, ius nullum ita esse privilegiatum, ut alimentis Heredi fideicommissario tribuendis cedere debeat *in Spoletana Reductionis die 8 Iunii 1771* §. *Qua quidem* (4).

48. Verum cum Testatoris Consaguinei indigentiae consulitur a Primogenitura ope subministrationis alimentorum, privandae non sunt pauperes Puellae sibi relicto subsidio, per novam capitalis alienationem *in Romana die 12 Iunii 1762* §. *Ratione.*

49. Siquidem Eques Ioannes Laurentius Bernini in Testamento, quod Romae condidit anno 1680, unum reliquit dotale subsidium scutorum viginti quinque a suis Heredibus praestandum quolibet anno in die festo Assumptionis Beatae Mariae Virginis: ad quem effectum iussit, quod singuli Heredes singulas eligerent Puellas, ex quibus una per sortem extrahenda subsidium consequeretur; eumdemque ordinem servari praecepit in futurum (5). Atque divisa sua hereditate in undecim uncias, illarum sex reliquit Paulo filio, cum vinculo Primogenituraе, duas Petro Philippo, duas Francisco, et unam Dominico, pariter filiis suis, omnibus cum onere perpetui fideicommissi.

50. In Codicillis autem, eodem anno exa-

(1) In cap. 18 sess. 23 de Reformatione.

(2) Ad tradita per Rotam in decis. 692, n. 11, part. 18 Recent.

(3) Authen. de trient. et semiss. in princip.; Ruin. cons. 127, n. 7; Peregrin. de fideicomm. art. 52, n. 86 in fin.

(4) Lotter. de re benef. quaest. 22, n. 15.

(5) *Ex verba Testatoris, ut in §. Eques* – ibi – Volendo, che tutti quelli, i quali sono inclusi nelle vocazioni, delle quali abbasso si dirà, ovvero, che succederanno alla mia eredità e Primogenitura, abbiano questa nomina, ad effetto di far eseguire l'imbussolazione, come sopra –.

ratis, legavit quinque suis ex Angela filia Neptibus scuta mille pro qualibet in causam dotis, quatenus eam consequi non possent super bonis ab earum Patre relictis; alioquin praecepit, eamdem summam investiri in Locis Montium Cameralium non vacabilium, et fructus erogari in dotationem pauperum Puellarum, distribuendo cuilibet subsidium scutorum viginti quinque, hoc addito, ut praefatae dotes eodem modo ac forma distribui deberent, quibus distributionem alterius dotis in Testamento relictae demandaverat. Et ex pecuniis huius Legati, (quia forsan defecerat conditio) empta fuerunt Loca Montium 41, cum duabus tertiis partibus alterius Loci, quorum fructibus reddentibus annua scuta centum viginti quinque, distribui consueverunt quinque annua subsidia, praeter sextum, ut supra relictum in Testamento.

51. Ex quatuor praedicti Testatoris filiis, innupti obierunt Philippus et Franciscus, ambo Praelati Romanae Curiae, quorum portiones iure fideicommissi delatae fuerant ad Paulum, Primogeniturae possessorem. Dominicus autem, in uncia institutus, filium post se reliquit Ioannem Laurentium iuniorem. Et is tria impetravit Chirographa a S. M. Benedicto XIII, unum anno 1724, quo sex praedicta subsidia fuerunt assignata pro dote quatuor eius Filiarum, usque ad cumulum scutorum mille pro qualibet, suspensa interim illarum distributione; alterum anno 1729, quo subsidia tunc usque cumulata eidem libere tribuebantur in levamen propriae egestatis, sine tamen praeiudicio dictae dotis assignandae Filiabus ex futuris subsidiis; et tertium anno 1730, quo illius favore decernebatur libera translatio Locorum 13 ex praedictis Locis Montium obnoxiis distributioni subsidiorum, sub lege tamen, quod reliqui fructus prius multiplicarentur, pro reintegratione Locorum Montium alienatorum, et deinde cumularentur pro dictis dotibus Filiarum, quodque Laurentia Caronte Comitis Ioannis Laurentii Uxor cederet, pro eisdem dotibus Filiarum, suum creditum dotale scutorum mille.

52. Post subsidia, impetita fuerunt bona Primogenialia: et primum Comes Ioannes Laurentius, distracta integra paterna uncia, subsidiaria alimenta assequutus est in scutis viginti quolibet mense, super bonis Primogeniturae, ad quam ipse, in deficientiam lineae masculinae Primogeniti, substitutus erat (1); mox illius Filiabus numerare coacta fuit Primogenitura statutam dotem scutorum mille pro qualibet, cum subingressu in illorum iuribus, pro reintegratione obtinendà super cumulo subsidiorum, quae illis fuerunt assignata in Chirographo Pontificio (2). Et tandem coacta est Primogenitura litem substinere cum R. Fabrica S. Petri, quae urgebat Piorum Legatorum adimplementum et distributionem subsidiorum; sed, recognita subsidiorum consumptione in causis praemissis, Iudex Fabricae ab illorum distributione absolvit Primogenituram, usquequo reintegrata foret de scutis 4000 solutis pro dote Filiarum Ioannis Laurentii. Sed priusquam reintegrationem assequeretur Primogenitura super enunciatis subsidiis, alias preces obtulit S. M. Benedicto XIV Comes Ioannes Laurentius, quibus postulabat, ut aliqua subsidiorum portio assignaretur Primogeniturae, pro compensatione fructuum capitalis, erogati in dotationem suarum Filiarum, residuum vero sibi tribueretur ad vitam; sed, relatis precibus a cl. me. Card. Angenvillieres tunc Auditore Sanctissimi die 6 Iunii 1753 prodiit Rescriptum: - Lectum, et gaudeat tot gratiis alias obtentis -.

53. Rursus Angela Bernini Duran, Comitis Ioannis Laurentii soror, eidem Summo Pontifici supplicavit, ut eadem subsidia assignarentur pro dote trium suarum Filiarum, pariter in scutis mille pro qualibet; atque, ad relationem Eminentissimi D. Card. Furietti die 27 Septembris 1755 Sanctissimus annuit, iuxta petita: sed, reclamante Prospero Bernini Pauli filio, et Primogeniturae possessore, alia duo prodierunt Rescripta ex Audientia Sanctissimi; primum die 21 Ianuarii 1756, quo - completa reintegratione scutorum quatuor mille, Sanctissimus mandavit, assignari dotes dictis tribus Puellis, pro quantitate scutorum quingentorum tantum pro qualibet -; alterum die 18 Februarii 1756, quo - Sanctissimus mandavit, explendam esse reintegrationem scutorum quatuor mille favore Prosperi Bernini, iniuncta tamen eidem conditione promptae cessionis crediti scutorum mille, quae debentur a Lauren-

(1) Ceu patet ex decisionibus in Romana Alimentorum 15 Martii et 28 Iunii 1728, coram de Valentibus.
(2) Uti pariter patet ex altera decisione in Romana Dotis 26 Iunii 1737 coram Herrera.

tio Caronte eiusque Viro, sive ea exigi queant, sive non, favore trium Puellarum Oratricum-. Et hac cessione facta per Prosperum, quievit Angela Duran.

54. Non quievit tamen Comes Ioannes Laurentius, qui, novis oblatis precibus Sanctissimo, ad Sacram Congregationem remissis-cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis-, postulavit facultatem alienandi alia decem ex praefatis Locis Montium destinatis pro fundo subsidiorum dotalium, ut ex illorum pretio dimittere posset aes alienum, quo premebatur in summa scutorum 747; iuxta exhibitam notulam, suisque valeret consulere angustiis. Disseruit porro, quod, iuxta multiplicum imperatum in Chirographo Pontificio, cumulari ad illam diem debuisset a Prospero non modica pecunia, nedum sufficiens pro Primogeniturae reintegratione, sed etiam exuberans in quantitate scutorum 822, 98; quodque, assignata Prospero dimidia parte subsidiorum pro tribus Puellis ab eo nominandis, commode posset residuum alterius medietatis cumulari, pro reintegrandis Locis Montium, quorum petebat alienationem; et hoc pacto contendit, nullum Primogeniturae aut Primogenito, modicum Puellis nominandis obventurum praeiudicium.

55. Nulloque in pretio disputavit habendum esse dictum praeiudicium obventurum Puellis, sive quia incerta erat earum electio, sive quia potior erat causa inopiae, ad quam pervenerat Orator, non sua culpa, sed ob numerosam sobolem; ob senectutem et malam valetudinem; ob secundas contractas nuptias ad prolem masculinam pro Agnationis perpetuitate, iuxta votum Testatoris, propagandam; et ob diminutam imperio Iudicis alimentorum praestationem ad summam, quae, ut aiebat, minime sufficiens erat pro victu, vestibus, habitatione, et Famulo, quo coecutiens ducebatur per Urbem, minusque pro Livellis filiorum filiarumque Religiosarum et pro convictu secundae Uxoris in Conservatorio commorantis; autumans, ex bonis Avitis prius subveniendum esse Nepoti pauperi, quam Extraneis, iuxta ordinatam charitatem, praesumptam Testatoris mentem et iuris dispositionem, ut saepissime rescripsit Sacra Congregatio in terminis subsidiorum dotalium et definivit Sacra Rota (1).

56. Excipiebatur tamen a Prospero, reintegratam nondum esse Primogenituram, et erronee a Ioanne Laurentio obiici multiplicum ad suadendam primogenialis Assis absolutam restaurationem, cum in chirographo Pontificio solum praeciperetur pro reintegratione Locorum Montium ex subsidiorum substantia alienatorum, non autem pro reintegratione Primogeniturae, quae non modicum passa erat detrimentum recipiendo minutatim suam reintegrationem, et gravius ferret Possessor praeiudicium, si cogeretur in reintegrationem imputare investimenti fructus, ope multiplici a Summo Pontifice non imperati. Contendebatur quoque, ius nominandi Puellas ad dotalia subsidia haud competere Ioanni Laurentio, nisi ad summam pro quota hereditaria illi obventa in unica uncia. Et propterea inferebatur, in damnum Primogeniturae et in praeiudicium iuris nominandi Primogenito competentis, permittendam non esse petitam alienationem Locorum Montium.

57. Ratione etiam praeiudicii Puellarum, eamdem alienationem permittendam haud esse defendebatur, cum iura sanguinis prodesse nequeant Ioanni Laurentio, qui suam consumpsit portionem hereditariam, nisi pro modo purae necessitatis (2). Et quoniam illius indigentiae, ultra modum etiam necessitatis, consulebatur a Primogenitura, ope subministrationis Alimentorum; ideo disserebatur, privandas diutius non esse Pauperes Puellas relicto subsidio, per novam capitalis alienationem. Et cl. me. Cardinalis Odescalcus olim Urbis Vicarius retulerat: - gravius fore probabiliter damnum Operi Pio, si permittatur alienatio Locorum Montium, quam si terna subsidia in levamen Ioannis Laurentii, quatenus ad ea distribuenda ius habeat, ad eius vitam convertantur, eoque modo incertis etiam futuris eventibus prudentius consultum videatur -.

58. Idcirco, proposito dubio: - An sint alienanda et applicanda favore Comitis Ioannis Laurentii Bernini decem ex Locis Montium, per equitem Ioannem Laurentium Berninum

(1) In decis. 98 coram Duran.; in Perusina Subsidiorum Dotalium 2 Maii 1704, coram Scotto.

(2) Ut inquit Rota in Romana Alimentorum 21 Martii 1749 §. Momentum, et 9 Iulii eiusdem anni, §. Quocirca, coram Canilliac.

Seniorem eius Avum paternum destinatis pro annuis subsidiis sex Puellarum, apposita conditione conficiendi multiplicum cum fructibus superextantium Locorum Montium, usque ad integram reintegrationem dictorum Locorum Montium in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Negative, et amplius - *in Romana die 12 Iunii 1762.*

59. Secus vero, ex aequitate canonica, converti valent Piorum Operum reditus, in Pauperes alendos, Testatoris Consanguineos *in Romana die 17 Ianuarii 1789* §. *Quatenus* (1).

60. Ex Sacris enim Canonibus praescriptum est, quod, si Fundator vel eius Filii, vel Successores sint ad paupertatem redacti, eis reddenda sit pars bonorum, quae ipsi vel eorum Auctores in Ecclesiam contulerunt *in Sutrina Dotis die 17 Iunii 1780* §. *Oratrix* (2).

61. Et quidem, tam pro alimentis, quam pro dote *in Sutrina Dotis die 17 Iunii 1780* §. *Oratrix.*

62. Eadem quippe ratio est Dotium ac Alimentorum, etiam quoad subsidiariam eorum assecutionem, super Piis Cognatorum Relictis *in Romana seu Sabinen. Alimentorum die 14 Martii 1763* §. *Cum* (3).

63. Nam, cui competunt alimenta pro humana conservanda vita, competit etiam dos pro honestate tuenda *in Sutrina Dotis die 17 Iunii 1780* §. *Oratrix* (4).

64. Et haec procedere videntur, sive Patronus indigens descendat a Fundatore per rectam lineam, sive ex transversali *in Sutrina Dotis die 17 Iunii 1780* §. *Oratrix* (5).

Propositis enim dubiis: - I. An sit locus aperitioni oris adversus Breve S. M. Benedicti XIII in casu etc. *Et quatenus Affirmative.*

II. An subsidia dotalia, quae pro medietate distribuuntur Heredibus quondam Magdalenae Paganini et vigore dicti Brevis S. M. Benedicti XIII apparent assignata Filiabus bo. me. Felicis Trulli, debeantur Virginibus de Rubeis in casu etc. *Et quatenus affirmative.*

III. An in casu, quo dicta subsidia non sufficiant pro alimentis et dotibus dictarum Virginum de Rubeis, quae sunt numero sex, eisdem providendum sit pro supplemento ex altera medietate eorumdem subsidiorum, quae distribuuntur a Ven. Archiconfraternitate Sanctissimae Annunciatae Urbis. *Et quatenus negative ad dictum II dubium.*

IV. An dictis Virginibus assignanda sint dicta subsidia, quae ut supra distribuuntur ab eadem Archiconfraternitate, et in qua summa pro earum qualibet in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum et secundum, Negative; et amplius. Ad tertium et quartum, Affirmative; iuxta mentem: et mens est, quod Eminentissimus Praefectus procedat ad executionem cum Eminentissimo Protectore - *in Romana Subsidiorum Dotalium die 30 Martii 1748.*

65. Contra hanc definitionem, nova super duobus postremis dubiis quaestio mota est; hinc repropositis praefatis dubiis, sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - In decisis, et amplius, et quoad summam subministrentur alimenta in scutis tribus menstruis pro qualibet, subsidia vero dotalia, iuxta earum statum et praesentem conditionem, ita tamen, ut Nubentes in Domino, nubant extra Urbem, et ad Eminentissimum Praefectum, pro exequutione - *in Romana Subsidiorum Dotalium die 3 Augusti 1748.*

66. Quae vero in exequutionem huiusce Rescripti taxata fuerint dotium quantitas, alterum innuit ex Brevibus Clementis XIV, in scutis nempe septingentis, quatenus in Seculo, et scutis septingentis quadraginta quinque, si in Domino nupsissent. Hoc ducto exemplo, alimenta pariter et dotem postulavit anno 1767 Anna de Rubeis Iulii filia, obtinuitque ab eadem Sacra Congregatione sub die 29 Augusti menstrua scúta quinque pro alimentis, et dotem iuxta votum Eminentissimi Protectoris, in scutis videlicet septingentis pro nuptiis carnalibus, et scutis septingentis quadraginta quinque, pro spiritualibus, ex fructibus dimidiae partis dotalitii Paganini, ad Successores respectu iu-

(1) Can. *Contra* 29, quaest. 7, caus. 16.

(2) Can. *Quicumque* 30, caus. 16, quaest. 7, cap. *Nobis* 25 de iurepatronat.

(3) Id etiam censuit Sacra Congregatio *in Panormitana* relata inter Summaria Precum die 1 Septembris 1742 lib. 62 Decretorum pag. 554.

(4) Constant. ad stat. urb. annot. 32, de dot. a fratribus profecta, n. 16.

(5) Rot. in decis. 6, n. 5, de alimentis, coram Falconerio.

ris nominandi spectantis. Et eamdem dotis quantitatem et menstrua scuta duo et quinquaginta obulos pro alimentis obtinuerunt die 14 Martii 1770 a Clemente XIV Ludovica, Maria Francisca, et Anna Maria, Alexandri de Rubeis filiae; iterumque die 21 eiusdem mensis quatuor Filiae Gertrudis de Rubeis nuptae Ioanni Baptistae Veri Manni, quas inter Maria oratrix, ac in exequutionem utriusque Pontificii Brevis demandavit sub eadem die 30 Eminentissimus Cardinalis Corsinius, Societatis Protector, praescripta subsidia, - ex medietate Legati Paganini. - Quoties inde novissimis temporibus actum est de alimentis, vel ea Sacra Congregatio denegavit (1), vel ex altera dumtaxat medietate concessit (2).

67. Mense Iunii 1786 soluta fuerunt Annae Mariae de Rubeis alteri ex filiabus Alexandri, nuptae Vincentio Gaudenti, in computum eius dotis scuta 521. 50, quae ex medietate subsidiorum, ad Consanguineas Testatoris spectantium, deposita erant. Alia ad totum annum 1787 deposita sunt scuta 108. 32, deficebantque ad integram quantitatem scutorum septingentorum, in Clementino Brevi praefinitam, scuta 70. 18, quae tam cito cumulari nequibant. Detractis enim ex dicta subsidiorum medietate, quae scutorum erat tercentum quinquaginta, annuis aliarum Feminarum de Rubeis livellis et alimentis in summa scutorum tercentum duorum, vix, Ratiocinatoris Societatis testimonio, annua supererant scuta quadraginta et octo. Hoc advertens Maria Veri Manni, quae Ioanni nupsit Candelori, dotemque sibi scutorum septingentorum sub alterius Clementini Brevis fide constituit, Eminentissimos Patres exoravit, pro subsidiaria illius solutione, ex medietate dotium Societatis. Suam Eminentissimus Protector non aperuit sententiam, quoad dotem: attento tamen bono Oratricis iure et paupertate, capiendam esse censuit provisionem, - quod supradicta Archiconfraternitas teneatur usque ad exitum Causae solvere eidem Oratrici annua scuta triginta, ipsi iam assignata loco alimentorum a S. M. Clemente XIV, quam subministrationem Oratrix usque nunc ab eadem Archiconfraternitate recepit -. Editum hinc fuit Rescriptum die 18 Augusti 1787: - Ponatur in folio, citato Defensore Archiconfraternitatis, firma interim remanente praestatione, ad formam Brevis S. M. Clementis XIV -.

68. Legatorum divisio inter Descendentes Magdalenae et Societatem, activum respiciebat ius conferendi dotem, non item passivum; quum indistincte vocatae essent pauperes Puellae, sive in Domino, sive in Seculo, nubentes. Aequum ergo aiebat Oratrix, ut tamquam Consanguinea Testatoris, Extraneis praeferretur Puellis, suamque dotem ex medietate etiam subsidiorum Societatis consequeretur (3). Maxime, quia vocatae erant ad subsidia illa Puellae incertae; et nulli idcirco fiebat iniuria (4). Valde tamen confidebat in resolutione anni 1748, paremque indulgentiam ac Filiae Neptesque Philippi de Rubeis ab Eminentissimis Patribus augurabantur. Addi etiam poterat, quod ob tenuem quantitatem fructuum, qui, detractis aliarum Consanguinearum livellis et alimentis, ex altera subsidiorun medietate quotannis supererant, diu expectare deberet dotis suae cumulum, et inanis quodammodo Pontificia gratia evaderet (5).

69. Strenue Oratrici obstitit Societas, eique dotem et alimenta, ex propria subsidiorum medietate, inficiabatur. Alimenta, inquit, non propter dotem, sed propter obsequia debentur matrimonialia (6); ideoque praestanda erant a Viro, cessavitque per Matrimonium Pontificia munificentia. Animadversionem tamen merebantur Votum Eminentissimi Protectoris, Rescriptum diei 18 Augusti, quo firmam voluerunt Eminentissimi Patres praestationem alimentorum, ad formam Brevis et concordatum dubium, in quo de una quaerebatur dote. Praestandam vero non esse contendit dotem,

(1) Ut ex Resolutione diei 10 Maii 1777.

(2) Ceu ex Resolutione diei 20 Augusti 1785.

(3) Mantic. de coniect. lib. 8, tit. 5, n. 17; Amostaz. de Caus. Piis, tit. de Relict. ad Pauperes, n. 10; et passim Sacra Congregatio praesertim in Nullius seu Montis Casini Distributionis Subsidiorum Dotalium 24 Septembris 1729 ad 1 dubium; in Panormitana Subsidiorum Dotalium 15 Ianuarii 1731 et 20 Augusti 1735; et in Romana seu Sabinen. Subsidiorum Dotalium 27 Martii 1762.

(4) Rot. in decis. 227, n. 2 et 7, coram S. M. Clem. XIII.

(5) Contra Textum in cap. 16, de Regul. iur. in 6.

(6) Hostien. in cap. *Per vestras* 7, de donat. inter Vir. et Uxor. n. 6; Boss. de Matrim. tom. 2, cap. 4, §. 1, n. 93.

ex proprio subsidiorum semisse, quum consultum esset Consanguineis, ex altera medietate (1). Potissimum, quia octavo Oratrix distabat gradu a Testatore, ad effectum, de quo agebatur, censeri potius debebat extranea (2). Indulsit quandoque ultra quartum gradum Consanguineis, sed concurrente earum vocatione, qua destituta erat Oratrix, quoad portionem subsidiorum Societatis (3).

70. Ipsum deinde urgebat Societas Clementinum Breve, ex quo suum ius Oratrix desumebat. Initio siquidem distinxit Clemens XIV Descendentium ius a iure Societatis, dotemque deinde Oratrici eiusque Sororibus praestari mandavit, - ex praedictis reditibus -. Ex hoc autem conclusit, quod ad propria respexerit Descendentium subsidia, de quibus distinctam mentionem fecerat. Indeque comprobavit, ex Decreto exequutoriali, quo dotes imperavit Eminentissimus Protector - ex medietate Pii Relicti Paganini -. Resolutioni autem anni 1748 alias opposuit annorum 1767, 1777, et 1785, quarum novissimae, licet respicerent alimenta, statum a maioritate rationis faciebant, quoad dotes, quum - dotis favor provenit a Iure positivo, ille vero alimentorum descendit a iure naturali - (4). His omnibus accedebat, quod dotalia Societatis subsidia destinata primum erant Puellis, in Domino nubentibus, quae nunquam in genere deficiebant. Ponderandum ergo, num illa applicatio nuptae in Seculo derogationem saperet voluntatis.

71. His tamen non obstantibus, proposito dubio: - An dos scutorum septingentorum assignata Mariae de Rubeis Veri Manni a S. M. Clemente XIV praestanda sit ex medietate dumtaxat subsidiorum dotalium Paganini, quae distribuuntur ad nominationem heredum Magdalenae Paganini et Theodosii de Rubeis, seu potius in eius defectu ex altera etiam medietate subsidiorum, quae distribuuntur ab Archiconfraternitate Sanctissimae Annunciatae in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam - *in Romana Subsidii Dotalis die 21 Iunii 1788.*

72. Verum cedere debet Consanguineus pauper suos reditus Operi Pio, ut ab eo alimenta consequatur *in Panormitana die 26 Martii 1763* §. *Et quoniam* (5).

73. Hinc non est alimentorum praestatio deneganda, qui suam Descendentiam probat, et de gravi suae Familiae paupertate constet, cui Fundator prospexisset, si illam praevidere potuisset *in Romana Alimentorum die 12 Martii 1774* §. *Inquit* (6).

74. Et probatio paupertatis et Consanguinitatis, quae satis fuit ad obtinenda alimentorum assignationem, prodesse videtur ad obtinendam gratiam prorogationis, cum ob senectutem Oratoris et adauctum numerum eius Filiarum, paupertas potius adaucta sit *in Panormitana die 26 Martii 1763* §. *Et arbitratur.*

75. Potissimum, quia nec paupertas, nec cognatio, ad hunc effectum, rigorosas exigunt probationes *in Panormitana die 26 Martii 1763* §. *Et arbitratur* (7).

76. Ceterum Sacra Congregatio indulget quidem hisce in terminis etiam gratiae prorogationis; sed, si paupertas eiusdemque probatio in discrimen revocetur, ac obstare videatur Testatoris voluntas, huiusmodi gratiam prorogationis, cum ea praesertim ad vitam Oratoris eiusque Filiorum petatur, non concedit, nisi prius res mature expensa rite pateat *in Panormitana die 23 Aprilis 1763.*

77. Enimvero Marianus Mansi testamento condito anno 1612 heredem instituit Simonem fratrem suum; et post eius obitum annuas reliquit uncias biscentum quinque monetae Siculae Presbiteris Congregationis Oratorii, vel in illorum defectum Rectoribus Sodalitii S. Mariae Novae Panormi, ea lege, ut ex illis de-

(1) Ursaya discept. Eccles. 2, n. 86, tom. 3, part. 2; Rot. in Nuperr. decis. 31, n. 7, tom. 4.

(2) Uti censuit S. Congregatio in Romana Subsidiorum Dotalium die 15 Decembris 1736; in Ferrarien. Subsidiorum Dotalium 11 Ianuarii 1766.

(3) Ut in Veliterna Subsidiorum Dotalium 8 Iunii 1771.

(4) Uti observat Rot. in decis. 1093, n. 3, coram Molin.

(5) Ut in simili casu censuit Rot. in Salernitana Alimentorum 23 Iunii 1760, coram Olivatio.

(6) Cap. *Nobis* 25; et cap. *Quicumque,* de Iurepatronat.

(7) Ut notant Piton. de controv. Patron. Allegat. 44, n. 1 et 2; Rot. post eumdem in dicta Allegat. 44, n. 54, 56, 74 et 76; in decis. 7, n. 3, de Alimentis, coram Falconerio.

cem subsidia unciarum viginti quolibet anno distribuerentur pauperibus Puellis, omni alia dote carentibus, cum praelatione suarum Consanguinearum usque ad quartum gradum, quibus singulis dari voluit subsidium in maiori quantitate unciarum quadraginta, immo et unciarum septuaginta, si Filiae suarum Sororum concurrerent; nec Puellis modo, sed Masculis etiam, qui a suis Sororibus descenderent, prospiciens, reditus pro dotandis Puellis relictos in illorum praesidium erogari praecepit, quoties aegroti aut carceribus mancipati ope aliena indigerent, vel inter Hostes captivi facultatibus non pollerent ad redemptionem necessariis, cuilibet hoc casu assignando subsidium unciarum sexaginta.

78. Pii Testatoris munificentia primum gavisus est Marianus Biondo illius nepos, cui summopere inopi et mala valetudine presso, Rectores Confraternitatis S. Mariae Novae, ad quos Legati administratio delata erat, assignarunt diurnam eleemosynam tarenorum quatuor, quousque viveret; et, illo defuncto, per sententiam Apostolicae Legationis latam anno 1671 prorogata est eiusdem eleemosynae praestatio, ad vitam illius Filiorum, cum iure accrescendi inter eos, itaut integra eleemosyna tandem coaluerit in persona Constantiae Biondo, ultimae dicti Mariani Filiae.

79. Fretus itaque aliorum exemplo, Vincentius Merlo preces obtulit S. M. Benedicto XIV, quibus et ipse quotidianum subsidium trium tarenorum postulavit ex dicto Legato, augendum post mortem praedictae Constantiae Biondo ad tarenos quatuor, qui annuas constituebant uncias quadraginta octo. Et cum petitae assignationi, pro rata tamen tarenorum duorum ad vitam Oratoris, assentirentur Rectores Confraternitatis administratricis, et Vicarius Generalis, in absentia Archiepiscopi Panormitani, testimonio suo comprobasset, Oratorem quarto Consanguinitatis gradu coniunctum esse Testatori, tenuique censu potiri annuarum duodeviginti unciarum, quibus suis suaeque praegnantis Uxoris et duarum Filiarum alimentis supplere non poterat, pro suae honestae conditionis decentia; Sacra Congregatio, ad quam preces a dicto Summo Pontifice remissae fuerant, die prima Septembris 1742 annuit petitis pro solis tamen duobus tarenis qualibet die ad decennium, si tamdiu exposita paupertatis causa perdurasset (1): eiusdemque gratiae prorogatio ad aliud decennium indulta fuit, ex Audientia Sanctissimi die 4 Augusti 1751 (2).

80. Novam prorogationem a Sanctissimo postulavit subinde Orator, ad vitam suam suorumque Filiorum; et cum postulationis eiusdem cognitio delegata fuisset S. Congregationi, Literas exhibuit Vicarii Generalis Panormitani, qui, Parochi testimonio et depositionibus Testium fide dignorum, edoctum se fuisse narravit, quod Orator nullis muneribus vacans, solum habebat in reditu annuas uncias sexdecim, omnino impares alimentis subministrandis ei eiusque Uxori et quatuor Filiis, quibus onustus erat. Hinc arbitratus est, suam paupertatem suamque cognationem cum Testatore in discrimen revocari non posse; cum utraque fuerit comprobata testimonio Vicarii Generalis, et agnitione Rectorum Confraternitatum anno 1742, potiusque paupertas aucta esset, ob senectutem Oratoris, et adauctum numerum eius Filiarum: quare probatio, quae satis fuit ad obtinendam alimentorum assignationem, prodesse quoque autumavit, ad obtinendam gratiam prorogationis. Potissimum, quia nec paupertas, nec cognatio, ad hunc effectum, rigorosas exigunt probationes.

81. Sed petitae gratiae adversabantur moderni Rectores Confraternitatis administratricis, duabus potissimum innixi rationibus. Primo, quia repugnabat Testatoris voluntas, qui adeo enixe optavit indigentium Puellarum dotationem, ut nec ipsis Puellis de sua cognatione specialiter praedilectis, subsidium dari voluerit, nisi vera egestate premerentur, omnique alia dote carerent; neque Masculis, qui a suis Sororibus descenderent, subveniri praecepit, nisi in tribus designatis casibus, adversae valetudinis, carcerationis, et captivitatis, summam insuper determinando in unciis sexaginta pro redemptione captivorum, quatenus suis pecuniis redimi non possent. Secundo, quia deficiebat ea paupertas, quam Orator praedicabat, et quam nonnisi a falsis Testibus deceptum, aiebant, retulisse Vicarium Generalem in postremis Literis, cum Orator anno 1748, divisione facta cum Fratribus, in suam portionem ac

(1) Ceu prostat in lib. 92 Decretorum pag. 554.
(2) Uti in lib. 101 Decretorum pag. 398.

ceperit bona stabilia annui reditus unciarum quadraginta septem cum dimidio, quae postea locata fuerunt etiam maiori pensione, ut probabant publica Instrumenta, Testibus praeferenda (1).

82. Et quoniam Orator anno 1742, quo possidebat annuos reditus unciarum 18, subsidium impetravit aliarum unciarum viginti quatuor dumtaxat, eademque summa solum indigere in praesens innuit, postulando prorogationem indulti pro assecutione eiusdem summae, in supposito, quod possideret annuos reditus unciarum sexdecim, cum hoc pacto implicite fateretur, pro sua suaeque Familiae decenti substentatione sufficere annuas uncias quadraginta, alterutrum concedendum esse arguerunt Rectores Confraternitatis, quod vel novo subsidio non egeret Orator, qui non quadraginta solum, sed ultra quinquaginta annuas uncias retrahebat ex suis bonis, vel recipiendo subsidium, sub praetextu exigui sui census annuarum unciarum sexdecim, cedere teneretur Pio Operi dotandarum Puellarum quidquid percipiebat, ex bonis suis, ultra sexdecim uncias enunciatas.

83. Proposito hinc dubio: – An et quomodo sit proroganda diurna subministratio tarenorum duorum alias ex hereditate bon. mem. Mariani Mansi indulta Vincentio Merlo in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Dilata, et scribatur Archiepiscopo pro informatione et voto, iuxta instructionem – *in Panormitana die 23 Aprilis 1763.*

84. Unde alimentorum praestatio non est quidem deneganda, cum praesertim agitur de alimentis praestandis optimae indolis Adolescenti, et ex causa studiorum, quae aeque privilegiata dicitur, ac causa dotium *in Romana Alimentorum die 12 Martii 1774* §. *Inquit* (2).

85. At, si Fundator tantummodo pauperibus Puellis in donatione prospicere voluerit, fructus Pii Legati nunquam converti possunt in causam alimentorum pro Masculis, qui nunquam fuerunt a donante contemplati *in Romana Alimentorum die 12 Martii 1774* §. *Ex alia* (3).

86. Enimvero conspicuam summam scutorum triginta millium Paulus Paganini donavit Ven. Archiconfraternitati Sanctissimae Annunciationis de Urbe, cum lege, ut ex annuis fructibus tot dotalia subsidia scutorum centum pro qualibet distribuerentur pauperibus Puellis, quae sive in Domino sive in Seculo nuberent. Ius nominandi ad medietatem subsidiorum dotalium Deputatis eiusdem Ven. Archiconfraternitatis tribuit, et pro alia medietate contulit Magdalenae eius Nepti, nuptae Theodosio de Rubeis eorumque Descendentibus, tam masculis, quam feminis, in infinitum. Istius liberalitatis intuitu, plura Summi Pontifices beneficentiae argumenta praebuerunt erga Decendentes a Familia de Rubeis, quorum favore et dotium cumulum et alimentorum praestationem demandarunt. Hisce motus exemplis Iulius de Rubeis supplicem obtulit Sanctissimo libellum, quo postulavit, ut ex medietate redituum Legati Paganini eroganda pro Puellis ab ipso nominandis, detraherentur annua scuta sexaginta, pro alimentis Aloisii filii sui, qui, huiusmodi subsidio adiutus, et literis erudiri et in aliquo Seminario educari posset. Ex eo praesertim, quod probaret suam descendentiam a Paulo Paganini, et constaret de gravi suae Familiae paupertate, nec non ageretur de alimentis praestandis optimae indolis Adolescenti, et ex causa studiorum.

87. Allegavit etiam exemplum Philippi Paganini Avi, qui ex fructibus Pii Legati subministrationem scutorum quinque in singulos menses a S. M. Clemente XII reportavit. Et quia Archiconfraternitatis Deputati huiusmodi gratiam referebant ad extremam eiusdem Philippi paupertatem non valentis alimenta praebere numerosae soboli, quam ex duplici coniugio susceperat, respondit, non dissimilem esse suam conditionem suamque paupertatem, Parochi testimonio comprobatam, cum sibi et Familiae unice victum quaereret ex negotio Aurigae, quod nedum tenuissimum erat, sed ut plurimum insufficiens, ad vitam honeste sustentandam. Quin ullimode computari posset assignamentum scutorum quinque ex Pio Legato Paganini anno 1767 factum Annae Oratoris filiae, tum quia huiusmodi assignamentum ne satis quidem erat, ad alimenta vestes aliaque necessaria eidem Annae comparanda, tum etiam quia pro alendis aliis quinque Filiis iam

(1) Textus in Leg. *Census* 10, ff. de Probat.

(2) Gratian. cap. 62, n. 3 et 4, discept. foren.; Rot. in decis. 485, n. 8, part. 13; et decis. 349, part. 2 Recent.

(3) L. fideicom. §. Si rem, ff. de legat. 3; L. *Meminerint*, Cod. unde vi; Authen. de Hered. et Falcid. in fin.

adultis maior in praesens requirebatur impensa, quam quae retroactis temporibus requireretur. Hinc arguit, impertiendam esse Aloisio filio petitam alimentorum subministrationem in scutis quinque in singulos menses a die, quo porrecta fuit supplicatio, scilicet a mense Maii 1770. Praesertim, quia ex reditibus medietatis Pii Legati, quae assignata fuit pauperibus Puellis e Familia de Rubeis nominandis, deductis oneribus, adhuc eroganda supererant annua scuta 143, quibus Oratoris Filio commode succurri poterat.

88. Ex alia vero parte Archiconfraternitatis Deputati animadvertebant, Paulum Paganini tantummodo pauperibus Puellis in donatione prospicere voluisse, ac proinde fructus Pii Legati nequaquam converti posse in causam alimentorum pro Masculis, qui nunquam fuerunt a Donante contemplati. Et quamvis admitterent, Patrono pauperi ex bonis Ecclesiae succurrendum esse, id tamen locum habere affirmabant in supplementum, quatenus nempe Patronus aliunde non habeat, unde vivere possit (1), negarunt, Iulium de Rubeis in eo statu reperiri, cum Aurigae artem exerceret, paratumque haberet negotium curribus et equis sufficienter instructum, nec non alterum negotium exerceret, quod dicunt, *Caffettiere;* unde quidquid, ad Familiae sustentationem necessarium erat, percipere poterat.

89. Addiderunt, satis superque ex reditibus Pii Legati consultum fuisse Oratoris paupertati per annuam assignationem scutorum sexaginta factam Annae filiae, degenti in Monasterio Narniae; ubi, observabant, annua solum scuta vigintiquinque requiri. Concluserunt, medietatem Legati Paganini sic eo usque livellis atque assignamentis praegravatam esse, ut nonnisi quam annua scuta octoginta quinque libera superessent, atque haec imminui deinceps poterant, ob immanem Familiae de Rubeis Puellarum numerum, quarum petitiones in dies augerentur.

90. Eminentissimus Protector post expositam facti seriem, relataque argumenta ab utraque parte deducta, haec habuit: - Sane Paulus Paganini, dum Archiconfraternitati donavit conspicuam summam scutorum triginta millium, unico Puellarum favore respexisse visus est, ut nimirum facilius nuberent sive in Domino sive in Seculo, sine detrimento pudicitiae -.

91. Propositis hinc dubiis: - I. An sit locus praestationi alimentorum causa studiorum ex reditibus Legati Pii bo. me. Pauli Paganini in casu etc. *Et quatenus Affirmative.*

II. An et in qua summa et a quo tempore sint eadem alimenta praestanda in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Negative; et amplius. Ad secundum, Provisum in primo - *in Romana Alimentorum die 23 Aprilis 1774.*

92. Nec imo fructus Pii Relicti in causam alimentorum convertuntur pro Feminis, si petitio dictorum alimentorum sapiat commutationem voluntatis, ac Institutor non sit Ascendens, sed Transversalis, nec non aliae urgeant circumstantiae *in Romana Alimentorum die 10 Maii 1777.*

93. Siquidem haud contentus praedictus Iulius supplex adivit Sanctissimum, nomine Mariae et Victoriae suarum filiarum per ipsum susceptarum post editam resolutionem favore dictae Annae alterius filiae suae, quarum prima in praesens erat in aetate annorum decem, alteraque annorum sex, ut exemplo eiusdem Annae istius quoque sororibus Mariae et Victoriae assignarentur alimenta in aliis mensualibus scutis quinque pro qualibet.

94. Delegatis precibus ad Sacram Congregationem, auditus fuit Eminentissimus Card. Ven. Archiconfraternitatis Sanctissimae Annunciationis Protector, qui fuit in voto reiiciendi petitionem Iulii, quia medietas redituum Legati Paganini, ad quam tantum ius nominandi Puellas dotandas habebant Successores Magdalenae Paganini de Rubeis fere absorbebatur ab alimentis et livellis, qui anno quolibet praestabantur eiusdem Magdalenae Successoribus, ita ut ex dicta redituum medietate nulla alia superessent media, nisi scuta octoginta quatuor. Subdiditque: - clarum hinc est, quod non remanent tot fructus, quot forent necessarii pro efflagitata alimentorum praestatione in annuis scutis centum viginti, quodque superius dicti residuales fructus in annuis scutis octoginta quatuor sunt anno quolibet deponendi et investimento dandi supplendi gratia

(1) Cap. *Quicumque* 16, de iurepatronatus; Abbas in cap. *Nobis*, n. 6, eodem tit.

praestationi assignatorum subsidiorum Filiabus ipsius Iulii Oratoris –.

95. Hoc tamen non obstante, saepedictus Iulius perinde ac si iam obtinuisset alimentorum praestationem pro Filiabus suis, disputavit pro illorum detractione ex redituum medietate, in dotes eroganda, ad nominationem ipsius aliorumque Familiae de Rubeis, ea adducta ratione, quia ipse Patronus erat, et Patrono pauperi debentur alimenta super fructibus bonorum patronatui subiectorum, in quibus adest originaria alendi obligatio (1); iisque deficientibus, urgebat pro alimentorum detractione ex altera redituum medietate, quae in tot subsidiis dotalibus erogabatur, ad nominationem antedictae Confraternitatis, ex verosimili et coniecturata voluntate Pauli Paganini Ascendentis Iulii totiusque Familiae de Rubeis potius alendi suos Descendentes, quam dotandi Puellas incertas (2).

96. Contendit e contra Confraternitas, petitionem a Iulio promotam sapere commutationem voluntatis Pauli Paganini ad dotes directae; eamque proinde non esse commutandam pluries definivit Sacra Congregatio (3): eumdem Iulium, quatenus ius haberet ad alimenta, ea detrahere non posse, ex reditibus Relicti Paganini. Non quidem super illorum medietate ad Familiam de Rubeis pertinente pro nominandis dotandis Puellis; quia haec medietas ex Pontificiis concessionibus et ex Decretis S. Congregationis absorpta erat ab aliis alimentis livellis dotibusque praestandis: nec pariter super altera redituum medietate, quae in dotes erogabatur ad nominationem Archiconfraternitatis cessionariae et assignatariae Pauli Paganini, assignatione et cessione per eum facta per contractum inter vivos; quia Iulius super hac redituum medietate nec Patronus erat, nec ullum valebat iuspatronatus exercere.

97. Rursus urgebat Archiconfraternitas, non esse locum coniecturis super hac altera redituum medietate, neque ex similibus esse capienda exempla, ubi pro libertate mens et voluntas Pauli Paganini cedentis apertissima erat (4): fortius quia Paulus cedens non erat Ascendens totius Familiae de Rubeis, ut supponebat, nec probabat Iulius, sed erat Transversalis, cuius Patrimonium nec ad dotes nec ad alimenta favore Collateralium subiiciebatur (5).

98. Duo insuper in causa erant praecipue ponderanda: primum, quod Hortentia Dominica et Constantia sorores de Rubeis Iulii Amitae habuerant alimentorum titulo super medietate redituum ad nominationem Familiae de Rubeis in dotes erogandorum mensualia tantum scuta tria pro qualibet; similiter alimenta in eadem summa taxata fuerant pro Gertrude Iulii sorore; itemque quatuor filiae dictae Gertrudis et Iulii Neptes et respective amitinae Mariae et Victoriae dicti Iulii filiarum, pro quibus Pater postulabat mensualia scuta quinque pro unaquaque earum, exigebant menstrua tantum scuta duo et obulos quinquaginta pro qualibet. Et alterum, quod Iulius in precibus Summo Pontifici porrectis expressit, Annam filiam suam, cui ex Decreto Sacrae Congregationis assignata fuerunt alimenta in mensualibus scutis quinque, iam monasticum habitum assumpsisse in Monasterio S. Bernardi Civitatis Narniensis; ideoque huiusmodi assignamentum, quod adhuc solvebatur ab Archiconfraternitate, vacare deberet.

99. Singulis hinc perpensis, proposito dubio: – An, deficientibus fructibus medietatis capitalis Pii Relicti Paganini, qui distribuuntur in tot subsidia dotalia ab Heredibus quondam Magdalenae Paganini et Theodosii de Rubeis, praestanda sint alimenta ex fructibus alterius medietatis dicti capitalis, qui distribuuntur in alia subsidia dotalia a Ven. Archiconfraterni-

(1) Text. in cap. *Nobis* 25, de iurepatronatus; Piton. de controv. Patron. allegat. 44, n. 47; Amostaz. de Caus. Piis, lib. 4, cap. 10, n. 39; et Rot. in decis. 8, n. 1, de Alimentis, coram Falconerio.

(2) Surd. de Alim. tit. 1, quaest. 54; Amostaz. de Caus. Piis, lib. 4, cap. 10, n. 40; Rot. in decis. 179, n. 23, coram Ratto.

(3) Hic ceteris missis, praesertim in Taurinen. Commutationis Voluntatis die 20 Decembris 1732; et fere in terminis in Florentina Commutationis ultimae Voluntatis die 15 Februarii et 18 Martii 1747.

(4) Can. *Ultima voluntas*, caus. 13, quaest. 2; §. Disponat Authen. de Nuptiis; et L. *Si quis heredum*, de Instit. et Substit.; Bald. in Leg. *Unum ex familia*, §. Si duobus, de Legat. 2.

(5) Rot. in decis. 204, n. 8 et 9, part. 14; decis. 317, n. 21 et 23, part. 17 Recent.; decis. 51, n. 1, de Miscellan. coram Falconerio.

tate Sanctissimae Annunciatae Urbis, in qua summa et a quo tempore in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Negative, et amplius - *in Romana Alimentorum die 10 Maii 1777.*

100. Ac multo minus id locum habet, cum expresse obstet Testatoris voluntas; ac praesertim, si assignatio alimentorum in eiusdem voluntatis eversionem vergeret, et Oratores Collaterales non sint fortunae bonis omnino destituti *in Romana seu Sabinen. Alimentorum die 4 Iunii 1763.*

101. Enimvero Lucretia et Prudentia Valentini supplicarunt Sacrae Congregationi die 25 Aprilis 1761, ut dos ipsis constitueretur, ex piis subsidiis dotalibus relictis a Caesare seniore Valentini ipsarum Agnato, ac distribuendis a Ven. Archiconfraternitate SS. Annunciatae Urbis, et disputato dubio: - An et in qua summa debeantur subsidia dotalia in casu etc.-, responderunt Eminentissimi Patres: - Affirmative pro summa scutorum quingentorum, pro qualibet -.

102. Quum tamen manerent subinde adhuc innuptae, et summa se premi contenderent rei familiaris angustia, ob passa sequestra super pensionibus domus in Urbe possessae, et ob tenuitatem reditum, quos retrahebant ex stabilibus sitis in Territorio Oppidi Arcis antiquae, iuxta exhibitas Testium depositiones, ipsae non minus, quam eorum quatuor Fratres minores natu literarum studiis incumbentes, alias porrexerunt preces a Summo Pontifice Sacrae Congregationi delegatas, quibus postulabant, sibi alimenta saltem in scutis tribus quolibet mense, singulis Masculis ad quinquennium, Feminis autem usque ad nuptias, assignari ex iisdem piis subsidiis, ea ipsa ratione, qua dotes dictis Puellis constitutae fuerant, quum eadem esset ratio dotium ac alimentorum, etiam quoad subsidiariam eorum assecutionem, super piis Cognatorum relictis.

103. Verum Eminentissimus Protector de more auditus censuit, postulationem Oratorum absonam esse atque alienam a voluntate Testatoris et ab aequitate; foliumque transmisit, pro parte Archiconfraternitatis, ubi excipiebatur, non eam habendam esse rationem hoc casu de dote ac de alimentis; quia pro dote expressa concurrebat voluntas Testatoris, qui fructus suae hereditatis erogari voluit in dotationem Puellarum, et ideo potuit aequitas suadere praelationem Consanguinearum; at alimentorum assignatio vergeret in eversionem piae illius voluntatis. Quocirca contendebatur, non esse Puellis contemplatis auferenda subsidia, ut alimenta praestarentur remotissimis Consanguineis, omni actione de iure carentibus, adversus bona hereditaria Consanguinei Collateralis, et fortunae bonis non omnino destitutis. Praesertim, cum huiusmodi alimentorum assignatio ab Oratoribus petita facile trahi posset in exemplum ab aliis Testatoris Cognatis; quo casu nec Cognatorum indigentiae, ob magnam illorum copiam, consuleretur; nec spes amplius dotationis affulgeret ipsis Puellis Cognatis, quae saepe quaerere solebant subsidia ab Pio Relicto, ut praeterito anno factum erat a Sororibus Stoppini, quae dotem scutorum tercentum pro qualibet sibi decerni obtinuerunt a Sacra Congregatione (1).

104. Proposito hinc dubio: - An et quorum favore sit locus assignationi alimentorum et in qua summa in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit; - Negative, et amplius - *in Romana seu Sabinen. Alimentorum die 4 Iunii 1763.*

105. Nec proinde quoad dotem idem obtinet, etiamsi voluntas Fundatricis quodammodo accedat, quae nempe voluit, quod, imminutis reditibus, prout illi per detractionem petitae dotis imminuerentur, essent reducendae Missae, ad rationem Missae manualis, cum ageretur de assignanda dote Puellae a Fundatrice non descendente, et remoto gradu cum ea sanguine coniuncta, et ad hunc effectum alienanda esset pars fundi Capellaniae in praeiudicium, tum Successorum in Patronatu, tam activo, quam passivo, tum futurorum Capellanorum, nec non praescripta Sacra fuerint certe reducenda. Hoc enim in themate, non obstante, quod Puella esset patrona et extrema laboraret paupertate, proposito dubio: - An et quomodo et in qua summa Hieronymae Nespoli assignanda sit dos ex LL. MM. Capellaniae, de qua agitur in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Ex hactenus deductis, Negative - *in Sutrina Dotis die 15 Iulii 1780.*

(1) Nimirum in Romana seu Sabinen. Subsidiorum Dotalium die 27 Martii 1762.

106. Praeterea alimenta non sunt subministranda Episcopo accedenti ad ministrandum Sacramentum Confirmationis nec a Clero nec a Populo *in Neapolitana die 11 Novembris 1621 lib. 12 Decretorum pag. 84.*

107. Siquidem, proposito dubio: – An Episcopo accedenti ad Sacramentum Chrismatis conferendum Populus vel Clerus teneatur subministrare alimenta? –, Sacra Congregatio respondit: – Non teneri – *in Neapolitana die 11 Decembris 1621 lib. 12 Decretorum pag. 84.*

108. Nec imo ullatenus procurationem seu alimenta debentur Episcopo accedenti ad Ordines conferendos vel Sacramentum Chrismatis conferendum, etsi ratione Visitationis victualia debeantur, cum adsit consuetudo *in Nullius Orbetelli die 23 Novembris 1624 lib. 12 Decretorum pag. 222.*

109. Enimvero – Sacra Congregatio censuit, quoad procurationem ratione Visitationis exigi posse victualia tantum, quae Episcopo visitanti ac suis frugaliter moderateque pro temporis tantum necessitate et non ultra erunt ministranda, ita tamen, ut si ibi est consuetudo, ut nec victualia, nec pecunia, nec quicquam aliud a Visitatoribus accipiatur, sed omnia gratis fiant, id omnino observetur; Episcopo vero illuc accedenti ad Ordines conferendos aut Sacramentum Chrismatis ministrandum, censuit procurationem non deberi - *in Nullius Orbetelli die 23 Novembris 1624 lib. 12 Decretorum pag. 222.*

110. Ad Episcopos vero quod spectat, qui, Episcopatu abdicato, ad Claustra redierint, animadvertendum, quod, ex Constitutione Benedicti XIII, cuius initium: *Custodes,* Regulares, qui se Episcopatu abdicaverint, ad Claustra suae Religionis redire tenentur *in Pisauren. Alimentorum die 25 Septembris 1858* §. *In Constitutione* (1).

111. Quod est plane consentaneum duobus Decretis Summorum Pontificum Alexandri VII, et Clementis XI *in Pisauren. Alimentorum die 25 Septembris 1858* §. *In Constitutione* (2).

112. Hinc plane eximi non posse videtur Religio ab onere iisdem praestandi alimenta, cum reversi fuerint *in Pisauren. Alimentorum die 25 Septembris 1858* §. *In Constitutione.*

113. Primaevus enim quodammodo revivi-scere videtur contractus, quem quis tradendo se Religioni init cum illa, ut is traditione personae teneatur inservire in omnibus actibus ad Religionem facientibus, ista vero ad eum alendum *in Pisauren. Alimentorum die 25 Septembris 1858* §. *In Constitutione.*

114. A Monasterio enim debet ali, cui acquirit Monachus, prout dicitur de Servo erga Dominum, ac de Filiis erga Parentes, cum ratione potestatis teneatur quisque ad alimenta illius, cuius opera potest ad libitum uti *in Pisauren. Alimentorum die 25 Septembris 1858* §. *In Constitutione* (3).

115. Nec illud implicare videtur, quod nimirum ad alimenta ius praetendere nequeat, qui sit dives et aliunde habeat, unde vivere possit; ac propterea cesset obligatio ea praestandi, etiamsi post taxationem alimentorum facultates supervenerint *in Pisauren. Alimentorum die 25 Septembris 1858* §. *Nec illud.*

116. Nam regula haec, quae obtinet, quando debeantur alimenta ex pietate, ex officio Iudicis, vel iuris dispositione, exceptionem patitur siquidem, si petantur alimenta, iure actionis, et in vim praecedentis contractus, seu causae obligatoriae *in Pisauren. Alimentorum die 25 Septembris 1858* §. *Nec illud* (4).

117. Quo enim in casu id adamussim servandum, quod in contractu conventum est *in Pisauren. Alimentorum die 25 Septembris 1858* §. *Nec illud.*

118. Ceterum quidquid sit de obligatione

(1) Quippe in Constitutione Benedicti XIII incipien. *Custodes* haec habentur: – Decernimus, ut Monachi, Mendicantes, et cuiuscumque alterius Instituti Regulares, specialissima etiam mentione digni, qui, Episcopatu sibi pridem collato, quacumque de causa, se in posterum abdicare permissi fuerint, Claustra suae Religionis repetere omnino teneantur et debeant, iis tantum exceptis, qui a nobis sive a Romanis Pontificibus Antecessoribus aut Successoribus nostris obtinuissent, vel obtinebunt facultatem expressam vivendi extra Claustra, sacro alicui muneri, quod cum vita claustrali exerceri non posset, ex peculiari voluntate nostra, vel eorumdem Antecessorum aut Successorum nostrorum speciatim addicti, quod quidem munus respiciat servitium et obsequium nostrum, vel Successorum nostrorum, sive huius Sanctae Apostolicae Sedis –.

(2) Benedict. XIV de synod. diaeces. lib. 13, cap. 16, n. 7.

(3) Card. Petra in Comment. ad Constit. 7 Innocentii III, sect. unic., n. 4.

(4) Quae distinguendo firmat Rot. in decis. 442, n. 7, part. 14; in decis. 664, n. 4, part. 18, tom. 2 Recent.

in genere suppeditandi alimenta Religioso Viro, qui Claustra suae Religionis, Episcopatu abdicato, repetit, merito dubitari potest, an obligatio haec reapse consistat, eo etiam in casu, quo huic facultates aliunde suppetant, quibus commode sustentari queat *in Pisauren. Alimentorum die 25 Septembris 1858* §. *Sed contra.*

119. Nam licet, ex causa praecedenter obligatoria, seu in vim contractus ad alimenta Religiosus a sua Religione percipiendi ius habeat, attamen natura ac indoles huiusce contractus illud inter cetera veluti correspectivitatis titulo exigit, ut Religiosus quidquid acquirit non sibi, sed Religioni acquirat, et in eius utilitatem vertat *in Pisauren. Alimentorum die 25 Septembris 1858* §. *Sed contra.*

120. Ac praeterea tacitam conditionem praeseferat, quod Religiosus in statu paupertatis maneat, ad quem servandum ex voto adigitur *in Pisauren. Alimentorum die 25 Septembris 1858* §. *Sed contra.*

121. Ubi itaque aliter se res habeat, et Religiosus, utut auctus legitimis facultatibus, bona acquisierit et opes, quae congruae comparandae exhibitioni pares sint, easque in suam privatam utilitatem et commodum converterit, ac de iisdem tandem non sui Coenobii, sed Extraneorum favore pro lubitu disposuerit, profecto cessante in altero Contrahente correspectivitatis ratione, et conditione sub qua fuit initus contractus resoluta, quamlibet etiam in altera parte Contrahente cessare obligationem et contractum ipsum resolvi necesse est - *in Pisauren. Alimentorum die 25 Septembris 1858* §. *Sed contra.*

122. Omnibus enim conventionibus ea conditio inest: - Si res in eodem statu maneant - *in Pisauren. Alimentorum die 25 Septembris 1858* §. *Sed contra* (1).

123. Quando praesertim de conventione agatur, quae non unico absolvitur actu, sed successivam observantiam requirit *in Pisauren. Alimentorum die 25 Septembris 1858* §. *Sed contra.*

124. Idcirco neque officere posse hoc in casu videtur, si nulla praecesserit protestatio, aut declaratio *in Pisauren. Alimentorum die 25 Septembris 1858* §. *Sed contra* (2).

125. Nam cum alimenta ei, qui non indigeret praestita fuere, animo repetendi data praesumitur *in Pisauren. Alimentorum die 25 Septembris 1858* §. *Sed contra* (3).

126. Praesertim, si spes concepta erat, fore ut in testamentariis tabulis Coenobii indemnitati satis abunde prospiceretur *in Pisauren. Alimentorum die 25 Septembris 1858* §. *Sed contra.*

127. Unde Sacra Congregatio doctrinam hanc sanxit, etiamsi Episcopus Coenobio et Ecclesiae parvam suam bibliothecam calicem et pixidem argenteam remunerationis gratia reliquisset, nec non plurima beneficia attulisset *in Pisauren. Alimentorum die 25 Septembris 1858* §. *Clara* §. *Tam.*

128. Iamvero cl. me. Episcopus Ioannes Ferrini Ordinis Minorum Conventualium, Balneoregiensi Episcopatu abdicato, in Coenobium suae Religionis, quod Pisauri extabat sub invocatione S. Francisci, se recepit, in quo tribus reliquis, quibus supervixit annis, commoratus est. Toto autem hoc tempore praeter habitationem, alimenta a Conventu suppeditata gratuito fuere, cum ei tum eius Familiari, cui praeterea duo alii Religiosi additi fuere Viri laici, qui debitum Praelato famulatum constanter exhiberent. Diem obiit ipse supremum anno 1849, testamento iuxta tributas sibi facultates Apostolicas condito, in quo, paucis exceptis profanis legatis temporaneis favore Parentum vel Extraneorum, heredem ex asse scripsit Causam Piam, quatuor Capellaniarum institutionem aliaque pia opera praescribens; Coenobio autem Pisaurensi et Ecclesiae aliud nihil praeter parvam suam bibliothecam calicem et pixidem argenteam, remunerationis gratia, reliquit. Aegre id tulit Custos Coenobii Minorum Conventualium Pisauri, et ratus, ius inesse suo Coenobio ad compensationem alimentorum, quae defunctus Praelatus eiusque Familiares triennio ab eodem perceperunt; nolens aliunde iudiciali ritu huiusmodi experiri ius adversus hereditatis Administratorem, supplicem obtulit libellum, postulans,

(1) Rot. in decis. 5, n. 8, coram Bichio; in decis. 785, n. 7, coram Riminaldo.
(2) Rot. in decis. 717, n. 20, part. 18 Recent. tom. 2.
(3) Rot. in decis. 717, n. 17, part. 18, tom. 2 Recent.

ut Sacra Congregatio de bono et aequo rem definiret (1).

129. Remissis precibus Episcopo, pro informatione et voto, auditis interesse habentibus, retulit: Testatorem rem praescripsisse, ut duae Capellaniae iurispatronatus laicalis (quod Descendentibus e sua Familia attribuit) erigerentur in Ecclesia Conventus S. Francisci in Civitate Pisauri, quas in titulum etiam S. Ordinationis conferri posse voluit, annuis reditibus assignatis scutorum quadraginta pro una, et triginta pro altera, et adiectis oneribus quinquaginta Missarum pro prima, et quadraginta pro secunda. Mandasse insuper, ut duae pariter Capellaniae laicales fundarentur in Ecclesia S. Francisci in Civitate Recineti, Testatoris patria, cum iisdem conditionibus. Item pro die anniversaria sui obitus constituisse annuum perpetuum Legatum viginti Missarum in eadem Ecclesia sui Conventus, cui satisfaciendo annua scuta octo reliquit. Disposuisse tandem, ut, postquam praedictae omnes Capellaniae fundatae et erectae fuissent, quidquid de bonis hereditariis superesset, investiretur, donec constitui posset annuus reditus scutorum triginta, in usus pios Recineti erogandus, ad mentem Ordinarii Recinetensis: quae omnia descripta habebantur in tabulis testamentariis.

130. Addidit, de quatuor Capellaniis unam tantum ad eam diem fuisse erectam, reliquas erigendas fore, ubi primum pretium solveretur praediorum, quae vendita erant; interim vero Missarum onera, quae eisdem adnexa erant, rite quotannis satisfieri. Quod ad hereditatis vires attinebat, ex recenti administrationis statu constare, ad valorem ipsam assurgere scutorum 5723. Monuit, sententiam exquisivisse, tum Episcopi Recinetensis, tum proximioris Consanguinei Testatoris, qui in huiusmodi negotio interesse habebat, eosque omnino adversari petitioni Custodis Coenobii. Quum vero huiusmodi patrimonium hereditarium in praesens, de mandato praedecessoris Episcopi, administraretur ab uno ex Religiosis Coenobii S. Francisci, qui Curiae Ecclesiasticae rationes administrationis suae reddere debebat, inutile duxit Episcopus opinionem eius, quoad praedictam petitionem, exquirere.

131. Tandem ita mentem suam aperuit Episcopus: - Quum ea, quae Custos (in suis deductionibus) asserit consideratione digna videantur, et quum nullimode dubitare possim, quin, ob asserentis honestatem et probitatem, plena sit verbis suis fides habenda, animi mei sensum hac super re esse dicam, remunerationem aliquam vel compensationem Coenobio S. Francisci deberi in causam alimentorum, expressam in R. P. Custodis precibus. Quae quidem opinio consonat sententiae, quam ipse Rmus Dominus Ioannes Ferrini in praecedentibus aliis testamentariis tabulis paucos ante menses exaratis scripserat, quibus Legatum, quod etiam remuneratorium vocabat, Coenobio reliquerat. Quanam vero mensura huiusmodi remuneratio vel compensatio esset determinanda, Eminentiae Vestrae iudicabunt: addam tantummodo, in casu sexcentum vel octo centum scutata sufficere posse meo iudicio, ut petitioni Custodis praefati Conventus S. Francisci satisfiat - (2).

132. Tam Ordinarius Recinetensis, quam Dominicus Ferrini nepos ex fratre Testatoris, qui, utpote interesse habentes, sententiam rogati sunt, sustinuerunt petitam compensationem nec aequitatis nec iustitiae rationi consentaneam videri, sive ob plurima beneficia, quae defunctus Praesul Coenobio S. Francisci attulit, suaque praeclara erga universam Conventualium Religionem promerita, sive ob iura cuilibet Regulari competentia, quae Praesul Claustra suae Religionis reversus Episcopatu abdicato recuperaverat, inter quae et illud alimentorum recensebatur. Quoad Familiarem autem, quem secum retinuit, asseverabat Ferrinius, huic mercedem ex aere proprio Praesulem rependisse, quin pro alimentorum praestatione Coenobium oneratum maneret. Ceterum haud facile praesumi posse affirmabant, pium Testatorem voluisse potius liberalitate erga Extraneos etiam uti, quam iustitiae debita sa-

(1) Nimirum, ut in §. *Aegre* - ibi - Autorizzando in via straordinaria l'Amministratore della suddetta eredità a poter procedere al reintegro di quanto per il suddetto al Convento è dovuto -.

(2) Scire autem praestat in praecedenti testamento, cuius meminit Episcopus, Testatorem Legati remuneratorii titulo Conventui et Ecclesiae S. Francisci omnes supellectiles Episcopales (quas a Balneoregiensi Ecclesia, certa conventa summa soluta, redemerat) reliquisse, quae descripta eius manu habebantur in apposita notula una cum cuiusque supellectilis pretio, unde conficiebatur summa in totum scutorum 508.

tisfacere, quatenus expetitam remunerationem debitam reapse novisse.

133. Custos Coenobii e contra contendit, Episcopo Claustra suae Religionis repetenti non deberi alimenta, ubi ex proprio habeat, quo se ali possit. Monuit, in Coenobiorum restitutione certum cuique attributum fuisse dotationum numerum: in Pisaurensi porro Conventu, Ferrinio discedenti alterum suffectum fuisse Religiosum Virum, ut adeo ab onere eidem praestandi in posterum alimenta solutus evaserit. Protulit testimonium Familiaris Episcopi asserentis, se per duos annos ac tres menses, quibus famulatum in Coenobio Pisaurensi Episcopo Ferrinio praestitit, alimenta ex praedicto Coenobio perpetuo percipisse; cui insuper salarium in scutis quinque et obulis quinquaginta per aliquot menses Coenobii expensis solutum fuisse asseruit Orator. Accedebant testimonia duorum Religiosorum, unde constabat, hosce Praesulis servitio, toto eo tempore, quo ibidem moratus est, fuisse addictos. Exinde patere Coenobii ius ad huiusmodi repetendas expensas, quibus subeundis nulla obligatione tenebatur. Mirum eapropter, quod Praesul de conspicua pecuniae vi (quam ante susceptum Episcopatum in Religione cumulaverat, quaeque ideo ad Coenobium S. Francisci, cui addictus iure filiationis ipse erat, pertinuisset, si quidem decessisset intestatus) per ultimas disponens tabulas, Coenobium praeterierit, ac suam liberalitatem in Extraneos exercere satius habuerit. Nihili enim habenda pro compensatione praesertim Legata, Coenobio relicta (1). Quoad summam vero retribuendam, censuit Orator, non minus, quam scuta 1300 praestanda esse, habita etiam ratione ad alias expensas a Coenobio factas, inter quas recensendum honorarium in scutis centum Medico retributum, qui Praesulem uti a Coenobio extraneum reputavit.

134. Proposito itaque dubio: – An et in qua summa sit locus compensationi alimentorum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative, in summa scutorum quingentum – *in Pisauren. Alimentorum die 25 Septembris 1858.*

135. Si vero Religiosus alibi de consensu Ordinarii commoretur, ut causam nullitatis professionis et restitutionis in integrum tutius agere et prosequi posset, subministrari debent alimenta a proprio Monasterio, cum causa cadens ad illius Claustra redire cogatur *in Neapolitana Alimentorum die 6 Decembris 1755.*

136. Siquidem, quum nullam Professionem suam dicere vellet et causam restitutionis in integrum agere coram Vicario Generali Neapolitano fr. Ianuarius Priscolus Ordinis S. Ioannis de Deo, postulavit ab eodem Vicario Generali, ut locum alium extra Claustra sui Monasterii adsignaret, ubi tutius litem agere et prosequi posset. Vicarius Decreto lato die 27 Maii anno 1746 assignavit Monasterium Montis Sancti Patrum Carmelitarum, durante tempore litis, pro loco morae et habitationis. Huius itaque Decreti titulo receptus in eo Monasterio Priscolus integro duorum annorum binorumque mensium spatio hospes in illo permansit; inde valetudinis adversae causa, impetrata venia a Patre Provinciali Carmelitarum, ad Monasterium Capitis Chini eiusdem Ordinis translatus fuit, ubi alios decem menses moratus est; et denique eadem ex causa adversae valetudinis Puteolos se contulit in aliud Carmelitarum Monasterium, ubi per integrum annum novemque menses degit, itaut tempus omne, quod inter Carmelitas degit, faceret annos quatuor et menses novem.

137. Causa tandem cecidit Priscolus Decreto Sacrae Congregationis, et ad Monasterii sui Claustra redire coactus fuit. Carmelitae igitur, qui alimenta Priscolo praestitisse dicebant, ea repetierunt a Fratribus S. Ioannis de Deo, seu a Conventu *S. Mariae de Pace*, in quo Priscolus Professionem emiserat. Debitum agnovisse Fratres S. Ioannis videbatur, dum, veniam impetrantes a Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium negociis proposita, contrahendi censum ducatorum bis mille, ut aes alienum, quod pluribus ex causis contraxerant,

(1) Aiebat quippe in §. *Nihili* – ibi – I libri, che formavano la sua piccola libreria, erano quegli stessi, che aveva a semplice uso, quando era religioso. Quelli poi, che comperò da Vescovo, li regalò ai suoi Amici. Fin dal 1837 trasmise da Roma a questa Chiesa il calice col piede di ottone, di cui si fa menzione nel suo testamento, ed era allora Procuratore Generale dell' Ordine; lo mandò in compenso dei beneficii ricevuti dal Convento. Della piccola pisside, che parimenti si nomina nel testamento, già se ne serviva questa nostra Chiesa fin dal 1826 –.

*

dimittere possent, expresserunt debitum ducatorum tercentum pro alimentis, quae Carmelitae Priscolo praestiterunt.

133. Longe aliter tamen, quam dixerunt, egerunt, negantes a Carmelitis praestita unquam fuisse alimenta Priscolo, quae denegatio in causa fuit, ut Carmelitae eos in ius vocarent coram Nuncio Apostolico. Decreto igitur Nuncii coactus fuit idem Priscolus declarare, a quibus alimenta recepisset, et declaravit sub iusiurandi religione, integro illo tempore apud Carmelitas degisse, et ab ipsis non alimenta solum, sed etiam pharmaca recepisse. Auditi quoque fuerunt plures Testes hinc inde inducti. Pars Testium datorum a Fratribus S. Ioannis narravit, Priscolum annis 1746 et 1747 (quo tempore in Monasterio Montis Sancti degere debebat) venisse saepius in praedio germani sui Fratris, eoque tempore vel se pecunia sua aluisse, vel a germano Fratre altum fuisse. Pars reliqua testium non negavit, Priscolum in Monasterio Capitis Chini, tum aucupio, tum negociatione Avium, quas Canarias vocant, aliquid percepisse; Puteolis vero altum fuisse a Fratre et Sorore, idque retulerunt Testes ex auditu ab ipso Priscolo: atque haec Testes dati a Fratribus S. Ioannis.

139. Contra vero Testes dati a Carmelitis constanter et de mora atque habitatione Priscoli in Monasteriis Carmelitarum et de alimentis eidem praestitis testificationem fecerunt. His accessit declaratio Sororis (Frater enim germanus vita functus erat), quae Priscolum alimenta a Carmelitis, dum in eorum Monasteriis moram traxit, recepisse dixit; addidit tamen, ei fere per annum Fratrem praestitisse alimenta, quoties nempe in Defuncti praedia veniebat.

140. Post horum testimonium examen censuit Nuncius Apostolicus causam ad S. Congregationis iudicium pertinere: hinc disputarunt Carmelitae, de eorum credito non dubitandum esse; eos enim alimenta Priscolo praestitisse liquido constare, ex confessione Fratrum S. Ioannis, emissa in precibus oblatis S. Congregationi Episcoporum et Regularium, ex declaratione iurata ipsius Priscoli, et ex alia eius Sororis, ex Testibus denique, quos ipsi dederunt, quibus cum nulla ratione conferendi essent, qui a Fratribus S. Ioannis dati fuerunt, quod varii essent, discordes, mendaces, et ab ipsis Priscolo et Sorore, quos contestes vocabant, reprobarentur. De quantitate vero eorum crediti iudicium ab Eminentissimis Patribus esse ferendum. Ipsi putarunt, statuendam esse summam duorum carolenorum in singulos dies, neque hanc summam excessivam dici posse, si ratio haberetur non cibaricrum tantum, sed etiam habitationis lecti linteorum medicaminum et aliorum omnium, quae ad vitam sunt necessaria.

141. Proposito hinc dubio: – An et in qua summa sint solvenda alimenta in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: - Ad D. Secretarium, pro omnimoda concordia, etiam ex officio - *in Neapolitana Alimentorum die 6 Decembris 1755.*

142. Ac eo vel magis hinc alimenta sunt subministranda Religiosis a Conventibus, ubi sunt assignati conventuales, licet de mandato Summi Pontificis, vel Sacrae Congregationis alibi commorentur *in Ordinis Praedicatorum die 15 Aprilis 1628 lib. 13 Decretorum pag. 443.*

143. Iamvero – Sacra Congregatio instantibus Superioribus Religionis S. Dominici facto verbo cum Sanctissimo Domino Nostro infrascripta decrevit observanda, pro executione Decreti eiusdem Sanctissimi auctoritate editi, circa numerum Regularium singulis Conventibus praescribendum; scilicet: Ut in computatione facienda, ad effectum praefigendi certum numerum Religiosorum in unoquoque Conventu, iuxta formam dicti Decreti, expensae, victus, et reditus, etiam habita ratione Infirmorum, debeant computari pro singulis Fratribus in summa, quae non sit minor scutorum quinquaginta, nec maior sexaginta determinanda, et taxanda iuxta qualitates Locorum, arbitrio Capituli Provincialis, quae quidem summa intelligatur assignata et taxata pro supradictis expensis tantum, non autem pro fabrica et cultu divino, sed haec et alia onera deduci prius debeant, ex reditibus annuis et eleemosynis consuetis, ut etiam deducenda erit sufficiens taxa, pro expensis ratione transitus et hospitii in iis Conventibus, qui frequentia Hospitum gravantur, arbitrio Capituli Provincialis:

144. Ut, ultra numerum assignatum, nullus recipiatur ad habitum in aliquo Conventu etiam nomine Provinciae, vel ullus Novitius vel Professus assignatus supra numerum, sub poena nullitatis professionis recepti, et aliis poenis, ut infra incurrendis ab iis Superioribus, qui recipiunt vel assignant:

145. Possint tamen iidem Superiores in locum Demortuorum vel alibi Commorantium alios subrogare; quod si contingat, reditus Conventuum augeri, poterit Capitulum Provinciale, consulta prius S. Congregatione, praefixum numerum etiam augere. Praeterea Novitii recepti, sed nondum professi pro Conventibus, qui, iuxta reditus, habent numerum completum Filiorum, professionem emittant pro Conventibus, qui non habent numerum completum. In futurum autem non recipiantur Novitii, nisi in Capitulo Provinciali vel in Dieta. Item, tam Novitiis, quam Professis, qui ex ordine Sanctissimi, vel huius Sacrae Congregationis vel alterius facultatem habentis, commorantur in Conventibus, quibus assignati fuerunt, debeant alimenta praestari a Conventibus, in quibus sunt assignati:

146. Postremo numerus Conventorum seu Tertiariorum praescribatur, ut duodecim in Fratribus assignentur duo Conventi vel Tertiarii, seu ad summum tres. Superiores autem, qui praedicta omnia non observaverint, poenam privationis Officiorum vocisque activae et passivae, et ad omnia suae Religionis Officia et gradus inhabilitatis eo ipso incurrere eadem Sacra Congregatio voluit et declaravit - *in Ordinis Praedicatorum die 15 Aprilis 1628 lib. 13 Decretorum pag. 443.*

147. Non sunt vero alimenta praestanda Puellis, habitum suscepturis et in Monasterio educationis gratia existentibus, a Monasterio, ante ipsius habitus susceptionem *in Dubio ad Cap. 16 sess. 25 de Regularibus Posit. 147 pag. 500.*

§. III.

ALIMENTA EX QUIBUS BONIS PRAESTANDA

1. Alimenta subsidiaria decernuntur super bonis Primogeniturae, favore Descendentis ad illam vocati, in defectum lineae primogenialis *in Romana die 12 Iunii 1762* §. *Post subsidia* (1).

2. Hinc ex bonis avitis, favore Puellarum extranearum relictis, prius subveniendi sunt Consanguinei, quam Extranei, iuxta ordinatam charitatem, praesumptam Testatoris mentem, et iuris dispositionem *in Romana die 12 Iunii 1762* §. *Nulloque* (2).

3. Idcirco, ex dotalibus subsidiis, potius alendi sunt Descendentes, quam dotandae Puellae incertae *in Romana Alimentorum die 19 Aprilis 1777* §. *Hoc tamen* (3).

4. Nam eadem esse videtur ratio dotium ac alimentorum, etiam quoad subsidiariam eorum assequutionem, super piis Cognatorum relictis *in Romana seu Sabinen. Alimentorum die 14 Maii 1763* §. *Cum.*

5. Unde Sacra Congregatio alimenta Consanguineo pauperi in determinata quantitate ad tempus passim assignat, ex pio relicto pro dotandis Puellis *in Panormitana die 26 Martii 1763* §. *Fretus* (4).

6. Atque eiusdem gratiae prorogationem ad tempus pro rerum circumstantiis indulget, ex audientia Sanctissimi *in Panormitana die 26 Martii 1763* §. *Fretus* (5).

7. Immo facilius indulgenda videtur alimentorum prorogatio, quae postulatur ex gratia, cum in gratiis indulgendis aequitas magis, quam summum ius spectare oporteat *in Panormitana die 26 Martii 1763* §. *Nunc.*

8. Secus tamen retinendum, si pro subsidiis dotalibus concurrat Testatoris voluntas *in Romana seu Sabinen. Alimentorum die 14 Maii 1763* §. *Verum.*

9. Itaque, si Testator fructus suae hereditatis erogari voluit in dotationem Puellarum, ideo poterit aequitas suadere praelationem Consanguinearum; at alimentorum assignatio vergeret in eversionem piae illius voluntatis *in Romana seu Sabinen. Alimentorum die 14 Maii 1763* §. *Verum.*

10. Quocirca non sunt Puellis contemplatis

(1) Rot. in Romana Alimentorum 15 Martii et 28 Iunii 1748, coram de Valentibus.

(2) Rot. in decis. 98, coram Duran.; in Perusina Subsidiorum dotalium 2 Maii 1704, coram Scotto.

(3) Surd. de alimentis tit. 1, quaest. 54; Amostaz de causis piis, lib. 4, cap. 10, n. 40; Rot. in decis. 179, n. 23, coram Ratto.

(4) Ut revera censuit die 1 Septembris 1742, lib. 92 Decret. pag. 534.

(5) Uti videre est in lib. 101 Decretorum pag. 398.

auferenda subsidia, ut alimenta praestentur remotissimis praesertim Consanguineis omni actione de iure carentibus, adversus bona hereditaria Consanguinei collateralis, et fortunae bonis non omnino destitutis *in Romana seu Sabinen. Alimentorum die 14 Maii 1763* §. *Verum.*

11. Patrimonium enim Transversalis nec ad dotes nec ad alimenta, favore Collateralium, subiicitur *in Romana Alimentorum die 19 Aprilis 1777* §. *Rursus* (1).

12. Idcirco S. Congregatio, his in terminis proposito dubio – An et quorum favore sit locus assignationi alimentorum et in qua summa in casu etc. –, respondit: – Negative et amplius – *in Romana seu Sabinen. Alimentorum die 4 Iunii 1763* (2).

Item *in Romana Alimentorum die 19 Aprilis 1777* §. *Rursus et die 10 Maii 1777* (3).

13. Nec alimenta proinde debentur ex bonis Capellaniae Consanguineis, si Testatoris voluntas adversatur *in Lucana die 17 Ianuarii 1789* §. *Tria.*

14. Quando praesertim eius Animae praeiudicium inferatur, ob diuturnam Sacrorum suspensionem *in Lucana die 17 Ianuarii 1789* §. *Tria.*

15. Nam Testatoris voluntas, in iis potissimum, quae suffragium respiciunt Animae, accurate servanda est *in Lucana die 17 Ianuarii 1789* §. *Tria* (4).

16. Unde ea nec sine iusta et rationabili causa commutari debet *in Lucana die 17 Ianuarii 1789* §. *Tria* (5).

17. Subsidia enim dotalia et Missae distribui ac adimpleri debent, iuxta mentem Testatoris *in Lisbonen. die 10 Maii 1760.*

18. Siquidem Ioseph Martinez Figueira oriundus Villae *de Obidos* Lisbonensis Diaecesis in ultimo Testamento, quod condidit in Statu Brasiliae, Legatum subsidiorum dotalium nec non Legatum Missarum, praescriptis conditionibus, constituit (6). Defuncto Testatore, illius Exequutor testamentarius Simon de Fonseca Sequeira Senator de Paco preces obtulit Summo Pontifici, inde remissas ad S. Congregationem, quibus postulabat, ut sibi facultas indulgeretur distribuendi praefata subsidia pauperibus Puellis Consanguineis Testatoris, licet non Orphanis; illorumque repartitionem faciendi maiori numero Puellarum, mediante diminutione quantitatis ab eodem Testatore praestitutae; utque residuum hereditatis designatum pro celebrandis Missis convertere posset in alia Pia Opera vel dotationum vel eleemosynarum, cum praelatione danda Consanguineis Testatoris valde pauperibus.

19. Auditus fuit Eminentissimus Card. Patriarcha, qui retulit, plures adesse in Villa *de Obidos* illiusque districtu ac alibi Virgines Testatoris Consanguineas vel Affines, a Parentibus pauperibus, suoque labore et industria viventibus, ortas; quarum singulis, iuxta Oppidi statum illorumque indigentiam et conditionem, satis consultum esset dote scutorum centum, sive Orphanae fuerint, sive non: pluribus quoque Viris et Mulieribus egenis abundare Oppidum praedictum et loca vicina, tum extraneis, tum propinquis Testatoris, qui, a tenera aetate in Americam profectus, illorum indigentiae conscius non fuit; nec ideo repugnare Testatoris voluntati, si erogaretur in subventionem Pauperum residuum hereditatis designatum pro Missis, quae iam celebratae fuerunt in superabundanti numero, ex aliis eiusdem Testatoris Legatis. Suam denique sententiam aperuit his verbis: – Unde huiusmodi petitionibus hac aequitate fretus sic annuendum et indulgendum esse censerem, si sapientissimae mentes Eminentiarum Vestrarum ita senserint –.

20. Quum tamen instantia huiusmodi in

(1) Rot. in decis. 204, n. 8 et 9, part. 14; in decis 317, n. 21 et 23, part. 17 Recent.; in decis. 51, n. 1, de miscellan. coram Falconerio.

(2) Species prostat in Verb. *Alimenta*, §. II, n. 94 ad 100.

(3) Prostat species in Verb. *Alimenta*, §. II, n. 102 ad 106.

(4) Uti monent Card. Petra ad Constit. Innocent. IV, n. 89 et seqq.; Kochier ad Reg. Cancell. Litt. E.

(5) Concil. Trid. in sess. 22, cap. 6, de Reformatione.

(6) Hisce verbis id statuit, ut in §. *Ioseph* – ibi – Lascio a sei *Orfane* della Villa di Obidos, essendo elleno onorate e povere, il che avranno da esaminare li Parrochi della detta Villa, per prendere stato trecentomila Reis (*scilicet scuta Romana* 300) per ognuna di loro, ed essendovene qualcuna, che nella Linea della mia stirpe per qualche principio abbia alcuna parentela, questa o queste siano prima preferite.... Dichiaro, che dopo essersi eseguite le mie lascite e legati, tutto il resto del capitale si manderà a dire tante Messe –.

Congregatione habita die 15 Decembris 1759 fuerit reiecta, idcirco Exequutor testamentarius sub spe melioris eventus petiit, ut causa describeretur in folio, ac inde disputavit, Pauperum Filias Orphanis comparari posse, vel saltem in istarum defectum esse admittendas ad participationem Legati (1), et pinguius adimpleri Testatoris voluntatem, si pluribus distribuerentur subsidia, quae pro sex Puellis fuissent exuberantia (2), praesertim in Legato incertis personis relicto, in quo nulli ius quaesitum dici potest; et denique potiorem esse misericordiam omnibus Holocaustis et Sacrificiis (3).

21. His tamen non obstantibus, propositis dubiis: – I. An subsidia dotalia relicta per Iosephum Martinez Figueira pro sex Puellis cum praelatione Consanguinearum dari valeant adhuc non Orphanis? *Et quatenus negative.*

II. An arbitrio Exequutoris eadem subsidia distribui queant non inter sex, sed inter plures Puellas Orphanas, praeditas qualitatibus a Testatore praefinitis, cum praelatione etiam Consanguinearum?

III. An residuum hereditatis iuxta Testatoris voluntatem in Missis erogandum distribui valeat arbitrio Exequutoris pro subsidiis dotalibus similium Puellarum, praeferendo etiam Testatoris Consanguineas in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, Negative. Ad tertium, Negative – *in Lisbonen. die 10 Maii 1760.*

22. Unde nec suspensio Missarum nec earumdem commutatio in Anniversarium conceditur, cum Testatoris voluntas adversetur, etsi Ordinarii Locorum firmiter obtestentur, de Oratorum Consanguineorum miserabilitate *in Mediolanen. Fundationis die 20 Maii 1752.*

23. Ac multo magis id passim denegatur, si interesse habentes contradicant, ac miserabilitatem Oratorum non adesse asserant *in Mediolanen. Fundationis die 20 Maii 1752.*

24. Enimvero testamento, quo decessit anno 1703 Caesar Perettus genere lanio, scriptis heredibus quatuor Filiis, iis iniunxit onus centum Sacrorum singulis annis, quae agi voluit ab Andrea filio, si Sacerdos fieret. Ius eligendi Capellanum Filiis reliquit et Descendentibus ab eis in infinitum, ita tamen, ut praeferri deberent ad Sacra agenda Sacerdotes, qui a Filiis descenderent. Defuncto Caesare, cum stipendium illud centum Sacrorum satis non esset pro Patrimonio Sacro Andreae, hic rudibus Fratribus suasit, ut fundarent perpetuam Capellaniam manualem mercenariam et vitalitiam, qua ipse ad Sacerdotium posset ascendere. Placuit id Fratribus, et in instrumento pro dote huius Capellaniae constituerunt domum cum stabulo, in qua lanienam exercebant, quaeque domus et stabulum universam faciebant Patris hereditatem. Patronatum Capellaniae huius, quam fundarunt in Ecclesia seu Oratorio publico Sodalitii S. Ioannis Baptistae ad Confalonum, post extinctam lineam masculinam et femininam Caesaris, dederunt Priori et Sodalibus S. Ioannis Baptistae.

25. Onera haec fuerunt, ut Capellanus, ultra Sacra centum ex testamento Caesaris, alia centum annua ageret; ex his duodecim agi deberent in Ecclesia S. Ioannis Baptistae, cetera in Ecclesiis, quas vellet Andreas Capellanus primo nominatus, et Capellani omnes Descendentes: si vero Capellanus extraneus esset, onus haberet quotidie Sacrum agendi in eadem Ecclesia S. Ioannis Baptistae. Decessit post hanc fundationem Bernardus, unus ex Filiis Caesaris et Capellaniae Fundatoribus: duo, qui superfuerunt Fratres, nempe Ioannes Baptista, qui quinque habebat Filias; et alter, nempe Ioannes Franciscus, qui septem habebat Filios, quorum unus coecus erat, alter claudus, ceterae feminae, cum anno 1736 summa premerentur egestate, domum illam vendere voluerunt; sed comperto onere Capellaniae perpetuae, cum alienatio fieri non potuerit, querelas moverunt contra Andream fratrem, a quo sese deceptos clamarunt, quod non aliud agere putarent, quam titulum Patrimonii, quo ad Sacerdotium ascendere posset, non vero Capellaniam perpetuam.

26. Preces igitur obtulerunt Optimo Principi Clementi XII, quibus postulabant, rescindi fundationem huius Capellaniae et commutari voluntatem Caesaris, qui Sacra annua centum, voluerat, in Anniversarium. Data fuit de hac postulatione cognitio Amplissimis Patribus, qui, ut moris est, Eminentissimum tunc tem-

(1) Uti notat Escobar. de nobilit. quaest. 13, §. 3, n. 79; Amostaz de Caus. Piis, lib. 4, cap. 6, n. 44 ad 49.
(2) Iuxta doctrinam Sarmient. select. interpret. lib. 8, in L. *Cum quidam*, n. 12. de Legat. 2.
(3) Ut habetur in Can. *Ponderet*, dist. 50; et in Can. 47, de poenit. dist. 1.

poris Archiepiscopum audiverunt. Respondit Archiepiscopus, Perettos pauperrimos esse, - et dignos commiseratione, nec propositam querimoniam contra Fratrem Sacerdotem inattendibilem esse; nam eorum conditio non ipsis permittebat ad praemissam institutionem devenire; satis igitur verosimile fieri, quod a Fratre fuerint decepti sub specioso titulo, quod solum deserviebat pro illius promotione -.

27. Contra vero Sodales S. Ioannis Baptistae ad Confalonum ex mandato Amplissimorum Patrum ab eodem Eminentissimo Archiepiscopo auditos contendere, - Missas centum ab eorumdem Fratrum Genitore institutas nullatenus posse deleri, prout et attento iure quaesito ipsi Scholae, pro celebratione praesentanea duodecim Missarum in eorum Ecclesia ex institutis et quotidiana, ubi non adsint Sacerdotes ex Descendentibus ab ipsis Institutoribus, ac iure in ipsis relicto deputandi Capellanum, quoties extinguatur Familia Institutorum, non esse in casu praestandi eorum assensum, signanter quia ipsis non constabat, de allegata paupertate -. Quum igitur haec certo constaret Eminentissimo Archiepiscopo, censuit, - Oratores non esse obaudiendos, sed retentis Missis ab eorum Genitore dispositis et illa portione, quae alteri Fratri defuncto adscribenda est, reliquas Missas aboleri posse, adeo ut domus alienanda transeat cum praedicto onere Missarum centum, et illius partis Missarum defuncti Fratris inspecta quantitate, in superius enunciata institutione stabilita, ut possint hoc modo sublevare eorum angustias et providere indemnitati Filiorum -.

28. Haec fuit sententia Eminentissimi tunc temporis Archiepiscopi: causa tamen, qua ratione adhuc ignorabatur, proposita non fuit, sed dumtaxat rescriptum fuit, ut Sodales iura sua penes Sacram Congregationem deducerent. At, cum anno 1745 magis magisque urgeret paupertas, repetitae fuerunt a Perettis preces et iterum auditus fuit, qui tunc Ecclesiae Mediolanensi praeerat, Eminentissimus Archiepiscopus, qui in eamdem Praedecessoris sui ivit sententiam, cum et ipsi - de miserabilitate Oratorum constet -: addidit solum, ut, - donec Sacerdos Andreas Peretti vivat, non possit, nisi in casu, quo habeat aliud supplementum, amoveri a possessione domus obligatae pro congrua Sacerdotali -.

29. Post haec praefixus fuit Sodalibus terminus quadraginta dierum, ut sua iura proponerent. Disputarunt hinc Sorores Perettae, rescindendam esse fundationem illam, defectu consensus, cum Fratres decepti fuerint ab Andrea, neque distinguendam esse portionem Bernardi; tum quia unicus actus fuit, qui non poterat pro parte valere, pro parte irritus esse; tum quia eadem fuit ratio deceptionis et defectus consensus Bernardi, quae fuit aliorum Fratrum; commutandam vero esse voluntatem Caesaris, qui voluit Sacra centum, in Anniversarium, aut saltem suspendendam ob tenuitatem hereditatis extremamque Patronorum inopiam, quibus alimenta praestanda essent ex reditu huius Capellaniae, cum verosimile non esset, ut Caesar, si putasset Filios Neptesque suas in tantam descendere posse inopiam et paupertatem, voluisset eos hoc onere annuorum Sacrorum centum gravare.

30. Proposito vero dubio: - An sit locus suspensioni, seu potius abolitioni oneris Missarum, de quibus agitur in casu etc. -, S. Congregatio responsum tulit: - Dilata, et scribatur Eminentissimo Archiepiscopo pro nova informatione - *in Mediolanen. Fundationis die 11 Martii 1752.*

31. Data fuit ad Eminentissimum Archiepiscopum Epistola, qui respondit, in eadem esse sententia, qua fuit, cum aliam scripsit Epistolam anno 1747. Reproposito hinc dubio: - An sit locus suspensioni, seu potius abolitioni oneris Missarum, de quibus agitur in casu etc.-, S. Congregatio responsum dedit: - Negative - *in Mediolanen. Fundationis die 20 Maii 1752.*

32. Itaque Ordinarii iudicium hac in re plurimi quidem est faciendum *in Panormitana die 23 Martii 1765* §. *Esse* (1).

33. At in propatulo etiam est, quod Capellani praesertim interesse habentis contradictio contemni non debet *in Lucana die 17 Ianuarii 1789* §. *Tria* (2).

34. Quando enim Capellanus ius habet in

(1) Piton. discept. Eccles. 110, n. 22; Rot. in decis. 90, n. 16, part. 16 Recent.; et decis. 467, n. 9, coram Cerro.

(2) Nimirum per Textum in Leg. *Sicut*, Cod. de action. et oblig.; Rigant. ad Regul. 21 Cancell. n. 49 et 59; Piton. de controv. Patron. Allegat. 47, n. 45.

re, difficilius illud amittitur *in Lucana die 17 Ianuarii 1789* §. *Tria* (1).

35. Infelicissimus vero status Oratorum sanguinisque coniunctio cum Testatore favet pro obtinendis alimentis *in Lucana die 17 Ianuarii 1789* §. *Eis.*

36. Canonica siquidem aequitas, quae alimenta, ex fructibus Beneficii pauperibus Patronis decernit (2), trahi potest ad illorum Heredes et Consanguineos Fundatoris ex Toletana Synodo IV can. 38 (3) *in Lucana die 17 Ianuarii 1789* §. *Eis.*

37. Hinc alimenta debentur etiam Heredibus et Consanguineis Fundatoris, ex reditibus Capellaniae et Pii Operis *in Lucana die 17 Ianuarii 1789* §. *Eis contra.*

38. Est quippe aequitati accommodatum, ut Testatoris proximior qui est, rei familiaris angustia, qua premitur, hoc adiumento levetur *in Panormitana die 23 Martii 1765* §. *Esse* (4).

39. Si enim hic viveret haud fortasse pateretur, ut integrum maneret Missarum legatum, et Descendentes ex praedilecta eius Sorore perirent fame *in Lucana die 17 Ianuarii 1789* §. *Eis contra* (5).

40. Praesertim, si ex annuis fructibus Pauperibus provideri posset Testatoris Consanguineis eiusque Animae suffragio *in Lucana die 17 Ianuarii 1789* §. *Eis contra.*

41. Quin proinde obstet, quod Capellanus per possessionem bonorum ius in re quaesiverit, si illud pendente in Sacra Congregatione eorum instantia quaesivit *in Lucana die 17 Ianuarii 1789* §. *Quantum.*

42. Quod quidem ad tempus his in terminis indulsit Sacra Congregatio *in Lucana die 17 Ianuarii 1789.*

43. Enimvero laicalem Capellaniam cum fundo scutorum 1200 ac festivi Sacri onere instituit anno 1716 Sacerdos Bernardinus Silvestri ad Altare B. M. Virginis in Caelum Assumptae, aere suo extructum in Parochiali Ecclesia Oppidi de Acunia, vulgo *della Cuna;* detulitque activum iuspatronatus ad Iacobum Nicolaum Franceschini eius pronepotem et regularis primogeniturae ordine ad illius Descendentes masculos in infinitum, deindeque ad Seniores gradatim, ex quatuor agnatis Familiis, et Moderatores Oppidi. Primogenituram ex reliquis bonis favore eiusdem Iacobi et Descendentium Masculorum instituit, eoque absque Filiis decedente, Sorores proprii Heredis substituit; eisdemque deficientibus, Capellaniam ut supra erigendam in bonis Fideicommissi seu Primogeniturae succedere mandavit (6).

44. Per obitum Iacobi absque Filiis masculis delata est primogenialis successio ad unicam eius superstitem Sororem Annam Mariam. Infelix haec Mulier, dum in humanis erat et octogesimum primum agebat annum, gravi premebatur egestate et graviori Filiorum quatuor totidemque ex altero praedefuncto Filio Nepotum onere. Sanctissimo igitur supplicavit, ut, suspensa post eius obitum bonorum primogenialium devolutione ad Capellaniam et Capellanum, illorum usufructum eius Filiis et Nepotibus ad vitam permitteret. Precibus ad Sacram Congregationem remissis, exposita confirmavit Lucanus Archiepiscopus, sed viriliter petitione obsistere retulit Capellanum. - Ait enim, vel a momento mortis Testatoris Capellaniam et pro ea, qui tunc adesset, Beneficiatum indubium acquisivisse ius, eveniente conditione defectus Lineae masculinae Heredis et interitus illius Sororum, consequendi et retinendi praedia Fideicommisso supposita; ideoque perperam et animose obloquendo subiungit, neminem, etsi summa praeditum potestate, ea modo posse pro imperio et lubitu abripere,

(1) Fagnan. in lib. 3 Decret. cap. *Dilectus,* n. 17, de praeben.

(2) In Can. *Decernimus,* caus. 16, quaest. 7; et in cap. *Nobis,* de iurepatronat.

(3) Relat. in can. *Quicumque* 30, caus. 16, quaest. 7; Rot. apud Piton. de Controv. Patron. Allegat. 46, n. 66 et seqq.

(4) Bald. in Leg. *Conventiculae,* Cod. de Episcop. et Cler.; et in Leg. *Pomponius,* ff. de negot. gest.; Rot. in decis. 73, n. 10, de miscellan. coram Falconerio.

(5) Amostaz de Caus. Piis, lib. 1, cap. 14, n. 12.

(6) Hisce verbis substituit, ut in §. *Laicalem* - ibi - Le Sorelle di detto suo Erede, che si trovassero vive ed al secolo per ugual porzione; e morendo una, succeda l'altra o l'altre, che sopravvivessero; e mancando tutte dette Sorelle vada e pervenga detto Fidecommisso e Primogenitura al Benefizio o Cappellania come sopra da erigersi e fondarsi nell' Altare dell' Assunta nella Chiesa della Cuna, e loro Cappellani che saranno per i tempi, con obbligo in detto caso alli Cappellani di celebrare o far celebrare al detto Altare una Messa di più alle stabilite in tutti li Martedì di ogni settimana ogni anno -.

quae Fundator in eo, qui adamussim evenit casu, Capellaniae adiicere voluit -.

45. Ex accurato deinde calculo addidit, quod bonorum primogenialium fructus - vix sunt in summa quinquaginta quatuor aureorum, qui si adimantur, nil propemodum superest. Ideoque mortua Matre Filii aeque ac Nepotes ostiatim victum quaerere compellentur. Nec inter Agnatos aut Cognatos est, qui debeat aut possit extremae Familiae indigentiae succurrere -. Et ita conclusit: - Cum, attenta miserrima conditione Masculi et Filiarum ab Oratrice derivantium, certum sit, omnes pauperrimos esse; nec, cum aegroti sint et inhabiles, industria et labore ea sibi parare posse, quae ad vitam parce et moderate sustendandam sunt necessaria, quoad hos aequum iustumque putarem, ut, mortua Usufructuaria, successionis emolumentum humaniter consequantur; idque potissimum, si Avunculus Magnus, quod infeliciter evenit, prospexisset, ita impellente naturae lege, potiusquam Capellani commodo, Filiorum a praedicta Nepte descendentium indigentiae et conservationi benigne consulere voluisset. Quo vero ad Postulantis Nepotes, cum modo partim Infantes sint, partim Minores; ideoque Parentum subsidio indubitate opus habeant, et his praedictorum bonorum usumfructum misericorditer relinquendum censerem: non indistincte tamen perpetuo et absolute, sed quousque ad maiorem aetatem perventi, in sudore vultus honeste panem lucrari possint -.

46. Post haec decessit Oratrix, et bonorum possessionem adeptus est Capellanus. Instantiam vero prosequuti sunt Filii et Nepotes; quibus tria adversabantur: Testatoris voluntas, ex qua per obitum eorum Matris et Aviae delata erant bona ad Capellaniam; eius Animae praeiudicium, ob diuturniorem hebdomadalis Sacri suspensionem; et contradictio Capellani, cui possessionem quaesitum erat ius in re. Ceterum ius illud quaesivit, pendente in S. Congregatione Usufructuariae instantia. Notandum insuper, quod pro festivo Sacro fructus percipiebat Capellanus Capitalis scutorum mille biscentum seu annua ad taxam legalem scuta quadraginta et octo, ac maius ei bona fideicommissaria pro hebdomadali altero compendium adderet scutorum quinquaginta quatuor. Unde, dum congrua Beneficiato remaneret sustentatio, succurri debebat ex canonica aequitate pauperibus Patronis aut Consanguineis, ex eo, quod supererat.

47. Proposito hinc dubio: - An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Consulendum Sanctissimo, quod, relicta penes Capellanum bonorum possessione celebratisque per ipsum Missis singulis feriis tertiis, iuxta Testatoris voluntatem, persolvat ad decennium annua scuta quadraginta, viginti nempe Filiis Annae Mariae, et aliis viginti eius Nepotibus ex praedefuncto Filio - *in Lucana die 17 Ianuarii 1789.*

48. Nam alimenta pauperibus Patronis aut Consanguineis, ex Beneficio etiam pleno, debentur *in Lucana die 17 Ianuarii 1789* §. *Quantum* (1).

49. Unde cum congrua Beneficiato remaneat sustentatio, succurri debet pauperibus Patronis aut Consanguineis, ex eo quod superest *in Lucana die 17 Ianuarii 1789* §. *Quantum* (2).

50. Patrono quippe pauperi debentur alimenta super fructibus bonorum patronatui subiectorum, in quibus adest originaria alendi obligatio *in Romana Alimentorum die 19 Aprilis 1777* §. *Hac* (3).

51. Amplia, etiamsi de Patrono extraneo agatur *in Comen. die 21 Novembris 1721* §. *In eo.*

52. Nam Textus, in Can. *Quicumque,* caus. 16, quaest. 7, non loquitur taxative, sed demonstrative *in Comen. die 21 Novembris 1721* §. *In eos.*

53. In eo quippe quod attinet ad alimenta Patrono subministranda ex fructibus Beneficii, urgere quidem potest difficultas, quod praedictus Textus in Can. *Quicumque*, Caus. 16, quaest. 7 statuit, alimenta esse subministranda Fundatori et eius Filiis, quin verbum faciat de

(1) Piton. de controv. Patron. Allegat. 29, n. 17 et seqq.; Allegat. 44, n. 20 et seqq.

(2) Piton. loc. cit.

(3) Cap. *Nobis* 25, de iurepatronat.; Piton. de controv. patron. Allegat. 44, n. 47; Amostaz de Causis Piis, lib. 4, cap. 10, n. 39; Rot. in decis. 8, n. 1, de alimentis, coram Falconerio.

Extraneis; sed, re discussa in Sacrae Rotae Auditorio, firmatum iam fuit et admissum, quod Textus allegatus non loquitur taxative, sed demonstrative, ita ut alimenta debeantur Patronis etiam extraneis (1) *in Comen. die 22 Novembris 1721* §. *In eo.*

§. IV.

ALIMENTA QUOAD QUANTITATEM ET TAXATIONEM

1. Iura sanguinis prodesse ei non posse videntur, qui suam consumpsit portionem hereditariam, nisi pro modo purae necessitatis *in Romana die 12 Iunii 1762* §. *Ratione* (2).

2. Unde, si Oratoris indigentiae, ultra modum etiam necessitatis, consulitur a Primogenitura, ope subministrationis alimentorum, privandae diutius non sunt pauperes Puellae relicto subsidio, per novam praesertim capitalis alienationem *in Romana die 12 Iunii 1762* §. *Ratione.*

3. Ceterum Sacra Congregatio quandoque congrua alimenta assignavit ei etiam ex bonis ad pios usus relictis, qui tantum affinitatem cum Testatore habebat *in Bononien. Assignamenti die 20 Iunii et 20 Decembris 1760.*

4. Siquidem Flavia Bertolelli Vidua Comitis Iosephi de Bentivolis in Testamento, quod condidit anno 1734, nonnulla scripsit Legata unicae praestationis, aliaque plura Vitalitia ascendentia ad annuas libras 1106, praeter aliquas mensuras tritici uvae et sarmentorum; ac in illis memor fuit praesertim Descendentium a Margarita Bertolelli sorore sua olim Uxore Ludovici Parti, cuius Filiabus reliquit nempe Annae nuptae Bernardini Braccioli libras bismille et Fortunatae ac Aloisiae Tertiariis in Monasterio Sanctae Mariae Caritatis annuas libras quinquaginta pro qualibet; aliasque libras bismille ac biscentum legavit Franciscae illius ex praedefuncto Iosepho filio Nepti, cum aliis libris triginta annuis, ultra expensas Professionis emittendae in Monasterio S. Francisci de Paula, in quo Francisca tunc explebat annum probationis.

5. Heredes autem fiduciarios nominavit Praepositum aliosque Presbiteros Congregationis Oratorii Bononiae, quibus praecepit, ut venderent omnia hereditatis mobilia pro dimittendis Legatis, atque residuum pretii et valorem fructuum hereditariorum, deductis Legatis vitalitiis et expensis, conservarent usque ad obitum ultimi Legatarii; quo tandem sequuto, iussit consignari Administratoribus Hospitalis Infirmorum S. Mariae Montis Bononiae duo praedia et domum existentem in Communi *Vedrana;* reliqua vero bona hereditaria et cumulum pecuniarum efformatum, ut supra, ex annuis reditibus, tradi voluit Presbiteris Congregationis Missionis Forolivii, postquam, intra quinquennium computandum a die sequutae consignationis Legati praedictorum, favore dicti Hospitalis, domum Missionis vel Hospitium aperuissent Bononiae aut in eius Territorio, cum onere peragendi Missiones, ad omnem requisitionem Eminentissimi Archiepiscopi; alioquin, elapso quinquennio, Heredes fiduciarii omnia bona tradere deberent Operae Piae Mendicantium, ut reditus in Pauperes Mulieres distribuerentur (3).

6. Testatricis iussa exequuti sunt Heredes fiduciarii: et, dimissis ceteris Legatis, solum remanebant solvenda Legata vitalitia pro annua summa librarum sexcentum, cum nonnullis mensuris tritici, uvae, et sarmentorum, ut supra; sed nondum Presbiteri Congregationis Missionis Domum vel Hospitium Bononiae aperuerunt. In hoc rerum statu, Rosa Christina Stampini Vidua relicta praefati Iosephi Parti Piae Testatricis Nepotis et Mater supradictae Franciscae professae in Monasterio S. Franciscae de Paula, cum esset senio confecta, annum agens septuagesimum sextum, et valetudinis affectionibus obnoxia, fortunae bonis con-

(1) Ceu videre est in Salernitana Alimentorum 11 Ianuarii 1712, et in eius Confirmatoria 20 Iunii eiusdem anni, coram Card. Scotto.

(2) Rot. in Romana Alimentorum 21 Martii 1749, §. Momentum, et 9 Iulii eiusdem anni, §. Quocirca, coram Canilliac.

(3) Hisce verbis id praescripsit, ut in §. *Heredes* – ibi – Ed essi avendo aperto Casa come sopra, in tali casi e non prima nè in altro modo *subiungit*, voglio che li miei Eredi fiduciarii suddetti consegnino e diano tutto il denaro cumulato come sopra, come pure gli altri beni stabili, censi e crediti alli Governatori dell' Opera Pia de' Mendicanti, acciò ne distribuiscano le rendite annue alle povere Donne, che pernotavano per la Città –.

*

iunctorumque subventionibus destituta, summam pateretur inopiam, supplices porrexit preces summo Pontifici; quibus postulabat, ut, ex fructibus huius hereditatis vitalitia Legata excedentibus, annuum sibi constitueretur assignamentum librarum biscentum adaequantium scuta quadraginta monetae Romanae pro alimentis, ne fame periret vel in dedecus Familiae mendicare cogeretur.

7. Et remissis precibus ad S. Congregationem, auditus fuit Eminentissimus Cardinalis Archiepiscopus, qui, honestatem et paupertatem Oratricis comprobans, eius votis indulgeri posse rescripsit, ea potissimum de causa, - quod admodum incertum est, quod Domus seu Hospitium Missionis in hac Civitate vel Territorio erigatur, cum probabilius sit, quod Senatus Civitatis pro introductione novae Religionis in hunc Statum sit dissensurus -. Sed in Congregatione habita die 12 Ianuarii 1759 instantia Oratricis, relata per Summaria Precum, fuit reiecta.

8. Sperans nihilominus Oratrix, meliorem sortem sibi obventuram ex formali discussione Causae, disputavit, iustam non deesse causam commutandi voluntatem Testatricis, ut ex fructibus ad pios usus destinatis annuum sibi constitueretur assignamentum, pro alimentis in petita summa librarum biscentum. Ad hunc effectum suam adduxit extremam inopiam et attinentiam, qua iungebatur cum Testatrice in secundo Affinitatis gradu, tamquam Uxor illius Nepotis, quod licet non sufficeret ad petendum alimenta ex iustitia, plurimum tamen conferebat, ut illa decernerentur ex aequitate, super fructibus hereditatis ad pios usus relictae, ut in terminis non omnino ceteroquin unionis favore pauperis Consanguineae alias rescripsit Sacra Congregatio (1).

9. Defendit quoque, gratiam nemini esse praeiudicialem: non Presbiteris Missionis, qui non habebant ius quaesitum, sed eventuale et incertum, pendens a futura conditione forsan non purificanda, iuxta sensum Eminentissimi Archiepiscopi; non etiam Hospitali Pauperum substituto, quia ex voluntate Testatricis tenebatur eosdem fructus erogare in subventionem pauperum Mulierum Bononiae commorantium, quas inter praelationem sibi debitam contendit, ob attinentiam, quam habuit cum Testatrice, et ob praesumptam voluntatem eiusdem, quae plura Legata reliquit Familiae Viri Oratricis (2).

10. Exceperunt contra Presbiteri Congregationis Missionis, Testatorum voluntatem non esse facile commutandam, etiam favore pauperum Consanguineorum, quibus S. Congregatio denegavit applicationem redituum Capellaniarum petitam pro alimentis (3); nullam adesse praesumptam Testatricis voluntatem, potiusque contrariae voluntatis inditium esse praeteritionem Oratricis in tot Legatis singulis de Familia relictis, Oratrice contempta fortasse, ob imparem eius conditionem eiusque transitum ad secunda vota, prout obiiciebatur, sine legalibus ceteroquin documentis: Affinitatem autem nullam parere actionem pro alimentis contra hereditatem Amitae, neque dandam esse ex aequitate, ne huiusmodi exemplo excitarentur alii ad depauperandam hereditatem (4); atque sine legitima causa, concludebatur, praeiudicandum non esse iuri quaesito Personis contemplatis in Testamento.

11. His tamen non obstantibus, proposito dubio: - An sit locus menstruo assignamento favore Rosae Christinae Stampini ex annuis reditibus hereditariis bo. me. Comitissae Flaviae Bertolelli et in qua summa in casu etc.-, Sacra Congregatio responsum tulit: - Affirmative, pro summa scutorum quadraginta pro quolibet anno - *in Bononien. Assignamenti die 20 Iunii 1760.*

12. Reproposito dein dubio, sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - In decisis, et amplius - *in Bononien. Assignamenti die 20 Decembris 1760.*

13. Secus enim alimenta non ad meram victus necessitatem, sed ad cultum etiam secundum personae dignitatem dari oportet *in Romana Subsidiorum Dotalium die 26 Martii 1768* §. *Contra* (5).

(1) Nimirum *in Romana Commutationis Voluntatis* die 12 Februarii 1735.

(2) Ad tradita per Rotam in decis. 98, n. 3 et seqq. coram Durano.

(3) Nempe in Romana *Commutationis Voluntatis* die 1 Ianuarii 1741, lib. 91 Decretorum pag. 459.

(4) Iuxta firmata per Rotam in decis. 898, n. 12, coram Emerix. iuniori; et in Romana seu Ianuen. Legati 5 Maii 1698 §. Nec magis, coram Card. de la Tremoille.

(5) Tiraquell. de nobil. cap. 20, n. 143; Rot. in decis. 8, n. 7, de alimentis, coram Falconerio.

14. Hinc Nobilibus pauperibus, pro decentia gradus, sunt alimenta subministranda, ex Pio Legato *in Romana seu Ianuen. Assignamenti die 28 Februarii 1761* §. *Nihilominus* (1).

15. Alimenta idcirco nobili Mulieri praestanda sunt, habito respectu ad splendorem Familiae, ad qualitatem et dignitatem personarum, ac pro viribus Patrimonii *in Caesaraugustanae Matrimonii die 23 Februarii 1771* §. *Inquit.*

16. Nam ad determinandam alimentorum quantitatem spectanda est qualitas et dignitas personarum, nec non personae alendae inopia et indigentia, ac Patrimonii vires *in Caesaraugustanae Matrimonii die 23 Februarii 1771* §. *Ad.*

17. Propterea, etiamsi aliis Descendentibus ac potiori iure forsan pollentibus antea in minori quantitate fuerint assignata alimenta; haec nihilominus, ad praesentem rerum statum ac pro numero et varietate Personarum alimenta expostulantium, taxari debent *in Romana Subsidiorum Dotalium die 26 Martii 1768.*

18. Iamvero Paulus Paganini anno 1620 conspicuam summam scutorum triginta millium in tot Locis Montium collocatam liberaliter contulit in Archiconfraternitatem Sanctissimae Annunciationis Urbis, ut ex fructibus darentur quolibet anno tot subsidia dotalia scutorum centum pauperibus Puellis, quae nupsissent in Domino, et in eorum defectu aliis Puellis, nupturis in Seculo. Ius nominandi Puellas pro dimidia parte concessit Sodalibus Archiconfraternitatis, pro altera parte Magdalenae pronepti Matrimonio iunctae cum Theodosio de Rubeis, et istorum Filiis, Heredibus et Successoribus, tam masculis, quam feminis, in infinitum.

19. Descendebat a memoratis Coniugibus Iulius de Rubeis. Is unicam habens filiam Annam, huius nomine exemplo aliorum Descendentium, preces dedit, ut ex medietate dictorum subsidiorum Dotalium eidem Filiae suae et alimenta decentia et dos congrua praestarentur. Deputati Archiconfraternitatis traditioni alimentorum in annuis scutis triginta sex et assignationi congruae dotis dederunt assensum (2). Eminentissimus Protector pro eadem quantitate alimentorum, et pro dote temporali in scutis septingentis, ac spirituali in scutis septingentis quadraginta quinque, votum edidit (3).

20. Hinc, tam Archiconfraternitas, quam Eminentissimus Protector, exemplis de dote et alimentis praestitis Descendentibus a Theodosio de Rubeis, etiam quoad quantitatem, cohaeserunt. At circa quantitatem dotis et alimentorum, perpendebatur, quod licet anno 1748 alimentorum quantitas in solis menstruis scutis tribus, dotis vero temporalis in scutis septingentis decreta fuerit, prae oculis tamen haberi debebat, quod praestanda tunc erant alimenta quatuor Filiabus Philippi ac aliis duabus Filiabus Vincentii, quod tunc itidem his omnibus singulis erat praestanda dos, quodque demum tunc solvendae supererant dotes scutorum bis millium quingentorum, pro qualibet ex Sororibus Trulli: in praesens autem unica erat Oratrix, quae alimenta peteret ac dotem.

21. In facto interim erat, dimidiam partem subsidiorum Dotalium ascendere ad annua scuta bis mille sexaginta: ex his tunc insumi sola scuta centum in livellis nonnullarum Sanctimonialium Familiae de Rubeis; nulli alii dotem vel alimenta praestanda esse; deposita iam extare scuta sexcentum nonaginta novem. Aequi-

(1) Rot. in decis. 805, n. 3, coram Emerix iun.

(2) Ut in Romana Subsidiorum Dotalium die 8 Augusti 1767 §. Deputati – ibi – Acciocchè possa la medesima Anna conseguire tanto gli alimenti, che in casi simili ed a favore delle stesse Zie dell' Oratrice sono stati assegnati nell' annua quantità di scudi trenta sei, quanto la congrua dote; ben inteso però, che l'uno e l'altro si debba levare da quella metà de' frutti, i quali si devono erogare in dote a nomina de' Parenti, come altre volte è seguito, e resti intatta l'altra metà de' frutti, che appartengono alla Confraternita, colla solita legge però di distribuirli in tanti sussidii dotali –.

(3) Ceu in loc. cit. §. Eminentissimus – ibi – Cum inter Descendentes Theodosii de Rubeis recenseatur Iulius Orator, aequitati non minus, quam rationi ipsius preces consentaneae videntur: adeo ut Sacer iste Ordo, ubi in meam veniat sententiam aliquam annuam quantitatem, ex fructibus dimidiae partis dotalitii Paganini, ad Successore respectu iuris nominandi spectantis, statuere possit, ex qua tum diurna alimenta tum dos congrua Annae de Rubeis praestari possit, urgentibus praesertim in id exemplis supplici libello indigitatis. Et quemadmodum alias pro alimentis annua quantitas scutorum triginta sex, pro dote autem quantitas scutorum septingentorum pro nuptiis carnalibus, pro spiritualibus vero scutorum septingentorum quadraginta quinque praescripta fuit, ita Orator contentus esse deberet, quoties ab exemplis in hac parte minime recederetur. Porro sententia haec mea quidem est, atque Sodalium.

tati idcirco maxime consonum esse contendit Iulius, ut alimenta ipsius Annae in mensualibus scutis sex a die petitionis adscriberentur.

22. Propositis hinc dubiis: – I. An et in qua summa et a quo tempore sint praestanda alimenta in casu etc.

II. An et in qua summa sint constituendae dotes in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative a die petitionis, in mensualibus scutis quinque. Ad secundum, Affirmative; iuxta votum Eminentissimi Protectoris – *in Romana Subsidiorum Dotalium die 29 Augusti 1767.*

23. Inde vero Deputati Archiconfraternitatis, Dotium quantitatem congruam et aequam profitentes, gravem et excessivam putarunt statutam alimentorum quantitatem. Huius ideo petierunt moderationem, advertentes, sola menstrualia scuta tria assignata fuisse anno 1748 Filiabus Philippi et Vincentii de Rubeis, licet Theodosio proximioribus; potiori idcirco iure eadem quantitate contentam esse debere Annam longe remotiorem, erga quam levior Donatoris affectio erat, minoresque benignitatis ratio urgebat.

24. Maxime, quia Anna vix octo annos habebat, degebatque educationis causa in Venerabili Monasterio S. Bernardi Narniae, solvens sola annua scuta vigintiquinque, titulo alimentorum, itaut scuta tria in singulos menses non tam congrua et paria essent, sed etiam excessiva; et quod aliae insuper Puellae ab eodem Theodosio descendentes extabant, postulantes et dotem et alimenta. Quare absurdum videbatur, Annae rependi tum excessivam quantitatem alimentorum in grave aliarum Puellarum praeiudicium, erga quas eadem militabat Donatoris affectio et aequitatis ratio.

25. Contra Iulius de Rubeis, nomine Annae filiae, inquit, alimenta non ad meram victus necessitatem, sed ad cultum etiam secundum personae conditionem dari oportere. Annam vero, descendentem ex nobili Familia, tunc educationis causa morari in Monasterio Narniensi; ubi, supputatis alimentis aliisque ad cultum necessariis, ne annua quidem scuta quinquaginta sufficiebant: patere itaque, quantitatem alimentorum in mensualibus scutis quinque excessivam non esse, sive inspecta qualitate personae, sive necessitate, ac decentis cultus ratione.

26. Nec obstare, quod anno 1748 data fuerint aliis Puellis ex eadem Descendentia sola mensualia scuta tria; advertit enim, tunc praestari debuisse alimenta quatuor Filiabus Philippi et aliis duabus Vincentii, singulis item congruam dotem, aliasque dotes scutorum bis mille quingentorum, pro qualibet ex Sororibus Trulli; in praesens vero medietatem redituum iam ascendere ad scuta tercentum quinquaginta septem, nullo onere gravari, nulli praestari alimenta, et Annam unicam esse, quae ob angustias paternae Domus alimenta peteret. Nec obesse existentiam aliarum trium Puellarum ex eadem Descendentia; quia hae nec alimenta nec dotem petebant, et quia ex deposito scutorum mille centum quinquaginta trium et ex annuo introitu scutorum tercentum quinquaginta septem, recte etiam harum dotibus consuli poterat, quin urgeret necessitas, ut quid minimum detrahendum esset, ex gratia Annae elargita.

27. Repetebatur, anno 1748, quo alimentorum quantitas in solis menstruis scutis tribus decreta fuit, eum fuisse verum statum, ut praestanda essent alimenta quatuor Filiabus Philippi ac aliis duabus Vincentii, et singulis praestanda esset dos, et insuper solvendae adhuc superessent dotes scutorum bis mille quingentorum pro qualibet ex Sororibus Trulli: adeo ut necesse fuerit iisdem providere de altera etiam medietate subsidiorum, quae distribuebantur a Ven. Archiconfraternitate; in praesens vero Oratricem unicam esse, quae alimenta peteret ex medietate subsidiorum, ad Descendentes Theodosii spectantium. Nec novum esse, quod alimenta in menstruis scutis quinque assignarentur, cum in eadem quantitate Philippo ad inopiam delapso S. M. Clemens XII anno 1731 fuerit elargitus.

28. Advertendum tamen erat, an fructus dictae medietatis, una cum pecunia deposita, pares essent ad alimenta Oratrici, et ad congruam dotem praestandam, tum ipsi, tum aliis tribus Filiabus descendentibus, quas tunc adesse, non impugnabatur.

29. His itaque perpensis, reproposito dubio, sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis, quoad praestationem alimentorum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – In decisis, et amplius – *in Romana Subsidiorum Dotalium die 26 Martii 1768.*

30. Exemplo hinc Annae filiae idem Iulius eamdem promovit instantiam pro alimentis con-

stituendis geminis aliis filiabus suis Mariae et Victoriae; et quum redituum fere medietas pertinens ad Familiam de Rubeis absumpta esset a pluribus gestis assignamentis, quae inter etiam numerabantur Annae alimenta in mensualibus scutis quinque, ita ut, iis demptis, superessent dumtaxat annua scuta octoginta quatuor, quae a dicta Ven. Archiconfraternitate cumulabantur anno quolibet pro dote Annae ad summam usque scutorum septingentorum, vel septingentorum quadraginta quinque, in exequutionem Resolutionis Sacrae Congregationis, idcirco idem Iulius tunc sibi suasit, quod alimenta pro suis filiabus Maria et Victoria detrahi deberent ex altera medietate a dicta Archiconfraternitate eroganda in tot subsidia Dotalia, iuxta Testatoris praeceptum; propositoque die 10 Maii 1777 dubio: – An, deficientibus fructibus medietatis capitalis Pii Relicti Paganini, qui distribuuntur in tot subsidia Dotalia ab Heredibus quondam Magdalenae Paganini et Theodosii de Rubeis, praestanda sint alimenta ex fructibus alterius medietatis dicti capitalis, qui distribuuntur in alia subsidia Dotalia a Ven. Archiconfraternitate Sanctissimae Annuntiatae Urbis et in qua summa et a quo tempore in casu etc. –, responderunt Amplissimi Patres: – Negative, et amplius –.

31. Idem Iulius Pater subinde, hac derelicta provincia petendi alimenta pro suis Filiabus ex medietate redituum Archiconfraternitatis, confugit ad alteram illorum medietatem ad propriam Familiam et Descendentiam Magdalenae Paganini et Theodosii de Rubeis Coniugum pertinentem. Porrectis itaque precibus Summo Pontifici eisque ablegatis ad Sacram Congregationem, postulavit, ut ex supradictis annuis scutis octoginta quatuor, quae ex propria medietate, demptis alimentis pro Anna, aliisque de Familia constitutis, supererant, ut supra relatum est, multiplicanda pro dote Annae, congrua detraherentur alimenta pro suis Filiabus Maria et Victoria, probans, se eiusque Filias esse pauperes et fortunae bonis carere, Annam vero suum pro petita alimentorum constitutione et detractione praestare consensum, ea tamen adiecta lege, ut quod superesset erogari deberet in multiplicum dotis sibi ab Sacra Congregatione constitutae (1).

32. Proposito vero dubio: – An et pro qua summa et a quo tempore ex residualibus scutis octoginta quatuor provenientibus ex fructibus medietatis Pii Relicti Pauli Paganini pertinentis ad Successores Magdalenae Paganini de Rubeis sit locus praestationi alimentorum favore Mariae et Victoriae Sororum de Rubeis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et ad mentem; et mens est, quod Oratrices instent, postquam cessaverit aliqua alimentaria praestatio, ex dicta medietate hereditatis – *in Romana Alimentorum die 28 Augusti 1779.*

33. Quum inde anno 1780 per nuptias contractas a dicta Anna de Rubeis Iulii filia cessaverit alimentorum praestatio in scutis quinque quolibet mense, preces idcirco renovarunt idem Iulius eiusque filiae Maria et Victoria respective Pater et Sorores dictae Annae, pro alimentorum subministratione, in mensualibus scutis quinque pro qualibet.

Reproposito hinc dubio: – An et pro qua summa et a quo tempore ex residualibus scutis octoginta quatuor provenientibus ex fructibus medietatis Pii Relicti Pauli Paganini pertinentis ad Successores Magdalenae Paganini de Rubeis sit locus praestationi alimentorum favore Mariae et Victoriae Sororum de Rubeis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative, iuxta votum; nempe ad rationem scutorum duorum cum dimidio mensualium pro qualibet, a die vacati assignamenti – *in Romana Alimentorum die 12 Maii 1781.*

34. At eo etiam devenit Iulius de Rubeis, ut ex miserabili bonorum cedendorum beneficio personae suae consulere debuerit. Hinc, ut subsidia vitae sibi compararet, conversus est ad Confraternitatem Sanctissimae Annuntiationis in Ecclesia B. Mariae supra Minervam. Alimenta itaque Orator precatus est, sibi decerni in menstruis scutis quinque ex eodem medietatis residuo, ex quo illius binis Filiabus alimenta decreta fuerunt. Idcirco plurimam, in qua cum aliis Filiis suis versabatur, paupertatem probavit Testium depositione; et imo Parochi sui, qui de gravissima et extrema ipsius indigentia

(1) Hisce porro verbis consensum praestitit, ut nimirum, ceu in §. *Nunc* – ibi – quel di più del fruttato suddetto debba restare sempre fermo ed andare a moltiplico per la consecuzione della suddetta enunciata dote di essa Signora esponente –.

fidem perhibuit. Nec dubitandi locus superesse videbatur, statim ac debuit ad bonorum cessionem descendere, ut a personalibus Creditorum exequutionibus redimeretur.

35. Cum tamen alimentis subductis duarum Filiarum, in Narniae Monasterio educationis causa degentium, quibus ex dicto Rescripto diei 12 Maii 1781 scuta quinque in menses singulos fuerunt assignata, residuum in scutis viginti quatuor vix maneret, Orator supposuit, summam scutorum quingentorum superfuisse ex acto multiplico, pro Annae alterius suae filiae dote, quae ante annum 1781 matrimonium inivit cum sola dote scutorum quingentorum.

36. Proposito itaque dubio: - An et pro qua summa et a quo tempore ex residualibus scutis octoginta quatuor provenientibus ex fructibus medietatis Pii Relicti Paganini, pertinentis ad Successores Magdalenae Paganini de Rubeis, sit locus praestationi alimentorum, favore Iulii Patris Annae Mariae et Victoriae de Rubeis in casu etc. -, S. Congregatio responsum tulit: - Affirmative in scutis quatuor quolibet mense, incipiente a die prima Augusti currentis - *in Romana Alimentorum die 20 Augusti 1785.*

37. Ex hoc aliisque antiquioribus exemplis Pontificium inde adiit solium Maria Francisca de Rubeis, nupta Alexandro Stella Auximano, quae inter filias Alexandri dotem habuit scutorum septingentorum ex gratia Clementis XIV, petiitque pro qualibet ex tribus eius Filiabus dotem scutorum trium millium ex medietate ad nominationem heredum Paganini et de Rubeis. Precibus vero ad Sacram Congregationem remissis, testatus est Eminentissimus Episcopus Auximanus de descendentia Oratricis a Familia de Rubeis et de paupertate Familiae Stella. Et petitioni Oratricis assentita est Societas. Quin imo nobilis conditio Filiarum Oratricis dotem exigebat scutorum trium millium pro qualibet, iuxta votum Eminentissimi Episcopi; nec antiqua deerant similis et maioris dotationis exempla.

38. Favere quidem poterant huiusmodi exempla Oratrici; sed ignorabatur, num de una antiquitus vel pluribus eodem tempore dotandis ageretur Puellis. Plurium certae dotes statutae fuerunt anno 1748 in scutis septingentis quadraginta quinque, pro qualibet nubente in Domino, et scutis septingentis, pro nubente in Seculo: et ab eo tempore non excesserunt dotationes scuta septingenta, ac prae ceteris favore Oratricis per Breve Clementis XIV. Sive in una vero, sive in altera quantitate concederetur Filiabus Oratricis cumulus, non primum inchoari poterat, quam post eas alias dimissas Descendentes, quae datam etiam habebant cumuli fidem. Iuxta calculum enim exhibitum a Societate, annua summa subsidiorum, spectantium ad Heredes, scutorum erat 351, 10. Detractis vero scutis bis centum quadraginta octo pro alimentis et vitalitiis, quae ex Pontificiis praestabantur Rescriptis, annua remanebant scuta 103. 10, praeter alia 197. 81,5 deposita. Ex hoc tamen superextante reditu et deposito, solvendae adhuc erant duae ex assignatis Dotibus scutorum septingentorum.

39. Itaque, proposito dubio: - An, quomodo et in qua summa sit concedendus cumulus Dotium tribus Filiabus Mariae Franciscae de Rubeis Stella in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Affirmative in scutis septingentis pro qualibet, et ex medietate Dotium liberae collationis Heredum de Rubeis, satisfactis tamen alimentis vitalitiis aliisque Dotium cumulis iampridem concessis - *in Romana seu Auximana Subsidiorum Dotalium die 15 Martii 1794.*

40. Interim cum praedicta Maria Francisca comitissa de Rubeis concurrit etiam Ludovicus, filius Iulii de Rubeis pro Maria Theresia eius filia annorum circiter trium. In precibus enim, ad Sacram Congregationem per Sanctissimum remissis, menstruum aliquod pro Filiola postulavit assignamentum subsidiumque dotale, ex eadem Descendentium portione, ex qua suis Comitissa consulere curabat Puellis. Eminentissimus Archiconfraternitatis Protector vero dubitavit, quin reipsa Orator esset filius Iulii, qui tamquam descendens a Theodosio obtinuit die 20 Augusti 1785 per Rescriptum Sacrae Congregationis menstrua scuta quatuor, titulo alimentorum. At Ludovicus per fidem Baptismatis probavit, se filium esse Iulii de Rubeis, qui dubio procul a Theodosio descendebat, et natam ab ipso esse Mariam Theresiam; probavitque ex altera proprii Parochi fide honestatem ac paupertatem (1). Aliquantulum de cetero, quoad annuos superextantes reditus portionis

(1) Hisce verbis Parochus de honestate ac paupertate Ludovici testatus est, ut in §. *Per fidem* - ibi - Qualmente l'onesto uomo Ludovico de Rossi, dimorante da circa anni otto in questa Parrocchia colla sua Moglie ed una Figlia,

Descendentium, a calculo discrepabat per Societatem exhibito in altera causa Stella. Eos namque reditus a scutis 103. 10 ad scuta evehebat 106. 26. Et quamvis conveniret de deposito scutorum 197. 81,5, unam tamen (non duas iuxta relatum calculum) solvendam retulit Emus Protector dotem scutorum septingentorum assignatam – usque ab anno 1781 erga Mariam de Rubeis nuptam cum Ioanne Pansidori, cui interim fructus dotales pensitantur –. Atque ita conclusit: – In sensu itaque essem, instantiam Ludovici de Rubeis, legitimatione personae et paupertatis praesertim non culposae probatione omnino destitutam et intempestivam pro dote, quoad annorum duorum infantulam (qualis erat superiori anno), differendi ad tempus opportunum et habile, post nempe relati debiti dissolutionem –.

41. Imo et quoad menstruum Filiae assignamentum obesse poterat Ludovico alterum concessum superstiti Iulio ipsius Patri: haud enim leve subsidium erant humili Familiae menstrua scuta quatuor, nisi eius individui personalem negligerent industriam. Quo vero ad dotem, praematura nimis videri poterat eius constitutio pro Puercula annorum tunc trium; congruo ad illam solvendam deficiente reditu. Ponderandum contra, num menstrua scuta quatuor assignata Iulio, qui omnibus indigebat prae senectute, aliquod afferre valerent levamen pauperi eius Filio Nurui et Nepti, qui omnibus carebant. Assignamentum praeterea postulavit Ludovicus pro eius Filiola, quae ius forsan habebat ad alimenta, donec consequeretur dotem, aliarum descendentium Puellarum exemplo, quae aliquid alimentorum titulo consequutae fuerant. At vix quidem, iuxta relationem Emi Protectoris, annua supererant scuta 106. 26 ex portione Descendentium, atque ex illorum cumulo et deposito scutorum 197. 81,5 solvenda adhuc erat Mariae de Rubeis Pansidori iam assignata dos scutorum septingentorum.

42. Propositis hinc dubiis: – I. An, in qua summa et ad quod tempus concedi debeant alimenta in casu etc.

II. An, in qua summa et quo tempore sit solvendum subsidium Dotale in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, Habebitur ratio suis loco et tempore – *in Romana Alimentorum et Subsidii Dotalis die 15 Martii 1794.*

43. Unde in causis alimentorum nec praecedentia Rescripta praeiudicialem rei iudicatae exceptionem parere posse videntur; quia huiusmodi exceptio non admittitur in praefatis alimentorum causis, quorum taxatio variatur cum rerum ac status mutatione *in Romana seu Ianuen. Assignamenti di 28 Februarii 1761* §. *Nec putat* (1).

44. Praesertim, si summa pro alimentis assignata fuit, dum Puella, in minori aetate constituta, vitam ducebat cum Patre et Fratribus, qui similibus praestationibus fruebantur, quo in casu plures summae omnibus unitim commode sat esse poterant *in Romana seu Ianuen. Assignamenti die 28 Februarii 1761* §. *Et eo magis.*

45. Postea autem, quum defuncto Patre omnes seorsim vivant, et ipsa aetate creverit, singulis divisim sufficere non comperiuntur propria assignamenta; ac proinde cuique multiplicatis expensis, illarum respectu, augeri etiam debet quantitas alimentorum *in Romana seu Ianuen. Assignamenti die 28 Februarii 1761* §. *Et eo magis* (2).

46. Enimvero, ex celebri Legato Marchionis Vincentii Iustiniani a Gubernatoribus Familiae distribuendo (3), pluries obtinuit Raphael Iustinianus sibi suisque Filiis assignari et augeri vitalitias praestationes, quae in menstruis scutis triginta quinque distincte calculabantur in folio, quod S. M. Benedictus XIV inseruit Chirographo exequutoriali sui Motus-Proprii die 28 Martii 1741, editi pro recta statuenda methodo administrationis et distributionis huius Pii Legati: illorumque scuta quinque in eodem folio

siccome privo di qualunque siasi bene di fortuna, così per varie vicende trovasi ora in istato assai povero e bisognevole di ogni più opportuno soccorso e degno altresì di ogni possibil riguardo –.

(1) Rot. post Castill. de alimentis, decis. 19, n. 4 et seqq.

(2) Arg. ex Text. in Leg. *Ius alimentorum* 3, ff. ubi pupill. educ. vel mor. deb.; Rot. in Romana Alimentorum 3 Martii 1747, §. 2, coram Episcopo Brixien.; in alia Romana Alimentorum super augmento 17 Ianuarii 1752, §. 3, coram Card. Bussio.

(3) Nimirum, ut in §. *Ex* – ibi – in quelle congiunture ed occasioni che in coscienza loro giudicheranno essere e risultare di maggior benefizio ed onore della Famiglia Giustiniana, ed in usar carità colle Persone bisognose di essa –.

referebantur assignata Mariae eiusdem Raphaelis filiae, ut in educationem in Monasterio collocaretur; alia scuta quatuor alteri Filiae oblatae in Monasterio Septem Dolorum; scuta pariter quinque alteri Filiae professae in Monasterio Sanctae Mariae ad Campum Martium; et denique Isabellae educationis causa in praedicto Monasterio ad Campum Martium existenti, ac alteri Filiae dicti Raphaelis scuta quinque.

47. Easdem praestationes a die nativitatis Filiorum solvendas esse postulavit Raphael praedictus in Congregatione habita die 7 Aprilis 1742, sed illius petitio reiecta fuit, edito responso ad propositum dubium: – Negative, et amplius (1) –. Alia instantia eiusdem Raphaelis et Filiarum nomine proposita per Summaria Precum die 4 Maii 1743 reiecta pariter fuit per Rescriptum: - Lectum, et amplius –. Atque demum aliis precibus oblatis a dictis Maria et Isabella Iustiniani die 27 Septembris 1743 rescriptum fuit: – Lectum, quoad praetensum augmentum; quo vero ad sumptus necessarios, pro ingressu Isabellae in Monasterium, ad D. Secretarium –.

48. Nihilominus dicta Isabella, quae morabatur causa educationis in Monasterio S. Luciae in Silice, novas obtulit preces Sanctissimo, quibus postulabat, ut augeretur suum assignamentum scutorum quinque. Preces a Sanctissimo remissae fuerunt ad Sacram Congregationem, cui in praefato Motu-Proprio S. M. Benedicti XIV tributa erat privativa iurisdictio in omnibus causis dicti Pii Legati Iustiniani. Hinc disputavit Isabella, locum esse petito augmento; quia scuta quinque sibi assignata integre Monasterio solvere debebat pro convictu, itaut ei deficeret quidquid necessarium erat pro vestibus, famulatu aliisque humanae vitae indigentiis, de quibus provideri amplius nequibat a Patre iam defuncto, quaeque nobilibus pauperibus Iustiniani pro decentia gradus subministranda esse ex dicto Pio Legato definivit Rota (2).

49. Nec putavit officere, vel certam huius assignamenti quantitatem expressam in dicto folio inserto in Chirographo Pontificio, vel praecedentia Sacrae Congregationis Rescripta. Omne siquidem obstaculum Chirographo Pontificio sublatum asserebat per contemporaneam cedulam Motus-Proprii, in qua concedebatur ampla facultas Sacrae Congregationi augendi huiusmodi assignamenta, pro temporum ac Personarum circumstantiis (3): praecedentia vero Rescripta praeiudicialem rei iudicatae exceptionem parere non posse arbitrata est, vel quia huiusmodi exceptio non admittitur in causis Alimentorum, quorum taxatio variatur cum rerum ac status mutatione, vel quia potestas denuo recurrendi tributa dicenda erat per remissionem precum a Sanctissimo factam ad Sacram Congregationem.

50. Et eo magis rationem de praecedentibus Rescriptis habendam non esse defendit; quia praefata summa scutorum quinque pro suis alimentis assignata fuit, dum ipsa, in minori aetate constituta, vitam ducebat cum Patre et Fratribus, qui similibus praestationibus fruebantur; quo in casu plures summae omnibus unitim commode sat esse poterant; inde vero quum defuncto Patre omnes seorsim viverent et ipsa aetate creverit, singulis divisim sufficere non comperiebantur propria assignamenta; ac proinde cuique multiplicatis expensis, illarum respectu, augeri etiam debebat quantitas alimentorum. Sicut pariter allegari non posse censuit, redituum insufficientiam copioso numero Legatariorum, quum expresse caveretur in praefato Motu-Proprio S. M. Benedicti XIV, quod si pro assignamentis factis vel augendis non essent sufficientes fructus partis distribuendae, accipi debebant ex parte multiplicanda. Circa quantitatem vero petiti augmenti se subiecit prudentiae Eminentissimorum Patrum, adducens nonnulla exempla praestationum, quae solvebantur etiam Monialibus professis in quantitate scutorum decem quolibet mense, et aliis in maiori summa.

51. Proposito hinc dubio: – An sit locus augmento assignamenti, itaut sit recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative usque ad scuta septem, pro quolibet mense – *in Romana seu Ianuen. Assignamenti die 28 Februarii 1761.*

52. Propterea nec praecedentia Rescripta obstiterunt, quibus instantia praedicti augmenti

(1) Ut in lib. 92 Decretorum pag. 175.

(2) Scilicet in decis. 805, n. 3, coram Emerix Iun.

(3) Siquidem, ut in §. *Nec* – ibi – ad effetto di decidere e risolvere, se tali assegnamenti, secondo le circostanze de' tempi e delle Persone debbano accrescersi –.

a Raphaele Patre vel ab eius Filiis et ab ipsa Oratrice semper reiecta fuit, nedum pluribus in casibus aliisque superius narratis, sed etiam a Congregatione Particulari die 18 Augusti 1737, quo rescriptum fuit: – Lectum, et acquiescat omnino, et ad D. Secretarium, qui similes instantias amplius non referat –; et rursus die 17 Septembris 1739, quo editum fuit aliud Rescriptum; – Lectum, et amplius –; nec non semel et iterum anno 1744 etiam ab ipso S. M. Benedicto XIV. Nec etiam obstitit, quod Oratrix gavisa fuerit suo assignamento non in domo Paterna, sed etiam in Monasterio primum S. Mariae ad Campum Martium, deinde SS. Dominici et Sixti, in quibus splendidius vita agebatur, quam in Monasterio S. Luciae in Silice, ubi tunc morabatur. Quin item obstiterit, quod huic Familiae Raphaelis Iustiniani subministrarentur scuta quadringenta nonaginta duo; nec proinde introducendum non esse contendebatur perniciosum exemplum augendi praeter modum assignamenta cuilibet Familiae, ne fraudati remanerent alii pauperes nobiles Legatarii, neve in pessum rueret Legatum ipsum, quod reperiebatur summopere exhaustum *in Romana seu Ianuen. Assignamenti die 28 Februarii 1761* §. *Sed,* §. *Praeterea,* §. *Nec.*

53. Hinc nec obstitit, quod ex Legibus Pii Legati eius Gubernatores non ad integra alimenta, sed ad purum subsidium constituendum tenerentur *in Romana seu Ianuen. Assignamenti die 28 Februarii 1761* §. *Praeterea* (1).

54. Nec id demum obstitit, quod absque augmento summa subsidii sufficiens fuit pro aliis Puellis reputata *in Romana seu Ianuen. Assignamenti die 28 Februarii 1761* §. *Nec adhaerendum* (2).

55. Idcirco eo vel magis alimenta a Testatore relicta augeri debent, si hereditatis reditus augeantur *in Faventina die 9 Maii 1772* §. *Ad 1.*

Item *in Nullius seu Terrae Pontiani Subsidii Dotalis die 22 Martii 1766; in Lauretana Matrimonii super Alimentis die 2 Maii 1835* §. *Contra.*

56. Nec non augeri debent alimenta, si imminuta fuerit Familia, quae eadem suppeditare tenetur *in Lauretana Matrimonii super Alimentis die 2 Maii 1835* §. *Contra* (3).

57. Id enim etiam quoad dotes in casibus, in quibus deerat etiam expressa Testatoris voluntas, non semel, sed saepius S. Congregatio indulsit *in Faventina die 7 Maii 1772* §. *Ad I* (4).

58. Ex sola quippe naturali Charitate et verosimili Testatorum voluntate, non semel, sed pluries Sacra Congregatio indulsit, ut subsidium relictum etiam ad longe maiorem summam augeretur ad hoc, ut honestae et decenti Consanguineorum vel Praedilectorum sustentationi consultum foret *in Faventina die 9 Maii 1772* §. *Hac porro.*

59. Siquidem in postremo suae voluntatis elogio, quod Sebastianus Scarsellini civis Faventinus condidit anno 1631, legavit Antonio Scarsellini annuas libras quatuorcentum una cum habitatione domus ipsius Testatoris, sitae in Civitate Faventiae, aliasque annuas libras quatuorcentum reliquit Iacobo Philippo Pane, addita declaratione, ut duo haec annua Legata perpetuo etiam praestarentur Descendentibus per lineam Masculinam ab iisdem Antonio et Iacobo, dummodo honestam ducerent vitae rationem, nec publice vel delictis aut vitiis essent dehonestati. Heredem inde ex Asse instituit Ven. Sodalitium S. Gregorii eiusdem Civitatis cum onere, ut, satisfactis annuis Legatis, residuos fructus multiplico collocaret in dotes librarum bis millium quingentarum singulis Puellis a dictis Antonio et Iacobo descendentibus.

60. Iussit, autem, ut, non extantibus Puellis dotandis, teneretur Sodalitium opem ferre praedictis Antonio, Iacobo eorumque Descendentibus, ea tamen quantitate, quae sibi magis placeret (5). Idque amplius declaravit, ut Descen-

(1) Rot. in Romana seu Ianuen. Legati 5 Maii 1698, §. Est igitur, coram Card. de la Tremoille.

(2) Rot. in Romana seu Toletana Alimentorum 6 Martii 1739, §. coram Canilliac.

(3) Zanchius de praelat. credit. exercit. 3, §. 2, n. 20.

(4) Vid. in Verb. *Subsidium dotale.*

(5) Iussit quidem, ut Sodalitium teneretur, ut in §. *Iussit* – ibi – a sovvenire e soccorrere alli suddetti Antonio e Giacomo Filippo e Discendenti di essi, oltre al primo Legato delle suddette lire 400 con il detto moltiplico da farsi, e come sopra destinato per le doti, di quella somma e quantità ad arbitrio di detta Compagnia, ed a tutte due le Famiglie o più ad una, che all'altra secondo la quantità della gravezza o il bisogno, che conoscerà detta Compagnia, la quale debba avere sempre prima riguardo alla Famiglia e Discendenti di Antonio Scarsellini –.

*

dentes omnes arbitrio Deputatorum Sodalitii acquiescere prorsus deberent, sub poena caducitatis (1). Voluit demum, ut, defectis omnibus Descendentibus a dicto Antonio et Iacobo, Sodalitium duas singulis annis Dotes librarum bis centum duabus Puellis Faventinis distribueret, residuosque fructus erogaret in tot eleemosynas, favore Pauperum.

61. Sedulo implevit Sodalitium dicta duo annua Legata librarum quadringentarum seu scutorum Romanorum 72. 72, ut postea defecit Familia Antonii Scarsellini, unica superstite Descendentia Iacobi Pane. Iamvero usque ab anno 1695 aucto numero Descendentium eiusdem Iacobi Pane, gravique etiam necessitate urgente, ampliora ipsi alimenta a Sodalitio petierunt. Sed, reneunte Sodalitio, actaque diu lite, de anno tandem 1705 conventio inita fuit, ut singulis e dicta Familia annua praestarentur scuta triginta, prout eousque servatum erat. Verum inde magis magisque aucto hereditatis reditu, auctoque simul numero Descendentium a dicto Iacobo Pane, qui in tres Familias distincti erant; altera nempe Iacobi iunioris cum Uxore et quatuor Filiis; altera Annae Viduae Antonii cum quatuor Filiabus, et tertia Aloisii, filii dictae Annae cum Uxore et unico Filio, ideo dicta Anna Vidua, tam sui, quam aliorum nomine postulavit, ut, ad ratam augmenti redituum, alimenta sibi aliisque augerentur.

62. Inquit, Testatorem unice prospicere voluisse Descendentibus ab Antonio Scarsellini et Iacobo Pane; his non solum reliquisse annuas libras quadringentas, sed etiam Sodalitio mandasse, ut singulorum necessitatibus consuleret, dotesque Puellis ex eadem Descendentia praestaret; ita quidem, ut, hac durante, vetitum Sodalitio foret, reditus in diversas personas vel in alios pios usus convertere. Voluntati ergo Testatoris maxime consonum esse, ut ex iisdem fructibus honestam ac decentem substentationem singulorum Descendentium suppeditaret. Quapropter, auctis in ingenti quantitate scutorum 1919 hereditatis reditibus, augeri pariter deberi relicta alimenta.

63. Iniuria vero Confratres arbitrium proferre sibi a Testatore concessum. Hoc siquidem ab aequitate et naturali Testatoris charitate et affectione esse metiendum. Iniquum autem fore, si illud non exerceretur erga Descendentes, quos unice Testator contemplavit, et quorum favore iussit necessaria subministrari, itaut interim in nullas alias alienas personas exerceri posset. Merito idcirco iniustum Confratrum arbitrium iam usque ab anno 1705 Iudicis auctoritate moderatum fuisse. Potiori autem iure moderandum in praesens iterum esse, dum reditus ad longe maiorem quantitatem creverunt, longeque maiores urgebant indigentiae Descendentium ex dicta Familia Pane, quae inter nobiles Familias Faventinas recensebatur.

64. Postulavit hinc, ut ex annuis fructibus scutorum 1919 saltem scuta mille sibi suisque, pro alimentis, assignarentur. Advertit, quantitatem hanc excessivam non esse, tum habito respectu ad Familiae nobilitatem, tum ad ingentes reditus scutorum 1919, ex quibus superessent adhuc quotannis scuta 919 pro multiplico, tum ad indigentiam singulorum Descendentium, quibus non aliter occurri sufficienter poterat, tum demum habito respectu ad voluntatem Testatoris, qui cum initio annua Legata eis reliquerit longe excedentia medietatem redituum, eo magis eiusdem voluntati consonum erat, ut saltem scuta mille ipsis ex ingenti fructu scutorum 1919 praestarentur.

65. Contra vero Sodalitium inquit, Testatorem annuam tantum summam librarum quadringentarum seu scuta Romana 72. 72 legasse Antonio Scarsellini et Iacobo Pane ipsorumque Descendentibus, ita ut reliqui fructus multiplico poni deberent pro dotandis Puellis descendentibus in libras bis mille quingentas, et in casu dumtaxat, quo Puellae deessent concessisse Sodalitio, ut occurrere posset indigentiis Descendentium in summa et quantitate eius arbitrio determinanda, et quidem titulo charitatis, et non ex obligatione et onere hereditatis. Arguit idcirco, vix annuam summam scutorum 72. 72, titulo legati universae Descendentiae deberi, unde nonnisi iniuria Descendentes conqueri; dum, assignata singulis annua summa scutorum triginta, obtinebant Legatum in septupla maiori quantitate. Potissimum, quia iure etiam

(1) Nimirum, ut in §. loc. cit. – ibi – Pretendendo esso Signor Testatore, che questo sia più per carità, che per obbligo di detta Compagnia, e peso dell' eredità –.

denegari eisdem poterat praestatio Legati; dum contra Testatoris voluntatem non quidem ulli exercitio incumberent, sed imo variis criminibus et delictis essent inquisiti.

66. Perperam vero exposcere aliud subsidium, ex fructibus multiplici. Advertit enim, Testatorem hoc subsidium demandasse in casu tantum, quo nullae in Descendentia Puellae dotandae adessent. Probarunt autem, in Familia Pane iam plures adesse Puellas, ac proinde contenderunt, nullum maius subsidium in praesens praestari posse. Ceterum addidit, subsidium hoc relictum fuisse arbitrio Confratrum, ita ut Descendentes sub poena caducitatis reclamare prohiberentur, sed eisdem acquiescere deberent, et agnoscere relictum titulo charitatis, et non ex obligatione vel onere hereditatis. Absonum propterea in praesens esse, contra arbitrium Confratrum insurgere, nec levem gratiam fore, si ipsis caducitatis iniuria condonaretur.

67. Episcopus Faventinus adhaerebat oppositioni Confratrum. Ceterum, inspecta Testatoris voluntate, dubium non erat, occurrendum esse necessitatibus dictorum Descendentium, quibus unice et praecipue Testator prospici voluit. Ponderandum hinc erat, an inspectis hereditatis reditibus nec non qualitate et indigentia Descendentium ex unica Familia Pane, augeri in praesens deberet subsidium, quod anno 1705 solemni transactione in annuis scutis triginta pro quolibet praefinitum fuerat. Sane reditus hereditatis licet a Descendentibus extollerentur ad summam scutorum 1919, Episcopus tamen fatebatur, quod, deductis oneribus habito calculo per decennium, ascenderent ad scuta 1328, 35. Porro in Familiis descendentibus Pane in praesens quatuordecim numerabantur capita; quorum commodo praestitis scutis triginta in singulos, exurgebat annua praestatio scutorum quadringentorum viginti, unde adhuc superessent reditus in conspicua summa scutorum 908. 25 in causam dotium multiplicandam, quae certe summa longe excessiva et in parte superflua erat, pro Puellarum dotatione. Perpendendum hinc, an ex clara vel saltem verosimili Testatoris voluntate potius augeri deberet subsidium Descendentibus relictum, quam ad excessivum multiplicum poni.

68. His autem perpensis, proposito dubio: – I. An et quomodo et in qua summa sit locus subministrationi alimentorum ex hereditate Sebastiani Scarsellini in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad primum, Ad mentem; et mens est, quod subministrentur alia scuta decem pro quolibet Capite ad quinquennium, et donec adsint Puellae proxime dotandae, et cum declaratione, quod Puellis nuptis cesset in totum subministratio – *in Faventina die 30 Maii 1772.*

69. Quum autem alimenta per fideicommissum relicta sunt non adiecta quantitate, ante omnia inspiciendum est, quae Defunctus fuerat solitus ei praestare *in Lauretana Matrimonii super Alimentis die 2 Maii 1835* §. *Perpendenda* (1).

70. Nam talia alimenta praestabit Heres, qualia praestare solebat Testator, dum viveret *in Lauretana Matrimonii super Alimentis die 2 Maii 1835* §. *Perpendenda* (2).

71. His vero deficientibus, scuta centum haud sufficientia videntur pro necessariis alimentis, praesertim Canonico Viro nobili et coeco, cui foret inhumanum reditus imminuere *in Caesenaten. Indulti die 12 Ianuarii 1760* §. *Exorbitantiam* (3).

72. Et Monialibus constituenda sunt alimenta pro quolibet illorum duodenario numero, in annua saltem quantitate scutorum tercentum *in Nullius Terrae Pontiani Commutationis Voluntatis die 25 Ianuarii 1744* §. *Impossibile* (4).

73. Quandoque vero alimenta et sumptus litis taxantur, arbitrio Eminentissimi Praefecti Sacrae Congregationis; propositis enim dubiis: – I. An sustineatur Matrimonium in casu etc. II. An et pro qua summa sint subministranda alimenta et sumptus litis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, affirmative arbitrio Eminentissimi Praefecti – *in Caesenaten. seu Forolivien. Matrimonii die 20 Februarii 1723.*

(1) L. *Quum alimenta* 22, de aliment. et cibar. legat.

(2) Surd. de aliment. tit. 4, quaest. 19, §. 1.

(3) Arg. ex Text. in cap. *Licet*, de Censibus; tradit Fagnan. in cap. *Cum percussio*, de cleric. aegrot.

(4) Fagnan. in cap. *Non amplius*, n. 23, de instit.; Piton. de controv. patron. allegat. 73, n. 12; Card. Petra ad Constit. Apostol. vol. 3, pag. 109, n. 4.

74. Repropositis subinde dubiis, sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: - In decisis: et, quoad alimenta et sumptus litis, ad Eminentissimum Praefectum - *in Caesenaten. seu Forolivien. Matrimonii die 26 Novembris 1723.*

75. Ac rursum proposito dubio: – An et a quibus et in qua summa debeantur alimenta et sumptus litis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: - Alimenta et sumptus litis deberi a Raymundo in summa praefinienda ab Eminentissimo Praefecto - *in Caesaraugustana Matrimonii die 16 Martii 1771* (1).

76. Inde nec valet ambigi, alimenta sive iure actionis sive officio Iudicis praestanda esse a die motae litis, et multo magis a die expressae petitionis *in Caesaraugustana Matrimonii die 23 Februarii 1771* §. *Sacra* (2).

77. Itaque Mulieri, pendente adhuc appellatione a sententia validum Matrimonium declarante, nedum debentur alimenta a Patre sui Viri a die motae litis, sed ea augeri debent a die, qua imminuta fuerit Familia seu reditus aucti, cum refectione expensarum omnium iudicialium et extraiudicialium pro obtinenda alimentorum assignatione et augmento factarum *in Lauretana Matrimonii super Alimentis die 21 Februarii 26 Iunii 14 Augusti 1824 et die 2 Maii 1835.*

78. Enimvero Ioannes Baptista Riccardi ac Theresia Bellini coram Parocho et duobus Testibus Matrimonium clandestinum horis vespertinis diei 4 Martii 1822 inierunt. Re ad Vicarium Generalem Lauretanum delata, sequenti die 15 iussit, ut Religiosam domum ingrederetur uterque: hinc Theresia ad Recinetense Puellarum Conservatorium, et Ioannes Baptista ad Auximanum Patrum Minorum Coenobium se contulit. Ioannis Baptistae ac eius Parentis nomine deinde preces oblatae fuerunt S. M. Pio VII die 26 Iunii 1822, qui mandavit, in Sacra Congregatione disputari dubium etiam super dispensatione, servata forma Benedictinae. Paulo post, nempe die 21 Iulii eiusdem anni Vicarius Generalis Lauretanus decrevit, - constare de validitate Matrimonii, quamvis illiciti, ob spretum denunciationum, aliarumque canonicarum sanctionum, de tempore et loco vetitis –; eosque declaravit satis passos, proindeque absolvit et absolutos fore decrevit.

79. Circumscriptionem huius sententiae petiit Familia Riccardi, Theresia vero alimenta a Viro postulavit. Omnium autem huiusmodi controversiarum notio fuit ad Sacram Congregationem ablegata. Processus nullitatis vel dispensationis Matrimonii iam conficiebatur; interea, instante Muliere, dubium super alimentis propositum fuit. Unde interim probare contendit, Uxori alimenta deberi a Viro quamdiu in statu validitatis matrimonium manet; imo, etiam lite pendente super illius validitate, eadem alimenta, neque denegari, neque retardari posse, unanimiter tradunt Doctores (3). Cumque haec alimenta a Muliere, iure actionis, peterentur (4), nihil intererat, utrum ipsa dotata esset, an non. Quae si semper in pretio habenda sunt, multo magis valebant in casu, quum Theresia paupertate laboraret, et Familia Riccardi dives esset et in opulentia versaretur.

80. Immo, si Vir ad alimenta praestanda sit impotens, cogendus etiam est Socer, – quum Pater non solum tenetur Filium alere, sed cetera Filiorum onera praestare, et Nurum agnoscere necesse habet (5). – Proposito hinc dubio: - An et in qua summa et a quo tempore sit locus subministrationi alimentorum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: - Affirmative, pro summa scutorum viginti quinque quolibet mense, a die motae litis - *in Lauretana Matrimonii super Alimentis die 21 Februarii 1824.*

81. Moras nectere coram Episcopali Curia Lauretana et iudicium ad impediendam praefati Rescripti executionem instituere tentavit Vincentius Riccardi, etiam nomine filii Ioannis Baptistae: sed, instante Theresia Bellini, die 2 Aprilis eiusdem anni 1824 decretum fuit, – ab Episcopali Curia esse procedendum ad promptam executionem Rescripti Sacrae Congregationis diei 21 Februarii –. Novi ineundi certami-

(1) Species causae huius prostat in Verb. *Alimenta*, §. II, n. 23 ad 28.

(2) Rot. in decis. 71, n. 29; in decis. 82, n. 16, coram Bichio; in decis. 893, n. 6, coram Dunozett.; in decis. 644, n. 5, coram Emerix.

(3) Rot. in decis. 124, n. 44, part. 8 Recent. et alibi passim.

(4) Surd. de Aliment. tit. 7, quaest. 42, n. 12.

(5) Ceu totidem verbis disserit Surd. de aliment. tit. 1, quaest. 38, n. 1.

nis veniam tunc imploravit Vincentius, eamque non aliter in causa alimentorum obtinuit, quam addita clausula – non retardata executione –: hinc ad R. P. D. Auditorem Sanctissimi confugit, qui eidem impertitus est licentiam de redeundo subministratis scutis centum, pro quibus relaxavit Mandatum –.

82. Decreto R. P. D. Auditoris Sanctissimi paruit Vincentius Riccardi: inde vero propugnavit, nulla deberi alimenta Theresiae, cui succensebat, quod alias Comitem Osualdum Corradori ad ineunda secum sponsalia illecebris adduxerit, et quam insimulabat, ad contrahendum clandestinum Matrimonium machinationibus impulisse Ioannem Baptistam filium suum, quem non sanae mentis adolescentem esse Medicorum et Chirurgi attestationibus evincere nitebatur: quem imo dementem et fatuum ab omnibus haberi, compluribus allatis Testibus ostendit, inter quos Parochus recensebatur, intra cuius Paraeciae fines idem Ioannes Baptista tunc Florentiae degebat. Non inficiabatur Vincentius, generatim alimenta deberi Mulieri, etiam pendente lite de Matrimonii validitate, ne illis carens litem deserere cogatur ac fame pereat; at negabat, hanc iuris et forensis praxis regulam opitulari Theresiae, quae instituti de matrimonii validitate vel dispensatione iudicii cursum remorabatur. Corporis enim inspectionem fieri non patiebatur, etsi iussu Sacrae Congregationis terminus ad illam explendam fuisset statutus, nisi Vir ipsi permitteret (1).

83. Animadvertendum in primis esse ait Vincentius, contra quem alimenta peterentur: nam Ioannes Baptista Riccardi filius familias erat, nihilque in bonis habebat; ideoque alimenta contra eius Patrem petebantur. De Socero quidem statutum est, ut Nurum legitimam agnoscere, ac proinde alere teneatur; at pro legitima Nuru haberi nequibat Mulier, quae cum Filio de validitate Matrimonii litigabat, proindeque hoc in themate Pater ad alimenta praestanda cogi non poterat (2). Addidit etiam, se Filii Matrimonio cum Theresia nunquam assensum praebuisse; imo semper dissensisse: hinc, etsi nulla contra rei veritatem esset de illius validitate controversia, iure actionis alimenta contra Filium, a Patre vero in subsidium tantum, officio Iudicis ac intra limites merae necessitatis peti possent (3).

84. Itaque opus erat, ut Theresia evinceret, se tanta premi egestate, ut vivere nequiret, nisi alimenta in subsidium Iudicis officio consequeretur (4). Negavit Vincentius, allatas de huiusmodi necessitate fuisse concludentes probationes, ac praeterea sui patrimonii tenuitatem exposuit, qua fiebat, ut, deductis oneribus et aeris alieni usuris, vix annuus reditus superesset scutorum 427, 98. Inde vero arguit, iniustam simul et excessivam fuisse taxationem alimentorum pro Theresia in scutis viginti quinque quolibet mense, ideoque in annuis scutis tercentum, qua fieret, ut scuta 127. 98 remanerent, quibus ipse Paterfamilias, annos numerans septuaginta quatuor, Uxor ac Filius Ioannes Baptista ad vitam sustendandam uterentur. Quamobrem non praesens tantum lis deserenda, sed omnino esset fame pereundum, ut commodam Theresia vitam duceret: conclusit proinde, neque statutam alimentorum quantitatem, neque ulla prorsus alimenta eidem Theresiae deberi.

85. Verum respondit Theresiae Defensor, in praesens de alimentis disputari, non de validitate Matrimonii, pro qua ceteroquin sententia prodiit Vicarii Generalis Lauretanae Curiae Episcopalis: ad controversiam vero tantummodo de Matrimonii validitate pertinere, quae, de assertis Theresiae illecebris ac machinationibus deque inconsulto excogitata Ioannis Baptistae dementia, proponebantur. Fassus quidem est, Theresiam olim sponsalia cum Comite Osualdo Corradori contraxisse; verum adeo abfuisse inquit, ut cum illecebris irretitum sibi sponsum quaesierit, quin imo Osualdum paulo post a sponsalibus resilire ultro promiserit, quamvis ipsum ad promissa implenda validissimis iuris remediis cogere potuisset. Negavit

(1) Siquidem ipsa tantummodo, ut in §. *Decreto* – ibi – promette, che quante volte dal suo Consorte *(qui tunc iam ab anno Florentiae vivebat)* gli verrà *verbalmente* detto, o che si assoggetti alla visita, o che esso non sarà dispiacente, se si sottomette a questa ispezione del suo corpo, si addatterà subito ai voleri dei Superiori –.

(2) Rot. in decis. 617, n. 1 et seqq. part. 4, tom. 3 Recent.

(3) Rot. in decis. 330, n. 15, part. 18, tom. 1 Recent.; in Salernitana Alimentorum super reiudicata 11 Maii 1753, §. 5, coram Bussio.

(4) Rot. in decis. 330, n. 18, part. 18, tom. 1 Recent.

autem, ullis machinationibus cum Ioanne Baptista usam esse Theresiam: de quibus cum nullae prorsus afferrentur probationes, tum quamlibet earum suspicionem exulare asseverabat, quia Ioanni Baptistae cum primum de Matrimonio contrahendo verba fecit, sponsalia cum Comite Osualdo Carradori inita et deinde resoluta sincere pandidit.

86. Dementiae vero fabulam, si de illa tunc esset disserendi locus, multis nominibus explodi sustinebat Theresiae Defensor. Homini enim a natura datum est, ut sapiat; ideoque inimica naturali eiusdem statui est insania, de qua proinde graves inconcussae et nulli omnino ambiguitati obnoxiae probationes sunt afferendae (1). Testes quidem complures induxit Vincentius, sed extraiudiciales, pendente lite, ad opportunitatem conquisitos, de propria credulitate, vel de audita ab aliis dependentes, aut leves et ineptas scientiae suae causas proponentes; qui varia ac etiam invicem pugnantia narrabant, qui ut plurimum conditione viles, fama non integri, atque idcirco gravissimis suspicionibus et exceptionibus erant obnoxii. Praeterea huiusmodi Testes ab aliis conflictabantur Testibus, de sana Ioannis Baptistae mente disertum dicentibus testimonium, quod summi esse momenti habendum et contrariorum Testium dictis anteferendum docet Rota (2).

87. Testibus de sana Ioannis Baptistae mente deponentibus adstipulabantur Acta Iudicii, coram Vicario Generali Lauretano expleti; ac praesertim responsiones interrogationibus iudicialibus ab eodem Ioanne Baptista datae, quae ipsum non sanitate mentis tantum, sed quamdam etiam ingenii vi pollere ostendebant: quo in Iudicio neque assertae dementiae commentum fuit propositum, neque Vicarius Generalis pro validitate Matrimonii suam tulisset sententiam, si Ioannes Baptista imbecillis ac fatuus omnibus esset habitus. Constabat denique in facto, Ioannem Baptistam optimis imbutum moribus et eximia pietate adolescentem, dum Laureti morabatur, ac eo praecise tempore, quo Matrimonium cum Theresia contraxit, pluries suscepta Poenitentiae Sacramenta, pluries etiam fuisse sacra Synaxi refectum: praesto igitur erat sanae mentis demonstratio, qua nulla firmior et luculentior proferri poterat (3).

88. Hinc Defensor ostendit, bono iure petendi alimenta Theresiam pollere ac paupertate premi: quorum alterum ex Episcopalis Lauretanae Curiae sententia profluit, alterum vero firmis probabatur monumentis. Paupertati socia cum Uxoris qualitas accederet, alimenta eidem Theresia debebantur, iuxta conditionem Familiae Riccardi, quam nobilissimam dixerunt ac opibus apprime florentem innuerunt, qui Vincentii iura in praeterita actione tuebantur. Quin obesset, alimenta peti non tam a Viro, quam a Viri Patre: ea vero a Socero deberi legitimae Nurui, non autem a Patre illius, cum quo Femina de Matrimonii validitate contendit. Nam Theresia, quae sententiam pro validitate sui Matrimonii iam obtinuit, legitima Nurus erat habenda (4). Feminae autem, non tam de validitate, quam de existentia Matrimonii litiganti, a Patre tunc iure denegantur alimenta, quando non apparet Uxor Filii sui, uti habebat a Vincentio allegata decisio (5) Rotae, quod ad Theresiam minime pertinere patebat.

89. Addidit quoque, inspectioni corporis minime Theresiam repugnare, sed illam rite recteque peragi velle; quod si repugnaret, non tamen alimentis esset privanda, antequam ipsam iniuria contradicere decerneretur. Peragendam vero esse inspectionem Theresia contendit, volente vel certe sciente ac non abnuente Viro suo Ioanne Baptista, praeeunte Decreto, quo eadem inspectio demandaretur, quodque omnibus interesse habentibus fuerit intimatum. Editum quidem fuit huiusmodi Decretum: at quando mense Maii mox elapsi interesse habentes erant citandi, Apparitor Laureti citationem obtulisse asseruit dominis Ioanni Baptistae Riccardi et Vincentio Riccardi *in persona;* apertissima id-

(1) Rot. in Ferrarien. Immissionis 12 Februarii 1791, §. 20, coram Acciaiuoli; et in Ravennaten. Beneficii 22 Iunii 1795, §. 6, coram eodem.

(2) In Ferrarien. Immissionis 27 Iunii 1784, §. 11, coram Soderino; et in citata Ravennaten. Beneficii 22 Iunii 1795, §. 8, coram Acciaiuoli.

(3) Rot. in Romana Testamenti 23 Iunii 1754, §. 7, coram Card. Molino; in Ferrarien. Immissionis 27 Iunii 1783, §. 7, coram Soderino; et in citata Ravennaten. Beneficii 22 Iunii 1795, §. 11, coram Acciaiuoli.

(4) Uti in themate monent Surd. de Aliment. quaest. 118, n. 8; Rot. in decis. 124, n. 6 et 15, part. 8 Recent.

(5) Nimirum 617, n. 3, part. 4, tom. 3 Recent.

circo erat huiusmodi relationis falsitas, cum Ioannes Baptista iam ab anno Lauretum deseruerit, ac Florentiae moraretur. Eodem vitio cetera infecta erant Acta; minime proinde constabat, Ioannem Baptistam peragendae inspectioni corporis Uxoris assensum suum accommodasse; patebat imo, ipso prorsus ignorante, omnia patrari in apertam iuris et praxis eversionem. Inde vero contigisse dixit, ut protestata sit Theresia de Viri assensu *verbaliter* obtinendo, cum Ioannem Baptistam Laureti adesse iudicialibus ex Actis erueretur; cumque post indicatas falsitates ac tam patentia molimina nequaquam fidendum esset consensui, quem praesens Ioannes Baptista non praestiterit, si forte ab ipso per literas praestitus exhiberetur.

90. Opulentum esse patrimonium Familiae Riccardi asseruit Theresiae Defensor; ac, prolatis censualis Codicis adnotationibus, evincere conatus est, quibus et Armenta et Debitorum nomina adiungenda monuit. Nihil autem fidendum dixit suspectissimae nuper interrogati Periti relationi, quam Vincentius exhibuit, et cui aeque suspectas de nuper contracto aere alieno syngraphas et veteres quasdam hypothecarias inscriptiones adiunxit. Perito enim succensebat, quia in statuendo fundorum valore erraverit: aes autem alienum ad fraudem faciendam simulatum esse dixit, et hypothecarias inscriptiones ad nomina iam extincta pertinere posse. Inde vero conclusit, inanem esse de alimentis iure actionis, vel potius in subsidium et Iudicis officio praestandis disputationem, cum tam uberes existerent patrimonii Riccardi reditus, ut mitissima esset alimentorum taxatio in annuis scutis tercentum pro Theresia, quam statuit praecedens Sacrae Congregationis resolutio, cui confirmationis robur in praesens adiici imploravit.

Hisce hinc inde perpensis, reproposito dubio, sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - In decretis, iuxta modum; nempe pro scutis decem quolibet mense - *in Lauretana Matrimonii super Alimentis die 26 Iunii 1824.*

91. Haerebat interea causa super dispensatione Matrimonii, abnuente hinc Theresia sui corporis inspectioni consentire, nisi prius venia a suo Viro obtenta, exinde vero Ioanne a Parentibus in occulto collocato. Interim uterque Ioannis Parens fato functus est, Pater nempe die 12 Augusti 1831 ac Mater die 24 Martii 1834: de Ioanne autem fama percrebuit, eum revera (ex moerore forsan amissae Uxoris ac libertatis) in amentiam incidisse. Quod ut cognosceretur, rogatus est Eminentissimus Cardinalis ab secretioribus Status consiliis, qui humanissimis literis monuit, Ioannem Baptistam Riccardi a die 6 Aprilis 1834 detrusum in Valetudinarium, quod curandis amentibus in Senarum Civitate erat constitutum.

92. Theresia autem plane videns, ex obitu Soceri et Socrus longe imminutas expensas Familiae Riccardi, institit, ut alimenta sibi in nimis tenui summa assignata augerentur ad scutata triginta quinque in singulos menses, quum ex una parte id necessarium esset decorae suae exhibitioni, ex altera hoc percommode ferre possent vires Familiae Riccardi, quam praedicabat sane locupletem, et constantem uno tantum Ioanne Viro suo. Itaque in ius vocato coram Eminentissimos Patres Administratore Patrimonii Riccardi, enixe postulavit, ut consonum suis votis Decretum prodere dignarentur.

93. Adversus hanc Theresiae instantiam perpendi posse videbatur, causam super quantitate alimentorum ipsi tribuendorum iam alias, ipsa contradicente, propositam et accurate cognitam fuisse in Comitiis diei 26 Iunii 1824, et, rebus omnibus diligenti iteratoque examine consideratis, statutum fuisse, non ultra decem argenteos in quolibet mense concedi eidem posse. Quae rationum momenta tunc impulerunt Eminentissimos Patres in hanc sententiam, eadem omnino in praesens concurrebant. Reditus enim non modo non aucti, sed potius imminuti dici poterant, quum non amplius ipse Vincentius Riccardi dominus, qui plurimum videbat in rebus suis, iisdem praeesset, sed alius opera Familiae negotia pertracterentur. Curator autem eamdem diligentiam ac Dominus pro certo non adhibebat in praediorum cultura ac in ceteris patrimonii negotiis rite expediendis: merces insuper erat rependenda; hinc reditus ab ea die procul dubio minores, expensae autem, sin minores, aequales saltem certe. Unde exulare debebat petitum augmentum. Siquidem sumptus, qui pro demortuis Ioannis Baptistae Parentibus insumebantur, exorbebat magna saltem ex parte necessitas opitulandi statui sane infelicissimo ipsius Ioannis Baptistae, pro quo

nulli parcendum pecuniae vi, ut minus incommode vitam transigeret, utque omnia artis remedia procurarentur ad illum in pristinam, si fieri poterat, valetudinem restituendum.

94. Porro, dum anno 1824 haec alimenta ad mensuram scutorum decem cohibita fuerunt, ratio habita fuit redituum Familiae Riccardi, quos constare annuis scutis 427. 98 demonstratum fuit. Iamvero, si ex hac summa demeres scuta centum viginti pro Theresia Bellini, et quod necessarium erat, ut gravissimae Ioannis Baptistae calamitati succurreretur, quisque plane intelligebat, parum aut nihil omnino superextare; ac si quid superesset, prudentis esse Administratoris hoc pro repentinis et extraordinariis sumptibus reservare.

95. Illud etiam denique perpendendum, Theresiam degere in Civitate Laureti, in qua tenuis sane impensa satis erat ad vitam commode sustendandam. Quapropter, quum Uxori alimenta aestimanda sint, iuxta vires patrimonii sui Mariti, quumque vires patrimonii Riccardi impares essent maiori oneri ferendo, atque Uxor aliunde haberet, quod ipsi satis erat, ac satis fuit per undecim annos, ad vitam traducendam, profecto eiusdem instantia reiicienda prorsus videbatur.

96. Contra haec tamen Theresia demonstrare studuit, petitum hoc alimentorum augmentum sibi denegari nullatenus posse. Nam imprimis ipsa Sacra Congregatio die 21 Februarii 1824 plane cognoverat, non minus quam scutata viginti quinque in singulos menses ei deberi. Quod si insequenti die 26 Iunii eiusdem anni ex hac summa scutata quindecim deduxit, id ea potissimum de causa statuit, quia sui Viri Parentes, et quidem devexa iam aetate, erant alendi. Quum autem, his vita functis, non levis momenti impensa iam cessaverat, planum esse dixit sibi tribuendam esse partem pecuniae, quae in illorum usu insumebatur; quia alimenta augeri debent, tum aucto in genere patrimonio, tum imminuta Familia, tum demum, quia Decreta omnia super alimentis intelligi debent lata cum clausula - Rebus in eodem statu manentibus, rebus non mutatis etc. -. Ex quo conclusit, quod cum Theresiae Vir non amplius esset Filiusfamilias, non amplius alimentarius, sed rei suae dominus, opulentoque potiretur patrimonio, cuius reditus in sui et Uxoris alimoniam tantum erogari deberent, clare patebat, alimenta isthaec in longe maiori summa esse constituenda, quam in superiori resolutione fuerant praefinita.

97. Statum hinc protulit patrimonii Riccardi, qui anno 1834 confectus fuit, post obitum Iuliae Matris Ioannis Baptistae. Ex eo porro patere inquit, praedia rustica in Census Codice aestimata fuisse scuta 9910, urbana bona in scutis 2931. 25, ac census aestimationem in Piceni Provincia triplo minorem esse iusto et reali bonorum pretio. Hinc, si iis adderentur nomina Debitorum, census, canones, et alia huiusmodi in scutis 2572. 28, totum Familiae Riccardi patrimonium ad scutata quadraginta millia evehendum esse contendit. Statum deinde exhibuit redituum, qui ad summam exurgebant scutorum mille et quingentum circiter in annos singulos. Ex quibus tenuem esse deduxit summam scutatorum triginta quinque in quolibet mense a Theresia petitam, quum hi reditus nonnisi inter ipsam et Virum essent dividendi erogandique in commodam decoramque amborum exhibitionem.

98. Tempus itaque, a quo hoc augmentum sumere debebat initium, repetendum esse contendit Defensor Theresiae a die 21 Martii 1834, qua Iulia Riccardi Nomis Mater Ioannis Baptistae diem obiit supremum. Quum enim Decreta Sacrae Congregationis actionem Theresiae, per rem iudicatam, constituerint ad alimenta consequenda, quum alimenta praeteriti temporis repeti possint, quando ea debentur iure actionis, tuto confidit, ipsius instantiam hac etiam in parte ab Eminentissimis Patribus probatum iri (1).

99. Ceterum, praeter facti circumstantiam (2), quae in determinanda alimentorum

(1) Ceu ad rem Surd. de Aliment. tit. 1, quaest. 32, n. 41; et quaest. 4, tit. 9, n. 7.

(2) Haec sane erat facti circumstantia, ut in §. *Perpendenda* - ibi - Dum Ioannis Baptistae Mater Iulia Nomis in sacra transiit gentis Ricardi, hoc prae ceteris conventum erat in tabulis nuptialibus: - Rimane stabilito e convenuto, che rimanendo Vedova la Signora Giulia Nomis senza Figli Maschi debba avere dall' eredità l'anno vedovile, e passato questo la somma annua di scudi cinquecento Romani, compresi in detta somma i frutti dotali -; dos autem constabat scutis quatuor millibus. Iamvero, si Vincentius Ricardi, Pater Ioannis Baptistae, Uxori, scilicet Socrui Theresiae, assignavit annua scutata quingenta, comprehensis fructibus dotalibus, pro alimentis ac decora ipsius Iuliae sustenta-

quantitate erat forsan aestimanda, perpendebatur, nuper Florentia missum fuisse prospectum quemdam seu statum activum et passivum, ut vocant, ex quo annui reditus et expensae scatebant Familiae Riccardi. Porro reditus constituebantur in scutis 1354. 77, et expensae in scutis 868. 29; hinc reditus soluti omni onere constabant scutatis 486, 48. Ab iis tamen demi debebant scuta 120, quae quotannis rependebantur Theresiae: quapropter reditus integros ex eodem prospectu patebat constare scutatis 366, quamvis super nonnullis, tam dati, quam accepti, partitis aliquid fortasse adnotatione dignum occurrere posse videretur, ex quo redituum augmentum argueretur.

100. His mature perpensis, proposito dubio: - I. An in qua summa et a quo tempore augeri debeant alimenta in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative pro summa scutorum vinginti quinque in singulos menses, a die obitus Iuliae Nomis - *in Lauretana Matrimonii super Alimentis die 2 Maii 1835.*

101. Itaque etiam sumptus iudiciales et extraiudiciales, pro obtinenda alimentorum assignatione facti rependi debent *in Lauretana Matrimonii super Expensis die 14 Augusti 1824* §. *Theresia.*

102. Compertum enim est, huiusmodi impensas non tam officio Iudicis, quam iure actionis deberi, atque ideo semper peti posse *in Lauretana Matrimonii super Expensis die 14 Augusti 1824* §. *Nec* (1).

103. Unde, etsi petitae non fuerint praeditae impensae in eodem iudicio, quo alimenta petita ac decreta fuerunt, possunt subinde de iure peti *in Lauretana Matrimonii super Expensis die 14 Augusti 1824* §. *Nec.*

104. Nihil sane est in iure notius, quam Victum in expensas Victori esse condemnandum *in Lauretana Matrimonii super Expensis die 14 Augusti 1824* §. *Theresia* (2).

105. Amplia, etiamsi Mulier eam alimentorum quantitatem, quam exoptabat, non obtinuerit; quum interim autem Vir penitus alimenta denegaret *in Lauretana Matrimonii super Expensis die 14 Augusti 1824* §. *Postremo.*

106. Enimvero, lite super validitate Matrimoni, inter praedictum Ioannem Baptistam Riccardi et Theresiam Bellini initi, in Sacra Congregatione pendente, institit Mulier coram R. P. D. Auditore Sanctissimi, ut ei aliquam decerneret summam pro alimentis et pro sumptibus litis a Viro et a Vincentio Riccardi eius Patre praestandam: obtinuitque die 17 Septembris 1822 causam et causas remitti - ad Sacram Congregationem Concilii, coram qua mandavit, Partes uti iuribus suis etiam super praetensis alimentis, et sumptibus litis -.

107. De alimentorum subministratione, ut supra relatum est, disputatum fuit in Comitiis diei 31 Ianuarii 1824 sub dubio: - An et in qua summa et a quo tempore sit locus subministrationi alimentorum in casu etc. -, Rescriptumque prodiit die insequentis mensis Februarii: - Affirmative, pro summa scutorum viginti quinque quolibet mense a die motae litis -. Instaurato autem certamine die 26 Iunii responsum fuit: - In decisis, iuxta modum; nempe pro scutis decem quolibet mense -.

108. Theresiae Bellini Defensor hinc reficiendos esse contendit pro summa subinde liquidanda sumptus omnes iudiciales et extraiudiciales, quos Theresia, sive penes Curiam Ecclesiasticam Laureti, sive coram R. P. D. Auditore Sanctissimi, sive in Sacra Congregatione, pro obtinenda alimentorum assignatione, subire coacta est. Namque Theresiam e iudicio victricem semper discessisse dixit; ac propterea impensas omnes eidem rependere oportere.

109. Fieri autem non posse autumavit, ut Eminentissimi Patres in summa pro alimentis assignata tot sumptus litis comprehendere voluerint. Quamvis enim Decreto R. P. D. Auditoris Sanctissimi Sacrae Congregationi commissa fuerit Causae cognitio, super alimentis et sumptibus litis; eousque tamen, iuxta propositum dubium actum non erat, nisi de praestatione alimentorum, quorum nomine impensae litis

tione, videndum erat, num, hoc posito, definitioni huius causae conferre quicquam posset disposito Textus in Lege *Quum alimenta* 22, tit. de aliment. et cib. legat. quae sic habet; - Quum alimenta per fideicommissum relicta sunt, non adiecta quantitate, ante omnia inspiciendum est, quae Defunctus fuerit solitus ei prestare -.

(1) Textus in L. *Mulier*, §. Si rem; ubi Gloss. in Verb. *Fortassis*, ff. de Legat. 3; et firmat. Ridolphin. in praxi iudic. part. 1, cap. 13, n. 606.

(2) L. *Properandum*, §. Si autem alterutrum, Cod. de Iudic.; L. *Eum, quem temere*, ff. eod. tit.; Rot. in decis. 1299, n. 1, coram Lancetta.

minime continentur. Quin Theresiae officere putavit, quod in alimentorum definitione condemnatio in expensas addita non fuerit, cum enim de sumptuum refectione actio in Sacra Congregatione non fuerit instituta, nil mirum, quod nulla de eisdem fieret mentio.

110. Postremo addidit, sumptus omnes esse reficiendos, nec rationem habendam, quod alimenta, in Comitiis diei 21 Februari in scutis viginti quinque decreta, die 26 Iunii ad scuta decem fuerint coercita; quoniam ex hac alimentorum imminutione minime sequebatur, Mulierem non plenam consecutam fuisse victoriam. Theresia enim alimentorum subministrationem in genere petiit, summamque constituendam Sacrae Congregationis prudentiae remisit. Quum vero Sacra Congregatio alimenta suppeditanda semel atque iterum decreverit, iure dici nequibat, Theresiam causa decidisse. Praeterea imminutionem illam tribuendam dixit Adversariorum culpae, qui, nihil omnino Mulieri deberi contendentes, nec statum patrimonii ediderunt, nec vadimonium servarunt; quae si initio litis praestitissent, Causa suo in exordio esset absoluta. Idcirco, proposito dubio: - An et quomodo sit locus refectioni expensarum iudicialium et extraiudicialium in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Affirmative, et esse locum refectioni expensarum iudicialium et extraiudicialium factarum in Causa super alimentis, et ad D. Secretarium pro taxatione, et ad mentem - *in Lauretana Matrimonii super Expensis die 14 Augusti 1824.*

111. Quin imo litis expensae eo etiam in casu refici debent, quo quis ad alimentorum augmentum consequendum egit ac obtinuit *in Lauretana Matrimonii super Alimentis die 2 Maii 1835.*

112. Amplia, etiamsi eam, quam petiit alimentorum quantitatem, non exinde obtinuerit, sed minorem *in Lauretana Matrimonii super Alimentis die 2 Maii 1835.*

113. Enimvero praefata Theresia Bellini, postquam anno 1824 alimenta in summa scutorum decem quolibet mense obtinuisset, anno 1835 enixe institit, ut alimenta sibi in nimis tenui summa assignata augerentur, ad scutata triginta quinque in singulos menses. Sacra Congregatio alimenta praedictae Theresiae assignavit, in summa scutorum viginti quinque in singulos menses. Interim autem Theresiae Defensor contendit, expensas integras ei repraesentandas esse: quia iudicium alimentorum esse privilegiatissimum, et quia, nisi eadem illi traderentur, post victoriam fame mori cogeretur, ob dictas litis expensas rependendas. Cui addi posse videbatur, iam alias ab Sacra Congregatione hac eadem in causa, post alimenta Theresiae decreta, demandatam fuisse expensarum omnium non minus iudicialium, quam extraiudicialium refectionem: hinc pro ea refectione in praesens etiam consequenda favorabilem Eminentissimorum Patrum sententiam sibi ominata est Theresia; ubi enim eadem causa, ibi eadem iuris dispositio militare debet, ex vulgato Iuristarum adagio.

114. Proposito idcirco dubio: - II. An et in qua summa sit locus refectioni expensarum in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Affirmative, et ad D. Secretarium pro liquidatione - *in Lauretana Matrimonii super Alimentis die 2 Maii 1835.*

ALMUTIA.

1. Insignia alia sunt maiora, alia minora *in Vigilien. Insignium die 4 Iunii 1768* §. *Animadverti.*

2. Almutia vero insigniis minoribus accensenda esse videtur *in Vigilien. Insignium die 4 Iunii 1768* §. *Animadverti.*

3. Receptum communiter hinc etiam esse videtur, ius hoc concedendi Almutiam, aliaque id generis insignia, speciatim reservatum esse Summo Pontifici *in Larinen. Praecedentiae di 21 Iulii 1742* §. *Quod autem.*

4. Id propterea Summo Pontifici, de cuius regalibus concessio est, videtur esse privative reservatum *in Vigilien. Insignium die 4 Iunii 1768* §. *Contendunt* (1).

5. Hinc nonnulli tenent, Episcopo ius non

(1) Gratian. discept. foren. cap. 145, n. 52; Pignatell. Consult. 60, n. 3, tom. 6; Scarfanton. ad Ceccoper. lib. 1, tit. 7, n. 1.

esse insignia concedendi Almutiae cum Caputio *in Vigilien. Insignium die 4 Iunii 1768* §. *Contendunt* (1).

6. Sentiunt proinde, ordinarias Episcopi facultates neque extendi ad concedenda minora Insignia *in Vigilien. Insignium die 4 Iunii 1768* §. *Animadverti.*

7. Episcopus enim ex ordinaria sua auctoritate non posse videtur honorifico habitus signo Beneficiatos simplices, Portionarios, aliosque Clericos decorare *in Larinen. Praecedentiae die 21 Iulii 1742* §. *Quod* (2).

8. Unde nemo usurpare valet ius deferendi Almutias et Mozzettas sine Indulto Apostolico *in Neritonen. Plurium die 7 Iunii 1760* §. *Altera* (3).

9. Quin obesse videantur nonnulla Sacrae Congregationis Rescripta, quae in medium afferri possunt, cum ea spectent Canonicos, non vero Capellanos, ad quos ius Ordinarii non protrahitur *in Vigilien. Insignium die 4 Iunii 1768* §. *Nec ad rem* (4).

10. Maximum autem intercedit discrimen inter Canonicos, et simplices Capellanos: hi enim habentur veluti Ministri Canonicorum, nec partem ullam habent in Capitulo *in Vigilien. Insignium die 4 Iunii 1768* §. *Nec ad rem* (5).

11. Atque idcirco S. Congregationis Decreta, quae decori consulunt Capituli, nullo modo trahi possunt ad Capellanos, sub eorum dispositione non comprehensos *in Vigilien. Insignium die 4 Iunii 1768* §. *Nec ad rem* (6).

12. Neque obstare videtur, quod insignia diversa sint ab iis, quibus Canonici ex Apostolica dispensatione utuntur *in Vigilien. Insignium die 4 Iunii 1768* §. *Nihil demum.*

13. Quaecumque enim ea sint, illorum concessio sustineri non potest, ex defectu ordinariae potestatis in Episcopo; et hac de causa habenda sunt, ac si concessa non fuissent in *Vigilien. Insignium die 4 Iunii 1768* §. *Nihil demum.*

14. Enimvero Mansionariis seu Hebdomadariis Cathedralis Ecclesiae Vigiliensis die 30 Februarii 1763 tributa fuit ab Episcopo facultas deferendi super-Cottam Almutiam laneam violacei coloris absque Caputio, ornatam in foraminibus et nodulis carbosino colore -. Occasione vero S. Visitationis die 24 Decembris 1765 idem Episcopus ordinaria auctoritate mandavit, ut deinceps Hebdomadarii praedicti uterentur Almutiis cum Caputio laneo vel serico coloris violacei vel rosae siccae, quorum foramina et noduli essent ornata serico coloris rosae siccae.

15. Non aequo animo id ferentes Canonici Collegiatarum Ecclesiarum S. Adonei ac SS. Matthaei et Nicolai, qui cum Canonicis Cathedralis unum componebant Capitulum, querelas detulerunt ad Sacram Congregationem. Episcopus, hac de re interrogatus, respondit, se tanti rem non aestimare, ut Promotor Fiscalis curam sibi sumeret tuendi concessionem.

16. Rationes tamen, quibus ad eam motus fuit, ita exposuit: - Mansionarii in hac Cathedrali Ordinem constituunt, qui, etsi iidem Mansionarii seu Hebdomadarii, quoad maiorem partem sint ad nutum amovibiles, perpetuus tamen est, et quoddam Collegium facit; quoad maiorem inquam partem, novem enim ex iis, diebus tantum Festis Ecclesiae inservientes et ad Laicorum praesentationem instituti, Beneficiati sunt perpetui. Cum igitur hic Ordo seu Collegium Mansionariorum sit perpetuum, nihil obstare vidi, quominus aliquo insigni donari posset. Mansionarii enim illustriorum huius Regni Ecclesiarum ex Indulto Apostolico, ut satis liquet, Rocchetto et Cappa Magna ornantur -. Deinde enumerans Ecclesias, quarum Mansionarii nonnulla ac diversa gestabant insignia, sic conclusit: - Cum tot Mansionariorum Collegia vel etiam, qui sunt ad nutum amovibiles, maioribus insigniis ornentur, et ista Sacra Congregatio in Mileten. 4 Decembris 1591, in Sorana 14 Aprilis 1725, in Terracinen. 5

(1) Barbos. in Summa decis. apostol. collect. n. 5; Corrad. in prax. benef. lib. 2, cap. 14, n. 1.

(2) Navarr. in Summa Bullar. comment. 85, n. 13; Barbos. in collectan. Bullar. verb. *Almutia*, pag. 30; et in verb. *Episcopus*, pag. 333; Pignatell. Consult. 59, n 13, tom. 6.

(3) Ut per Text. in L. 2, de vestibus holoberis et aureatis, lib. 11; firmat. Card. de Luc. de Praeeminent. disc. 8 n. 6; Pignatell. Consult. 59, n. 8 et 13, tom. 6; Rota post Ceccoper. tom. 3, decis. 35, n. 2 et seqq.

(4) Navarr. in Summ. Bullar. comment. 85, n. 13; Barbos. in Summa decis. apostol. collectan. 20, n. 6; et collectan. 302, n. 3; Pignatell. Consult. 59, n. 13, tom. 6.

(5) Gonzalez ad regul. 8 cancell. Gloss. 11, n. 12; Pignatell. Consult. canon. 54, n. 5, tom. 6; et Consult. 60, n. 5; Rot. in decis. 309, n. 4; in decis. 351, n. 2, part. 6 Recent.

(6) Rot. in decis. 34, n. 16, part. 11; in decis. 278, n. 12 et 13, part. 12; in decis. 121, n. 7, part. 13 Recent.

Iulii 1727, Episcopos iure ordinario minora insignia dare posse declaraverit, Mansionarios meae Ecclesiae Almutia et Caputio donavi, insigni ab illo, quo utuntur Collegiatae, longe diverso -.

17. Canonici vero, praemissa iuris dispositione, in facto observarunt, nihil ad rem facere, quod plurimi Mansionarii illustrium Ecclesiarum Regni Neapolis ex Indulto Apostolico donati essent usu Rocchetti et Cappae Magnae. In casu enim controversiam non esse contenderunt de Mansionariis, sed de Capellanis, qui simplices censebantur Clerici, Canonicorum servitio addicti, nullum Collegium constituentes; quique praeterea non ex Apostolico Indulto, sed ex Episcopi concessione insignia gestare praesumebant.

18. Nihil demum referre, quod praefata Insignia diversa essent ab iis, quibus Canonici, ex Apostolica dispensatione, utebantur. Asseruerunt enim, quaecumque ea essent, illorum concessionem sustineri non posse, ex defectu ordinariae potestatis in Episcopo; et hac de causa habenda esse, ac si concessa non fuissent.

19. Hinc primum ponderandum erat, num Almutia coloris violacei Insigniis minoribus esset accensenda; deinde, an praefatum Decretum Sacrae Congregationis diei 5 Iulii 1727, mentionem habens de Canonicis Ecclesiae Cathedralis nulla habentibus Insignia, pateretur, ut Episcopus Mansionariis etiam et Portionariis seu Capellanis posset concedere Insignia minora.

20. His itaque perpensis, proposito dubio: - An Indultum ab Episcopo Vigiliensi concessum Capellanis Ecclesiae Cathedralis deferendi Almutiam et Caputium sustineatur in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Dilata, et ad mentem - *in Vigilien. Insignium die 4 Iunii 1768* (1).

21. Unde Canonicis Cathedralis quidem, non vero Mansionariis seu Capellanis, Episcopus concedere potest usum Almutiae *in Castri Maris die 7 Iulii 1736* §. *Circa.*

22. Siquidem Sacra Congregatio in causa, cui titulus: *Dubium Insignium Canonicalium,* inter supplices Libellos relata sub diem 5 Iulii 1727, proposito dubio: - An et quae insignia iure suo ordinario Episcopus conferre possit Canonicis suae Cathedralis nulla habentibus insignia -, sequens dedit responsum: - Inhaerendo Decretis alias editis, et signanter in Mileten. 4 Decembris 1591, in Sorana 14 Aprilis 1725, et in Terracinen. 25 Ianuarii 1727, non posse Episcopum Canonicis conferre insignia Cappae, sed hanc concessionem esse Sedi Apostolicae reservatam; posse tamen iure suo ordinario praedictis Canonicis conferre minora quaedam Insignia, Amutiae videlicet, Caputii, et Zambardae - *in Vigilien. Insignium die 4 Iunii 1768* §. *Omittendum.*

23. Nam S. Gregorius Magnus haec scripsit (2) ad Ioannem Ravennatem Episcopum: - Illud autem, quod pro utendis a Clero vestro Mappulis scripsisti, a nostris est Clericis fortiter obviatum, dicentibus nulli hoc unquam alii cuilibet Ecclesiae concessum fuisse; nec Ravennates Clericos vel illic vel in Romana Civitate tale aliquid cum sua conscientia praesumpsisse, nec si tentatum esset ex furtiva usurpatione, sibi praeiudicium generari: sed, etiamsi in qualibet Ecclesia hoc praesumptum fuerit, asserunt emendandum, quod non concessione Romani Pontificis, sed sola subreptione praesumitur - *in Vigilien. Insignium die 4 Iunii 1768* §. *S. Gregorius.*

24. Praeterea idem Summus Pontifex ad Ioannem Episcopum Syracusanum haec habuit (3): - Pervenit ad nos, Diaconos Ecclesiae Catanensis calciatos compagis incedere praesumpsisse; quod quia nulli hactenus per totam Siciliam licuit, nisi solis tantummodo Diaconis Ecclesiae Messanensis, quibus olim a Praedecessoribus nostris non dubitatur esse concessum bene recolitis. Quia ergo tantae temeritatis ausus non est leviter attendendus, cum omni hoc Fraternitas vestra subtilitate requirat, et si ita, sicut ad nos pervenit, invenerit, utrum a se vel alicuius hoc auctoritate praesumpserit, nobis subtiliter innotescat, ut, cognita veritate, quid fieri debeat disponamus - *in Vigilien. Insignium die 4 Iunii 1768* §. *Et.*

25. Ex his inferunt Canonistae, facultatem concedendi usum Canonicalium Insignium unice

(1) Mens autem fuit, ut omnia referrentur Sanctissimo per D. Secretarium. Et, facta relatione, Sanctissimus auctoritate Apostolica id approbavit, ut in lib. 118 Decretorum pag. 209.

(2) Nimirum in lib. 3 Epist. ind. 11, Epist. 96, edit. Maur.

(3) In lib. 8, ind. 1, Epist. 27.

ac privative Supremae Sedis Apostolicae Auctoritati esse reservatum *in Vigilien. Insignium die 4 Iunii 1768* §. *Ex his.*

26. Atque hanc contendunt semper fuisse tum Rotae (1) opinionem, tum etiam sententiam SS. Rituum Congregationis, ut in Comen. 25 Ianuarii 1602, in Placentina 16 Ianuarii 1620, in Leodien. 20 Martii 1712, in Brugnaten. 28 Novembris 1735 *in Vigilien. Insignium die 4 Iunii 1768* §. *Ex his.*

27. Quin imo nonnulli etiam sentiunt, ordinarias Episcopi facultates neque extendi ad concedenda minora Insignia, et praesertim illa simplicis Mozzettae violacei coloris *in Vigilien. Insignium die 4 Iunii 1768* §. *Animadverti* (2).

28. Quod et S. Rota (3) decidit et Sacrorum Rituum Congregatio constituit, ut in Marsicen. 16 Iunii 1633, in Alexandrina 22 Iunii 1705, in Brugnaten. 28 Novembris 1735 *in Vigilien. Insignium die 4 Iunii 1768* §. *Animadverti.*

29. Hinc in una Hydruntina, cum Archiepiscopus Caputium nigrum, quo prius utebantur Canonici, mutasset in violaceum, resolutum fuit ab Sacrorum Rituum Congregatione, id non licuisse, neque licere, sine S. Sedis Indulto *in Vigilien. Insignium die 4 Iunii 1768* §. *Animadverti* (4).

30. Nec dissimilis fuit sententia S. Congregationis in Taurinen. 21 Iunii 1641, in Tarvisina 8 Februarii 1659, et in Neritonen. Plurium 12 Iulii 1760, in qua proposito dubio: – An liceat Dignitatibus deferre Mozzettas violaceas, et Portionariis suboscuras –, etsi Dignitates se tuerentur immemorabili consuetudine, Portionarii vero eas ex consensu Episcopi assumpsisse dicerent ante annos viginti quinque, nihilominus rescriptum fuit: – Negative in omnibus – *in Vigilien. Insignium die 4 Iunii 1768* §. *Nec.*

31. Quin obstitit, quod Cardinalis De Luca (5) et Scarfantonius (6) innuere viderentur, sufficere posse immemorabilem consuetudinem *in Neritonen. Plurium die 7 Iunii 1760* §. *Altera.*

32. Consensus vero Episcopi nihil prodest *in Neritonen. Plurium die 7 Iunii 1760* §. *Altera* (7).

33. In propatulo hinc est, quod licet Episcopus possit Canonicis suae Cathedralis minora quaedam Insignia, Almutiae videlicet Caputii et Zambardae, iure suo ordinario conferre, attamen eumdem minime posse hisce minoribus ceteroquin Insigniis Mansionarios Hebdomadarios vel alios Cathedralis Ecclesiae Beneficiatos condecorare *in Castri Maris die 7 Iulii 1736* §. *Circa.*

Item *in Vigilien. Insignium die 4 Iunii 1768* §. *Omittendum.*

34. Quemadmodum enim Sacra Congregatio expressis verbis statuit, posse Episcopum suo iure ordinario conferre minora Insignia, videlicet Almutiae Caputii et Zambardae, Canonicis suae Cathedralis nulla Insignia habentibus, ita satis aperte edixit, non posse Episcopum Mansionariis Beneficiatis seu Portionariis simplici officio pollentibus concedere usum minorum Insignium, nempe Almutiae *in Vigilien. Insignium die 4 Iunii 1768.*

35. Hinc simili proposito dubio, quod in praedicta Vigiliensi declaratum fuit, nimirum: – II. An servandum Indultum Episcopi tribuens dictis Portionariis Officium cantoratus obtinentibus et respective Archipresbiteris gestationem Almutiae in casu etc. –, S. Congregatio item responsum dedit: – Ad secundum, Ad mentem – *in Larinen. Praecedentiae die 11 Augusti 1742.*

36. Species quippe haec erat: Ex vetusto more utriusque Parochialis Ecclesiae S. Mariae in Silvis et S. Mercurii Terrae Capriolae consueverunt eorum Rectores, quos Archipresbiteros vocabant, Clericis omnibus Portionariis in sua quisque Ecclesia praeesse; iidem vero Clerici inter se, tam in choro, quam in aliis ecclesiasticis functionibus, iuxta ordinem temporis, alter alterum antecedere.

37. Sub annum 1728 eius temporis Episco-

(1) Praesertim in Thelesina Delationis Insignium 4 Iunii 1736, n. 2, coram Crescentio.
(2) Quos inter praecipue recensetur Navarr. quaest. forens. part. 1, quaest. 24.
(3) Nimirum in Isernien. Insignium 1 Iunii 1697, coram Pio; et in citata Thelesina, coram Crescentio.
(4) Id refert Ricciardell. in Lyc. Eccles. tom. 2, cap. 21, n. 22 et 23.
(5) In disc. 20, n. 7, de canon.
(6) In lib 1, tit. 7, n. 17 ad 19 ad Ceccoper.
(7) Scarfanton. ad Ceccoper. lib. 1, tit. 7, n. 20.

pus in Diaecesana Synodo Officium Cantoratus erexit in utraque Terrae Capriolae Ecclesiae; statuitque, ut illud primum Seniores ex cuiusvis Ecclesiae Portionariis obtinerent, deinceps vero quoties idem Officium vacare contigisset, ei, qui in Cantus Gregoriani peritia ceteros praecelleret, conferri deberet. Huiusmodi autem Cantores, tum potiori prae aliis omnibus Portionariis honore, tum quibuscumque Insigniis et iuribus, vel a sacris Canonibus, vel ex consuetudine, Cantoris Officio tributis, voluit cumulari.

38. Orta subinde controversia circa naturam seu facultatem erigendi huiusmodi Officium Cantoratus, Sacra Congregatio die 30 Augusti 1732 declaravit, non aliter quam uti simplex Officium ab Episcopo institui posse; quo vero Officio obtento, Dionisius de Nardellis contendit, priorem sibi post Archipresbiterum prae ceteris Portionariis licet senioribus honoris praerogativam deberi, ac praeterea ius sibi competere gestandi Almutiae Insigne, quo idem Episcopus, qui Cantoratus officium instituit, iam multo antea eos decoraverat. At universus praedictae Ecclesiae S. Mercurii Clerus eiusmodi Cantoris Nardelli conatibus obstitit.

39. Sacra Congregatio vero, etsi sustinendum esse Decretum Diaecesanae Synodi, deferens huiusmodi Cantori eiusque Successoribus primum locum post Archipresbiteros, tametsi non antiquioribus, declaraverit, quoad Indultum tamen gestationis Almutiae, responsum dedit, ad mentem *in Larinen. Praecedentiae die 21 Iulii et 11 Augusti 1742.*

40. Immo in terminis Sacra Congregatio edixit, quod sustineri non possit concessio Almutiae facta per Episcopum Presbiteris, inservientibus Choro Cathedralis, sub nomine Beneficiatorum *in Nicien. die 14 Martii 1744.*

41. Hinc eo vel magis Sacra Congregatio adprobavit revocationem Indulti gestandi Almutiam, per eumdem Episcopum, qui illud concesserat, factam *in Nicien. die 14 Martii 1744.*

42. Episcopus Niciensis enim indulserat quidem Presbiteris, inservientibus Choro Cathedralis, usum Almutiae; sed inde, audita Canonicorum Seniorum contradictione, concessionem revocavit; adeoque Canonici Iuniores contenderunt, respondendum esse satis provisum per Decretum Episcopi, ac inutilem hinc esse disputationem *in Nicien. die 29 Februarii 1744* §. *Decimo.*

43. Quare, proposito dubio: – X. An sustineatur concessio Almutiae facta ab Episcopo Presbiteris, inservientibus Choro Cathedralis, sub nomine Beneficiatorum, excluso Presbitero Vice-Curato in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative; et satis provisum per novissimum Episcopi Decretum – *in Nicien. die 14 Martii 1742.*

44. Ad haec ipsa etiam Sacrorum Rituum Congregatio in una Trivicana sub die 28 Aprilis 1730, Ponente Eminentissimo Domino Card. Pico, ad dubium in ea propositum: – An concessio Insignium, de quibus agitur (nimirum Almutiae et Rocchetti sine manica) facta ab Episcopo Trivicano RR. Presbiteris Venerabilium Ecclesiarum S. Ioannis Baptistae Canzi et S. Mariae de Fracta Castelli praetensarum Collegiatarum sustineatur –, respondit: – Negative – *in Larinen. Praecedentiae die 21 Iulii 1742* §. *Quod.*

45. Unde Sacra Congregatio quandoque Partes exquirentes, an vigore Indulti concessi ab Episcopo, uti possent Hebdomadarii Almutia ceterisque huiusmodi Insignibus, remisit ad Sacrorum Rituum Congregationem, dum interim alia dubia proposita declaravit *in Castri Maris die 7 Iulii 1736.*

46. Quandoquidem Dignitates et Canonici Cathedralis Ecclesiae Civitatis Castri Maris, cum sub annum 1727 usum Rocchetti una cum Cappis Magnis a S. M. Benedicto XIII impetrassent, ut cultum et decorem suae Ecclesiae eo magis promoverent, loco Presbiterorum et Hebdomadariorum, qui antea ad ipsorum nutum erant amovibiles, duodecim perpetua Beneficia sub eodem nomine Hebdomadariatuum, pluribus adiectis conditionibus, fundarunt: deindeque exponentes, se praedicta Beneficia fundasse, postularunt ab Episcopo, ut illorum fundationem sua auctoritate approbaret, nec non Hebdomadariis, tam praesentibus, quam futuris, aliquod Insigne, quo ab aliis Presbiteris simplicibus distingui possent, elargiretur.

47. Huic itaque petitioni annuens Episcopus, in Pastorali Visitatione anno 1732 peracta, praefatos Hebdomadarios in titulum Beneficiatorum erexit sub iisdem conditionibus et oneribus, in fundationis Instrumento expressis; praetereaque memoratis Hebdomadariis indul-

sit; - ut in choro et inter Missarum horarum Canonicarum divinarumque pariter et ceterorum et aliorum divinorum Officiorum celebrationem etiam extra eamdem Cathedralem in processionibus aliisque functionibus, cum dicto nostro Capitulo peragendis tantum, tam publicis, quam privatis quibuscumque anni temporibus et aliis quomodocumque ubicumque et quotiescumque opus fuerit, superpelliceum et Almutiam laneam cum vittis seu *fettuccie* violacei coloris, quo utitur Ecclesia cum pellibus cinericeis seu *bigie* hyemali; aestivis vero temporibus Almutiam sericam cum praedictis vittis eiusdem coloris gestare et deferre, illisque uti libere et licite possint et valeant, et quilibet ipsorum ex praedictis Hebdomadariis ordinariis, absque vero vittis quilibet ex supradictis supranumerariis possit et valeat-.

48. Inde vero adversus huiusmodi Beneficiatorum erectionem plura, nomine Canonicorum et Dignitatum, opposita fuerunt. At Sacra Congregatio, valida ac legitima declarata praedicta erectione Hebdomadariorum, nec non demandato, quod Hebdomadarii tenerentur inservire Ecclesiae et choro per mediarias, instar Canonicorum, proposito dubio: - III. An vigore Indulti concessi ab Episcopo uti possint asserti Hebdomadarii Almutia et Insignibus in casu etc.- responsum dedit: - Ad tertium, Ad Sacram Congregationem Rituum - *in Castri Maris die 7 Iulii 1736.*

49. At quando ius deferendi Almutiam concessum fuerit per Summum Pontificem, sustinendum esse edixit Sacra Congregatio, etiamsi per subreptionem et obreptionem obtentum ex adverso assereretur *in Amerina Indulti die 15 Decembris 1753.*

50. Enimvero Lunianum Oppidum erat non ignobile Amerinae Diaeceseos, et Caeli puritate, aedificiis, Populique frequentia, Clericorum numero, Regularium Monasteriis, Templorum elegantia, spectabile. In templo maiori et satis amplo Collegium habebat undecim Canonicorum et unius Dignitatis, quae Archipresbiteri titulo decorabatur. Ignota erat, ob vetustatem, Collegii huius fundatio et erectio; sed certissima erant eius monumenta iam inde a seculo XVI, comprobata quoque Visitationis Episcoporum, Decretis Sacrae Congregationis, actisque Datariae Apostolicae, quae eamdem Ecclesiam non Collegiatam dumtaxat, sed etiam Insignem renunciavit. Unum Oppidi et Ecclesiam decori deerat, ut Canonici Insigne aliquod haberent, quo ab aliis Ecclesiasticis distinguerentur.

51. Oblatis itaque precibus anno 1736 Optimo principi Clementi XII beneficium obtinuerunt, ut: - tam in Collegiata Ecclesia, quam extra etiam in Synodalibus Provincialibus Universalibus Generalibus Conciliis, etiam in praesentia S. Romanae Ecclesiae Cardinalium de Latere Legatorum, Archiepiscoporum, Episcoporum et Ordinarii etiam proprii, quibuscumque anni temporibus ac diebus quandocumque ubicumque et quotiescumque anni temporibus ac diebus quandocumque ubicumque et quotiescumque opus fuerit, Almutiam deferre et gestare, illaque uti libere et licite possint Auctoritate Apostolica -, adiecta etiam Clausula sublata Decretoque irritanti.

52. Sequenti anno cum Canonici Cathedralis Ecclesiae Amerinae eodem Insigni uterentur, nec pares esse vellent Canonicis Ecclesiae Luniani, oblatis eidem Optimo Principi precibus, in quibus narrarunt Indultum Canonicis Lunianensibus concessum, postularunt et obtinuerunt aliud Indultum deferendi Rocchettum cum Mozzetta violacea, ut hac ratione discrimen inter eos atque illos esset. Utrumque Indultum eousque plene observatum fuit. Inde vero primum post annos septem supra decem a Canonicis Ecclesiae Cathedralis Ameriae Indultum Canonicis Ecclesiae Luniani concessum revocatum est in dubium; contenderuntque, subreptionis atque obreptionis vitio infectum fuisse. Litis huius origo paulo altius erat repetenda.

53. Diuturna consuetudine dicebatur observatum, ut Parochi omnes Civitatis et Diaeceseos Ameriae primis Vesperis diei festi S. Firminae personaliter interesse et in Ecclesia Cathedrali Choro servire tenerentur. Soli Lunianenses Parrochi, quorum alter erat Archipresbiter Collegiatae, alter vero Canonicus, a nonnullis annis personaliter Ameriam venire renuerunt: cum Amerini Canonici urgerent, ut venirent, Lunianenses rem detulerunt ad Sacrorum Rituum Congregationem. Quaestio inter alias erat de modo et ordine sedendi in choro cum Almutia. Dum haec in Sacra illa Congregatione agebatur quaestio, Canonici Cathedralis questi sunt in Sacra Congregatione, Indultum Canonicis Lu-

nianensibus concessum fuisse subreptitium. Die igitur 13 mensis Ianuarii rescriptum fuit: - Supplicet Sanctissimo -. Preces obtulerunt Sacratissimo Principi, quibus rescriptum fuit: - Ad D. Secretarium Concilii, ut de re verbum faciat -; prodiitque post allocutionem Rescriptum: - Ex audientia Sanctissimi diei 17 Martii Episcopo pro informatione et voto, auditis etc.-. Datis igitur Episcopo Literis, hic in responso suo censuit: - Universum negocium a duabus pendere circumstantiis, quarum una in eo versatur, utrum vere agatur de Ecclesia Collegiata; altera, num Insignis existat, utrumque enim Summo Pontifici ad obtinendum Almutiae Indultum expositum fuisse -; addidit tamen: - in pluribus actis per Capitulum gestis Insignem nominatam fuisse -.

54. Disputarunt Vero Canonici Lunianenses, teneri Amerinos, qui dicebant Indultum subreptitium et obreptitium, rigidissime ostendere subreptionem et obreptionem, cum res sit de beneficio Principis, quod in eius sola et nuda voluntate consistit, cum agatur de gratia iam exequuta et per annos decem et septem observata, cum res denique esset de Indulto, in quo fundatum erat alterum Indultum iisdem Canonicis Cathedralis concessum deferendi Rocchettum cum Mozzetta violacea. Falli Episcopum, qui putabat, qualitatem Ecclesiae Collegiatae et Insignis in causa fuisse, ut concederetur Indultum deferendi Almutiam; qualitas enim illa erat enunciativa Summi Pontificis, non erat expositiva Canonicorum Lunianensium. Quod si de his quaerendum esset, in dubium revocari non posse *Collegialitatem* sexcentis monumentis comprobatam; neque de titulo *Insignis* ambigi posse, cum nulla in iure Pontificio norma tradita fuerit, qua hic titulus Collegiatis Ecclesiis tribui debeat: omnia vero conspirare, ut Collegiatae huic titulus hic tribui posset, Oppidi qualitas, aedificiorum nitor, Populi frequentia, pluralitas Monasteriorum, Templorum elegantia, vetustas templi maioris, qualitas Ecclesiae a tempore immemorabili Collegiatae, quae etiam omnia in causa fuerunt, ut eius Canonici nobiliori hoc Almutiae Insigni honestarentur.

55. Quod si etiam qualitas Collegiatae Insignis dici posset, duxisse Summum Pontificem ad Indultum concedendum, eaque non probaretur, nihil tamen inde effici posset ad Gratiae nullitatem arguendam, cum Almutia concedi soleat Canonicis Ecclesiarum, quae non sunt Collegiatae Insignes, ita ut falsa haec expressio Gratiam nequeat inficere; subreptionem igitur et obreptionem non probari, et ideo de vi et validitate Indulti ambigendum non esse. Capitulum Cathedralis nihil deducere curavit.

56. Proposito hinc dubio: - An constet de subreptione et obreptione Indulti, de quo agitur, in casu etc. -. Sacra Congregatio respondit: - Negative - *in Amerina Indulti die 15 Decembris 1753.*

57. Quum interim adsit indultum Apostolicum deferendi Almutiam, potest Episcopus determinare modum, quo ea gestari valeat *in Neritonen. Plurium die 7 Iunii 1760* §. *Altera.*

58. Nam arbitraria est Almutiae delatio super scapulam, vel super brachium sinistrum, cum praesertim trigenaria observantia concurrat *in Neritonen. Plurium die 7 Iunii 1760* §. *Altera* (1).

59. Siquidem Collegiata et simul receptiva Ecclesia Terrae Galatomae, quae dicata erat Beatae Mariae Virgini in Caelum Assumptae, praeter quatuor Dignitates in titulum conferri solitas, copiosum habebat numerum Presbiterorum absque titulo collativo inservientium, cum aequali emolumentorum participatione. Cum reditus facti essent impares omnium substentationi, concordi Participantium animo deliberatum est anno 1626, ut supplicaretur Episcopo pro statuendo certo Canonicorum numero, qui cum Dignitatibus praedictis Capitulum efformarent, ceteris exclusis. Supplicantium votis annuit Episcopus, qui suo Decreto captam deliberationem confirmavit. Almutiis quoque illos decoravit anno 1627 S. M. Urbanus VIII.

60. Improbarunt inde Portionarii, eas gestari a Canonicis super scapulam. At hoc rite fieri defenderunt Canonici, ex trigenaria observantia, Episcopo auctorante inducta; ac imo contenderunt, arbitrariam esse Almutiarum delationem super scapulam, vel super brachium sinistrum.

(1) Scarfanton. ad Ceccoper. lib. 1, tit. 7, n. 14 et 15; et concordat S. Carolus Borromaeus in Synod. 5 Provinc. Mediolan. tit. de Canon. et tit. quae ad divin. Off.

61. Proposito hinc dubio: - XV. An et quomodo a Canonicis sit deferenda Almutia in casu etc.-, S. Congregatio respondit: - Ad decimum quintum, Servetur Decretum Episcopi; et amplius - *in Neritonen. Plurium die 12 Iulii 1760.*

62. Sic vero urget obligatio deferendi Almutiam in choro et supplicationibus, ut alias amitti debeant distributiones *in Senogallien. die 13 Iunii 1789* §. *De distributionibus* (1).

Nam eam non deferentes, haberi nequeunt Mansionarii ac ceteri huiusmodi pro interessentibus, sed pro absentibus *in Senogallien. die 13 Iunii 1789* §. *De distributionibus.*

63. Iamvero in Collegiatam erexit Clemens XIV anno 1774 Parochialem Ecclesiam S. Petri Montis Martiani cum omnibus iuribus et privilegiis, quibus aliae insignes Collegiatae gaudere solent. Dignitatibus et Canonicis superpelliceum et pallium, Mansionariis Almutiam concessit. Canonici subinde contenderunt, Mansionarios deferre debere Almutiam, sub poena amissionis distributionum. Nisi enim Almutiam in choro et supplicationibus deferrent, pro interessentibus haberi non possent.

64. Proposito hinc dubio: - XVI. An Mansionarii non deferentes in Choro et Processionibus Almutiam, haberi debeant pro interessentibus, seu potius pro absentibus in casu etc.-, Sacra Congregatio respondit: - Ad decimum sextum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam - *in Senogallien. die 13 Iunii 1789.*

65. Insuper Sacra Congregatio edixit, ut praedicti Mansionarii sibi providere deberent Almutiam propriis sumptibus *in Senogallien. die 13 Iunii 1789.*

66. Canonici enim sustinuerunt, in eos refundi debere Almutiae sumptum, cum illorum stipendium a scutis viginti quatuor ad quadraginta auctum fuerit, ita ut commode sumptum illum ferre valerent *in Senogalien. die 13 Iunii 1788* §. *De distributionibus.*

67. Proposito hinc dubio: - XV. An et cuius sumptibus debeat provideri Almutia pro dictis Mansionariis in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Ad decimum quintum, Affirmative sumptibus Mansionariorum - *in Senogallien. die 13 Iunii 1789.*

ALTARE.

1. Libera videtur competere Parocho facultas erigendi Altare, dum Parvuli Nobilium praesertim Familiarum salutaribus tinguntur aquis *in Reatina Iurium Parochialium die 11 Iunii 1825* §. *Liberum.*

2. Huiusmodi enim pompam Sacri Canones non reprobant *in Reatina Iurium Parochialium die 11 Iunii 1825* §. *Liberam* (2).

3. Praesertim, si immemorabilis in Diaecesi consuetudo habeatur *in Reatina Iurium Parochialium die 11 Iunii 1825* §. *Liberam.*

4. Refertur quippe actus iste ad Baptismum; ac propterea sicuti Baptismi collatio, ita et Altaris erectio Parochis tribuenda esse videtur *in Reatina Iurium Parochialium die 11 Iunii 1825* §. *Liberam.*

5. Nam actus consecutivi a causis principalibus informantur *in Reatina Iurium Parochialium die 11 Iunii 1825* §. *Liberam* (3).

6. Hinc, si Episcopus saltem etiam indirecte liberam facultatem impedierit erigendi Altare; dum, respectu Vicarii perpetui in Ecclesia Cathedrali curam Animarum exercentis, erigi vetuit, nisi petita a Canonicis venia, ius Parochi laesisse videtur; ideoque ipsius Decretum esse infirmandum *in Reatina Iurium Parochialium die 11 Iunii 1825* §. *Liberam.*

7. Quum enim huiusmodi Vicarius iure peragendi functiones Parochiales in Ecclesia Cathedrali propter unionem Parochialitatis eidem adnexae polleat, merito erigere propriis expensis valet in ea Altare ob collationem Baptismi independenter a Canonicis, petita tamen venia ab Episcopo, quin interim Episcopus, illatis etiam poenis seu censuris, statuere possit, quod is veniam ab praedictis Canonicis petere debeat, quodque in casu dissensus eiusdem sibi ius absolute competat facultatem deputandi

(1) Card. De Luc. de Praeem. disc. 41, n. 9; et disc. 54, n. 3.
(2) S. Rituum Congregatio in Santantrien. Praeeminentiarum 13 Maii 1719 ad VII dubium.
(3) Bartol. in Leg. 1, ff. de Recept. Arbitr.; Surd. tom. 1, Cons. 105, n. 30; Piton. discept. eccles. 84, n. 35.

Virum ecclesiasticum pro collatione Baptismi, sed tantum ad formam Ritualis Romani *in Reatina Iurium Parochialium die 9 Iulii 1825.*

8. Iamvero, cum Cathedralis Ecclesia Reatina congruis ad Ministrorum sustentationem reditibus careret, cl. me. Cardinalis Columna Reatinus Episcopus seculo XV Canonicatus et Praebendas Collegiatae S. Eleuterii nec non Ecclesias SS. Trinitatis sine cura et Parochialem S. Ioannis in Fontibus Mensae Capitulari auctoritate ordinaria perpetuo univit et incorporavit. Unionem anno 1536, postulante Capitulo Reatino, confirmavit cl. me. Card. Grimani, Perusiae Umbriaeque de Latere Legatus, habita expressa mentione uniuscuiusque Ecclesiae unitae, ac praesertim S. Ioannis in Fontibus, *quae Parochialis existit;* et lege adiecta, – quod Ecclesiae dictae ob unionem huiusmodi debitis non fraudentur obsequiis, et in S. Ioannis animarum cura nullatenus negligatur, illorumque loca ad profanos usus non redigantur, sed eius congrue supportentur onera consueta –.

9. Praecipuum erat onus S. Ioannis cura animarum, quam ab anno 1530 usque ad annum 1573 exerceri sategit Capitulum Cathedralis Ecclesiae per Vicarium ad nutum amovibilem; donec Episcopus, amovibilitatem reprobans, statuit, ut Vicarium perpetuum deinceps Canonici eligerent, eique pro congrua solverent annua scuta quinquaginta. Latebat inter antiquitatis tenebras huiusmodi Decretum; illius tamen ad diem septimam Iulii 1573 meminit Capitularis Codex, in quo adnotatum legebatur, Episcopum iussisse, – quod Ecclesiae S. Ioannis in Fontibus, unitae olim mensae Capitulari, deputetur per Capitulum Vicarius perpetuus, qui debeat ibi retinere curam animarum, cum assignatione quinquaginta scutorum –.

10. Baptismum a tempore, cuius initii nulla extabat memoria, conferebat Vicarius perpetuus in Ecclesia S. Ioannis in Fontibus, in qua perantiquus aderat fons Baptismatis, qui unicus erat ac semper fuit pro tota Civitate eiusque Suburbiis. Maxima vero anni parte clausa manebat praefata Ecclesia S. Ioannis, in eoque Sacramentum SS. Eucharistiae maiori tantum Hebdomada asservabatur. Vicarius autem Parochialia munera temporibus anteactis implevit ac inde quoque implebat in Ecclesia Cathedrali, ubi Missam pro Populo diebus Festis celebrabat, explicabatque Evangelium, denunciabat Matrimonia, Parochianos reficiebat Sanctissima Eucharistia, eamque ad Infirmos deferendam sumebat. Ibidem sacramentales Confessiones audire consuevit in Exedra, cui titulus olim erat auratis Literis inscriptus: *Vicarius perpetuus*, quem deinde Canonici, quos obedientiarios dicebant, delendum curarunt.

11. Oborta, quoad Confessiones in Cathedrali excipiendas, controversia inter Canonicos et modernum Vicarium perpetuum Antoninum Fallerini, Reatinus Episcopus die 4 Martii 1822 in Sacra Visitatione, statuto, quod Vicarius Perpetuus pro tempore nullam facultatem haberet excipiendi Sacramentales utriusque sexus Christifidelium confessiones in Cathedrali, nisi petita venia a Canonicis obedientiariis pro tempore – decrevit pariter, ut in administratione Sacramenti Baptismatis, si quis optat erectionem Altaris in medio Ecclesiae S. Ioannis in Fontibus, ut saepe saepius accidit, veniam reportet a Canonicis obedientiariis pro tempore, toties quoties Altaris erectio petatur, sub poenis suspensionis in casu contraventionis: facultates autem sibi ac Successoribus suis reservat deputandi Virum ecclesiasticum pro administratione praedicti Sacramenti in casu sui dissensus, prout revera contra inveteratam consuetudinem consensum denegavit Canonicis eiusdem Ecclesiae Cathedralis, sine tamen praeiudicio iurium Parochialium in casu administrationis antedicti Sacramenti, per aliam Ecclesiasticam Personam, ut supra, deputandam –.

12. Provocavit Fallerinius ab hoc Episcopali Decreto, supplicemque Sacrae Congregationi obtulit libellum; quamobrem die 27 Aprilis 1822 requisitus de more fuit Episcopus, ac praesertim, ut referret de iuribus, Vicario perpetuo competentibus, consuetudine quoad praeteritum, ac vera necessitate novi Decreti, firmo interim remanente Decreto S. Visitationis. Diaecesanis curis distractus Episcopus cum responsum dare nimium differret, Parochiani, quorum cura spiritualis plurimum negligebatur, Summum Pontificem exorarunt, ut res in pristinum reducerentur usque ad exitum Causae. Sanctissimus autem die 7 Septembris eiusdem anni dignatus est imperare, ut – scribatur Episcopo, qui distincte ac solicite Sacram Congregationem reddat instructam, et interim salvis

quorumcumque iuribus, iussit suspendi Decretum S. Visitationis, de quo in precibus, ita ut Vicarius Fallerini liber sit in exercitio Curae Animarum, prout erat ante Decretum S. Visitationis, usque ad exitum Causae –. Paruit Episcopus, disertamque misit informationem.

13. Fallerinius unionem Ecclesiae S. Ioannis cum Cathedrali probavit; unde conclusit, Cathedralem Ecclesiam ob translata in eam iura Paraeciae S. Ioannis, Parochialem evasisse. Insuper Ecclesia S. Ioannis sita erat in atrio maioris Ecclesiae, nec aliunde, quam per ipsum ad eam patebat aditus; unicum habebat Altare, S. Ioanni Baptistae dicatum; angustis limitibus circumscribebatur, ac in media navi satis amplus extollebatur Fons Baptismalis; antiqua et interior in ea conspiciebatur ianua, inde muro obstructa, qua in Cathedrale dabatur accessus; carebat Sacrario et Campanis; fere semper erat clausa; Vicarius autem perpetuus in Cathedrali functiones omnes Parochiales peragebat, etiam ex Episcoporum iussionibus. Hinc liberam facultatem erigendi Altare habebat, utpote sibi spectabat ius privativum conferendi Baptismum; adeoque Episcopus non poterat, in casu dissensus Vicarii, reservare facultatem deputandi Virum Ecclesiasticum, pro collatione Baptismi.

14. Defensor Canonicorum probare contendit, Ecclesiam S. Ioannis a Cathedrali distinctam ac omnino separatam esse; Parochialitatem vero Ecclesiae S. Ioannis adhaerere; et ea si pars Cathedralis dici vellet, in hac functiones Parochiales nonnisi de licentia Canonicorum peragere debere; Fontem Baptismalem ad Capitulum pertinere, adeoque illud conferre ac Altare erigere Vicarium perpetuum non posse, nisi de licentia Canonicorum, ac Episcopum sibi merito ius facultatem reservavit deputandi Virum Ecclesiasticum in casu dissensus Vicarii, pro collatione Baptismi.

15. Sacra Congregatio vero, hisce hinc inde expensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo servandum sit Decretum Episcopi, quoad Confessiones audiendas in casu etc.

II. An idem Decretum sit servandum, quoad petendam veniam pro erigendo Altari, in collatione Baptismatis in casu etc.

III. An sustineatur reservata in Decreto facultas Episcopo Sacerdotem delegandi pro administratione Baptismi in casu etc. –, respondit: – Ad primum, Negative in omnibus. Ad secundum, Negative; et veniam erectionis Altaris sumptibus Vicarii faciendae petendam ab Ordinario. Ad tertium, Negative quoad formam Decreti; et Episcopus utatur iure suo, ad formam Ritualis Romani: et amplius in omnibus – *in Reatina Iurium Parochialium die 9 Iulii 1825.*

16. At erectio seu usus Altaris portatilis permissus est S. R. E. Cardinalibus in quacumque Diaecesi eodem modo ac Episcopis, ad praescriptum Constitutionis Bonifacii VIII incipien. *Quoniam Episcopi,* sine ulla Episcopi Diaecesani licentia *in Dubio die 18 Februarii 1623 lib. 12 Decretorum pag. 121.*

17. Huiusmodi enim privilegium sublatum eis non fuit Decreto Concilii Tridentini in Capit. unico sess. 22 de observandis et vitandis in celebratione Missae *in Dubio die 18 Februarii 1623 lib. 12 Decretorum pag. 121.*

18. Enimvero – Sacra Congregatio censuit, Cardinales non secus atque Episcopos, sine ulla Episcopi Diaecesani licentia, uti posse privilegio Altaris portatilis, ad praescriptum Constitutionis fel. mem. Bonifacii VIII, quae incipit: *Quoniam Episcopi;* nec privilegium sublatum fuisse eiusmodi Concilii Decreto unico sess. 22 de observandis et evitandis in celebratione Missae; proindeque Capellas et Oratoria ad illorum usum ubique locorum extructa minime comprehendi in prohibitione Congregationis iussu S. M. Pauli V iampridem edita, de non celebrando in privatis Oratoriis – *in Dubio die 18 Februarii 1623 lib. 12 Decretorum pag. 121.*

19. Episcopi vero erigere nequeunt Altare, sub praetextu privilegii in corpore iuris clausi, sive cuiuscumque alii, extra domum propriae habitationis in Domibus Laicis, etiam in prepria Diaecesi *in Neapolitana die 30 Maii 1699 lib. 49 Decretorum.*

20. Hinc multo minus erigere possunt Altare in aliena Diaecesi, etiamsi Diaecesani consensum haberent, ibique sacrosanctum Missae Sacrificium celebrare, vel celebrari facere *in Neapolitana die 30 Maii 1699 lib. 49 Decretorum.*

21. Nec etiam Episcopis et Regularibus licet celebrare vel celebrari facere, ipsis praesentibus, in Oratoriis, quibus ex Indulto Apostolico fruuntur Domus privatae, diebus in Indulto exceptis, vel alias prohibitis *in Nea-*

politana die 30 Maii 1699 lib. 49 Decretorum pag. 207.

22. Si proinde Regulares transgressores existant, contra eos procedi potest ad formam Concilii Tridentini; si vero Episcopi, moneri debeant ab Archiepiscopis, et si moniti non abstineant, certiorare debent Sacram Congregationem *in Neapolitana die 30 Maii 1699 lib. 49 Decretorum pag. 207.*

23. Propositis enim dubiis: - I. An liceat Episcopis in aliena Diaecesi erigere Altare, extra Domum propriae habitationis in Domibus laicis, ibique sacrosanctum Missae Sacrificium non ad propriam devotionem, sed pro ipsarum Domorum inhabitantium commodo celebrari facere per unum vel plures ex suis Capellanis, ipso Episcopo ad quamdam formam praesente etiam quoad Missam solemnem.

II. An ipsismet Episcopis liceat ad placitum et pro commodo Amicorum erigere Altare et celebrare in eorumdem Amicorum Domibus.

III. An in Oratoriis, quibus ex Indulto Apostolico fruuntur Domus privatae, liceat Regularibus celebrare diebus exceptis in Indulto seu prohibitis a Sacra Congregatione vel Synodali Constitutione Diaecesana, et an in hoc et in sequenti casu Missam ibi audientes satisfaciant praecepto Ecclesiae.

IV. An celebrata in praefatis Oratoriis unica Missa in Apostolico Indulto concessa, liceat Regularibus eadem die aliam Missam ibidem celebrare.

V. An Episcopis liceat in dictis Oratoriis privatis celebrare vel celebrari facere, ipsis praesentibus, pro commodo Dominorum fruentium ipsis Oratoriis, celebrata iam unica Missa concessa in Indulto, et an in diebus exceptis in Indulto vel prohibitis a Sacra Congregatione vel Constitutione Diaecesana, ut dictum est de Regularibus in tertio et quarto dubio.

VI. Quid iuris habeat Archiepiscopus (quatenus negative ad supradicta dubia) contra huiusmodi Transgressores -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum et secundum, Negative. Ad tertium, Negative pro diebus exceptis in Indulto. Ad quartum, Negative. Ad quintum, Negative prout in tertio et quarto. Ad sextum, quoad Regulares posse procedere, ad formam Sacri Concilii Tridentini; quo vero ad Episcopos, committendum Eminentissimo Archiepiscopo, ut eos moneat, et, si moniti non abstineant, certioret Sacram Congregationem - *in Neapolitana die 30 Maii 1699 lib. 49 Decretorum pag. 207* (1).

24. His tamen exceptis, privilegium Altaris portatilis competit Episcopis de iure communi *in Gnesnen. Februarii 1590 lib. 6 Decretorum pag. 111.*

25. Iamvero, proposito dubio: - III. Item, quum singuli Episcopi praedicti praesentes Senatores sint, conveniatque eis proinde saepissime foras pro publicis Regni negociis ipsius proficisci, nec interim Ecclesias, quae vel profanatae vel ab Haereticis occupatae non sint, pro celebrandis Missis, invenerint; inde supplicatur, indulgeri dictis Episcopis, ut quotiescumque in publicis negociis huiusmodi occupati fuerint, nec Ecclesias ad celebrandas commodas invenerint, in Altari portatili Missam celebrare vel celebrari facere possint -, S. Congregatio respondit: - Ad tertium, Id privilegium competere Episcopo de iure communi, cui a Concilio minime est derogatum - *in Gnesnen. Februarii 1590 lib. 6 Decretorum pag. 111.*

26. Erectio autem seu usus Altaris portatilis non est ad littora maris permittendus, absque SedisApostolicae Beneplacito; quia comprehenditur in Decreto Concilii Tridentini Cap. unico sess. 22 de observandis et vitandis in celebratione Missae *in Calaritana die 14 Novembris 1648 lib. 18 Decretorum pag. 543.*

27. Nec Bulla Cruciatae ad id suffragatur: unde sub prohibitione Decreti Pauli V et Literarum Sacrae Congregationis comprehenditur etiam Capella existens in Aula publici Palatii Civitatis, non vero Capella Carcerum publicorum; alias Episcopus procedere potest contra Transgressores etiam ad poenas censurarum *in Calaritana die 14 Novembris 1648 lib. 18 Decretorum pag. 543.*

28. Siquidem - cum modernus Archiepiscopus Calaritanus pro quiete suae conscientiae intendat removere pastorali charitate abusus, quoad Oratoria privata introductos, reverenter et instantissime petit declarationem infrascriptorum dubiorum: I. An sub prohibitione Decreti Pauli V super Oratoriis privatis et Literarum huius Sacrae Congregationis comprehendatur

(1) Resolutionem horum dubiorum subinde anno 1703 confirmavit Sacra Congregatio et Summus Pontifex probavit.

Capella existens in Aula publici Palatii Civitatis, itaut Magistratus teneatur a Sede Apostolica licentiam impetrare.

II. An sub eadem prohibitione comprehendatur Capella Carcerum publicorum, et petenda sit eadem licentia a Sede Apostolica vel sufficiat licentia Ordinarii, si huiusmodi Capella sit in loco decenti ornata?

III. An comprehendatur Altare portatile, quod defertur ad turres in littore maris existentes, ibique ex consuetudine celebrantur Missae, nulla dictae Sedis Apostolicae licentia obtenta?

IV. An privilegium Bullae Cruciatae pro huiusmodi Oratoriis et Altaribus ac Missarum celebratione in dicta Diaecesi possit suffragari?

V. An liceat Archiepiscopo contra Sacerdotes, tam Seculares, quam Regulares, in existentibus Capellis (sub Decreto dicti Concilii necnon Decreto Pauli V et Literarum S. Congregationis prohibitione comprehensis) celebrare volentes, post edictum Archiepiscopi publicatum seu intimatum, procedere, et quibus poenis illos punire? -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Comprehendi sub prohibitione Decreti supra Oratoriis editi die 10 Ianuarii 1615 (1). Ad secundum, Non comprehendi Capellam Carcerum publicorum. Ad tertium, Sub eodem Decreto comprehendi Altare portatile, et de necessitate requiri licentiam Sedis Apostolicae. Ad quartum, Privilegium Bullae Cruciatae suffragari non posse. Ad quintum, Licere Archiepiscopo contra Sacerdotes tam Seculares, quam Regulares, in eisdem Capellis celebrare volentes, post edictum Archiepiscopi publicatum, procedere etiam ad poenas censurarum - *in Calaritana die 14 Novembris 1648 lib. 18 Decretorum pag. 543* (2).

29. Compertum enim est, neque Regulares uti hodie posse Altari portatili, cum privilegium illis tributum ab Honorio III sublatum inde fuerit a Concilio Tridentino *in Toletana die 4 Iunii 1672.*

30. Proposito quippe dubio: - VIII. An licentiae seu privilegia concessa aliquibus Regularibus in Cap. *In his*, de privilegiis, et per aliquos Summos Pontifices aliis Regularibus communicata, utendi Altari portatili in eoque celebrandi absque Ordinariorum licentia in locis, in quibus degunt, revocata sint per Sacrum Concilium Tridentinum in Sess. 22 Cap. unico de observandis et vitandis in celebratione Missae -, Sacra Congregatio respondit: - Ad octavum, Affirmative - *in Toletana die 4 Iunii 1672* (3).

31. Ceterum, stante necessitate vel utilitate Fidelium, Altaris portatilis usus a Sede Apostolica permissus fuit cuidam Caraschi Priori Conventus S. Dominici in Indiis ad tempus, ob deficientiam Ecclesiarum et donec Ecclesiae aedificarentur *in Limana die 16 Ianuarii 1649 lib. 18 Decretorum pag. 568 a tergo.*

32. Siquidem - Sacra Congregatio censuit, Indultum Altaris portatilis esse Oratori concedendum ad tempus, donec Ecclesiae aedificentur, et quatenus concurrat necessitas, quodque celebratio Missae fiat in loco congruenti cum petra sacrata et cum necessariis paramentis pro decenti celebratione et cum facultate celebrandi post mediam horam ante lucem et per mediam horam post meridiem - *in Limana die 16 Ianuarii 1649 lib. 18 Decretorum pag. 568 a tergo.*

(1) Ne dubium quidem, quod olim Episcopi, *ex can.* 12 *de consecrat. dist.* 1, poterant concedere facultatem celebrandi in Oratoriis privatis; at Concilium Tridentinum facultatem hanc eisdem ademit, quemadmodum declaravit Sacra Congregatio Concilii per Literas iussu Pauli V editas, ut ad rem Benedictus XIV in cap. 6, lib. 3, de Sacrif. Missae - ibi - Tametsi Sacra Cardinalium Congregatio Concilii Tridentini Interpretum optimis innixis rationibus saepissime responderit, celebrandi licentias in privatis Oratoriis, nonnisi a Sede Apostolica esse concedendas etc. Illmi Patres etc. Sanctissimi Domini Nostri iussu signandum duxerunt, facultatem huiusmodi licentias dandi ipsius Concilii Decreto unicuique ademptam esse solique Beatissimo Romano Pontifici esse reservatam -.

(2) Monacell. in Formul. legal. pract. for. Eccles. tit. 13, n. 3 haec habet - ibi - Regulares autem in suis Granciis Oratoria haec privata habere, nec ibidem celebrare possunt, ut declaravit Sacra Congregatio die 1 Martii 1685. At non solum in Granciis non possunt Regulares quicumque sint uti privilegio Altaris portatilis vigore cap. His de privil., sed nullibi, quia hoc privilegium Concilium Tridentinum abstulit, ut declaravit S. Congregatio die 15 Decembris 1703.

(3) Siquidem Honorius III Fratribus Praedicatoribus et Minoribus privilegium utendi Altari portatili in praedicta Decretali concesserat, sed inde eidem privilegio derogavit nedum Concilium Tridentinum, sed etiam Clemens XI ex Decreto die 15 Decembris 1703 edito, quod referunt Ferrar. in Biblioth. Can. in Verb. *Oratorium*, et Girald. in Exposit. Iur. Pontif. tom. 3, pag. 906, nec non Synodus Roman. sub Benedicto XIII anno 1725, atque Benedict. XIV in Constit. incipien. *Magno* die 1 Iunii 1751.

33. Ac usus Altaris portatilis concessus fuit ad decennium in Diaecesi Smoloscensi, pro sex Sacerdotibus Diaecesanis ab Episcopo deputandis, attenta necessitate Populorum et carentia Ecclesiarum *in Smoloscen. die 7 Iulii 1646 lib. 18 Decretorum pag. 142 a tergo.*

34. Nam Sacra Congregatio expressis verbis respondit: – Concedendam esse facultatem Episcopo Smoloscensi indulgendi ad decennium usum Altaris portatilis sex ex suis Sacerdotibus Diaecesanis, necessitate supposita existente et servatis aliis adnotatis pro decenti celebratione necessariis – *in Smoloscen. die 7 Iulii 1646 lib. 18 Decretorum pag. 142 a tergo.*

35. Hinc usus Altarium portatilium etiam Episcopis Graecis, cum Ecclesia Catholica communionem habentibus, est permittendus *in Syracusana Consecrationis die 26 Novembris 1689 lib. 39 Decretorum pag. 374.*

36. Quum Indultum autem Altaris privilegiati publicae concedi soleat Ecclesiae, nisi prius de legitimis manifesto constet causis, id minime Oratoriis privatis tribuitur; si praesertim translatio etiam Missarum cum Capituli seu Rectoris Ecclesiae contradictione peragi debeat, atque pendeat ex transactione inter Patronos ad litem perimendam inita *in Ariminen. die 21 Iunii 1794* (1).

37. Siquidem legavit anno 1778 Antonius Freducci in fundum laicalis Capellaniae praedium in vocabulo *il fondo dei molini,* aliudque *il campo della pieve,* cum in eo existenti pecore; imposuitque Capellano onus hebdomadalium Missarum quatuor ad privilegiatum Altare S. Michaelis Archangeli insignis Collegiatae S. Angeli in Vado, atque interessendi diebus Festis choro et supplicationibus. Post institutam de consensu Capituli huiusmodi Capellaniam eiusque adimpleta onera, egit anno 1786 Comes Antonius Baldini pro immissione ad praedia legata ex antiquissimo fideicommisso Vincentii Massa anni 1655, et contrariam passus sententiam A. C., ad Sacram provocavit Rotam. Litis vero progressum intercepit transactio anni 1790, per quam Fratres de Bernardis, Capellaniae patroni, cesserunt Comiti praedia tamquam fideicommissaria, alteraque ex parte solvit Comes pretium pecoris in scutis quinquaginta, seque obligavit ad solvenda cedentibus alia scuta quingenta intra biennium, et ad celebrationem hebdomadalium Missarum ad privilegiatum aliquod Altare, in suffragium Defunctorum Freducci.

38. Sanctissimo deinde Comes ipse eiusque Fratres supplicarunt, pro facultate celebrandi Missas in privatis suis Oratoriis, proinde ac si celebrarentur ad Altare privilegiatum; et Sanctissimus, auditis super expositis relatione et voto R. P. Episcopi Ariminensis, remisit preces una cum huiusmodi relatione et voto ad S. Congregationem Concilii. Retulerat namque Episcopus de contradicta per Capitulum translatione Missarum, et de ratione contradictionis in id restricta, quod ab anno 1778 Legatum capitulariter acceptaverat, divinus cultus ob praedictam translationem imminueretur, quodque praesertim Possessor Legati Choro diebus festis ac processionibus interesse deberet. Suasus tamen, de fideicommissaria dictorum praediorum qualitate, ac per consequens de nullitate fundationis Capellaniae, initaeque transactionis aequitate, suum votum aperuerat, pro concessione Altaris privilegiati, in privatis Baldiniorum Oratoriis (2).

39. Quum facultas autem celebrandi Missas in privatis Baldiniorum Oratoriis, et indultum Altaris privilegiati penderet a transactione, haec etiam idcirco revocata fuit ad examen. Ea namque approbata, aequum erat, ut servaretur lex, quam sibi Baldinius imposuit veluti gratuitus sponsor, celebrandi scilicet Missas in qualibet Ecclesia vel Oratorio; nec absur-

(1) Clemens XIII omnibus Ecclesiis Parochialibus Orbis Christiani die 19 Maii 1759 absque ullo onere Missarum concessit Altare privilegiatum ad septennium in perpetuum, quatenus Episcopus quilibet pro sua respectiva Diaecesi de huiusmodi gratia supplicet; expleto vero septennio confirmationem eiusdem ad aliud septennium petere debeat.

(2) In haec sane verba aperuerat suum votum Episcopus, ut in §. *Sanctissimo* – ibi – Avendo il Baldini assunto spontaneamente e per tratto di gratitudine il peso delle Messe colla sola condizione di farle celebrare ad un Altare privilegiato, senza obbligo di luogo, di Chiesa, di Coro, e di Processioni, non deve alterarsi quella legge, che Egli si è imposta, e che come gratuito sponsore poteva imporsi; e in conseguenza resta in sua libertà il fare celebrare le Messe in qualunque Chiesa ed Oratorio gli piaccia, purchè siano celebrate in un Altare privilegiato. Nel qual caso si fa inoltre luogo alla sovrana condiscendenza di nostro Signore per la concessione del privilegio (Altaris privilegiati), che gli Oratori implorano –.

dum videbatur indultum Altaris privilegiati in maius Defuncti Freducci suffragium, quum potestas dubio procul sit Summo Pontifici decorandi eo privilegio privata etiam Oratoria, et ob gratuitam Baldinii sponsionem esse posset locus ad concessionem dicti privilegii, ut observabat Episcopus. Quatenus vero Eminentissimi Patres reprobandam censerent transactionem, nulla erat ratio, cur celebrari non deberent Missae in Ecclesia designata a Fundatore Capellaniae (1); ac nulla ratio, cur dissentiente praesertim Capitulo Collegiatae, interesse Capellanus non deberet Choro et supplicationibus, ut idem praescripsit Fundator. Atque hinc, cessante causa celebrationis Missarum in Oratoriis Baldini, nec concedendum erat indultum Altaris privilegiati, quod publicae ceteroquin concedi solet Ecclesiae (2).

40. His ac rationibus, quae transactionem respiciebant, expensis, propositis dubiis: - I. An sit approbanda transactio in casu etc.

II. An Missae, de quibus agitur, celebrari valeant in privatis Oratoriis in casu etc.

III. An sit consulendum Sanctissimo pro Indulto Altaris privilegiati in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Dilata, et scribatur Episcopo pro informatione super meritis Causae et bono iure utriusque Partis - *in Ariminen. die 21 Iunii 1794* (3).

41. Altaria vero construi nequeunt, super tumulis Defunctorum *in Leopolien. die 30 Iulii 1763* §. *Agitur* (4).

42. Hinc facultas inest Episcopo hoc in casu ea demoliendi *in Leopolien. die 30 Iulii 1763* §. *Agitur*.

Item *in Leopolien. die 27 Augusti 1763 et die 9 Februarii 1765.*

43. Immo etiam alia decori Ecclesiae officientia demolire, atque scamna et scrinia removere potest Episcopus *in Leopolien. die 30 Iulii 1763* §. *Agitur*.

Item *in Leopolien. die 27 Augusti 1763 et die 9 Februarii 1765.*

44. Episcopus enim, uti Sponsus Ecclesiae Cathedralis, plenam habet illius administrationem, et curare debet illius decorem *in Leopolien. die 30 Iulii 1763* §. *Agitur* (5).

45. Nec obex oriri videtur, ex Missarum fundationibus iurispatronatus Laicorum, quae sunt in Altaribus demoliendis, quoniam a iurepatronatus Capellaniarum inferri non licet ad iuspatronatus Capellarum *in Leopolien. die 30 Iulii 1763* §. *Agitur* (6).

46. Aliud enim est iuspatronatus Ecclesiae, et aliud iuspatronatus Capellaniae in Ecclesia *in Cusentina Capellae die 19 Novembris 1729* §. *Confraternitas* (7).

47. Idcirco, etsi Communitas Terrae Rendarum esset in quasi possessione praesentandi Capellanum, proposito dubio: - I. An constet de iurepatronatus Ecclesiae sub titulo S. Sebastiani positae extra muros Terrae Rendarum favore Communitatis eiusdem Terrae -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Ad primum, Negative - *in Cusentina Capellae die 5 Decembris 1729.*

48. Unde Capellae semper praesumuntur liberae, et de dominio illius Ecclesiae, intra cuius ambitum, reperiuntur aedificatae *in Leopolien. die 30 Iulii 1763* §. *Agitur* (8).

49. Nam ad acquirendum iuspatronatus tria requisita concurrere necessario debent, nimirum erectio dos et aedificatio *in Tiburtina Iurispatronatus die 14 Martii 1778* §. *Contendit* (9).

50. Atque horum trium requisitorum concursus copulativus requiritur, itaut, si alter eorum deficiat, actum sit de iurispatronatus

(1) Iuxta Pac. Iordan. tom. I variar. resolut. leg. 4, tract. 1, de Sacrif. Miss. n. 540; Ricc. in prax. part. 4, resolut. 68; Card. De Luc. de testam. disc. 72, n. 13.

(2) Fagnan. in lib. 3 Decret. cap. *Quidam*, de celebrat. Miss. n. 24.

(3) Cetera Vid. in Verb. *Missa.*

(4) Can. *Praecipiendum*, Caus. 13, quaest. 2; Pignatell. consult. canon. 32, n. 1 et 2, tom. 4; Monacell. formul. legal. tom. 3, tit. 3, formul. 6, n. 10.

(5) Card. De Luc. in adnot. ad Concil. Trident. disc. 17, n. 1.

(6) Rot. in decis. 115, n. 13, coram Crispo.

(7) Rot. in decis. 1783, n. 6, coram Coccin.

(8) Rot. in decis. 1037, n. 1, coram Molines.

(9) Can. *Apostolos*, caus. 12, quaest. 2; Lotter. de Re Benef. lib. 1, quaest. 31, n. 22; Piton. Allegat. 49, n. 22; Vivian. de iurepatronat. lib. 2, cap. 5, n. 1.

acquisitione *in Tiburtina Iurispatronatus die 14 Martii 1778* §. *Contendit* (1).

51. Si propterea constructio Altaris absoluta fuerit pecuniis laboribus et largitionibus Fidelium, qui cum plures ad illius constructionem subventiones et pecunias contulerint, nulli iuspatronatus quaesitum fuit, et Altare liberum est *in Tiburtina Iurispatronatus die 14 Martii 1778* §. *Porro*.

52. In hisce enim terminis omnes, qui contribuerunt, non in Patronorum, sed Benefactorum numero, censendi sunt *in Tiburtina Iurispatronatus die 14 Martii 1778* §. *Addit* (2).

53. Quin ideo obstet, quod in Sacrario Ecclesiae inscriptio exposita reperiatur, his verbis concepta: – D. O. M. Sinibaldus de Nicolais Archipresbiter propriis sumptibus anno 1751 –; quia ea referri commodissime potest ad assiduam eius vigilantiam ac etiam ad contributionem alicuius pecuniarum summae in actu, tum restaurationis Ecclesiae, tum Altaris aedificationis, non autem quod omnis erogata pecunia fuisset Archipresbiteri Nicolai, quoties docetur, Populum et Sodalitia contribuisse *in Tiburtina Iurispatronatus die 14 Martii 1778* §. *Addit*.

54. Itaque hoc in casu neque ad Communitatem, cuius est Ecclesia, iuspatronatus Altaris pertinet, etsi alias illud pertinere deberet (3), sed liberum ipsius Ecclesiae censetur *in Tiburtina Iurispatronatus die 4 Aprilis 1778*.

55. Siquidem Sacerdos Benedictus Nicolai ex Oppido Scarpae Tiburtinae Diaecesis supplicem porrexit libellum Summo Pontifici, narrans, Sacerdotem Sinibaldum Nicolai eius Patruum, tunc cum esset Archipresbiter Archipresbiteralis Ecclesiae dicti Oppidi, in peracta illius restauratione novum e fundamentis construxisse Altare Divo Augustino dicatum, animo acquirendi Patronatum pro sua Domo et Familia, eumdemque Sinibaldum morte praeventum devenire nequivisse ad ullam ipsius Altaris dotationem; ideoque postulavit, ut ex speciali gratia declareretur, dictum Altare seu Capellam esse de iurepatronatus Domus Nicolai, promptum sese eiusque Heredes exhibens Benedictus Orator, ad saepedictae Capellae et utensilium manutentionem.

56. Ad Sacram Congregationem ablegatis precibus, auditus de more fuit Tiburtinus Antistes, qui sensum suum aperuit contra petita per Oratorem, censuitque eidem concedi posse dumtaxat – Ius honorificum, cultum nimirum praestandi circa Altare, illudque providendi ad praescriptum Episcopi pro tempore, praemissa desuper formali obligatione in actis Curiae Episcopalis, absque tamen ulla laesione vel praeiudicio Iurium Parochialium –, et cum aliis ordinationibus relatis in eiusdem informatione.

57. Communitas vero sustinuit, nullum in casu acquisitum fuisse Patronatum super Altari, favore Familiae Nicolai; quia deficiebat illius erectio facta Ordinarii auctoritate, deficiebat item dotatio, quam expletam non fuisse fatebatur idem Orator in suis precibus. Constructionem autem dicti Altaris, probabat Communitas, absolutam fuisse pecuniis laboribus et largitionibus Fidelium, qui cum plures ad illius constructionem subventiones et pecunias contulerint, nulli Iuspatronatus quaesitum fuit, et Altare liberum erat; ideoque illud pertinere deberet ad Communitatem, cuius erat Ecclesia; quin ullatenus obstaret inscriptio supradicta in Sacrario Ecclesiae apposita.

58. Ceterum proposito dubio: – An et cui pertineat Altare sub invocatione SS. Augustini et Monacae erectum in Ecclesia Parochiali Terrae Scarpae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative, quoad utrumque; et Altare esse liberum Ecclesiae Parochialis: et amplius – *in Tiburtina Iurispatronatus die 4 Aprilis 1778*.

59. Secluso proinde iurepatronatus in Altaribus demoliendis, nulla habenda est ratio usus longaevi, et Antecessorum Episcoporum tolerantiae; quia consuetudo officiens decori Ecclesiae, debet auctoritate pubblica corrigi aut aboleri *in Leopolien. die 30 Iulii 1763* §. *Agitur*.

60. Hinc Altaria, arbitrio Episcopi demolita ac suppressa, non sunt in pristinum reducenda

(1) Piton. de Controv. Patron. Allegat. 54, n. 24; Pignatell. Consult. 82, n. 15, 82 et seqq.; Reclus. de re Paroch. quest. 1, tit. 8, n. 40.

(2) Pignatell. Consult. 204, n. 5; Card. De Luc. de Iurisdic. disc. 42, n. 3; et de Iurepatron. disc. 12 in fin.; et de Paroch. disc. 32, n. 5; Card. Petra ad Constit. I Anastas. IV, sect. 2, n. 35.

(3) Pignatell. Consult. 204, n. 5, tom. 4; Card. De Luc. de Iurisdict. disc. 42, n. 3; et constans est Sacrae Rotae sententia, ut, aliis omissis habetur in decis. 1238, n. 7, tom. 5, coram Molin.

in Leopolien. die 27 Augusti 1763 et die 9 Februarii 1765.

61. Ex eius propterea arbitrio transferri potest imago Deiparae Virginis, ab eadem Capella demolita, ad unum ex Altaribus Ecclesiae Cathedralis *in Leopolien. die 27 Augusti 1763 et die 9 Februarii 1765.*

62. Nec non eius arbitrio sunt transferendae obligationes et respective fundationes ab iisdem demolitis Altaribus *in Leopolien. die 30 Iulii 1763* §. *Agitur.*

Item *in Leopolien. die 27 Augusti 1763 et die 9 Februarii 1765.*

63. Hinc non modo licet Episcopo in Ecclesia Cathedrali, eiusque ambitu supprimere Altaria, sed etiam transferre fundationes, missas, aliasque sacras functiones, iisdem Altaribus addictas et respective celebrari solitas *in Leopolien. die 27 Augusti 1763 et die 9 Februarii 1765.*

64. Verum, quoad obligationes et fundationes iurispatronatus, id cum consensu Patronorum peragere debet *in Leopolien. die 9 Februarii 1765.*

65. Insuper in Altaribus destruendis ac transferendis necessaria requiritur causa *in Leopolien. die 19 Ianuarii 1765* §. *De Ecclesiis* (1).

66. Hac vero concurrente, licet Episcopo Altaria demolire, ac alibi fundationes, de consensu Patronorum, transferre *in Leopolien. die 9 Februarii 1765.*

67. Siquidem, ut primum ad Ecclesiam Leopoliensem evectus fuit modernus vigilantissimus Archiepiscopus, pro suo, quo pollebat, zelo, de quo testimonium perhibebat Serenissimus Poloniae Rex et Reverendissimus Regni Primas ac Reverendissimus P. D. Patriarcha Hierosolymitanus illius Ecclesiae Canonicus, deliberavit formam et decorem restituere Ecclesiae Cathedrali, removendo ea, quae illam deturpabant; obsistente tamen Magistratu Civitatis, controversia delata est ad Sacram Congregationem.

68. Praeter Capellam, quam vocabant Domagalicianam, plura Altaria Ecclesiam deformabant: at duo prae ceteris erant Altaria, in Choro Presbiterii sita, rudioris structurae et nullum decorem Ecclesiae reddentia, quorum unum Sedi Archiepiscopali ita imminebat, ut nec Populus eam intueri posset, nec functiones Pontificales commode fieri valerent; alterum vero ex opposito assurgens functionibus Praelatorum et Canonicorum impedimento erat: utrumque hinc demoliri iussit Archiepiscopus, ut latiorem sterneret situm, Sacris peragendis Functionibus opportunum, et suam Cathedram conspicuam redderet (2). Tot praeterea Altaribus, et Arulis, Scamnis, et Scriniis repleta erat Ecclesia Cathedralis, ut nullus fere daretur locus collocandis Sedibus, ad excipiendas Sacramentales Confessiones destinatis, neque locus superesset peragendis Canonicalibus et Parochialibus functionibus ducendisque consuetis Supplicationibus.

69. Contendit itaque Archiepiscopus, nedum sibi licuisse praefata duo Altaria in Choro Presbiterii supprimere, praesertim cum essent superimposita Defunctorum tumulis, sed etiam posse alia decori Ecclesiae officientia demolire, translatis oneribus ad Altaria superextantia, cum decorem Ecclesiae Cathedralis curare deberet.

70. Hac ideo de causa remotis merito scamnis ac demolita Capella (3), propositis dubiis: - III. An et quomodo sint reducenda in pristinum duo Altaria Ecclesiae Cathedralis ex arbitrio Archiepiscopi demolita et suppressa? *Et quatenus negative.*

IV. An et ad quae Altaria sint transferendae obligationes et respective fundationes in iisdem demolitis Altaribus existentes?

V. An et quomodo liceat Archiepiscopo in Ecclesia Cathedrali eiusque ambitu supprimere Altaria et transferre fundationes Missas aliasque Sacras functiones, iisdem Altaribus addictas et respective celebrari solitas? -, Sacra Congregatio respondit: - Ad tertium, Negative. Ad quartum, Arbitrio Archiepiscopi. Ad quintum, Affirmative in omnibus, arbitrio Archiepiscopi - *in Leopolien. die 27 Augusti 1763.*

71. Magistratus idcirco frustra dilationem petiit; nam Sacra Congregatio seram petitionem in lite, iam a biennio ante instituta, re-

(1) Card. De Luc. ad Concil. Trident. disc. 27, n. 1.

(2) Iuxta monitum S. Caroli Borromaei in Concilio Provinciali 3, cap. *Quae pertinent ad ornatum et cultum ecclesiasticum.*

(3) Cetera Vid. in Verb. *Capella*, et Verb. *Scamna* seu *Sedilia.*

*

iecit: atque dein, etsi denuo audiri obtinuerit, die 19 Ianuarii 1765 nihil adhuc tamen dabat; post editum folium venerunt tandem Magistratus scripta. Multus fuit in refutandis, quae Archiepiscopus dicebat, et in suis iuribus asserendis.

72. Contendit itaque, Cathedralem Ecclesiam, cura sumptuque Civium, constructam esse: Magistratum eiusdem curam adhuc retinere; deputare unum ex Concionatoribus, Sacristam, Provisorem Ecclesiae, Praefectum Fabricae, Administratores Consularis Capellae, aliarumque piarum fundationum; Thesaurum Ecclesiae custodire, de Legatis Fabricae disponere: suum consensum petitum fuisse anno 1525, pro novae Cathedrae erectione, et constructione Altarium et Sepulchrorum; plura in Ecclesia Altaria suo aere posuisse; plura sui iuris Beneficia constituisse: a prioribus Archiepiscopis uti legitimos Patronos omni tempore habitos; Cathedram Archiepiscopalem loco magis eminenti collocari potuisse. Addiditque, arbitrio Archiepiscopi cuncta relinquenda saltem non esse.

73. Repropositis hinc dubiis, sub formula: An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad tertium, In decisis; et amplius. Ad quartum, In decisis; et quoad obligationes et fundationes iurispatronatus, cum consensu Patronorum; et amplius. Ad quintum, utatur iure suo; et amplius – *in Leopolien. die 9 Februarii 1765.*

74. Non videtur autem esse locus remotioni ac restitutioni Altaris, quod Ecclesia Parochialis a Demanio, qui bona Sodalitii usurpavit, publica licitatione emit, quando ipsum Sodalitium suppressum erat *in Lucana Remotionis et Restitutionis Altaris die 15 Iulii 1820* §. *Altaris.*

75. Si praesertim adhuc etiam in suppressionis statu manet, ob non sequutam eius redintegrationem *in Lucana Remotionis et Restitutionis Altaris die 15 Iulii 1820* §. *Altaris.*

76. Qua enim stante capitis diminutione, nequit remeare iure postliminii ad primaevam status conditionem, quoad civiles effectus *in Lucana Remotionis et Restitutionis Altaris die 15 Iulii 1820* §. *Altaris.*

77. Ac proinde nulla ei competit actio ad rem vindicandam, cum nequeat iudicii limina ingredi *in Lucana Remotionis et Restitutionis Altaris die 15 Iulii 1820* §. *Altaris* (1).

78. Quod potissimum locum habet, cum Summus Pontifex voluerit, Confraternitates in suppressionis statu manere, ac ipsorum bona redintegratis Locis Piis assignari, ad quae ista ius nullum habebant *in Lucana Remotionis et Restitutionis Altaris die 15 Iulii 1820* §. *Altaris.*

79. Unde multo magis ipsis ius tribuisse videtur retinendi Altare, quod publica licitatione, et propriis sumptibus Opus Pium transtulit, et Ecclesiae Parochiali aptavit, veteri destructo Altari *in Lucana Remotionis et Restitutionis Altaris die 15 Iulii 1820* §. *Altaris.*

80. Hinc remotioni obstat etiam deformitas Ecclesiae, quae non est permittenda *in Lucana Remotionis et Restitutionis Altaris die 15 Iulii 1820* §. *Altaris.*

81. Nam, si legibus civilibus sancitur, avelli non posse, quae aedificiis adhaerent et ornatum praebent, licet aliena, omnisque vindicatoria actio denegatur, ne Urbis ornatui detrimentum afferatur (2), multo magis id de Ecclesia sentiendum, quam utpote Deo dicatam squalore deturpari indignum est *in Lucana Remotionis et Restitutionis Altaris die 15 Iulii 1820* §. *Altaris.*

82. Additur et aliud argumentum, ex rei mobilitate petitum; quae iure belli ab Hoste distracta a quocumque acquiri possunt *in Lucana Remotionis et Restitutionis Altaris die 15 Iulii 1820* §. *Additur* (3).

83. Quin in facto obstet, Altare esse rem sacram ab hominum commercio exemptam: nam id iure Caesareo et Canonico locum habet, ubi Altaris nulla facta fuerit amotio *in Lucana Remotionis et Restitutionis Altaris die 15 Iulii 1820* §. *Additur.*

84. Contra vero, si fuerit destructum, desinit esse sacrum et redditur execratum *in Lucana Remotionis et Restitutionis Altaris die 15 Iulii 1820* §. *Additur* (4).

85. Hinc Altare, iam occupatum amotumque ab Invasoribus, videtur potuisse licite acquiri et retineri in loco tamen honesto et decenti

(1) Donell. de iur. civil. lib. 21, cap. 5, §. 21, tom. 2, edit. Lucen. col. 1071.

(2) Ut ex. gr. de tigno cautum est in Text. §. 29 Instit. de rer. divis. et acquir. ipsar. domin.; ibique Vinn. comment. n. 3; Voet in Pandect. tit. de rei vindicat. §. 29.

(3) Instit. § 17, de rer. divis. et acquir. ipsar. domin.

(4) Can. 19 *Si motum,* dist. 1, de consecrat.; et sancivit Alex. III in cap. 2, de consecrat. Eccles. vel Altar.; ibique

in Lucana Remotionis et Restitutionis Altaris die 15 Iulii 1820 §. *Additur* (1).

86. Verum, hisce non obstantibus, Sodalitio restituendum est Altare cum ornamentis, cuius dominio potitum est a vetustissimo tempore, ac proinde sibi competit actionem rei vindicatoriam, ex ipso dominio profluentem *in Lucana Remotionis et Restitutionis Altaris die 15 Iulii 1820* §. *Contra* (2).

87. Siquidem Administratores Pii Operis sine ulla dominii translatione Altare et ornamenta acceperunt, sed provisorie ac tantum depositi titulo *in Lucana Remotionis et Restitutionis Altaris die 15 Iulii 1820* §. *Contra.*

88. Deinde, cum iniusta fuerit suppressio ac bonorum usurpatio, ad horum vindicationem ius habuit iure postliminii *in Lucana Remotionis et Restitutionis Altaris die 15 Iulii 1820* §. *Contra.*

89. Praesertim, cum Sodalitium ad pristinum statum illico post restitutas res revocatum fuerit ab Archiepiscopo, qui illi facultatem fecit reserandi Ecclesiam et res proprias recuperandi *in Lucana Remotionis et Restitutionis Altaris die 15 Iulii 1820* §. *Contra.*

90. Deformatio autem Ecclesiae talis non est, ut remotionem Altaris et adnexae molis impediat *in Lucana Remotionis et Restitutionis Altaris die 15 Iulii 1820* §. *Contra.*

91. Quin imo remotio et respectiva aedificatio seu subrogatio alterius Altaris in Ecclesia, ubi Altare translatum fuit, videtur peragenda esse sumptibus eorum, qui translationem peregerunt *in Lucana Remotionis et Restitutionis Altaris die 15 Iulii 1820* §. *Quoad.*

92. Nam mala fide peracta fuisse videtur Altaris et ornamentorum translatio, nec non illorum erectio in Ecclesia *in Lucana Remotionis et Restitutionis Altaris die 15 Iulii 1820* §. *Quoad* (3).

93. Sumptibus etiam eorum, qui translationem perpetrarunt, seu Administratorum Operis Pii, novum Altare videtur esse substituendum, cum ex arbitrio tantum ipsorum haec fuerint peracta; non enim dono acceperant Sanctissimi Crucifixi Simulacrum, quod huius constructionis causa fuit, sed depositi tantum titulo *in Lucana Remotionis et Restitutionis Altaris die 15 Iulii 1820* §. *Quoad.*

94. His itaque expensis, Sacra Congregatio demandavit remotionem et restitutionem Altaris ea tamen lege, ut remotio fieri deberet sumptibus Dominorum, subrogatio vero alterius Altaris sumptibus eorum, qui illud sibi seu Operi Pio usurpaverant *in Lucana Remotionis et Restitutionis Altaris die 15 Iulii 1820 et die 24 Novembris 1821.*

95. Iamvero, labente seculo XIV dum tota fere Europa gravibus afficiebatur aerumnis, Gens quaedam, *dei Bianchi* nuncupata, suscepta ad placandam Divini Numinis iram peregrinatione, ex Hispaniis Lucensem Civitatem petiit, ibique dono reliquit Simulacrum Sanctissimi Crucifixi. Sacrae huius effigiei causa ab eousque tempore Templum extructum fuit, ac Sodalitium canonice erectum, cui nomen *dei Bianchi* datum est. Ut pietate ac religione, ita et magnificentia excelluit Societas illa, quae sequiori aevo Templum et Altare pretiosa supellectili ac marmoreo opere ditavit, posita lapide: IESU CHRISTO CRUCIFIXO SACRUM.

96. Ast, ubi etiam Lucensis Civitas, licet invita, communi cedere debuit fato, Sodalitium illud suppressum est, eiusque bona *Demanium* usurpavit, publicae licitationi exponenda. Id praevidens Lucanus Antistes, ut Sanctissimi Crucifixi effigiem in tuto collocaret, eam deposuit penes Parochialem Ecclesiam S. Michaelis in foro. Hoc accepto deposito, Parochialis Ecclesiae Deputati postularunt a tunc Dominante Regimine concessionem Altaris, septi marmorei ac integrae molis existentis in Ecclesia suppressi Sodalitii ac iam addictae Simulacro Sanctissimi Crucifixi. Voti compotes facti, haec omnia ad Ecclesiam S. Michaelis Operis Pii sumptibus transtulerunt, et in Sacello, in quo Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum asservabatur, veteri destructo Altari, collocarunt.

97. Rebus ad pristinam tranquillitatem revocatis, Sodalitium auctorante Archiepiscopo revixit, eiusque Confratribus data est facultas

Gonzalez n. 15; Reiffenst. eodem tit. §. 2, n. 38; et S. Rituum Congreg. texte Ferrario in append. suae bibliothecae sub Rubrica Decret. S. Rituum Congreg. n. 876.

(1) S. Rituum Congregatio in Reatina 9 Maii 1606.

(2) L. 1, §. 1, ff. de rei vindicat.; L. 21 Cod. mandat.; Voet ad Pandect. lib. 6, tit. de rei vindicat. n. 2.

(3) Arg. ex Text. in Leg. 2, ff. de rei vindicat.

recuperandi Sanctissimam Imaginem cum aliis rebus Sodalitii; quia haec depositi tantum titulo concessa ab Archiepiscopo fuerant Parochiali S. Michaelis Ecclesiae. Simulacrum tamen unum post aliquod temporis restitutum fuit, non cetera ornamenta. Id itaque in causa fuit, cur Deputati Sodalitii Regiam Maiestatem Mariae Aloisiae Borboniae, interim Lucense dominium adeptae, adierunt pro restitutione Altaris aliarumque rerum iam ab Archiepiscopo decreta. Tunc quoque Administratores Operis Pii seu Paraeciae S. Michaelis opposuerunt, non leves sumptus erogatos pro translatione et collocatione Altaris in Ecclesia S. Michaelis, ubi hac de causa eversum fuerat praeexistens Altare; se tamen paratos exhibuerunt ad restitutionem, modo Sodalitium aliud decens Altare extrueret ad Sanctissimum Sacramentum asservandum, quod conforme esset Ecclesiae structurae. Verum, summa, qua pollebat religione, Regia illa Maiestas a quovis ferendo iudicio sese abstinuit, ac dissidentes Partes ad Archiepiscopum, qui eas aequa conciliatione componeret; sin minus ad competens forum remitteret.

98. Nulla obtineri potuit compositio: hinc Sodalitium coram Curia Archiepiscopali in ius vocavit Administratores Operis Pii S. Michaelis, postulans, ut damnarentur ad restituendum Altare ac cetera, quae ad ipsum spectabant (1). Prodiit Curiae Archiepiscopalis sententia, in qua condemnati fuerunt Administratores Operis Pii S. Michaelis ad restituendum Deputatis Sodalitii Altare et septum marmoreum atque ornatum sericum rubri coloris, sub his conditionibus: primo, ut amotio et asportatio fieret expensis Sodalitii; secundo, ut hoc teneretur exsolvere summam necessariam Pio Operi pro reconstructione alterius Altaris, quod forma et bonitate vetus adaequaret, ad eamdem Ecclesiam pertinens, tunc iam destructum, et insuper pro repositione Capellae Sanctissimi Sacramenti in eo statu, in quo erant ante erectionem Altaris, de quo agebatur; tertio, ut amotio et asportatio incohari deberet post tres menses proxime decurrendos a die, qua praefato Operi Pio praedicta summa fuisset soluta.

99. Ab hac sententia fuit utrinque interposita appellatio. Sed praeivere preces oblatae ab Administratoribus Operis Pii S. Michaelis, quibus rescriptum fuit: - Archiepiscopo pro informatione et voto, auditis praesertim Confratribus Sodalitii Sanctissimi Crucifixi, eisdem praefixo termino duorum mensium, ad deducendum iura sua in S. Congregatione -. Cum Sodalitii Deputati, ab Archiepiscopo intimati, (qui tamen a quovis ferendo voto se abstinuit) in ius vocaverint Administratores Operis Pii S. Michaelis, causa proposita fuit, distributis ex utraque parte allegationibus.

100. Propositis hinc dubiis: - I. An sit locus remotioni et restitutioni Altaris in casu etc.

II. An et cuius sumptibus sit facienda remotio et subrogatio alterius Altaris in casu etc.-, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative in omnibus. Ad secundum, Affirmative quoad remotionem sumptibus Sodalitii *dei Bianchi;* quo vero ad subrogationem alterius Altaris sumptibus Operis Pii S. Michaelis - *in Lucana Remotionis et Restitutionis Altaris die 15 Iulii 1820.*

101. Obtento statim a Defensoribus Pii Operis S. Michaelis novae audientiae Beneficio, siluit causa donec in praeterito mense Februario ab iis Summo Pontifici preces porrectae fuerunt, in quibus post expositam factorum seriem, et redditum a Sacra Congregatione iudicium, aliam rem postulabant (2). Nova isthaec Instantia remissa fuit ad Sacram Congregationem; eique statim adiectum est assuetum Rescriptum: - Reproponatur in folio, citata parte -. Quum vero iam properaret repropositionis dies, postulavit Operis Pii Procurator, ut de ea cognosceretur ab Eminentissimis Patribus in die propositionis Causae, eiusque Instantia dimisso fuit decreto: - Utatur iure suo in Congregatione die 15 Septembris proxime futuri iam destinata. Causa vero praefata die 15 Septembris non fuit decisa.

102. Repropositis subinde dubiis, sub for-

(1) Nimirum, ut in §. *Nulla* - ibi - L'Altare di marmo, la Balaustra, il Parato di Damasco cremisi etc. e generalmente tutto ciò, che trovasi e che ivi deve ritrovarsi di pertinenza della Confraternita suddetta -.

(2) Postulabant nimirum, ut in §. *Obtento* - ibi - Che venga ordinata alla Commissione Amministrativa dei Beni Ecclesiastici Lucchesi di rimettere la Cappella dell' Augustissimo Sagramento con un nuovo Altare di marmo, ovvero in linea di conciliazione ordinare, che resti fisso l'Altare della Compagnia in S. Michele a condizione, che dagli Operai si paghino alla Compagnia predetta scudi cinquanta, sufficienti a costruire un nuovo Altare di stucco allusivo alla fabbrica stessa di quell' Oratorio -.

mula: – I. An sit standum, vel recedendum a decisis in primo dubio in casu etc.

II. An sit standum, vel recedendum a decisis in secundo dubio in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, In decisis; et amplius. Ad secundum, In decisis; et ad D. Secretarium cum Sanctissimo, iuxta mentem – *in Lucana Remotionis et Restitutionis Altaris die 24 Novembris 1821* (1).

103. Patroni autem tenentur quidem de iure communi ad manutentionem Altaris, secus vero si legitima adsit consuetudo *in Urbinaten. Visitationis Sacrorum Liminum die 10 Martii 1663.*

104. Proposito enim dubio: – III. An manutentio Altarium, quae sunt de iurepatronatus, et conservatio ornamentorum necessariorum, pro eisdem Altaribus, spectet ad ipsos Patronos vel Sacrarium Metropolitanae Urbini, in qua dicta Altaria sunt erecta, stante consuetudine, quod numquam fuerint Patroni coacti ad dictam manutentionem et conservationem, sed eamdem impensam praestiterit dictum Sacrarium, prout hodie supplet impensae Mapparum et omnium paramentorum Sacerdotalium; nec Beneficiati, qui habent Capellanias erectas in dictis Altaribus, possint eidem manutentioni concurrere, propter tenuitatem redituum vix excedentium onera Missarum, quae dictis Capellaniis annexa sunt? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad tertium, Teneri Sacrarium ad limites legitimae consuetudinis; quoad reliqua, prout de iure – *in Urbinaten. Visitationis Sacrorum Liminum die 10 Martii 1663.*

105. Propterea Sacra Congregatio nunquam decidit, cui onus manutentionis Altarium pertineat, nisi prius audiantur interesse habentes; ceteris enim hic missis, proposito dubio: – II. An Monachi teneantur providere Altaribus in Ecclesiis, quibus non incumbit animarum cura, et in quibus sunt erectae Societates Laicorum, seu ipsae Societates? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad secundum, Audiantur interesse habentes – *in Caesenaten. Iurisdictionis die 23 Septembris 1690.*

106. Iuspatronatus Altaris vero ipsis Regularibus addicendum esse videtur, qui fundum in sua Ecclesia praestiterunt, pro Altaris constructione *in Firmana Erectionis Capellaniarum die 22 Ianuarii 1763* §. *Et quatenus* (2).

107. Ex consuetudine tamen contrarium procedit, scilicet Altaris iuspatronatus non fit comune cum Regularibus, ratione praestiti fundi, pro illius erectione in eorum Ecclesia *in Firmana Erectionis Capellaniarum die 22 Ianuarii 1763* §. *Et quatenus* (3).

108. Propterea cogendi non esse videntur Regulares acceptare Capellanias in eodem Altari relictas ab eo, qui ex Gente descendit, quae constructionem et dotationem Capellae praestiterit *in Firmana Erectionis Capellaniarum die 22 Ianuarii 1763.*

109. Nam in re communi potior est conditio prohibentis *in Firmana Erectionis Capellaniarum die 22 Ianuarii 1763* §. *Et quatenus.*

110. Atque id ex eo etiam dicendum, quod Regulares non teneantur inviti recipere in eorum Ecclesiis fundationem Missarum, a Presbiteris Secularibus celebrandarum *in Firmana Erectionis Capellaniarum die 22 Ianuarii 1763* §. *Et quatenus* (4).

111. Praesertim, si in eodem Altari pro solis Regularibus Ordinis privilegiato adimplenda sint onera aliarum quingenta sexaginta octo Missarum quolibet anno, in quarum celebratione turbarentur Regulares, quoties fundarentur etiam Capellaniae relictae *in Firmana Erectionis Capellaniarum die 22 Ianuarii 1763* §. *Et quatenus.*

112. Hinc Capellaniae transferendae videntur ad alias Ecclesias, cum praesertim huic translationi assentiantur etiam Heres Fundatoris *in Firmana Erectionis Capellaniarum die 22 Ianuarii 1763* §. *Et quatenus.*

(1) Idcirco in themate non obstitit Bulla Summi Pontificis, qua anno 1818 probavit modum per Reginam Mariam Aloisiam propositum, quo Confraternitates, Paraeciae, Collegiatae Ecclesiae ac nonnulla Coenobia redintegrari poterant: unde Lucensi Episcopo tribuit facultates opportunas, decernens, ut in §. *Praenotandum* – ibi – Volumus singula Capitula, Paraecias etc. tam reditus et bona sibi respective assignata, tamquam sua possidere, etiamsi ad alia Loca Pia et Personas Ecclesiasticas antea pertinerent –.

(2) Abb. in cap. *Ad audientiam*, n. 11, de Eccles. aedif.; Lambert. de iurepatronat. lib. 1, part. 1, quaest. princ. 3, art. 16, n. 2; et quaest. 8, art. 6, n. 1.

(3) Quod ipse Lambert. ex opinione Rocch. loc. cit. n. 5, expresse declarat.

(4) Arg. ex Text. in cap. fin. §. Praecipimus, de stat. Monac.; firmant Abb. in cons. 59, n. 3; et Scarfanton. ad Ceccoper. part. 2, lib. 3, tit. 13, n. 30.

113. Nam communio in iurepatronatus allegari non posse videtur, non docto de illius reservatione occasione, qua Patronus Capellam fundavit et aedificavit *in Firmana Erectionis Capellaniarum die 22 Ianuarii 1763* §. *Plura.*

114. Si praesertim habeatur praesumptio cessionis situs e conspectu absolutae confessionis pertinentiae patronalis eiusdem Sacelli, ex instrumento cum Capitulari Religiosorum interventu stipulato *in Firmana Erectionis Capellaniarum die 22 Ianuarii 1763* §. *Plura.*

115. Quin obstet defectus Beneplaciti Apostolici, ceteroquin praesumendi post lapsum centenariae; cum illud requiratur pro acquirendo iure eligendi Superiores Regulares, non autem iurepatronatus Capellae *in Firmana Erectionis Capellaniarum die 4 Decembris 1762* §. *Curator* (1).

116. Constito proinde de iurepatronatus Capellae seu Altaris, ibidem Capellaniae sunt erigendae; indeque non est in aliam Ecclesiam et Altare concedenda translatio *in Firmana Erectionis Capellaniarum die 22 Ianuarii 1763.*

117. Immo data etiam communione in iurepatronatus, ex hac subverti non potest ius, quo Compatronus naturaliter potitur erigendi Capellanias in sua Capella patronali *in Firmana Erectionis Capellaniarum die 22 Ianuarii 1763* §. *Plura* (2).

118. Quin obesse possit obligatio celebrandi in eadem Capella Missas, exempli gratia, quingentas sexaginta octo, quae non peraequant quidem onus duplicis Missae quotidianae, nec hebdomadalis expositio Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti *in Firmana Erectionis Capellaniarum die 22 Ianuarii 1763* §. *Plura.*

119. Consensus autem Heredis pro indulgenda translatione, attendi nequit, cum tendat in conspicuam eversionem voluntatis, qui specialiter dilexit Altare, ubi adest sepulchrum Gentilitium suae Familiae *in Firmana Erectionis Capellaniarum die 22 Ianuarii 1763* §. *Plura.*

120. Siquidem in Ecclesia Patrum Augustinianorum, quae erat in Castro S. Angeli de Pontano Firmanae Diaecesis, aderat Sacellum Deo dicatum in honorem S. Nicolai de Tolentino, cuius Reliquia in eo asservabatur, cum lampade continuo accensa, ex Legato Nicolai Angelini. Pro huius Capellae conservatione die 3 Augusti 1705 Ioseph de Angelinis donavit, sub certis conditionibus, scuta biscentum, quae recepta fuerunt a Priore et Religiosis illius Conventus capitulariter congregatis, et in Instrumento dictae donationis enunciabatur, illam praeteritis seculis fundatam et constructam fuisse a Friderico Seniore de Angelinis, atque deinceps pluries ampliatam et ornatam - omnibus sumptibus et expensis Dominorum de Angelinis, non autem dicti Conventus vel aliorum, qui nempe de eademmet Aedicula fuerunt Domini et Patroni, retinentes penes se ipsos claves eiusdem sanctae Reliquiae -.

121. Quum tamen in eodem Sacello, iuxta dispositionem Nicolai Antonii de Angelinis, ultimi suae Familiae Agnati, erigendae essent nonnullae Capellaniae ecclesiasticae, obstiterunt Religiosi, autumantes, erectionem fieri non posse, absque ipsorum consensu, quem expresse denegarunt. Quare Communitas Castri S. Angeli, ad hunc effectum heres scripta a praefato Nicolao Antonio, supplicavit Sacrae Congregationi, ut decerneret Capellaniarum erectionem in designato Altari, vel commutata Testatoris voluntate, eas erigi mandaret in alia Ecclesia. Et Vicarius Apostolicus de more auditus prudentem iudicavit alternativam Communitatis instantiam, ne in litium expensis consummaretur exiguum Testatoris patrimonium: verum putavit, iniustam esse Religiosorum contradictionem, ob patronatum Familiae Angelini in supradicta Capella S. Nicolai (3).

(1) Iuxta firmata per Card. De Luc. de Iurepatronat. disc. 55, n. 15 et 16; et Rota in decis. 210, n. 11, part. 3, tom. 1 Recent.

(2) Monacell. in append. ad form. legal. instruct. 5, n. 20, tom. 3.

(3) Haec sane is deduxit, ut in §. *Cum* - ibi - Constat enim ex verbis Instrumenti per Acta Notarii Hyacinthi Smeraldi, quod Fridericus Angelini anno 1614 fabricaverit suis sumptibus Sacellum, ad quod collata fuit Reliquia Sanguinis Divi Nicolai, et respective dotatum: sub die 3 Augusti 1705 ex altero Instrumento Notarii Hieronymi apparet, dotem Altaris actam esse in summa scutorum biscentum; et denique in Testamento Canonici Iosephi Angelini sub die 23 Februarii 1713 fit mentio de constructione ac dotatione eiusdem Sacelli, potissimumque commendatur retentio Clavium supradictae Custodiae penes Heredes Familiae suae. His omnibus accedunt Sepulchrum gentilium; scamnum elegans ibi existens; ornamenta tam intrinsece, quam extrinsece, diversis temporibus facta sumptibus hereditariis; et denique in-

122. Curator itaque huius hereditatis, publico Communitatis consilio electus, disputavit, non minus de iurepatronatus Altaris, quam de Capellaniarum erectione. Fretus enim confessione Patronatus, deprompta ex Instrumento stipulato cum Religiosis dicti Conventus anno 1705 et testimonio Vicarii Apostolici testantis de fundatione et dotatione dictae Capellae, facta a Friderico et aliis de Angelinis, exinde probatum autumavit illorum favore iuspatronatus, quod fundatione vel dotatione acquiritur, etiamsi non appareat de expressa reservatione, cum sufficiat non fuisse remissum (1); praesertim concurrentibus, cum expressa confessione Iurispatronatus emissa in dicto Instrumento anno 1705, fruitione plurium praerogativarum et retentione clavium Reliquiae penes Gentem Angelinam, ex Testamento etiam Nicolai Antonii ultimo defuncti comprobata (2). Nihilque obstare putavit defectum Beneplaciti Apostolici, ceteroquin praesumendi post lapsum centenariae, pro acquirendo iurepatronatus Capellae.

123. Quapropter, attento Iurepatronatus Familiae Angelini in praedicta Capella S. Nicolai, contendit, nullum requiri consensum Religiosorum pro erigendis in ea Capellaniis relictis a Nicolao Antonio Angelini ultimo de Familia Patrono (3). Idcirco nec obstitit praeexistens obligatio celebrandi in eadem Capella Missas quingentas sexaginta octo, quae nec peraequabant onus duplicis Missae quotidianae, ac hebdomadalis, quae ibidem haberi solebat, expositio Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti. Id enim impedimento esse non poterat, quominus in eadem Capella alia Missarum onera, ex fructibus exiguae hereditatis celebrandarum, adimplerentur.

124. Propositis hinc dubiis: - I. An constet de Iurepatronatus Familiae Angelini in Capella S. Nicolai Tolentini erecta in Ecclesia S. Augustini Castri S. Angeli? *Et quatenus affirmative.*

II. An erectio Capellaniarum sit facienda in dicta Ecclesia, seu potius sit concedenda translatio in aliam Ecclesiam et Altare in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative, et amplius. Ad secundum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam; et amplius - *in Firmana Erectionis Capellaniarum die 22 Ianuarii 1763.*

125. Merito propterea Sacra Congregatio translationem erectionis Capellaniarum in aliam Ecclesiam et Altare etiam Communitati, ad effectum exequendi piam Testatoris dispositionem, scriptae heredi denegavit, cum consensus praedictae Communitatis tenderet in conspicuam eversionem voluntatis eiusdem Testatoris, qui specialiter dilexit Altare S. Nicolai, ubi aderat Sepulchrum Familiae *in Firmana Erectionis Capellaniarum die 22 Ianuarii 1763* §. *Plura.*

126. Nec imo translationem Missarum ab Altari per Testatorem adsignato ipsi Heredi, eam instanter expostulanti permittit Sacra Congregatio, etiamsi Altare existat in Ecclesia Patrum strictioris Observantiae S. Francisci, qui incapaces quidem sunt acceptare Legata, non vero eleemosynam Missarum *in Brundusina Adimplementi die 26 Augusti 1719.*

127. Enimvero Ioannes Vincentius Vitalis in suo ultimo testamento heredem universalem instituit Ioannem Angelum Fratrem cum onere Legati Missarum (4) in Ecclesia Conventus S. Rochi Patrum strictioris Observantiae S. Francisci, ac praecise in Altari S. Francisci

novationes quaedam, proprio marte eo in Altari peractae a Fratribus Eremitariis, Decreto Iudicis Almae Urbis amotae fuerunt -.

(1) Rot. in decis. 326, n. 14, coram Molin.; et decis. 330, n. 1 et 8 in Nuperrim. tom. 5.

(2) Uti ponderat Rota in decis. 330, n. 3, tom. 5 in Nuperrimis.

(3) Ut notant Card. De Luc. de Iurepatronat. disc. 12, n. 6; et Monacell. in Append. ad Form. Legal. Instruct. 5, n. 20, tom. 3.

(4) Quod legatum hisce verbis reliquit, ut in §. *Ioannes* - ibi - Esso Testatore vuole, ordina, e comanda, che, seguita la sua morte, sia tenuto il suo universale Erede di far celebrare dai Rev. Padri di detto Ven. Convento di S. Rocco una Messa cantata per ogni Venerdì dell' anno in perpetuum nell' Altare del glorioso S. Francesco di Paola etc. colla carità di Carlini cinque per ciascuna Messa; e per fondo di detto Legato possa e voglia tanto detto Gio. Angelo, quanto i suoi Eredi fondare uno o più capitali di censi sicuri, corrispondenti alla soddisfazione della predetta carità di Messe cantate in perpetuum, e nella fondazione di detti capitali facendo a suo arbitrio, sia tenuto detto Gio. Angelo o suoi Eredi farvi intervenire il Procuratore o Guardiano pro tempore di detto Convento, acciò non siano tenuti all' evizione de' capitali o annualità -.

de Paula celebrandarum. Cumque, sub obtentu incapacitatis dictorum Patrum recipiendi capitalia seu census pro securitate praedicti Legati Missarum, Ioannes Angelus Sacrae Congregationi postulaverit, pro facultate transferendi onus celebrationis Missarum ad Ecclesiam Collegiatam Terrae Liberani, in qua dictus Conventus Patrum Sancti Rochi existebat, nec ullus alius Regularium reperiebatur Conventus, relata eius Instantia inter Summaria Precum die 17 Decembris 1718 rescriptum fuit: - Lectum -. Impetrataque subinde nova audientia una cum descriptione in Folio, Ioannes Angelus iterum instetit pro applicatione Legati favore Ecclesiae Collegiatae, vel quod ad minus praescriberetur modus, quo piam sui Auctoris dispositionem valeret executioni demandare.

128. Propositis hinc dubiis: - I. An Fratres sint capaces Legati in casu etc. *Et quatenus negative.*

II. An Heres Legatum seu Onus celebrationis Missarum ab Altari S. Francisci de Paula transferre possit ad Ecclesiam Collegiatam Terrae Liberani. *Et quatenus negative.*

III. Quomodo dictus Heres adimplere valeat Onus impositum celebrationis Missarum -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Negative. Ad secundum, Negative. Ad tertium, Heredem posse census creare et assignare pro onere Missarum, sed creare et assignare cum auctoritate Episcopi, cui scribatur, iuxta mentem, ita ut novus Censuarius se obliget solvere Patribus eleemosynam ad formam Testamenti - *in Brundusina Adimplementi die 26 Augusti 1719.*

129. Unde Sacra Congregatio eo tantum in casu permittit translationem Missarum seu alibi erectionem Capellaniarum, cum Testator nullum Iuspatronatus in Capella seu Altare Regularium nanciscebatur: ceteris enim hic missis, in una Romana deficiente iurepatronatus, die 13 Martii 1717 commisit - Eminentissimo Urbis Vicario, ut, nisi PP. Legatarii onus acceptaverint, infra terminum ab E. S. praefigendum ad formam Decreti Sacrae Congregationis, aliam Ecclesiam sibi benevisam deputet pro Missarum celebratione (1) - *in Firmana Erectionis Capellaniarum die 4 Decembris 1762* §. *Quapropter.*

130. Itaque Confraternitas Sanctissimi Rosarii, per Canonicos in propriam Ecclesiam Collegiatam admissa, nequit permittente etiam prima Dignitate et Parrocho impedire Canonicis celebrationem Missarum in Altari ad ipsam spectante, quin et ipsi concurrere debeant ad eiusdem Altaris manutentionem *in Regien. die 5 Augusti 1719.*

131. Enimvero Alphonsus Gonzaga Comes Novellariae obtinuit a S. Pio V anno 1597, quod nova Ecclesia, propriis sumptibus a se aedificanda, sub invocatione et titulo S. Stephani, erigeretur in Collegiatam, praevia fundatione octo Canonicatuum et Archipresbiteratus, cui tamquam primae dignitati animarum cura commissa fuit. Fuerunt subinde in hanc Ecclesiam introductae et receptae duae Confraternitates, altera ex eisdem sub instituto Sanctissimi Rosarii; exortisque controversiis inter Canonicos Ecclesiae Collegiatae et Archipresbiterum et Confratres, ac inter cetera, propositis dubiis: -

IX. An, permittente Archipresbitero et Parocho, possint Confratres impedire Canonicis celebrationem Missarum in eodem Altari Sanctissimi Rosarii. *Et quatenus negative.*

X. An praedicti Canonici teneantur concurrere ad manutentionem dicti Altaris seu Capellae -, Sacra Congregatio respondit: - Ad nonum, Negative; et Amplius. Ad decimum, Negative; et amplius - *in Regien. die 5 Augusti 1719.*

132. Procuratores Sodalitiorum vero Confratrum mandatum non exibentes permutationem Altaris inire nequeunt; adeoque tamquam illegitimi contradictores habendi sunt *in Meliten. Permutationis die 9 Iulii 1774* §. *Itaque* (2).

133. Namque Procuratoribus Confraternitatum liberum non est de illorum bonis disponere *in Meliten. Permutationis die 9 Iulii 1774* §. *Itaque* (3).

134. Praesertim, cum res sit de permutatione, quae species est alienationis (4); proindeque ad legitime permutandum, quemadmodum

(1) Ut in lib. 67 Decretorum pag. 96.

(2) Innocentius in Cap. *Ex insinuatione*, de Procurator.; Rot. in decis. 2844, n. 1, coram Coccino.

(3) Cap. *Sine exceptione*; et cap. *Tua*, de his, quae fiunt a Praelat.; Rot. decis. 594, n. 5, coram Molin.

(4) L. *Si ei*; et L. seqq. ff. de iur. dot.; L. *Si mulier*, ff. de pact. dotal.

ad valide alienandum, omnes requiruntur solemnitates a iure praescriptae, scilicet discussio Causae, consensus maioris partis, et Sanctae Sedis approbatio *in Meliten. Permutationis die 9 Iulii 1774* §. *Itaque* (1).

135. Unde, quamvis Confraternitates Episcopo de iure subiiciantur, illarum tamen bona et reditus peculiaribus quibusdam operibus destinata nequeunt ab Episcopo, etiam de consensu Confratrum, alteri Ecclesiae assignari *in Meliten. Permutationis die 9 Iulii 1774* §. *Quoniam* (2).

136. Quando praesertim iusta ac necessaria causa deficiat; quin imo laesio concurrat *in Meliten. Permutationis die 9 Iulii 1774* §. *Nullimode.*

137. Quoties scilicet in contractu permutationis, qui assimilatur contractui emptionis et venditionis, aliud requisitum non concurrat, ut scilicet tantum recipi debeat, quantum traditur: quod quidem in quolibet contractu iustitiae convenit, et praecipue servari debet in permutationibus, quae inter Ecclesias fiunt *in Meliten. Permutationis die 9 Iulii 1774* §. *Nullimode* (3).

138. Propterea sustineri non potest permutatio Altaris per Priores Confraternitatum gesta absque Beneplacito Apostolico et consensu Confratrum, nec ulla intercedente iusta et necessaria causa, sed imo enormissima laesione concurrente *in Meliten. Permutationis die 9 Iulii 1774* §. *Nullimode.*

139. His namque in terminis etiam ex capite laesionis sustineri non potest huiusmodi Altaris permutatio, de consensu Vicarii Capitularis facta *in Meliten. Permutationis die 9 Iulii 1774* §. *Nullimode.*

140. Iamvero in Parochiali Ecclesia Casalis Tarxensis duo erant Laicorum Sodalitia. Unum sub titulo Sanctissimi Crucifixi Agonizantis initio currentis seculi Episcopi auctoritate institutum in magno Sacello, quod in dextero Ecclesiae latere existebat, et pro constructione Altaris et Crucifixi imagine ibidem collocanda non solum Sodalitium pecunias erogavit, sed pius etiam Vir Iosephus Valerius Abela certam summam Legati titulo reliquit. Alterum sub invocatione Beatae Virginis Rosarii vetustiorem ducebat originem, et habebat Altare in parvo eiusdem Ecclesiae Sacello, quod extabat in sinistro interiori latere maioris Capellae. Utrumque Sodalitium in proprio Altari retroactis temporibus Christianae pietatis officia exercuit, quin iurgia aut dissentiones exortae unquam fuerint.

141. Anno 1769 utriusque Sodalitii Procuratores agere inter se ceperunt de permutando invicem Altari; et supplices adierunt Vicarium tum temporis Capitularem, qui Decretum pro petita permutatione edidit. Huiusce Decreti exequutio praepedita fuit, ob recursum habitum a Sodalibus Sanctissimi Crucifixi, cuius causa idem Vicarius Capitularis mandavit, nihil innovari usque ad novam provisionem. Post haec appellationem a priori Decreto interposuere Sodales Sanctissimi Crucifixi; et, praevio Monitorio, manutentionem in possessione proprii Sacelli postularunt. Cum tamen utriusque Sodalitii Priores supplicem Sanctissimo libellum exhibuerint, quo Pontificiam implorarunt auctoritatem, ut permutatio exequeretur; idcirco ab Emo Card. Pro-Auditore cognitio causae una cum Monitorio Sacrae Congregationi fuit delegata.

142. Itaque Sodales Sanctissimi Crucifixi contenderunt, reiiciendos a limine iudicii Procuratores, deficere liberum Sodalium consensum: et licet Sodales Rosarii assentirentur, nihilominus ob solum dissensum Sodalium Sanctissimi Crucifixi sustineri non posse contractum, qui mutuo Contrahentium consensu perfici debet. Alienum autem esse a veritate, quod unicus esset contradictor Sacerdos Ellul, cum ex opposito constaret, quamplures Sodales permutationi contradicere et Procurae mandatum subscripsisse.

143. Dixerunt, nequaquam fore necessariam permutationem, ad augendam Fidelium devotionem erga Beatam Virginem Rosarii, cum ad ea usque tempora Sodalitium omnia pietatis officia expleverit in proprio Sacello, quin scandala exorta unquam fuerint, quae tamen timeri

(1) Cap. *Tua*, de his, quae fiunt a Praelat.; cap. *Ut super*, de rebus Eccles. alien. vel non; Can. *Sine exceptione* 52, Caus. 12, quaest. 2.

(2) Boss. de Sodalit. quaest. 6, n. 4.

(3) Cap. *Nulli*, n. 34, de reb. Eccles. alien. vel non; Rot. in Compostellana Permutationis 7 Iunii 1748, coram Vicecomite.

*

etiam in posterum poterant, licet in ampliori loco ea peragerentur. Ceterum observabant, quod, etsi ex magno populi concursu in angusto Sacello Sanctissimi Rosarii mala obventura praeviderentur, non tamen adigi poterant Sodales Sanctissimi Crucifixi ad consentiendum proprii Altaris cessioni, cum Sodales Rosarii, vel aliud Altare construere valerent, vel, obtenta a Parocho venia, in maiori Ecclesiae Altari sacras functiones peragere, atque hisce ordinariis remediis provideri poterat, absque eo quod ad extraordinarium coactivae permutationis remedium esset confugiendum (1). Addiderunt, ad coactam permutationem, utpote alterius iuris laesivam, deveniri non posse, etiamsi consuetudo adesset in Diaecesi, ut in peramplis Sacellis Sodalitia Rosarii, alia vero in magis angustis convenirent, cum tamen huiusmodi consuetudo non verificaretur, sed immo contraria probaretur.

144. Despiciendam vero promissionem in precibus expositam impendendi de proprio quidquid ad explendam permutationem requireretur propter laesionem putarunt. Nam adverterunt, in praesenti casu cedi debere a Sodalitio Sanctissimi Crucifixi peramplum Sacellum, ut perexiguum Altare reciperet; atque hinc laesionem enormissimam intercedere, attento valore praesertim Capellae Sanctissimi Crucifixi, quae triplo et ultra excedebat pretium parvae Arae B. Virginis de Rosario (2). Accedere, quod in Altari Sanctissimi Crucifixi extabat tabula marmorea Redemptoris e Cruce pendentis imaginem praeseferens, non sine gravi sumptu a Sodalibus empta eoque in Altari collocata. Hanc vero tabulam minus apte in angustiori Altari collocari posse; proindeque aut omnino amitti, aut minus decenter alio in loco constitui debere. Huiusmodi autem circumstantiam tanti ponderis esse dixerunt, ut, admissa etiam permutationis necessitate, permitti nihilominus non deberet, ob praeiudicium Ecclesiae obventurum (3).

145. Ex parte Priorum utriusque Sodalitii, qui supplicem libellum porrexerunt, nihil eousque deductum fuit. Verum in eo exposuerunt, ipsorum preces oriri ex zelo augendae devotionis, et avertendae irreverentiae, quae ex magno Populi concursu in angustum locum timeri posset, eorumque petitionem conformem esse universali consuetudini Ecclesiarum totius insulae Melitensis, ac desiderio Cleri, Populi, et Confratrum utriusque Sodalitii. Retulerunt insuper, nullum Sodalitio Sanctissimi Crucifixi praeiudicium afferri, hinc contrariam oppositionem fore omnino despiciendam, praesertim, quia sub generico Confratrum nomine unus Sacerdos Raphael Ellul esset contradictor, absque eo quod ullo fungeretur officio, cuius virtute facultatem haberet assumendi Societatis nomen.

146. Episcopus arbitratus est, ut - utraeque Partes concernentes contentae esse debeant de eorum respectivis Altaribus, sitis ut antea in loco, in quo adhuc existunt -. Perpendendum hinc, an exequutionem mereretur contractus permutationis a Procuratoribus utriusque Sodalitii gestus, an cum legitimo procurae mandato, an cum sub reservatione Beneplaciti Apostolici exaratus fuerit, an concurreret iusta et necessaria causa, quae suaderet Sacelli et Altaris permutationem, pro cuius constructione vel ornamento aut pro adimplendis ibidem piis operibus, Fidelium oblationes collatae fuerant.

147. Hisce mature perpensis, proposito dubio: - An sit locus permutationi Altaris Sanctissimi Crucifixi Confraternitatis Agonizantium Casalis Tarxensis cum altero Beatissimae Virginis Confraternitatis Sanctissimi Rosarii dicti Casalis in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Negative - *in Meliten. die 30 Iulii 1774.*

148. Quum itaque Sodales S. Mariae Gratiarum Altare possiderent in templo D. Nicolai Civitatis Ravennae, illud ex contractu in Patres Augustinianos occasione reaedificationis Ecclesiae transtulerunt, ac hi subinde ex transactione praefatum Altare eis cesserunt, ac mox iidem cessionem hanc nullam propter defectum Beneplaciti Apostolici ob id dixerunt, quia Archiepiscopus ut antea visitare contendebat: Sacra Congregatio vero validam per modum reintegrationis edixit cessionem, cum iure simul Archiepiscopi illud visitandi, iuxta solitum *in Ravennaten. Altaris die 29 Maii 1745.*

(1) L. *In Causae cognitione*, ff. de Minor.; Rot. decis. 484, n. 16, part. 19, tom. 2 Recent.
(2) Rot. in decis. 89 in Miscell. n. 23, coram Falconerio; in decis. 122, n. 20, coram Ansaldo.
(3) Piton. discept. Eccles. 96, n. 7; Rot. in Compostellana Permutationis die 7 Iunii 1748, §. 11, coram Vicecomite.

149. Siquidem in templo D. Nicolai, quod Ravennae erat et ad Eremitas Augustiniani Ordinis pertinebat, nobilissimum Sacellum fuisse columnis et marmoribus pretiosissimum extructum, picturaque Beatissimae Virginis, cui Gratiarum nomen indictum erat (sive unius sive alterius excellentis Artificis opus) magnifice ornatum, et ferri Cancellis munitum et circumclusum, quod detinebatur a Sodalitio eiusdem nominis Beatae Mariae Gratiarum, fide constabat veterum annalium et testificationibus hominum aetate gravium confirmabatur. Impensae omnes, quae necessariae erant, ut sartum tectumque esset Sacelli et Altaris opus et in illius tutelam usumque erogabantur, pecunia Sodalitii fiebant: Aedituus Sacello praeerat, qui a Sodalibus praeponebatur; et vestes et sacra Supellex ad Altaris usum destinata in armario, quod in eiusdem Templi Sacrario erat, cuiusque claves Aedituus habebat, a Sodalitio reponebantur, et si quando ad avertendas calamitates publicae indicebantur supplicationes ad Imaginem Virginis, non Patres Eremitae, sed Sodales rogabantur ab Ordine Revennatum; Archiepiscopi vero Altare illud et res Sodalium, nunquam a Patribus praepediti, libere visitarunt.

150. Hoc rerum ordine ventum est ad annum 1709: quo tempore opus fuit, ut Templum integrum D. Nicolai a solo restitueretur. Monumentis Sodalitii probabatur, hanc inter Patres Augustinianos et Sodales initam fuisse conventionem, ut Patres tollere possent columnas, marmora, aliaque Altaris ornamenta, quae ad Sodales pertinebant; tenerentur vero contra novum Altare suis impensis praestare Sodalibus. Veritatem huius facti monstrabat factum; nam Patres columnis marmoribus ferro aliisque lignis ornamentisque Altaris usi sunt, ipsamque pictura insignem Tabulam asportarunt, novum vero Altare, sed ligneum posuerunt; atque eo evasit illa conventio, ut Sodales non pretiosas res tantum amitterent, vilioribus acceptis, sed quod deterius erat, ipsum Altaris ius et possessionem. Dum enim Templum extruebatur, opportune per ora hominum volitabat, Sodales iure Altaris cecidisse, quod noluerint impensas, quas Patres Augustiniani fecerant in aedificio, restituere.

151. Evenit res, ut optabatur; nam Sodales ea ratione, quae in legibus nostris refertur, ut quod communiter possidetur, communiter negligatur, libros suos, in quibus conventio illa scripta fuerat, non revolventes, eamdem opinionem imbiberunt, nec tamen deferbuit eorum ardor et pietas in Virginis cultum; plurimas enim impensas in ornamenta Altaris erogarunt, et Archiepiscopus Farsettus Altare illud visitare non dubitavit. Tandem anno 1742 controversiae huius, quae inter Patres Sodalesque agebatur, semina iacta fuerunt; quum enim opus, ut muri crassities minueretur, quo posset Statua Beatissimae Virginis collocari, Sodales facultatem hanc sibi dari postularunt a Patribus, quos putabant Sacelli Altaris murique Dominos, et novus hac occasione contractus initus fuit inter Sodales et Patres, ut hi restituerent in possessionem Altaris Sodales, qui contra Patribus remitterent fructus censuum in summa scutorum nonaginta quinque. Placuit Patribus haec transactio, quibus in unum congregatis proposita fuit, placuit totius Ordinis Generali Magistro, qui illam literis suis probavit; in ipsa vero stipulatione transactionis error, sive Partium, sive Tabellionis, obrepsit; nam expressum fuit, Patres cedere Sodalibus – ius, possessionem, dominium, et proprietatem Altaris –, e quibus verbis controvesia inde orta est.

152. Quum enim modernus Archiepiscopus Altarium, quae in Ecclesiis Religiosorum erant, sed ad Sodalitia pertinebant, Visitationem indixisset; et putasset, hoc etiam Altare Sodalibus Beatae Mariae Gratiarum cessum a Patribus visitare posse, obstiterunt Patres, qui occasionem nacti a verbis illis Instrumenti, negabant cessionem valere posse, quod sine Beneplacito Apostolico distrahi Altare illud non potuisset, quod res sacra, ut illud erat Altare, nequeat sine labe simoniae pretio nummario in alium transferri, nec in commercio hominum esse posset, cum in nullius haec bonis sint. Abstinuit Archiepiscopus a Visitatione, adiecta tamen clausula – sine praeiudicio suae iurisdictionis et rationum ambarum Partium –.

153. Rem inde omnem Sodales detulerunt ad Amplissimos Patres, a quibus petierunt, ut si quid vitii inesset instrumento et stipulationi, aut tolleretur, aut cogerentur Augustiniani pecuniam reddere. Datae ad Archiepiscopum fuerunt Literae, quibus significabatur, ut rem omnem referret animique sui sententiam aperiret:

sed, dum cunctantur Sodales eas Epistolas reddere Archiepiscopo, Patres Augustiniani libellum obtulerunt S. Congregationi, qua postulabant, nullam atque irritam declarari cessionem illam Altaris, nullumque ius esse Archiepiscopis illud visitandi. Datis igitur aliis Literis ad Archiepiscopum, respondit ille luculentissima Epistola. Patres itaque de nullitate cessionis disputarunt; Sodales contra nullum illi vitium inesse contenderunt, etiamsi vere a dominio et possessione antecedenti cecidissent: multo vero amplius, quia cessio illa non aliud esse poterat, quam restitutio et redintegratio possessionis, in qua erant Sodales.

154. Propositis hinc dubiis: - I. An cessio dominii et proprietatis Altaris substineatur in casu etc.

II. An et quomodo dictum Altare visitari possit ab Ordinario in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative quoad usum et possessionem, per modum reintegrationis; et amplius. Ad secundum, Affirmative iuxta solitum; et amplius, - *in Ravennaten. Altaris die 29 Maii 1745.*

ALTARISTAE.

1. Non desunt Capitula Collegiata, quae solis Canonicis Altaristis cum Praeposito constent *in Recanaten. Servitii chori die 8 Iulii 1786.* §. *Semel.*

2. Quin interim eorum portio reputari posse videatur, tamquam Beneficium *in Recanaten. Servitii chori die 8 Iulii 1786* §. *Semel.*

3. Praesertim, cum reditus in solis distributionibus consistant, et ab oneribus depurati circiter ad scuta octo supra decem pro unoquoque Altarista attingant *in Recanaten. Servitii chori die 8 Iulii 1786* §. *Semel.*

4. Hoc enim in casu, hos integros reditus amitti ab iisdem in mensibus vacationum oportet *in Recanaten. Servitii chori die 8 Iulii 1786* §. *Verum.*

5. Quod quidem rigide adeo custodiendum est, ut in Constitutione Bonifacii VIII (1) a Tridentino innovata, quaevis obliterata fuerit, quae adversatur, consuetudo *in Recanaten. Servitii chori die 8 Iulii 1786* §. *Verum.*

6. Verum nil fortasse vetat, quominus Altaristae tempore vacationum, amissa tertia distributionum parte, reliquas duas lucrentur, quemadmodum erga duos Canonicos Episcopo inservientes, erga absentes causa studiorum, atque alios privilegiatos, quoties integri fructus in solis distributionibus consistant, dudum invectum observatumque fuit *in Recanaten. Servitii chori die 8 Iulii 1786* §. *Verum* (2).

7. Quod si scrupulus adhuc maneat, quia huiusmodi Altaristatus non sunt Beneficia; adeoque, sublata interessentia in choro, nullus supersit titulus, cuius vi duas distributionum tertias partes Altaristae lucrentur, haud absurdum videtur, Episcopo committere ita hasce distributiones partiri, ut, qui, exempli gratia, octo aut novem aut decem mensibus intersunt, totam lucrentur annuam distributionum summam, ratione servitii per ea tempora praestiti, relicta solum pro mensibus vacationum tertia parte distributionum, quae percipi eousque consueverit, ut ita ea merces, cum fallentiis absentium coniuncta, praemium sit eorum, qui vacationibus uti nollent, nec Ecclesiae servitium deserere *in Recanaten. Servitii chori die 8 Iulii 1786* §. *Quod.*

8. Iamvero Capitulum Ecclesiae Collegiatae nuncupatae S. Mariae Castri novi Civitatis Recanatensis nullis fruebatur vacationibus a Choro, quibus tamen plurimae gaudent Cathedrales et Collegiatae Ecclesiae, ex benignitate S. Congregationis. Patebat, ex supplici eiusdem Collegiatae libello, plura concurrere ad gratiam, quam postulabat, vacationum conciliarium; et primo quidem gravitatem servitii, nempe quotidiani. Insuper tenuitatem distributionum, ex quibus universus reditus coalescebat; nam vix lucrabantur singuli annua scuta decem et octo, praeterea distantiam Ecclesiae Collegiatae, quae extra Civitatem sita erat, et ad eam difficilis patebat accessus hyemali tempore, ob nivium copiam et viae asperitatem, aestivo vero tempore propter solis aestum.

(1) Relata in Cap. unic. de Cleric. non residen.

(2) Quos casus invicem confert Fagnan. in cap. *Cum omnes*, de Constit. n. 35, lib. 1, Decret.

9. Semel et iterum exorantibus Praebendatis vacationem quatuor mensium, nempe Ianuarii Februarii Iulii et Augusti, data solum fuit, annuente Episcopo, pomeridiana a choro exemptio antedictis mensibus Decreto diei 27 Iunii 1778. Id autem nullam eis attulit utilitatem, quum illius Rescripti vi circa meridiem maiori cum incommodo vesperas exsolvere deberent. Hinc iterum supplices extiterunt coram Sacra Congregatione, ut gratiam vacationis quatuor mensium, nempe iuxta petita obtinerent. Exhibuerunt denuo, quam iam alias, nempe anno 1784, reductionem Missae Conventualis meruerunt, exhibuerunt calculum decennalem reddituum et onerum, ex quo apparebat, reditum in solis distributionibus consistere, et ab oneribus depuratum efferri circiter ad scuta decem supra octo, pro unoquoque Altarista. Ostenderunt etiam consensum Capituli legitime congregati: in memoriam denique revocarunt iam datam alias ab Episcopo relationem, quae ante dictum praeivit Decretum (1). In nuperioribus autem Literis die 26 Martii 1786 pressius loquebatur Episcopus, seque non solum assentiri inquit, ut hi Canonici Altaristae iisdem fruerentur vacationibus, quibus Ecclesia Cathedralis, sed pro iis etiam exorare.

10. Itaque praedicti Canonici Altaristae ultro conveniebant, a Tridentina Synodo exoptatum fuisse, ut a Canonicis omnibus Cathedralium Collegiatarumque Ecclesiarum continuum diurnumque servitium praestaretur, et ex quadam indulgentia permissum, ut usque ad tres menses et non ultra abesse possent, quacumque non obstante consuetudine: sed Decretum illud ad suam non pertinere Collegiatam responderunt, attenta reddituum tenuitate, quae est una ex tribus causis, propter quas Tridentina sanctio limitatur (2). Quin obstaret, quod reditus in solis distributionibus consisterent, quum, amissa tertia distributionum parte, reliquas duas tantum lucrarentur, qui tempore vacationum choro interesse nollent. Quo vero ad paucitatem novem Canonicorum eam tantam haud esse dixerunt Altaristae Oratores, ut propterea a sua petitione reiiciendi essent, cum semper duae ex tribus Canonicorum partibus pro Chori servitio adesse deberent per eos menses, quibus a Sacra Congregatione vacatio a choro concederetur.

11. His itaque perpensis, proposito dubio: - An et quomodo Capituli precibus sit annuendum in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Esse annuendum concessioni vacationum ad tres menses, cum conditionibus in Auximana 12 Iulii 1631 (3), et assignata pro his mensibus tertia parte consuetarum distributionum tantum - *in Recanaten. Servitii chori die 8 Iulii 1786.*

12. Extant etiam Altaristae in aliquibus Ecclesiis Cathetralis, qui tamen a Canonicis distincti censentur, quin eadem iura his competentia, ac ea praesertim, quae ad Vicarii Capitularis electionem spectant, sibi adrogare valeant *in Recineten. Vicarii Capitularis die 4 Iunii 1701 et die 30 Augusti 1704.*

13. Siquidem, dum Altaristae Ecclesiae Cathedralis Recinetensis ius eligendi Vicarium Capitularem cum Canonicis, ac si essent veri

(1) Haec Episcopus praedicto anno deduxit, ut in §. *Semel* - ibi - Fateor mei animi sensum haerere. Cum Capitulum Collegiatae S. Mariae Castri Novi solis Altaristis constet (numero novem cum Praeposito), atque illorum portio reputari nequeat tamquam Beneficium, ideo et chori et Ecclesiae servitium detrimentum pati, atque ad percipiendum de Massa distributionum in vacationibus titulus eisdem deesse videtur. Revera vacationibus Altaristae Oratores numquam sunt gavisi, sed portionibus de Massa distributionum, iuxta praestitum Ecclesiae et Choro servitium, semper participarunt. Ex altera parte animadverto, tenuitatem eiusdem Massae distributionum, difficile ac laboriosum servitium esse in causa, ut aliquo levamine Oratores digni videantur -. Et praemiserat ante-exposita (in precibus Capituli), tum quoad situm dictae Ecclesiae Castri Novi eiusque distantiam a reliquo corpore Civitatis, tum quoad asperitatem viae aeque molestae aestivo hyemalique tempore, veritati niti -.

(2) Fagnan. in cap. *Cum omnes*, de Constit. n. 31; Pignatell. Consult. 114, n. 10, tom. 9; et Consult. 150, n. 84, tom. 10.

(3) In praedicta Auximana autem die 12 Iulii 1631, lib. 14 Decretorum pag. 467 haec statuit Sacra Congregatio - ibi - Sacra Congregatio censuit, Eminentissimum Episcopum facere debere Decretum in Collegiatis Ecclesiis suae Diaecesis, quae vigore Concilii Tridentini gaudent vacatione trium mensium, Canonicos abesse non posse ultra tertiam partem uno et eodem tempore; et huiusmodi vocationem contingere non debere tempore Quadragesimae et Adventus, neque in principalioribus anni festivitatibus -.

Canonici, praesumpserunt, re ad Sacram Congregationem delata, haec expresse declaravit, Altaristas nullatenus esse admittendos ad electionem Vicarii Capitularis *in Recineten. Vicarii Capitularis die 4 Iunii 1701 et die 3 Augusti 1704* (1).

(1) Advocatus Dominicus Ursaya subinde alia iura Canonicorum Capituli Cathedralis Recinetensis defendit penes S. C. Rituum, *ceu videre est in Discept. Eccles.* 35, *tom.* 2, *part.* 1 *per tot; et Discept.* 12, *tom.* 2, *part.* 2 *per tot.* Hinc Sacra Congregatio illa, quam Altaristae adierant, propositis dubiis: – 1. An Dignitatibus et Canonicis Ecclesiae Cathedralis Recinetensis conveniat distinctio, tam quoad qualitatem paramentorum, quam quoad locum se parandi pro Missis privatis respectu Altaristarum aliorumque Sacerdotum eidem Ecclesiae addictorum? 11. An campana maior nostrae Ecclesiae, quae pulsatur pro convocando Capitulo Dignitatum et Canonicorum, possit pulsari pro convocandis Congregationibus, respicientibus negotia particularia Altaristarum? III. An Altaristae in associatione funerum, sine interventu Capituli, possint uti Cruce argentea, quae de praesenti adest in Ecclesia, vel debeant potius uti alia Cruce inferiori dumtaxat? IV. An Altaristae seu Sacristae vel alii inferiores Ministri possint accomodare aliis Ecclesiis vasa et paramenta sacra, sive alia supellectilia, ad nostram Ecclesiam spectantia? –, die 20 martii 1706 respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Negative. Ad tertium, Negative quoad prima partem, Affirmative quoad secundam. Ad quartum, Servetur Decretum Episcoporum –. Siquidem Episcopi id prohibuerant occasione visitationum propter damnum, quod huiusmodi accomodatio sacris suppellectilibus et paramentis afferebatur.

IMPRIMATUR

Fr. Raph. Arch. Salini Ord. Praed. S. P. Ap. Magistri Socius.

IMPRIMATUR

Ioseph Angelini Vicesgerens.

GTU Library
3 2400 00622 0564

DATE DUE

DEMCO, INC. 38-2931

GTU Library
2400 Ridge Road
Berkeley, CA 94709
For renewals call (510) 649-2500
All items are subject to recall.

37240